
Virgil

PUBLII VIRGILII MARONIS

AENEIS.



ILLUSTRAVIT

GOD. GUIL. GOSSRAU.

EDITIO SECUNDA.



QUEDLINBURGI.
SUMPTIBUS ET TYPIS GODOFREDI BASSI.

MDCCCLXXVI.

PRAEFATIO.

Virgilius, poeta Romanus, Augusti tempore, qui ante oculos habebat urbem, terrarum dominam, splendidissimis aedificiis ornatam et omni rerum copia refertam, quum nomen populi Romani vel in ultimis terris aut cum veneratione aut cum timore audiretur, ea magnificentia urbis et imperii magnitudine facile potuit impelli, ut talis gentis originem celebraret. Quodsi Gibbonius, homo Anglus reliquiis Romae commotus est, ut senescens tanti populi omni cura et continuo labore describeret imperium: quid mirum, Romani poetae, viventis in urbe marmorea et aurea, florente imperio, incensum esse animum, ut initia urbis auspicata et a diis curata explicaret[1]). Sed qui carmen epicum scribebat, quo populi sui primordia illustraret, iis niti debebat, quae a populo ipso narrata erant et accepta. Poterat quidem quae tradita erant exornare aut nova ratione copulare, qua sententiam quam de rebus illis conceperat declararet, nec tamen fingere omnia aut inaudita proferre licebat ei, qui sua et credi volebat et probari. Quod non neglexisse Virgilium facile videmus. Illud enim quod Romam

[1]) Haec caussa satis idonea est, ut non confugiendum sit ad illam narrationem, qua ab Augusto Virgilius adductus esse dicitur, ut carmen suum scriberet. Non nego grammaticum aliqua ex parte vera tradidisse, sed ea ad Virgilium iudicandum quidquam valere nego. Georgica Maecenate, Aeneidem Augusto auctore fecisse dicitur, ut ad carmina pangenda non sua sed aliena voluntate motus, ut totius paene vitae laborem ad aliorum iussa accommodasse videatur. Quod plerique poeta putabunt esse indignum. Sed etiam nunc pictoribus traduntur res quas pingant, neque tamen quisquam ausus est illum qui tradidit cum eo qui pinxit comparare. Sed ne tantum quidem Augustus Aeneidi attulit, ut carminis daret argumentum. Suas enim is laudes, suarum rerum narrationem et praedicationem exspectabat, non de antiquo illo Aenea cogitabat, qui carminis primas partes ageret. Itaque Aeneae fata Aeneide quum scriberet Virgilius, et aliud quam quod Augustus exspectaverat fecit carmen, et tale fecit, cuius argumentum neque alius nisi qui ipse erat poeta dare, nec Virgilius excolere et per totum carmen tenere poterat, nisi ipse invenerat.

urbem eiusque imperium non sine numine divom tantopere crevisse arbitrabatur, omnes assentiebantur Romani, qui sui populi fata maiora esse omnibus gentibus putabant. Atque haec eos sententia impulit, ut pro patria summos susciperent labores, non deficerent in periculis et imperium constituerent usque ad extremas gentes propagatum. Neque solum omnia pro republica audere, sed etiam quidquid ad urbis et gentis praedicationem conferebat, pro vero ac certo accipere non dubitabant. Urbs enim, quae tanta ceperat incrementa, etiam maioribus auspiciis condita esse videbatur. Itaque simul atque Roma potens facta est, iam multo ante, quam omnem terrarum orbem devicerat, non defuerunt narrationes, quibus divina aliqua origo urbi tribuebatur. Hae fabulae sensim excultae et in certum ordinem redactae ut res vere gestae tradebantur, nec fere quisquam de iis dubitabat aut certe dubitandum esse existimabat. Quas secutus narrationes Virgilius ita composuit, ut divina illa in condendo et servando populo providentia appareret. — A Iove igitur, summo deo, conditorem eius gentis, cui esset orbis imperium, ortum esse necesse erat; nec minus locus qui sedes esset imperii, ex fato erat constitutus. At patria terra relicta Dardanus Troiae gentem suam propagavit. Itaque revocandi erant Dardanii. Iam vero quum gens non pereat, nisi suis quoque ipsa flagitiis pessumdatur, etiam in Troianis exstitere, qui sceleribus suis urbem perderent. Laomedon et Paris deos exacerbaverant, Priamusque ac tota eius domus interiit et suo interitu deos placabant. Sed deleta a Graecis Troia servatur diis accepta gens Anchisae; Aeneas cum suis in patriam fato debitam revertitur.[2]) Cf. ad 11, 243.

Sed praevalentis populi vires iam se ipsae conficiebant, et divitiae avaritiam, et abundantes voluptates desiderium per luxum

---

[2]) Quantum Virgilius Naevio debeat, neque ex fragmentis quae supersunt, neque ex Servii et Macrobii narrationibus satis potest declarari. Tantum vero potest intelligi, Naevium non eo modo quo iunxit Virgilius res inter se copulasse. Deinde apparet, non obesse poetae, quod monitum est (Müller Etr. II, p. 276 sqq.), de Corytho fabulam Tegeae ortam videri (cf. Apoll. III, 9, 1. Diod. IV, 33.); ubi etiam Dardanum fuisse quum narraretur facile potuisse Corythum et Dardanum coniungi; postea autem, quum Romae Troiana origo iam crederetur, Corythum etiam ad Cortonam relatam fuisse, nulla alia de caussa, quam quod aliqua intercesserit nominum similitudo. Nec quae aliae nostro tempore de Troiana Romae origine prolatae sunt sententiae et explicationes, ad poetam iudicandum valent. Nec poetae erat, quae res fabulae alicui subesset exquirere, sed eas elegit narrationes, quae potissimum credebantur, quae erant pulcherrimae, quae erant totius carminis consilio aptissimae.

atque libidinem pereundi perdendique omnia invexerant. Hac populi labe commoti homines patriae amantes pro sua parte vitia corrigere et mores emendare cupiebant. Nec Virgilius, homo castissimus et sanctissimus, pravos popularium mores aequo animo spectabat, sed ad decus eos et virtutem carminibus suis excitabat conatusque est et Georgicis et Aeneide antiquam reducere morum probitatem. Nam agro colendo Romani et robustum corpus servaverant, bellis utile, et parsimoniam omnesque virtutes coluerant quae eius comites esse solent. Quare quum agricultura iam diu contemneretur, bellis autem civilibus ager adeo esset desertus, ut frumento ex Sicilia et Aegypto allato populus Romanus aleretur; quum latifundiis divitum pauperes coloni exigerentur; quum sportulis plebes Romana, quas a potentibus acciperet, in urbe quam in agro frugibus suo labore partis mallet sustentari: Georgicis suis Virgilius agri amorem revocabat et omni studio et ingenio descripsit arationes, sationes, stercorationes, arborum et vitium culturam, pecorum et apium curam; nec tamen attigit villas illas splendidas, quae materiam praebere videbantur multo aptiorem, neque artem topiariam, neque aviaria altilibus cuiusvis generis plena. Idem in Aeneide Romanis proposuit exempla, unde quod imitarentur caperent, unde foedum inceptu, foedum exitu vitarent. Deinde quum pietate in deos et observantia, sanctitate morum et castitate, quum iure et aequo colendo, quum fortitudine et constantia Romani ad summum rerum fastigium essent evecti, has ipsas virtutes ex maiorum rebus gestis commendabat. Sic ipse Aeneas, divis ortus, exemplar est hominis Romani: pius in deos et parentes, sacra, caerimonias, auspicia sanctissime colit; intrepidus in periculis et infractus labore malis non cedit; insignis est virtute neque inferior Hectore, fortissimo et propter fortitudinem vel a Graecis laudato. (Talem fuisse Aeneam etiam ex Homero poterat demonstrari, apud quem Aeneas ut deus colitur a Troianis et vel Achillis par habetur adversarius Il. XX, 75 sqq.) Nec tamen temeraria est eius fortitudo, sed ut strenui militis, ita providi ducis officia exsequitur; deinde fidei datae est servantissimus vel adversus hostes, praeterea bene de suis mereri, laudari, coli, diligi gloriosum putat. Sic poeta Georgicis domesticas, publicas Romanorum virtutes Aeneide celebrabat.

Sed etiam delectare volunt poetae. Quid autem, nonne delectabantur Romani, quum rem agi legerent iis in locis, in quibus ipsi versabantur, quum nominum, morum, rituum cognoscerent rationem et originem? Quodsi nos, quando Aeneidem legimus,

fortasse minus movemur, caussa est, quod multa quae attigit ignoramus, et quod Romani non sumus. Neque Homerum dubito quin alia olim mente legerint Spartani adolescentes ac nunc Germani. Hac vero dulcedine quum caperet cives, etiam praecepta magis in mentem eorum descendebant.

Itaque Romani Aeneidem cum Homeri carminibus comparabant, qui quum eam aut aequassent aut aliquando habuissent superiorem [3]), aliarum gentium homines exstitere, qui rerum inventarum novitate et ingenuo narrationis colore et heroum dignitate multo habebant inferiorem, nec praeter comparationes illas satis laudatas quidquam fere quod laudandum esset reperiebant [4]).

[3]) Cf. Prop. II, 25, 65 *Cedite Romani scriptores, cedite Graii; Nescio quid maius nascitur Iliade.* Ovid. A. A. III, 337: *Et profugum Aeneam, altae primordia Romae, Quo nullum Latio clarius exstat opus.* Quintil. X, 1, 85: *Idem nobis per Romanos quoque auctores ordo ducendus est. Itaque ut apud illos Homerus, sic apud nos Virgilius auspicatissimum dederit exordium, omnium eius generis poetarum Graecorum nostrorumque illi haud dubie proximus. Utar enim verbis iisdem, quae ab Afro Domitio iuvenis accepi, qui mihi interroganti, quem Homero crederet maxime accedere, Secundus inquit est Virgilius, propior tamen primo quam tertio. Et hercle ut illi naturae caelesti et immortali cesserimus, ita curae et diligentiae vel ideo in hoc plus est, quod ei fuit magis laborandum. . . Ceteri omnes longe sequuntur.* — Adde quod narrat Plin. Ep. 3, 7. Silius Italicus „Virgilii natalem (Id. Oct.) religiosius quam suum celebrabat, Neapoli maxime, ubi monumentum eius adire, ut templum, solebat."

Nec doctorum tantum hominum ea erat sententia, sed omnes Itali omni tempore ita senserunt. Sic quantum honorem Virgilio aequales habuerint docemur dialogo de clar. or. c. 13.: „testis ipse populus, qui auditis in theatro versibus Virgilii surrexit universus et forte praesentem spectantemque Virgilium veneratus est sic, quasi Augustum." Sic per omnem antiquitatem in scholis carmina Virgilii legebantur, et nunc Mantuae officina typographica, quae ibi est maxima, in Mantuani poetae honorem dicitur Typographia Virgiliana. Quanti autem medio aevo aestimatus sit Virgilius vides ex eo, quod Dante et Petrarca, summi poetae, summum eum poetam habuerunt, et quod tanquam sanctus colebatur et quod vel in aedibus sacris christianis canebatur Paulus Apostolus „Ad Maronis mausoleum Ductus fudit super eum Piae rorem lacrimae. Quem te, inquit, reddidissem, Si te vivum invenissem, Poetarum maxime."

[4]) Instar omnium apponam verba Richteri, qui quum de deorum in Iliade tractatione disseruisset, eosque optime illatos esse affirmasset, addidit haec: *Ganz anders geht es uns mit dem Land- und Insel- und Seefahrer, dem schönen süssen Halbhelden der Aeneide, die so gut, wie von einem Paris, oder die Pariade heissen könnte. Mit der Mattigkeit derselben wächst zugleich die Nothwendigkeit und Zahl und Unleidlichkeit der Hülfsgötter. Virgil hätte also Recht gehabt, dass er dieses Heldengedicht zum Feuertode des Herkules verdammte, wenn dadurch am Gedichte, wie am Herkules, nur der*

At si Romani populari suo favebant, recentiores saepe Aeneidis proprietate non perspecta et Homeri admiratione praeoccupati iniquius iudicabant.

Iam si qui ex Homero aliisque eum pleraque hausisse dicunt, posteriorum omnino ea condicio est, ut quae nova invenerint, si quando ab antiquiore eadem dicta esse repertum sit, ab eo sua sumpsisse dicantur. Virgilius autem legit et diligentissime legit Homeri carmina, et multa didicit, nisi forte erat pingui ingenio, sed ex Homero non hausit res suas, hausit venusti et decori acerrimum iudicium; desumpsit etiam res singulas ad communem usum pertinentes. Quamquam in multis locis ubi versus transtulisse dicitur, Homerum potius dicemus res ut erant narrasse et ex ipsa natura expressisse, ut si quis prave dicere non mallet, eodem modo dicere cogeretur. Quin etiam Virgilius saepe addidit aliqua ipsi naturae praerepta, iisque res ornavit et auxit, ut novam afferret legenti delectationem. Quando autem eadem repetenda erant, quae narraverat Homerus, quae facta sunt bello Troiano, ad Homerum sua aptare solebat ita, ut novum aliquod inferret. Alexandrinos autem poetas eum imitatum esse eo minus obiiciemus, quum iis poetica virtute multo praestiterit. Nec Graecos solum sed multo magis Romanos imitatus est et ex eorum carminibus locos exprompsit; quod qua fecerit ratione iam ex Donati vita intelligitur, qui Virgilium ex Ennii stercore se dixisse narrat exquirere aurum. Quae quum ita sint, si quando alios imitatus est, ita eos imitatus esse deprehenditur, ut servaret suum iudicium, ut eligeret aptissima et optima, ut proprio aliquo additamento immutaret et sua faceret; omnino ita imitatus est, ut quem imitaretur aliqua ex parte superaret[5]).

---

sterbliche Theil eingeäschert worden, nämlich Aeneas, der unsterbliche aber (die Episoden und Beschreibungen) zum Vergöttern geblieben wäre. Vorschule der Aesthetik I, p. 106. *Sämmtl. W.* 41, *p.* 106. — Equidem dubito num legerit. Nam et philologos ita iudicare audivi de Virgilio, ut non legisse eos appareret.

[5]) (Ut in hac imitationum indagatione nimius fuit Servius (cf. ad 10, 104) ac Macrobius (cf. Sat. 6, 2) sic etiam nunc homines modum excedunt, ut *Rb.* Macrobio assentitur in 9, 672. et *Wd.* p. 290: „Bei diesen Worten des Sinon vergegenwärtigte sich der römische Leser die berühmte Stelle einer Rede des C. Gracchus ans Volk, welche auch Cic. de or. 3, §. 214 mittheilt: . . . Vorbild des Gracchus war bereits Ennius.“ Gracchus igitur in summo animi dolore omniumque rerum desperatione apud Ennium verba quaesivit quibus eam posset populo significare. Apud Wold. Ribbeckium 9, 416 *diversi circumspiciunt* est ex Medea Pacuvii 224, aliaque in eius „auctoribus et imitatoribus“ leguntur, quae

Quod dicunt eos qui agant heroes apud Homerum esse clariores et magis variata eorum ingenia, contra in Aeneide obscuros aliquos versari quorum nomina Virgilius finxerit; si eorum numerum, quorum aliquae partes sunt in Aeneide recensemus, magnam videmus inesse varietatem. Attende Aeneam et Ascanium, Evandrum et Pallantem, Mezentium et Lausum, Turnum et Camillam. Adde ad hos, qui primas partes agunt, Menestheum, Messapum, Aventinum, Tarchonem, Ufentem, adde Anchisen, adde Latinum, Amatam, Laviniam, adde Didonem, Annam, Iarbam, Acesten, quos omnes, si attenti legimus, proprio aliquo ingenio praeditos esse cognoscimus. Quodsi illi nec laude nec fama erant inferiores iis, qui sunt apud Homerum, nihil omnino ad carminis praestantiam hominum qui in iis agunt gloriam valere arbitramur. Nonne in historiis Romanensibus obscuri sane homines agere solent et quos nunquam fuisse certissime scimus? Nihilominus tamen hac narrationes saepe pertentant animos nostros omni genere affectuum, angimur et premimur metu, interdum ad spem erigimur, singulos amore aut odio prosequimur, maeremus cum illis et gaudemus. Itaque etiam in Virgilii carmine non quaerendum est, quam noti sint nobis ii, quorum res narrantur, sed quantopere personis suis animam poeta afflare potuerit, ut iis qui legant esse et vivere videantur. Sed hac in re, quantum Virgilius praestiterit, iudicium iis qui diligenter carmen perlegerunt eo magis committimus, quia quale futurum sit non veremur.

Recte Virgilium non eo docent abreptum esse animi ardore, quo ipse vinceretur, sed certo eum consilio temperasse monent; quocirca si cui poeta improbandus esse videatur, ii non assentientur, qui furore poetico, qui dicitur, tamquam alieno quodam spiritu inflammandos esse poetas non putant, sed in quovis carmine quid poeta spectaverit quaerendum esse praecipiunt. Neque illud consilium, quod supra indicavimus, solum fuit, sed maxime hoc ei erat propositum, ut laudaret et celebraret Romanos. Hinc

---

simplicissimo modo dicta sunt, ut mirum esset, si quis aliis verbis dixisset. Neque enim in rebus neque in verbis iam est imitatio, ubi duo idem proferunt scriptores, nec statim vel ex fontibus vel ex exemplis sumpsisse arguitur, si quis qui idem refert, iisdem verbis utitur. De eo studio doctrinae ostentandae in demonstrandis imitationibus nuper optime egit Blass ad librum Wezelii de C. Silii Italici cum fontibus, tum exemplis. Ihrb. f. Phil. 1874 p. 471—512. Neque ego ubi locos parallelos afferebam, imitationem aliquam esse volui ostendere sed eandem formulam fuisse usitatam et apud plures inveniri.)

illa oracula de futura Romanorum potentia, hinc illa clipei descriptio, hinc ille ad inferos descensus, in quo describendo si Homerum aliqua ex parte secutus est, non fecit ut imitaretur, sed ut quod volebat contingeret; et recepit formam narrationis iam probatam. (Cf. Exc. ad l. VI.) Ex eodem consilio factum est, ut Romanos ubique mores assumeret. Qua in re ita versatus est, ut rerum perverteret veritatem; nam Aeneae tempore neque auguriorum disciplina, nec sacrorum ordo, nec belli et armorum is usus erat, qui in Aeneide deprehenditur. Cf. 1, 169 al. Quod poetae studium, quo Romanos mores et ritus ad Aeneam auctorem referebat, ut qui iam negligebantur, ex antiquitate commendarentur, quum paene in quovis versu obtrudatur: sane mirum est, qui factum sit, ut unum Homerum Virgilius imitatus esse diceretur. Nihilominus tamen ea sententia, cui etiam Servius per totum suum librum adversatur, vixdum novissimo tempore videtur esse explosa[6]). Totum vero carmen quum ita compositum sit, ut omnia ad illam laudationem spectent, quum narratio non propter se ipsam sed propter aliud facta esse videatur, non licet reprehendi, sed quaeritur modo, sintne omnia ita apta, ut nusquam nec quod verum non esse videatur appareat, nec quod illi consilio adversetur. Sed utrum Virgilius narrationem dederit per omnes partes probabilem, an in ea quidquam peccaverit, nec coram iis, qui legerunt carmen nec qui non legerunt, exponere quidquam prodest: illi iam suo iudicio utentur, hi argumenta non poterunt expendere.

At vero Virgilius opus suum incendi iussit, ut ipse improbasse videatur. Cuius rei caussae quum saepius quaesitae sint, variae prolatae sunt opiniones, quas omnes recensere ab hoc loco alienum est. Unam tantum afferre aptum est, ubi ea enumeramus, quae reprehensa sunt in Aeneide. Bartenstein ap. Virg. et Wgr. I, p. 131 contendit: „poenitentia laudum in Augustum cumulatarum et inductorum adversus Epicuream disciplinam deorum eo adductum esse poetam, ut testamento suo carmen abolitum esse vellet.“ Sane mihi quoque rationem, qua deos Virgilius carmini suo immiscuit, saepe displicuisse confiteor, quin etiam nunc sunt loci aliquot, quos improbo. Nihilominus tamen ea in re Virgilius saepius vituperatus est, quam aestimatus, neque eius quae fuerit condicio cogitant, sed quod ipsi sentiunt, eam unam

---

[6]) Hac de re maxime meritus est Lersch duobus libris quos scripsit 1. *De morum in Vergilii Aeneide habitu.* 2. *Antiquitates Vergilianae.*

regulam aliorum esse volunt. In carmine igitur epico deorum interventum necessarium esse censebant poetae Graeci et Romani, deinde Romani deos illos esse credebant. Quare quod deos carmini suo Virgilius intulerit, reprehendendus non est; quaeritur tantum, quo id fecerit modo. Virgilii autem tempore multo aliter homines de diis iudicabant, quam tempore Homeri. Iam quae tum de deorum numine, quae de mundi gubernatione certe ab eruditis credita sint, ex praeclaris illis de natura deorum libris intelligimus, quos scripsit Cicero. Virgilius autem opiniones et sui temporis et illius quod describebat fabulas ante multa saecula ortas et philosophorum de diis sententias coniungere debebat. Itaque deorum fere omnem tollit interventum. Consultant et deliberant de hominum felicitate et infortunio, et ex illa deliberatione quae sequuntur homines sentiunt; adsunt hominibus et vires ministrant, sed ita, ut ab iis non agnoscantur; si hominibus apparent, aliena facie induuntur, et modo decedentes suae divinitatis aliquod signum dare solent, ut ea in re Virgilius et aequalium opiniones, qui auspicato omnia incipiebant, et humani animi indolem respexerit, qui subita re ita movetur, ut mirum aliquod et divinum facile agnoscat. Quare quum dii describantur, quales Romani habebant, eaque facere, quae facere putabantur, non ea est deorum tractatio, ut Virgilius carmen igne dignum habere potuerit; sed qui summa cura non totum modo carmen, sed singulos versus excoluerat et expoliverat [7]), aegre

---

[7]) Donatus vit. Virg. IX, 33: „*Quum Georgica scriberet, traditur quotidie meditatos mane plurimos versus dictare solitus, ac per totum diem retractando ad paucissimos redigere, non absurde carmen se ursae more parere dicens et lambendo demum effingere. — qui dum scriberet, ne quid impetum moraretur, quaedam imperfecta reliquit, alia levissimis versibus veluti fulsit, quos per iocum pro tigillis vel tibicinibus interponi a se dicebat, ad sustinendum opus, donec solidae columnae advenirent.*“ — Gellius XVII, 10: *Amici familiaresque P. Virgilii in his quae de ingenio moribusque eius memoriae tradiderunt, dicere eum solitum ferunt, parere se versus more atque ritu ursino: namque ut illa bestia foedum ederet ineffigiatum, informemque lambendo id postea, quod ita edidisset, conformaret et fingeret, proinde ingenii quoque sui partus recentes rudi esse facie et imperfecta: sed deinceps tractando colendoque reddere iis se oris et vultus lineamenta. Hoc virum iudicii subtilissimi ingenue atque vere dixisse res iudicium facit. Nam quae reliquit perfecta expolitaque quibusque imposuit census atque dilectus sui supremam manum, omni poeticae venustatis laude florent; sed quae procrastinata sunt ab eo, ut post recenserentur, et absolvi, quoniam mors praeverterat, nequiverunt, nequaquam poetarum elegantissimi nomine digna sunt. Itaque quum morbo oppressus adventare mortem videret, petivit oravitque a suis ami-*

tulit, quod carmen imperfectum hominum relinqueret obtrectationi [8]).

Obiici postremo solet Virgilio nimia Augusti adulatio. Sed adulator non dicendus est is, qui laudat laude digna. Iam vero quid laudat? Augusto regnante imperium esse maximum, ad Caspium usque et Erythraeum mare auctum, Parthos victoriae suae signis remissis victos se fateri et pacem petere, antequam ad arma concursum sit, Indos legationem misisse, Aethiopes et Arabes tentari, haec omnia, nonne vere facta sunt? Deinde Augustus civitati pacem restituit, eiusque reddidit commoda; iam ager colebatur, mercatura per omne imperium tuta exercebatur, iudiciis saepe partium studio depravatis pristina reddita est severitas; provinciarum praefecti coercebantur, omnibus rerum suarum facta est securitas, templa restituebantur, colebantur sacra, mores emendabantur. Quodsi quis statum reipublicae qui ante Augustum et qui eo regnante erat, inter se comparabat, nisi liberae civitatis amore ita occaecatus erat, ut rempublicam, quae antea, fuerat,

---

cissimis impense, ut Aeneida, quam nondum satis elimasset, abolerent. — (Ex his satis apparet, cur poeta opus suum comburi voluerit. Sed etiam in his singulis diversa est saepe ratio interpretum, ut quae quis incommode dicta habeat, alius magna arte inventa et expolita arbitretur. Et nos multa recte defendisse nobis videmur, quae alii damnaverunt. Maxime etiam adhibenda est cautio in coniecturis in carmine, ut constat, nondum perfecto. Atque quod Vgl. per duodecim libros rem suam disposuerat, deinde singula pro facultate et animo excoluit et expolivit, ursae more ut ipse iocatus est, etiam illud sequitur non posse ex re quae in libro aliquo memoratur, de tempore, quo liber scriptus sit, valere rationem. Vgl. enim in carmine emendando usque ad extremum spiritum versatus, hic illic singula adiecit et novavit. Sic I, 289 Parthica signa reddita memorat; reddita sunt a. 734, ipse mortuus a. 735. Unde quis est qui velit probare librum primum scriptum esse extremo vitae anno? Et si qui libri praelecti sunt ab ipso poeta, nondum conficitur, ei postea non licuisse quidquam mutare. Itaque certum non est, utrum id, quod ad factum aliquod singulare temporis sui pertinet, statim quum componebat, intulerit, an postea libro iam confecto. Neque ex eo, quod I, 286 Octavianus dicitur *Caesar* et 6, 792 *Augustus Caesar*, id sequitur, quod concludit *Rb.*, librum primum esse scriptum, antequam Octavianus dictus esset Augustus; in ipsis enim locis caussa inest, ut in altero utro aliud nomen aptum sit. Neque quod a. 725 Iani templum clausum est, nec quod Octavianus 6—8 Aug. de Cleopatra triumphavit, sequitur, ad eam clausuram, ad eum triumphum verba 1, 289—96 pertinere, sed ad statum reipublicae, quae erat sub Augusto, ad pacem ac securitatem, quam restituerat. Cf. addenda ad 9, 642. Itaque nunc nec quo ordine nec quo anno libri scripti sint definiri posse arbitramur.)

8) Plinius N. H. VII, 30: *Augustus carmina Virgilii cremari contra testamenti eius verecundiam vetuit; maiusque illi vati testimonium contigit quam si ipse sua probasset.*

neque eo nomine dignam esse nec durare potuisse, non intelligeret, ab Augusto summa bona in rempublicam esse collata, non poterat negare. Et intellexit omnis populus, et iam quum bellum Antonianum exardescebat, summa sollicitudine et anxietate, et finito feliciter bello, summo gaudio et summis honoribus in Augustum collatis indicavit. Atque is vir, imperator perpetuus ac princeps, in adversarios infestissimos lenis et mansuetus, in omnes comis erat, ut par infimis esse videretur. Iam vero si iure perhorrescimus Octavianum illum, qui Ciceronem omnesque bonos fraudavit, qui proscriptiones edidit crudelissimas, qui ex agris, quos mercenariis suis daret, expulit cives: tamen negare non possumus, eius imperium reipublicae fuisse salutare; eam autem formam reipublicae, quam ipse induxit et quam commendavit Virgilius (cf. V, 758), eo tempore fuisse aptissimam, ut, si vituperandus est Augustus, non sit propterea, quod principatum tenuit, sed quod speciem liberae civitatis laedere nimis verecundans legem non dedit, qua imperatores succederent; quare illi Tiberii et Nerones exstitere, qui quum non haberent potestatem lege constitutam et sanctam, potentia sua abuti cogebantur. Iam qui post bella civilia per sexaginta fere annos continuata, post omnium rerum perturbationem pacem reipublicae reddiderat pacisque felicitatem et continuitatem servabat, in quem universus populus honores conferebat inauditos, talis viri merita poeta et amicus negligere non debebat, nisi furorem centum catenis vinctum iterum volebat excitare (cf. ad I, 294). Nec quod deum Augustum futurum esse dicit et ita antiquis oraculis utitur, ut utrum iam vivo an mortuo tandem divinus honor futurus sit, incertum relinquatur, dicendus est adulari. Nam ut quae ad deos ascendendi ratio et facultas hominibus esse visa sit, ut etiam illud omittamus, quam propensa fuerit illa aetas ad divinum honorem deferendum [9]), iam quum illa scripsit Virgilius, Augustus deus cultus est, et ex senatusconsulto.

Satis haec dicta esse puto, ut quid poetam ad carmen componendum impulerit, quid carmine suo spectaverit, apparere videatur, satis etiam multa mihi dixisse videor ad ea quae Virgilio obiecta sunt refellenda; virtutes autem carminis hac scriptione praedicare opus non est, siquidem quo quis saepius legit, eo magis perspiciet. Restat ut de mea opera paucis absolvam. Neque enim quid ipse mihi praestitisse, quid luminis poetae attulisse

---

9) Cf. ut in Virgilio subsistamus Ecl. I. Aen. 1, 327 sqq.

videar, uberius exponam, sed hanc rem totam transmitto aliis; ii utrum profuerim poetae necne optime iudicabunt. Meum non est mea praedicare sed defendere. Ac primum quidem, quod semper lis est, plus minusve datum sit ab interprete, peccare in eam partem satius habui, quae erat cautior. Nonnunquam etiam ea, quae videbantur esse facilia intellectu, propterea erant explicanda, quod virorum doctorum, quorum auctoritatem negligere non debebam, alia erat explicatio. Verbi caussa quum scribo IV, 33 *praemia Veneris sunt nati*, multi hanc annotationem brevissimam ad modum Minellii factam dicent. Sed quid facerem ego, quum Peerlkampium tres columnas complesse viderim, ut idem demonstraret; quam demonstrationem repetere quum certis de caussis abstinerem, nolui tamen legentes duce Heynio aberrare. Itaque si quando supervacanea afferre videbor, gaudebo; mea enim sententia ita probatur et contraria ita improbatur, ut opus vix fuerit verbis meis. Sic L. VIII, 505 singula verba explicavi, ut reiicerem Peerlkampi coniecturam, qui ad eam licentiam processit, ut iam superari nequeat; eiecit *ad me, coronam cum sceptro, mandatque*, ut ex reliquis versum faceret sibi probatum. Nolui talia refellere multis verbis, continua explicatione Virgilii verba defendere contentus eram; eius tamen nominis est Peerlkampius, ut eum negligere esset arrogantis[10]). Caute etiam omnia, quae alii

[10]) (Huius artem criticam, quam notaveram ad 12, 703, et 11, 537, ubique refellere consilium erat in ed. priore, sed ut nomen viri omitterem. Sed doleo me nimis modeste egisse. Mutandi enim libido, qua ardebat *Pl.*, nuper tantos fecit progressus, ut metus sit, ne librorum Mss. fidem pervertat omnem totaque illa ars cognoscendae antiquitatis in contemptum veniat hominum, quum hariolationum videatur esse campus, in quo certae rationis via sit nulla, scriptores autem antiqui aut ita perversi sint, aut eorum scripta ita depravata, ut qui legat tempus perdere videatur. Obtunditur et obscuratur illud antiquorum ingenium, dicendi ars et venustas et sobrietas et castimonia, qua nostrates colantur, fingantur, moderentur. Dedi igitur *Pli* coniecturas omnes, ut quales sint, legentes ipsi iudicent. Accedunt eiectiones, adiectiones, transpositiones. Atque in tollendis versibus princeps est Gruppius, qui Minos p. 34 de iis, qui non assentiuntur: „Andern, inquit, fehlt feinere Empfänglichbkeit, Gewandtheit und Schärfe.“ Idem semiversus delet, novos facit extrema parte sublata, integros infert. Nec probo eam rationem saepe adhiberi, qua versus alio loco, quam quo leguntur, poni iubent; neque conceditur nisi antea probetur eum ordinem qui est stare non posse nec posse esse a poeta, deinde quomodo perversus sit, quibus postulatis nisi satisfit, vani sunt conatus omnes verborum mutandorum, aut ipsi scriptores non digni habendi sunt neque idonei, qui ab hominibus, qui nunc sunt, legantur. Nec mirum, sperni omnem antiquitatis doctrinam ab iis, qui haec viderint aut audiverint. De hac arte critica certum

dederant, examinavi, locos quos attulerant, contuli, ne errores, quibus humanum genus non caret, mea negligentia firmarem[11]).

Ad poetam recte iudicandum valet, ut verborum usus declaretur. Significavi igitur quid sit poetarum, quid oratorum; quid a posterioribus usurpatum, quid neglectum. Inde factum est, ut nonnunquam plura exempla afferrentur, quam ad usum illustrandum aut defendendum opus erat, et ut maxime ex iis poetis, qui Virgilium omni fere in re auctorem secuti sunt, exempla afferrem, neque solum singula verba, sed etiam verborum aliquem complexum et dicendi formulas saepius ex aliis firmarem. Nec neglexi scriptores posteriores, quum eos, qui dicuntur argenteae aetatis, poetas et Virgilium secutos esse constet; ex quibus maxime laudandus erat Tacitus.

Quando morum et rerum comparaverimus cognitionem, saepissime quid poeta spectaverit, rectius intelligemus. Quare quae de antiquitate Romana scripta sunt, aut ad historiam aut ad geographiam pertinentia, colligere et examinare debebam. Adeo enim doctus est poeta Virgilius, adeo gnarus rerum antiquarum, ut quo accuratius verba eius explicantur, eo magis eum in colligendis et eligendis narrationibus diligentissimum fuisse appareat, ut de antiquorum populorum origine et sedibus auctor sit minime negligendus. Iis autem in rebus, quae ad antiquitatem pertinent, copiosissimus interpres est Servius, cuius verba, quae ad illustrandum locum conferre videbantur, apposui plerumque immutata; omisi quae aut perturbata et obscura erant aut nimis nota ac trita, aut alia spectabant, aut nimium ad arcanam quandam rerum doctrinam quae esset in Virgilio pertinebant, aut quae Servii esse non videbantur; ex quibus si quando aliqua hauriebam, semper indicavi. Quod autem quae ab aliis addita sint Servianis nondum constat, eiusque verba ab interpretibus non-

---

tulit iudicium Bone in praefatione sua libera ac forti, quae multis nominibus laudanda est.)

[11]) Atque haec cautela facile videbitur esse ignorantia. Sic quo loco egi de ludo Troiano, de quo tam pauca nota sunt, omisi locum Nonii, quem attulit Lersch antiq. Virgil. p. 274: *Ibi a muliere, quae optuma voce esset, perquam laudari, deinde naeniam cantari solitam ac tibias et fides eorum, qui ludis Troianis cursitassent. Haec mulier vocitata olim praefica usque ad Punicum bellum.* Copulati enim duo sunt loci Nonii, qui sunt s. v. *Naenia* et *Praefica*; deinde multa sunt ex coniectura addita, ut ipsa verba *ludis Troianis* coniecit Scaligerus, cuius incredibili sagacitate licet verum restitutum sit, tamen coniectura est, ut certi esse ea de re nunquam possimus.

nunquam mutata sunt, sane dolendum est. Hunc igitur Servium diligentissime legi, et omnes praeterea libros et antiquorum et recentiorum, qui aut carmen explicabant, aut ad carminis explicationem conferre videbantur, quotquot potui, congessi et contuli. (Omissa sunt aliqua, in quibus agitur de ratione interpretum aliorum laudandorum.)

Vitam Virgilii enarrare neque opus esse videbatur ad carmen intelligendum post ea, quae dixeram, neque ex Aeneide tam, quam ex ceteris eius operibus est declaranda. Itaque omisi. At multa possum afferre alia, quae factorum meorum reddant rationem; sed nec quid mihi profutura sit longa oratio, nec quomodo timorem meum multa loquendo excutere possim satis intelligo. Quodsi Heynius duram et iniquam questus est interpretis condicionem, si ipse suum ingenium rerum infinita copia nonnunquam obtusum esse confessus est, quanto id saepius mihi accidisse viri docti reperient.

PRAEFATIO

EDITIONIS SECUNDAE.

Haec editio a priore in hoc uno differt, quod interpretum nomina simul cum eorum sententiis attuli. Nec tamen longis argumentis eorum dicta aut facta probavi aut redargui, sed brevissime indicavi de iis quid ipse iudicarem; ac saepissime mea prolata aliorum addidi sententias, quae aut specie aliqua veritatis aut auctoritate eius qui invenerat commendabantur, nec diserte monui eas me non probare; saepe omisi etiam caussas improbandi quas ego haberem afferre, quando putabam alios posse reperire. Ut in his brevitati studui, sic etiam quod nomina saepius obvia siglis indicavi: ***Bk.*** Bergk. ***Br.*** Burmann. ***Fd.*** Freudenberg. ***Fb.*** Forbiger. ***Gt.*** van Gent. ***Gr.*** Gruppe. ***Hn.*** Heyne. ***Hr.*** Henry. ***Hp.*** Haupt. ***Hs.*** Heinsius. ***Hf.*** Hoffmann. ***Hck.*** Häckermann. ***Jh.*** Jahn. ***Kl.*** Kloucek. ***Lch.*** Lachmann. ***Ld.*** Ladewig. ***Mv.*** Madvig. ***LM.*** Lucian Müller. ***Mk.*** Markland. ***Nck.*** Nauck. ***Pl.*** Peerlkamp. ***Rb.*** Ribbeck. ***Sb.*** Siebelis. ***Sk.*** Skerl. ***Spf.*** Schimmelpfeng. ***Sl.*** Süpfle. ***Schr.*** Schrader. ***Thl.*** Thiel. ***Tb.*** Taubmann. ***Vs.*** Voss. ***Wd.*** Weidner. ***Wg.*** Wagner. ***Wk.*** Wakefield.

Inter recentiores maxime inclaruit industria O. Ribbeckii. Magno is studio libros Mss. contulit, eorum fidem examinavit, interpretes antiquos et novos consuluit, textumque multis in locis novum constituit, rationem suam in Prolegomenis explanavit. Sed quum textum prius edidisset, quam Prolegomena, in his aliam nonnunquam sequitur scripturam, quam quae in textu apparet, ac postea in editione minore ea dedit, quae confecto omni in Aeneide opera apud se constituerat esse legenda. Neque in longa annorum serie mirum est, si quis quid hic illic mutavit. Talibus igitur in locis memoravi, quae novissima dederat, aut in Prolegomenis, aut in editione minore, ne iniuriam facerem ipsi, et ut ii qui legerent mea, veram haberent Ribbeckii scripturam. Eius

deinde fidem, ubi de Mss. refert, ubique secutus sum, multaque ex iis, quae in priore editione attuleram, omisi, quod iam de scriptura alia doctus eram, multa aliter explicavi ad novam scripturam accommodata, ut inconstantiae crimen mihi non videatur esse subeundum, quamquam melius duco et praestantius et fortius emendare et corrigere, quae non satis recte dicta esse intellexerim, quam in eo, quod semel dictum sit perstare. In eo etiam eum secutus sum, ut signa Manuscriptorum eius reciperem, itaque littera F significantur schedae Vaticanae, G Sangallenses rescripti, M codex Mediceus, P cod. Palatinus, R cod. Romanus, V schedae Veronenses, γ cod. Gudianus, b cod. Bernensis 165, c cod. Bernensis 184. Hi potissimum libri sunt quos *Rb.* affert, eosque ita aestimat, ut optimum habeat Palatinum (p. 308. 311). Priores critici praetulerunt Mediceum. Sed quae de singulis libris manuscriptis *Rb.* multorum locorum scripturis inter se collatis iudicaverit, nolo nunc breviter memorare falsaeque relationis subire periculum, meliusque videtur eum, qui de ea re doceri cupiat, ex ipsius scriptis simulque argumenta in singulis percipere.

Id quod mihi maximam movebit vituperationem erit orthographia; magis enim quam in priore editione recessi ab ea quae nunc valet ratione ac recepi prius usitatam. Eaque in re secutus sum praestantissimorum interpretum auctoritatem. Nam Heynius praef. edit. IV, p. 58 — 61 orditur his verbis: „Quam incerta et lubrica res et sit et esse debeat scripturae ratio et mos, neminem fugit, qui animum ad haec attenderit.“ Et quum in singulis docuisset in orthographia nec Mediceo nec Vaticano nec Romano fidem certam esse, ad extremum confitetur: „Adeo nihil satis certi et tuti est in omni hac subtilitate grammatica; quam equidem si primus auctor constituendae lectionis Virgilianae fuissem, iure ac merito ad communem usum constitutam reliquissem; qua enim in re nihil satis ad liquidum perduci potest, *imprimis si magni per se momenti non est*, quorsum multa moliaris, quae consilio ex parte tantum respondent.“ Ac nunc, quum in orthographia summa doctrina ponatur, Ribbeckius ipse eius artis observantissimus, in editione minore aliam sequi se confitetur quam in maiore „et in orthographico genere partim ad nostri aevi consuetudinem quantum salva antiquitatis fide fieri poterat, accommodatam, partim sicubi meliora dies docuerat reformatam.“ Quare non repugnabit, si quis ex ipsius documentis aliqua aliter demonstrat, quam ipse fecit. Neque enim is sum, qui antiquitatis rationem non habeam, neque id probaverim, quod et Rib-

beckius concedit, ut nostrae consuetudini indulgeam; sed si in ipsa antiquitate non constat, non video, cur a consuetudine recedatur, nulla cogente ratione. Nec mihi licebat, quod fecit idem Ribbeckius, ut diversis locis ex libris diversam eiusdem vel vocis vel formae reciperem scripturam [1]), sed eandem per totum opus mihi servandam esse arbitrabar.

Equidem in duabus formis, quas novam orthographiam secutus in editione mea receperam, recessi ad scriptionem vulgarem. Prior est acc. pl. *is* et *es*, quas quum in grammatica ex diversis declinationibus ortas esse et *is* in *es* in singulis vocibus iam Varronis tempore transisse ostendissem, ex Ribbeckii plenissima et accuratissima collectione doctus sum in libris vetustissimis *es* vel usitatius esse quam *is*, nec certam aliquam regulam esse observatam; itaque vel invitus cessi et recepi *es* in accusativis omnibus, quum antea grammaticorum praecepta secutus *is* servassem. Et in hoc ipso, quo a Ribbeckio recessi, rationem eius secutus sum. Probat enim 1 p. 137 rationem Probi grammatici a Gellio laudatam aurem potissimum in ambiguis vocabulorum terminationibus interrogandam nec grammaticorum „finitiones illas perrancidas atque fetutinas“ curandas esse etc. Deinde „hanc Probi legem ipse secutus sum, ubi in diversas partes discesserunt librarii, quamquam inter barbaros natus

---

1) Sic *Rb.* 6, 409 dat *pos tempore*, secutus Priscianum, quum in FMPRγc sit *post*; et 10, 710 *posquam*, quod est in c, *post* in MPRγb; 6, 399 *moverei* ex F, in quo *e* expunctum est, *moveri* in MPRγbc, quod dedit in ed. min. 10, 106 dedit *hau licitum* ex c, quum in b sit *haud*, *haut* in MPRγ et v. 95 *haud* in Mγ2b et c, scripsitque *haut*, ut intra duodecim versus in eadem voce variaret; sic semel dat 10, 762 *Medientius*, secutus Nonium; deinde *ecus* 11, 89, quum *equus* legatur in PRγb; et *equs* 11, 493, quod est in M *equs*, sed id correctum in *equus*, quod legitur in PRγb, *aequus* in c; in ed. min. dat. *ecus*; et *eum* 9, 32 *quom* 9, 60; *ignes* 9, 129 *ignis* 145; *ube* in ed. mai., quod est in P, quum *ubi* sit in MRγbc, idque recepit in ed. min. In aliis eius rationem non assecutus sum, ut si scribit 11, 491 *praecĕpit* in M1, quum *praecipit* dent M2PRγbc; *effĕcit* 1, 160, in ed. min. *efficit*; *deiĕcit* 10, 753, in ed. min. *deicit*, si *clupeum* dat 10, 242 in ed. mai. et min. ex V, quum *clypeum* sit in γb2 et *clipeum* in MPRb1c, idem 10, 261 in utraque editione *clipeum*, nihil monens de scriptura manuscriptorum; si 12, 211 *inclussit* ex P recepit in ed. mai. *inclusit* ex MPγbc in ed. min.; si *lubens* scripsit 12, 145, quum *libens* sit in MPRbc. Sic 12, 217 *iandudum* recepit, etsi *iamdudum* est in PRγbc, 5, 27 *iandudum* est in P, *iamdudum* in γbc. Neque ausus sum recipere *sublimen* 1, 259 ex ed. maiore, quum ipse *Rb.* in ed. min. receperit *sublimem*, neque 1, 203 *forsam et haec* ex R, ubi in ed. min. est *forsan*, neque *supera* pro *supra* 11, 510, neque *pollicitu's* 1, 237 et similia (cf. p. 655) quae etiam in ed. min. servantur.

non is sum qui in his minutiis ipsam ubique poetae manum me restituisse confidam."

Alterum quod mutavi est *quum*, quod in ed. priore scriptum erat *cum*, idque doleo factum, non quod *quum* ipse nunc damnem, sed quod *cum* scriptum esse in Mss. constet, et quod mutare non debebam nisi rationibus coactus firmissimis. Ea etiam de caussa doleo, quod videor in his rebus ipse quod improbo facere, nimium scilicet tribuere quisquiliis, quum multo maius adhuc in libris Latinorum explicandum restet sc. ars dicendi et componendi et usus verborum ac phrasium, rerumque connexus et explanatio.

Malo scripsisse *vulnus*, similia, quum maxime probetur libris ut 10, 488. 11, 40. 56 atque illud *u* pro *o*, in *volnus*, *aequom*, *arduos*, *medios* aliis non urbanorum sed rusticorum formas fuisse iudico.

In hac quaestione turbas excitavit maximas ipsum nomen *Virgilii*, quem *Vergilium* scribere iussit aliquando Angelus Politianus, nunc sunt homines doctissimi, qui Virgilium nec audire volunt nec videre, quos „indoctorum hominum magistellorumque ridiculam contumaciam (qui nominis Virgilius formam servant) delenire pudet taedetque". At etiam nunc sunt homines, quos non temere iudicare praeiudicium est, qui illam in his minutiis novandi cupiditatem reprehendunt, velut Lattmann: „Ich muss bekennen, und ich bitte mir das Bekenntniss mit Rücksicht auf meinen Standpunkt nicht übel zu deuten, dass mir der Eifer *abicio, umor, quattuor, cottidie, epistula, intellegere, Vergilius*, u. s. w. zu schreiben den Eindruck einer kleinlichen gelehrten Ziererei macht" Ztschr. Gymn. 1873 p. 640. Virgilius defendunt Schultz, Conrads, Schuchardt[2]), Henry, Bergk al. Iam vero si accuratius quaerimus, in memoriam revocandum est in illo celeberrimo philologorum consessu, qui erat Francofurti ad Moenum a. 1861. adamatores nominis rusticani nec numero potuisse vincere nec ratione, disputationemque abruptam fuisse non finitam. Quid quod ipse *Wg.* quum in editione sua ad Heynianam tomo V.

[2]) Qui tamen „doch ist zuzugestehen, dass auch ein ursprünglich rustikes Vergilius zum einzig rechtmässigen Namen einer Familie werden konnte" 2, p. 58. Sic in M diversis locis legitur *virgulta* et *vergulta*; in inscriptionibus *Rb.* refert esse in MR *Vergilius* in bc *Virgilius*, in γc *Verg.* G. I, II. *Virg.* G. III. IV. et An. XII, in ceteris locis nomen omissum est; de Palatino nihil addit (cf. p XXI). Habet illud *Vergilius* in nostro lingua multa similia, velut ergend, werklich, Bederfniss.

annexa, in qua poetam ad pristinam et incorruptam orthographiam reducere se gloriatus est, scripsisset *Vergilium*, in ed. minore, in qua probare adhuc se *Vergilium* confirmat, pergit ipse „in hac quidem editione uti non sum ausus, circumspecto prudentissimi Redemptoris iudicio obsecutus.“ Quae talibus rationibus cedit sententia vix nititur firmis argumentis. Atque haec scriptio *Vergilius* Wagnerum docet vocabuli originem, *vergo* enim, Werk, esse vocem Celticam, ut Virgilium dictum esse hominem rusticum appareat.[3]) Iam mirum non est, si etiam *Maro* est Celticum[4]). — Hagen Ihrb. 1867 p. 608 nomen *Virgilium* natum esse sumit saeculo nono, et in scholiis Bernensibus in vita quae in iis scripta est *Virgilii* nomen deduci aut a *virga* aut a *ver*. (Itaque utraque scriptura et in *i* et in *e* nota erat ei qui scripsit.) Idem quum verum nomen esset Vergilius, Virgilii nomen natum esse dicit a *Parthenio* Suetonii, nunquam autem scriptum esse *vergo* sed *virgo*. Contra sentit Ritschl *virgo* ab initio fuisse *vergo*. Qui quum anno 1868 miratus esset, quod quisquam nollet accipere *Vergilium*, anno 1869 in Philologo p. 141 alius: „Ob Virgil oder Vergil richtig sei, ist eigentlich noch immer streitig, ob wohl viele die Frage für entschieden erachten. Ganz vergeblich aber sucht man nach Auskunft über das Verhältniss beider Formen zu einander: und doch ist die Sache ganz einfach. Man sprach und schrieb allezeit *virga*, *virgula*, *virgultum*, *virgo*, daher sind auch *Virgilius* oder *Virginius* als die ursprünglichen Formen zu betrachten: aber frühzeitig gelangten hier die Formen *Vergilius* und *Verginius* zur Geltung, weil man an der dreimaligen Wiederholung des Vocals i Anstoss nahm.“ Est igitur dissimilatio. At in voce *dissimilis i* redit quater! Itaque videmus eos qui probent *Vergilius* diversis modis defendere et explicare neque certum quid posse afferre.

Iam vero ab auctoritatibus transeamus ad rationes, et formam *Vergilium* ne firmari quidem posse certis scriptis demon-

[3]) Cf. Glück die bei C. Julius Caesar vorkommenden celtischen Namen. München 1857.

[4]) „In Erwiederung seiner (Th. Mommsens) Frage, was eigentlich Maro bedeute, will ich ihn auf Diefenbach Celt. I. 6. 66 N. 99 verwiesen haben, woraus mindestens für spätere Zeiten hervorgeht, dass darunter ein *Alpenführer* verstanden worden: für den Mantuaner Virgil ein leicht möglicher Zuname, da auch sein Freund Plotius dergleichen einen führte entschieden celtischen Ursprungs, nämlich Tucca i. e. Crassus f. Celt. II, 2, 449.“ Pott hall. Litrztg 1847. N. 148 p. 29.

stratur. Atque in illo conventu *Rb.* „In allen meinen Mss. ist durchweg Vergilius zu lesen. Auf lateinischen Inschriften *wird* (!) Vergilius mit i nicht vor dem dritten Jahrhundert vorkommen.“ Addit Graecos scripsisse *Οὐεργίλιος*. Et quum F. Schultzius, is qui scripsit „quaestionum orthographicarum decas“, in eoque libello formam Virgilius bene defendit, notum illud memorasset *Βιργιλίοιο* [5]) et esse *Virgilius* in Palatino et apud Priscianum: *Rb.* „Priscian, inquit, ist erst aus dem sechsten saec., die Inschrift aus dem fünften, während meine ältesten Mss. einer früheren Zeit angehören. Dass übrigens auf die Angaben über den Palatinus von Ambrogio, den Wagner als einen Gewährsmann nennt, nicht der geringste Verlass ist, habe ich schon vor Jahren erklärt.“ Nec tamen attulit, quae vera scriptura esset in Palatino illo, quem ipse optimum iudicaverat, neque in illo conventu neque in editione sua. Deinde illud mirum, quod Msi c, ut exempla exstant supra p. XVIII, scripturam ceteris praetulerit omnibus, id in hoc nomine facere noluerit. Halm „Was den Namen *Vergilius* betrifft, so erinnere ich mich ihn in Mss. des 9. und 10. saec. *fast* nie anders als Verg. gelesen zu haben.“ Similis est relatio Teuffeli Röm. Littgesch. p. 389 „die Inschriften aus der Zeit der Republik und den ersten christlichen Jahrhunderten (videtur multas scire illorum temporum inscriptiones) haben überwiegend e (Aliquot igitur *i* servant); erst im Mittelalter ungefähr seit saec. 9 fängt daneben die Schreibart Virg. an *aufzukommen*. (Haec inter se adversantur.) Nemo adhuc quantum sciam, ad nominis scripturam indagandam libros manuscriptos Horatii Ciceronis aliorum cum diligentia ac fide contulit, id quod maxime opus est.

Pauca etiam dicenda sunt de interpunctione. Ac primum illud animadvertendum est in lingua Romana orationem recte compositam intelligi nullis omnino additis signis, quare ea signa si adduntur, et ad sententiam explanandam adhiberi possunt universam et ad singulas enuntiati partes pro sententiae ratione magis extollendas. Quum hoc praestet, comma nonnunquam posui, ut cohiberem legentem ac cogerem diutius aliquid contemplari; omisi,

[5]) Id eo maioris est momenti, siquidem Dittenberger (Hermes VI p. 129) sqq. docet, i breve, quod erat in Romanis nominibus, a Graecis verti solere in ε, ut *Τεβέριος*, *Δομέτιος*, *Καπετώλιον*, et ea inesse et in Inscriptionibus ab anno 105 ante Chr. ad 248 post Chr., et in Mss. Polybii, Dionysii, Plutarchi. Neque in Gracca lingua litterae *ιργ* inter se iunguntur, facile *εργ*; quare qui scripsit *Βιργ.*, is nullo modo sibi licere scribere *Βεργ* intellexerat.

ut res plures uno obtutu quasi intueretur. Ea in re alius saepe aliter iudicabit; ego meae interpretationis signa dare volui.

Iam tandem idem profiteor, quod in priore editione professus sum, omnia me, quae ad explicanda Virgilii verba ac sententias valere viderentur, quantum potuerim comparasse; sed ut in priore editione sic in hac perinique mihi accidit, ut Forbigeri opere, a me plurimi aestimato, non possem uti nisi in parte minima, nam quum haec mea opera tarde procederet ac plures per annos haec editio sub prelo gemeret, factum est, ut Forbigeri tomum priorem l. I—IV. acciperem, quum liber VI. excudebatur, posteriorem l. VII—XII. quum l. X. paene confectus erat. Diu igitur, ut iam monui, in hoc libro edendo versatus sum, ac iam ante duos annos confeci, sed tardo gressu secutus est typographus, ut opus paene perfectum non sit. Nam quum iam ante annum gravi laborarem oculorum morbo, non potuisset res ad finem perduci, nisi H. Hausdörfferus Helmstadiensis suum auxilium praestitisset, ac schedas singulas correxisset, cuius beneficii in me collati gratias ago maximas optoque, ut et alii itidem agant, i. e. ut iudicent hanc meam operam in Virgilium non frustra esse collatam.

P. VIRGILII MARONIS
A E N E I D O S
LIBER PRIMUS.

Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena
Carmen et egressus silvis vicina coegi,
Ut quanvis avido parerent arva colono;
Gratum opus agricolis: at nunc horrentia Martis

Arma virumque cano, Troiae qui primus ab oris
Italiam fato profugus Laviniaque venit

Praefatio. v. 1—4.

1. *Ille ego.* *Ille* cum vi pronomini *ego* apponitur, si quis plane contrarium admodumque diversum, quam ex ratione vel rebus consentaneum sit, facere se vel pati profitetur, saepius cum aliqua indignationis significatione. cf. Ov. Fast. 3, 505: *Illa ego sum, cui tu solitus promittere caelum, Hei mihi, pro caelo qualia dona fero!* Met. 1, 757: *Ille ego liber, ille ferox tacui!* cf. Stat. Silv. 5, 5, 38—43. Gr. § 381, 3. Praedicatum autem est *cano.* — *modulatus avena* cf. E. 10, 51 *Carmina pastoris Siculi modulabor avena.* Tib. 2, 1, 53 *Arenti primum est modulatus avena carmen.* *Avena* autem saepius signum carminis bucolici est, (adde locis iam allatis E. 1, 2. Ov. M. 1, 677), omninoque ejus, quod non est gravis argumenti, opponiturque *tubae*, epici carminis signo cf. Mart. 8, 3, 21 *Angusta cantare licet videaris avena, Dum tua multorum vincat avena tubas.* *Modulatus* sc. sum et coegi cf. 5, 362. — *gracili* cf. Cul. 1 *Lusimus Octavi, gracili modulante Thalia.*

2. *egressus silvis* i. e. relicta poesi bucolica; in silvis enim erant pascua, unde Musa bucolica dicitur *silvestris* E. 1, 2. Lucr. 4, 593, et pastor *silvestrem deum* habet cf. Tib. 2, 5, 30. — *vicina* sc. silvis arva. Voluit autem hoc adiectivo indicare maximam inter Bucolica et Georgica et argumenti et formae intercedere similitudinem.

3. *coegi ut* cf. Gr. § 397, 2. § 425, An. 5 et Ter. Hec. 2, 2, 26 *Vi coepi cogere ut rediret.* Cic. Cat. 4, 3 *Senatus P. Lentulum ut se abdicaret praetura coegit.* — *Quamvis* saepius adiectivo et adverbio adiungitur. Cic. pr. R. A. 16, 47 *quasi vero mihi difficile sit quamvis multos (so viel du willst) nominatim proferre.* 32, 91 *posset ea quamvis diu dicere.* — *Avidus*, qui magnum cupit laboris sui fructum, saepius dicitur agricola. cf. G. 1, 47 *avarus agricola.* Ov. Fast. 1, 677 *Frugibus immensis avidos satiate colonos, Ut capiant cultus praemia digna sui.* — *Parere* dicuntur colono arva, ut *imperare* arvis agricolae G. 1, 99. — De ordine verborum *vicina coegi ut arva parerent* cf. 8, 168.

4. *At* opponi inter se indicat *quondam* et *nunc*, *gratum opus agricolis* et *horrentia Martis arma*; quare ineptum non est, sed parat transitum a re tenui ad maiora et graviora. Cum Aeneide enim illa carmina non possunt comparari. — *horrentia* cf. 3, 195. Armorum horrorem optime opponit illis cultis arvis; vide etiam, quam molle sit *gratum opus agricolis*, et quae sit in altera versus parte vel soni diversitas.

Singula, quae fortasse putabuntur le-

Litora; multum ille et terris iactatus et alto,
Vi superum, saevae memorem Iunonis ob iram,

viora, eo notavi consilio, ut in verborum usu et compositione nihil esse appareret, quod Virgilio esset indignum, atque ita tacitus redarguere studui eos, qui haec verba incompta nec Latina dicunt, sc. ne Virgilii esse videantur; quamquam non magnum esse existimo, quatuor versus conscribere, in quibus nihil insit, quod Virgilius dicere non potuerit. — Absunt hi versus a pluribus Mss. sed sunt in nonnullis, defenduntur fide Servii et Donati, quod ille eos explicat, hic etiam a Vglio factos sed a Vario sublatos esse narrat. Immo his versibus magna arte compositis praefari videtur de se ipso, et tristitia quadam capitur, quum valedicat carminibus, quibus gloriam condidit suam, et quibus ruris et securitatis amorem confessus est, quum transeat ad carminis genus multo diversum, multoque gravius, quo quid sibi sit laudis comparaturus, anxius dubitat, timetque ne iam partam gloriam amittat. *Ipsius Aeneidis versus non sunt*, quare etiam Ovidius: *Arma virumque* (Trist. 2, 533.) carminis habuit initium et alii omnes et eiecerunt Varius et Tucca et librarii. Illud leve quidem addam, probabile esse, alium hominem versus ita conformaturum fuisse, ut iis ipsis sententia absolveretur. Ad amicum aliquem, suspicor, quum mitteret carmen, hos versus praeposuit, non ut omnino iis carmen praefaretur; absurdum enim lamentatione praemissa infringere carminis heroici vim et gravitatem. *Gr.* in Minoe hanc praefationem bibliopolarum fraude natam esse sumit. qui saepius intulerint novos versus, ut auctum librum pluris venderent.

v. 1—7. Argumentum carminis.

Argumentum totius operis summo artificio compositum, in quo ne verbulum quidem sine vi nec verborum ordo sine consilio est, quod ipsum tecum expendas, simulque conferas Odysseae et Liberatae Hierosolymae initium.

1. *Arma virumque cano* cf. 11, 747. *Volat igneus aequore Tarchon, Arma virumque ferens.* Male explicant: *armatum virum;* sed disiungenda sunt haec duo vocabula, ut disiunxit Tasso quum diceret: *Canto l'armi pietose e 'l capitano;* si vero *arma* memorantur, praesertim *arma horrentia Martis*, necessaria est *belli* cogitatio. — *Troiae* cum vi ante relativum et ita positum, ut prior syllaba vocis, altera versus extollatur accentu. — *Primus* propria vi dictum, nam „et multi alii eo tempore ad Italiam venerant, ut Capys, qui Capuam, Polites, qui Politorium condiderunt“, S. Regio autem Patavina, in qua consedit Antenor, cf. v. 247, non ad Italiam pertinebat antiquam, quae Rubicone terminabatur. *Primus* explicat *Wg.* per *olim*, *Nck.* per *principem.*

2. *Italiam* cf. 4, 106. — *fato:* „Bene addidit *fato*, ne videatur aut caussa criminis patriam deseruisse aut novi imperii cupiditate“ S. Hinc iam toti narrationi tribuitur dignitas, quod fato omnia reguntur; contra *profugus* movet miserationem, quum significet extorrem patria et quid petat nescientem. Ita Sall. Cat. 6. *Troiani Aenea duce profugi sedibus incertis vagabantur.* — *Laviniaque.* Lavinium ab Aenea conditum „VIII millibus a mari remotum“ (S.) a Lavinia, Latini filia, Aeneae uxore nomen accepit. Haec igitur urbs condita finem dedit laborum. De scriptura cf. Exc. Animadverte ea, quae fato fiant, dici verbo finito, quae secundaria accedant, dici participio.

3. *Ille* pronomen post subiectum praeter necessitatem repetitur ita 9, 477 *Evolat infelix et . . Scissa comam, muros amens petit; non illa pericli Telorumque memor.* cf. 3, 490. 5, 456. 10, 385. 12, 5. sic *tu* ap. Hor. C. 1, 9, 16. etc. — *altum* i. e. mare cf. 34. 126. etc. Prosteriores poetae etiam adiectivum addere non dubitabant, ut Avien. descr. terr. 84. *boreali ab alto.*

4. *Vi superum saevae memorem Iunonis ob iram.* „(1) Brevi intervallo ira Iunonis sexies memoratur. 4. 9. 11. 25. 29. 36. Plenae fastidii repetitiones. — (2) Tum difficile dictu, quae sit illa *vis superum....* (3) Deinde Iuno non minus Aeneam in ipsa Italia vexavit, quam dum terris et alto iactaretur.... (4) Denique cursus orationis versu eiecto multo expeditior est.“ Haec *Pl.*, et collegit fere omnes difficultates, quae huic versui obstare videntur, iisque inductus versum eiecit. Ac prima quidem caussa levissima est. Mittamus fastidium, quod non solet idem esse in omnibus hominibus; at quum v. 8 Musa odii caussam dicere iuberetur, ipsum odium antea memorandum erat. Haec una res sufficit, ut versus ad sententiam necessarius servetur ac defendatur, quaecunque inesse videantur peccata. Iam alterum, quod *Pl.* affert, verum est, difficile esse explicare *vi superum.* Quod conspicuum est ex eo, quod diversissimae prolatae sunt

Multa quoque et bello passus, dum conderet urbem.
Inferretque deos Latio: genus unde Latinum
Albanique patres atque altae moenia Romae.
Musa, mihi caussas memora, quo numine laeso

sententiae, ut esset *vi* et *ex vi* et *contra vim* deorum. Attuli iam olim locum Val. Flacc. 1, 671 *Seu casus nox ista fuit, seu volvitur axis vi superum*, quod ad Vglii locum tendere videtur, et quo probatur versum esse Vglii. Explicatum est *vi superum* — vi divina, quae cuius dei sit aut dicendum est aut ex ipsis verbis eruendum. Quod si tentaveris facere, nihil restabit quam vis Iunonis, quod propter illa „I. ob iram" absurdum est. Neque inter superos referri debebant minorum gentium dii, quales Aeolus, Venti, Allecto — Iris, Iuturna, qui si dii sunt, non sunt superi, neque sua sponte agunt, sed ministri sunt Iunonis, neque ab iis Aeneas terra marique iactatur: semel tantum Aeolus et venti eum adoriuntur sed frustra, ceteri ne tantum quidem conantur. Superi dii, dii illi magni Olympii praeter Iunonem favent Aeneae fere omnes, sic Iuppiter auxiliatur 1, 254. 5, 690. 725. Neptunus 5, 799. 7, 23. Apollo 3, 155. 6, 56. 9, 637. Cybele 9, 77, ut praeteream Venerem, Aeneae matrem. Itaque Venus, quum omnes in deducendo ad Italiam Aenea dii consentiant, recte queritur 251 *Unius* (Iunonis) *ob iram prodimur*, et Iuno confitetur, quum dicat *Flectere si nequeo Superos, Acheronta movebo* 7, 312. Igitur si dii omnes iuvant, quomodo possunt dici vi sua iactare Aeneam? Possunt et quidem *Iunonis ob iram* Ea enim omni vi et impetu repellit ab Italia, avertit ab itinere Italiae. procul ab Italia eum studet retinere sc. ne in eam terram perveniat. Dii igitur atque Iuppiter vi sua saepius utuntur, ut ab illis iteratis erroribus retrahant rectam in viam, ac sic revera iactatur vi superum. Quae verba si ita accipis, concident, quae tertio loco proposuerat Pl. Aeneam a Iunone non solum terra marique vexatum esse sed etiam bello, ut legimus a VII usque ad XII librum; nam illud *multa quoque et bello passus* non est *vi superum*; bellum enim exortum est odio Iunonis sed compositum tandem voluntate Iovis. Itaque ut ex sententia recte dicta sunt omnia, sic etiam singula enuntiati membra bene locata: 1. *multum . . . iactatus*, *vi s.* etc. 2. *multa passus*, *dum conderet arcem.* Bellum enim ipse Aeneas, ut libr. 12 videmus, persecutus est, usque dum conderet urbem inferretque deos Latio. Sic optime inter se cohaerere vidimus omnia. Sic etiam intelligitur quod 31 Troiani dicuntur, quum arceat ab Italia, Iuno, fatis acti errare multos per annos maria omnia circum. Nam quum fatum esset, ut in Italiam veniret Aeneas, quem Iuno ab ea removebat, iterum iterumque fatis agendus erat et reducendus in viam. Sic v. 32 ad v. 4 explicandum valet. — *saevae memorem I. ob iram.* Saeva est Iuno, quod Aeneam persequitur; *memor ira* autem alibi etiam ut Ov. M. 12, 583 *exercet memores iras.* Liv. 9, 29 *Traditur inde dictu mirabile, censorem etiam Appium memori deum ira post aliquot annos luminibus captum.* Aesch. Ag. 161. *μνάμων μῆνις.* Ita opus non est accipere hypallagen aliquam. cf. 8, 526.

5. *dum*, *bis*, cum coniunctivo ut 10, 800. G. 4, 457. Tac. A. 1, 13 *neque tamen mitigatus est, donec Haterius Augustam oraret;* et saepius. cf. Gr. § 415, 4.

6. *inferretque deos Latio.* Ita 8, 11. Augetur autem his verbis dignitas carminis, in eoque est maxima Aeneae virtus, quod deos et parentes studiosissime colit; atque etiam ea in re exemplar proponitur hominis Romani. — *genus unde Latinum* cf. 12, 723—7. Sall. Cat. 6. Idem tradit Cato in Orig. apud Servium ad h. l.

v. 8—11. Musae invocatio.

Argumentum sequitur Musae invocatio; quod Tasso imitatus est. Homerus contra ab invocatione Musae incipit. Musas autem deas invocant poetae in re gravioris argumenti aut quae sine deorum auxilio neque intelligi potest neque describi. Cf. 7, 641.

8. *quo numine laeso.* *Numen*, a *nuo* quod ducitur, significat voluntatem, propensitatem, cupiditatem, quae *nuendo* indicatur sc. in deo. qui non motus humano libidinum ardore *nutu* satis indicat quod vult, non vultu, non gestu alacriore; inde est in deo voluntas. inde potestas, cf. 447. 2, 178. 4, 204, possuntque esse in uno deo plura numina ut 666 ubi Serv.: „Notandum unum deum plura habere numina", et 7, 296. Ov. M. 6, 4. Assentitur et Macr. S. 1, 16. Recte igitur quaeritur quod numen i. e. quae potissimum pars divinitatis deae laesa sit, et quid maxime doleat. — *Quo* autem non

Quidve dolens regina deum tot volvere casus
Insignem pietate virum, tot adire labores
Impulerit. Tantaene animis caelestibus irae?
Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni,
Carthago, Italiam contra Tiberinaque longe
Ostia, dives opum studiisque asperrima belli:
Quam Iuno fertur terris magis omnibus unam
Posthabita coluisse Samo; hic illius arma,

poteris explicare: „qua re" i. e. qua re laeso numine (quam explicationem secuti sunt ii, qui plura in uno deo numina esse non putabant) quod eius significationis exempla desunt, quod *caussas*, *qua re* non bene iunguntur, quod *quo* tam prope vocem *numine* est, ut ipse poeta haec duo vocabula iungenda esse indicasse videatur. — *Laedere numen* etiam 2, 183. Hor. Ep. 15, 3. Tib. 1, 3, 79, et laedimus numen, cui adversamur sive consulto sive inconsulto; nam deo parendum est. Ita *violare numen* 4, 27. *Laesa* scripsit *Ld.* contra Mss. omnes, quod planior esset structura *laesa* — *dolens*. Sed Iuno a nullo numine laesa est, neque si erat, poterat irasci Aeneae: *quo crimine laesa* coni. *Pl.* sc. Aeneae. Sed coniecturis opus non est.

9. *Volvere casus* h. l. dicitur, qui subit et fert; et inest laboris et contentionis notio. Ita qui tempore exercentur, *temporis rotam volvere* dicuntur 6, 748. cf. *revolvere casus* 10, 61 *revolvere iter* 9, 391. Simul inest in *volvere* notio continuae rerum vicissitudinis. Casus autem (*Unfälle*) hominis angunt animum, labores (*Mühsal*) atterunt vires.

10. *insignem p. v.* „Et hic ostendit, merito se invocasse Musam: nam si iustus est Aeneas, cur odio deorum laborat?" S.

11. *impulerit* c. infin. cf. 2, 55.

v. 12—33. Quibus de caussis Iuno Troianos odio sit persecuta.

12. Iam ei quaestioni respondetur. Docetur non suis factis Aeneam excitasse Iunonis iras et odia, sed quod fatis deorum constitutus est, ut Romanos conderet, orbis dominos, Carthaginis eversores, deinde quod ex Troiana est gente Iunoni invisa propter res, quarum in Aenea nulla est culpa. Debebat autem iam ab initio tenere lectorem Romanum, quod Aeneae errores iunguntur cum bellis Punicis et Carthaginis interitu. — *Urbs antiqua fuit*, iam enim deleta erat a Romanis. — *Tyrii tenuere coloni;* neque obiectum desiderabis cf. 2, 492, neque ullam enuntiatorum iuncturam, nec magis quam v. 159. 530. alibi — *Italiam contra.* Praepositio bisyllaba postponitur saepe apud poetas, cf. 4, 671. De producta syllaba *i* cf. § 13.

13. *Que* explicativum cf. Exc. ad v. 2. — *longe*, procul, magno interiecto mari.

14. *dives opum.* Ita 2, 22. et *largus opum* 11, 338. De hoc genitivo poetis et posterioribus scriptoribus usitatiore, qui id indicat, in quo adiectivi notio apparet, cf. Gr. § 265, 4. — *studiis asperrima belli* cf. 8, 318.

15. *Fertur* sollemne in rebus vetustate remotis et divinis, quas homines certo scire nequeunt, nisi a diis docentur cf. Hor. C. 1, 7, 23. A. 7, 735. 9, 82 et de rebus inferis 6, 264; quare hominum non est suum inferre iudicium cf. 7, 48. — *Magis omnibus*, i. e. m. quam omnes terras. Ablativi in comparatione pro accusativo obiecti usus obtinet etiam apud Ciceronem de or. 2, 37, 154: *Non tulit ullos haec civitas gloria clariores P. Africano, C. Laelio.* alia. Saepius ap. poetas. Audacissimum illud Claudiani in Eutr. 2 prol. 31 *mentemque obscurior ore.* Cf. Gr. § 375, An. 3.

16. *Colere* dii loca putabantur, in quibus templa habent cf. E. 2, 60. Inde Apollo Hor. C. 1, 16, 6 *incola Pythius*, Minerva Cat. Epith. 228 *incola Itoni* dicitur. Male hanc opinionem pia fraude ortam putavit Cicero Legg. 2, 11, 26: *Graeci atque nostri, qui ut augerent pietatem in deos, easdem illos urbes, quas nos, incolere voluerunt.* — Samum amabat Iuno, quod ibi nata erat et adoleverat; Carthaginem igitur magis amat quam ipsam patriam. De templo Iunonis Samiae cf. Herod. 3, 60. — *arma — currus fuit;* verbo ad proximum relato. Sic 4, 651. 10, 679. etc. cf. Gr. § 244, 2. — Iunonis currus describitur H. Il. 5, 720. Od. 5, 381. Ἥρα ἱππία Olympiae, ὁπλοσμία Elide colebatur; hastata a Romanis fingitur, et Tiburtes ita precabantur: „Iuno curulis tuo curru clipeoque tuere meos curiae vernulas." Iuno Curitis erat Faleriis. Lanuvina Iuno Sospita fingebatur cum pelle caprina, cum hasta, cum scutulo, cum calceolis repan-

Hic currus fuit: hoc regnum dea gentibus esse,
Si qua fata sinant, iam tum tenditque fovetque.
Progeniem sed enim Troiano a sanguine duci
Audierat, Tyrias olim quae verteret arces;
Hinc populum, late regem belloque superbum,
Venturum excidio Libyae; sic volvere Parcas.
Id metuens veterisque memor Saturnia belli,
Prima quod ad Troiam pro caris gesserat Argis:
Necdum etiam caussae irarum saevique dolores
Exciderant animo; manet alta mente repostum
Iudicium Paridis spretaeque iniuria formae,
Et genus invisum, et rapti Ganymedis honores:

dis Cic. N. D. 1, 29. Secutus est Ov. Fast. 6, 45 *Paeniteat, quod non fovi Carthaginis arces, quum mea sint illic currus et arma loco.*

18. *si qua* sc. via ac ratione cf. 676. Itaque quantum fieri per fatum possit, quod ipsum nescit dea cf. 3, 251. — *Iam tum* „ex quo constituta est a Tyriis colonis. *Tenditque fovetque.* Figurate dixit. Non iam regnum fovet sed tendit et fovet, ut regnum esse possit.“ *Tendo* c. inf. ap. Hor. C. 3, 4, 51 cf. ad 2, 33. — *Fovere* est re et factis favere cf. 281. 10, 93. Ov. Trist. 1, 5, 41.

19. *sed enim* cf. 5, 395. *Sed* altero loco positum 3, 37. 586. 5, 320. — Numen Iunonis *laeditur*, quod non Carthago, quam vult, sed Roma, Troiana colonia, terrarum habebit imperium; quod id quod vult, non potest perficere; *dolet* quod Troianos longo bello non potuit superare, quod Troianus Paris ipsam minus formosam iudicavit, quod Troianus Ganymedes a Iove nimis diligitur, quod Troiani a Dardano, Iovis ex alia filio, originem ducunt.

20. *Vertere* idem quod evertere, ita 10, 88 apud Ciceronem et alios; *vertere ab imo* 5, 810. Quod saepius dant poetae simplex pro composito cf. 5, 154. *Olim* de re futura cf. 203.

21. *Hinc* i. e. a sanguine Troiano, ut recte *Sb.* explicat (Progr. Hildburgh. 1845). Nam Romanorum populus ex Troianis et Aboriginibus coaluit. Sic v. 21, et qui sequuntur, non est versuum 19. 20 inanis repetitio, quae videbatur esse iam Probo; nam „in Probo adpuncti sunt, et annotandum, hi duo si eximantur, nihilominus sensus integer erit, sed Vgl. amat aliud agens exire in laudes populi Romani.“ S. Verba transponit *Pl.*: *Progeniem — audierat, Libyae excidio: sic v. P. Hinc — venturum Tyrias — arces* et eiicit *Id — Argis.* Hoc est sanare. — Carthaginem delesse maximum visum est Romanis facinus; capiturque Romani legentis animus quod Aeneam eiusque fata cum gloria Romanorum coniungi videt et contineri. — *sic volvere Parcas* cf. 3, 376. — „*late regem*, pro late regnaturum. Nomen pro participio“ S. cf. Gr. § 364. — *bello superbum* cf. 5, 268.

22. *Venire excidio* dixit secundum formulas *auxilio, subsidio venire.* — *Libyae* magnificentius quam *Carthaginis*, ut 3, 1 *Asia* pro *Troia* etc.

23. *Vetus* est longum durans; ita *vetus bellum* Cic. Man. 11. Exacerbata autem Iunonis ira, quod tamdiu restitere Troiani in bello Troiano.

24. *Prima* sc. inter deos, qui in bello contra Troianos steterant, igitur infestissima. „*Prima* princeps accipienda est“ S. Sic 7, 107. 468.

26. *Exciderant animo* abl.; sic *elapsus* 242. Simile *excidere memoria* Liv. 27, 3. *Eripe vagina ferrum* Sil. 2, 260. Verba cum *ex* composita in prosa oratione solent assumere praepositionem *ex.* Cf. Gr. § 336, An. 1 et 6, 259. — *alta mente (tief in der Seele).* — *Manet repostum*; ita 257 *manent immota fata.* Lep. ad Cic. Fam. 10, 34, 3 *quae perpetuo animo meo fixa manebunt.* Val. Fl. 1, 533 *fixa manent.* cf. 2, 169. — *repostum.* Sic *compostus* 249, *impostus* 9, 716, *expostus* 10, 694. Repositum in mente quod est, servatur.

27. *Iudicium Paridis*, quod Iunoni et Minervae pulchritudine praestare Venerem censuerat, quod Iuno iniuriam habet, more feminarum. — *spretaeque* cf. 2.

28. *Genus invisum*, quod Dardanus *Iovis* ex Electra erat filius — Ganymedes, Trois filius, formosus puer, a Iove amatus et in caelum elatus (cf. 5, 252) Hebes officio fungitur, qui pueri honor offendit uxorem.

29. Struendum erat: *id metuens et memor...*, *causis etiam aliis incidenti-*

His accensa super iactatos aequore toto
Troas, relliquias Danaum atque immitis Achilli,
Arcebat longe Latio: multosque per annos
Errabant acti fatis maria omnia circum.
Tantae molis erat Romanam condere gentem.
Vix e conspectu Siculae telluris in altum
Vela dabant laeti et spumas salis aere ruebant,
Quum Iuno, aeternum servans sub pectore volnus,
Haec secum: Mene incepto desistere victam
Nec posse Italia Teucrorum avertere regem?

bus animo, arcebat; sed caussarum enarratione abreptus Vgl. quum de structura declinaverit, redit per *His accensa super.* Similis structurae mutatio 9, 359—364. 5, 705, quae non subrepsit poetae, sed quaesita est, ne enarratio langueret. — *accensa.* cf. Tac. An. 15, 1: *accendebat dolorem.* — *aequore toto,* abl. in voce *totus.* cf. Gr. § 333, 3. *Super* est insuper *(obendrein)*; *Wd.* et *Ld.* iungunt cum *aequore.*

30. *reliquias Danaum:* idem 598. 3, 87, quos Danai reliquerant; reliquiae enim et eius dicuntur, cuius pars aliqua relicta est, ut 4, 342 et eius, qui aliquid reliquit, ut Cic. CM. 6. *ut avi reliquias persequare*, i. e. Carthaginem. De genitivo obiectivo cf. Gr. § 255. — *Achilli:* De genitivi forma cf. Gr. § 94, 2. Serv. ad h. l. et ad v. 220: „Propter ὁμοιοτέλευτον detraxit literam". Hanc caussam esse probant *Achilli* 3, 87. 6, 840. 10, 581 et *Achillis* 2, 476. Achilles autem additur, ut qui maxime in Graecis praestiterit; cf. 4, 45: *Dis auspicibus et Iunone secunda*, quod Iunonis sunt partes praecipuae; *iuvenum et Iuli* 12, 399.

31. *Arcere aliquem* c. abl. 5, 742. 6, 316. 7, 778. 8, 72 cf. Gr. § 336. cum dativo: *pecori arcere* aliquem G. 3, 155. — *Multos per annos:* erant septem cf. 755. — Per *que* novum iungitur subiectum, quod antea erat obiectum. Simile Tib. 1, 3, 69. Sall. Iug. 14, 16. 31, 18. 35, 3.

32. *acti fatis* cf. 4. — *Maria omnia* ne id nimium putes, vel apud poetam, reputa, quae maria illo tempore cognita fuerint. — *maria circum* cf. v. 12.

33. *Moles (Last*, inde *Schwierigkeit)*, ut ap. Tac. A. 1, 45 *His compositis haud minor moles supererat.* Hist. 3, 84 *Plurimum molis in oppugnatione castrorum fuit.* Inde *moliri* est rem arduam aggredi cf. 2, 108. — *Condere gentem;* ita Iustin. 2, 6 *Deucalion, a quo genus humanum conditum est.* 18, 3 *Tyriorum gens condita a Phoenicibus fuit;* et eodem in capite *condere genus* legitur.

34—49. Troianis ex Sicilia in Italiam proficiscentibus Iuno parat exitium.

Troiani, qui septem annos per diversas terras vagati erant, tandem laeti, quod errorum finem exspectant, e Sicilia Italiam versus contendunt, *laeti* etiam felici navium cursu: quum tempestate coorta in Africam reiiciuntur. Quae tempore antecedunt facta libro 2. et 3. continentur.

34. *Vix* in protasi *quum* in apodosi ut 2, 323. 3, 8. 11, 903. 12, 154 cf. Gr. § 417, 3. — *Tellus* apud poetas idem quod terra, inde etiam de insulis cf. 3, 73. Ov. M. 3, 597. *Dia tellus*, i. e. Naxos cf. 171.

35. *Vela dare* est *abire nave* cf. 2, 136. 3, 9. 191. 4, 546. 5, 797. 8, 708. 12, 264. Cic. Tusc. 4, 4, 9 al. — *Laeti* et ad *dabant* et ad *ruebant* pertinet — *Ruere* activum cf. 85. — *Sal* de mari, ita 10, 214 *campos salis aere ruebant* 3, 385. alibi. Posteriores poetae etiam de mari aliquo singulari dicebant ut Avien. descr. terr. 912. *Hyrcanique salis tumido convolvitur aestu.* — *aere* cf. 5, 198.

36. *Servans* noluisse eam dolore exsolvi significat.

37. Confer similem Iunonis iratae orationem 7, 286. et ob alias res exacerbatae ap. Ov. M. 2, 518 sq. 3, 262 sq. 4, 420 sq. et Neptuni Hom. Od. 5, 281. — Inceptum quid sit explicatur versu sequente. — Accusativus cum infinitivo in exclamationibus et interrogationibus, cum indignatione prolatis (cf. Gr. § 429) legitur 97. 5, 616. 9, 269. E. 11, 7. — Victam se fateri putat, si desistat adversari Troianis.

38. *Rex* Aeneas saepe dicitur 544. 553. 575 cet. et ubique regia fungitur potestate. cf. 5, 758; ita Ascanius est *regius puer* 677.

39. Fata Troianos in Italiam venire iusserant. Fatum autem ne deus quidem potest infringere; quare Iuno frustra ni-

Quippe, vetor fatis! Pallasne exurere classem
Argivom atque ipsos potuit submergere ponto
Unius ob noxam et furias Aiacis Oilei?
Ipsa Iovis rapidum iaculata e nubibus ignem
Disiecitque rates evertitque aequora ventis;
Illum, exspirantem transfixo pectore flammas,
Turbine corripuit scopuloque infixit acuto:
Ast ego, quae divom incedo regina Iovisque
Et soror et coniunx, una cum gente tot annos
Bella gero. Et quisquam numen Iunonis adorat

tens, ut fatum superet, hoc tantum efficit, ut per aliquot annos Troianos a destinata terra arceat. Hos potentiae suae fines aegre ferens cum ironia effert hoc: *quippe, vetor fatis.* Sic *quippe* 4, 218. Cic. pr. Mil. 12. Ita se cum Marte componit, qui Lapithas exstinxerit, 7, 304.

40. Iuno cupiditate praepedita ipsa se fallit suamque caussam comparat cum Minerva, quae nec fato vetita est neque totum Graecorum extinxit exercitum.

41. De hac narratione cf. Il. Od. 3, 135. 6, 499. Eurip. Troad. 77. Sen. Agam. 526 sq. Aiax, Oilei filius, Cassandrae amore captus ex ipso Minervae templo abstraxit virginem; quod nefas ulta dea Graecorum redeuntium naves fregit ad Caphareum, Euboeae promontorium, et Aiacem fulmine percussum procella adegit ad scopulos. Meminit huius facti etiam 2, 403. 6, 841, et Serv. ad 11, 259 haec habet: „Constat Graecos tempestate laborasse aequinoctio vernali, quando manubiae Minervales, i. e. fulmina tempestates gravissimas commovent.“ Huic adversantur rationi, quod Troiani primo vere Virgilius narrat abisse 3, 8, ut Graecos ante hiemem et auctumno Troiam reliquisse computaverit. — *furias:* Furit ex antiquorum opinione quivis facinora committit contra deos, patriam et parentes. — *Oilei* de genitivi forma cf. 30; quod non additur *filius* cf. 3, 319.

42. *Ipsa* non opus habebat alios sibi advocare, sed Iove concedente vindictae sua manu quaesitae gaudium sensit. — Fulmina etiam alii dii iaciunt nonnunquam, ut ipsa Iuno 4, 120 sq. vid. Val. Flacc. 1, 113 ibique Wagneri notam. Pallas fulminatrix est in nummis Syracusarum, memoratur apud Graecos Aesch. Eum. 817 et Etruscos cf. Serv. ad l. Plin. XII. 2, 53. — *rapidum* cf. 644.

43. *Rates* „naves proprie rates sunt, connexae invicem trabes“ S.

44. *exspirantem*, ita 11, 865, verbum a Virgilio ut videtur inventum. Ad rem cf. Lucr. 6, 388 ubi icti flammis fulguris halant pectore perfixo.

45. *infixit* cf. Prop. 3, 5, 15 *Ah miser alcyonum scopulis adfigar acutis.* Sen. Agam. 571 *haerent acutis rupibus fixae rates.*

46. *ast* forma antiquior 116. 2, 467. 3, 330. 410. 4, 488. 5, 509. 676. 6, 316. 7, 308. 395. 9, 162. 727. 10, 173. 11, 293. 12, 951. Nam „Maro qui antiquae Latinitatis diligens fuit“ (Macrob. Sat. 6, 9.) etiam antiquas aliquas formas retinuit. Exstat *ast* in antiquis formulis ap. Cic. Legg. 2, 8, 19. Liv. 9, 19; saepius apud poetas. — *incedo.* „Incedere proprie est nobilium personarum“ S. cf. 405. 497. 5, 647. Quare optime quadrat in dignitatem et fastum Iunonis. cf. Prop. 2, 2, 6: *Incedit vel Iove digna soror*, i. e. quasi Iovis soror esset. Et alibi *incedere* fastus est signum et impudentiae *Incedunt per ora vestra magnifici* Sall. Iug. 31. Lucr. 3, 75. — *divom regina*, item Pind. Nem. 1, 39. *Ἥραν . . . θεῶν βασιλέα.*

47. *Et soror et coniux* Iovis quod sit superbientem Iunonem fecit etiam Hor. Carm. 3, 3, 64: *Coniuge me Iovis et sorore*, et apud Hom. alloquitur Iuppiter *Ἥρην κασιγνήτην τ' ἄλοχόν τε.* Il. 16, 432.

48. *bella gero:* et frustra. Sed id ipsum non potest a se impetrare ut proferat, sed tamen addit *et quisquam* etc. Videtur etiam hoc indignantis esse, quum ipsam Teucris par sit tantopere esse superiorem, ut contra resistere et certare non possint; confer tamen de hac formula *bellum gerere deos* ad 3, 261. — *et* cf. 6, 807. — *Quisquam* recte ponitur in interrogatione, cui negatum iri volumus. — *Numen Iunonis* gravissime dictum pro *me* cf. 2, 79. — *adorat-imponet* M. R. al. ut sensus sit: „Iam nunc ab hominibus negligor, neque in posterum mihi sacra ferent.“ — *adoret-imponat* P. et Vulg. in Edd. „Coniunctivus rem cogitatam ponit, ut Iuno dubitet, an, quum haec ita sint, homines in posterum ipsam veneraturi sint“ Jh. Cf. (Ov.) Cons. de mort. Drusi 7 *Et quisquam*

Praeterea, aut supplex aris imponet honorem?
   Talia flammato secum dea corde volutans
Nimborum in patriam, loca feta furentibus austris,
Aeoliam venit. Hic vasto rex Aeolus antro
Luctantes ventos tempestatesque sonoras
Imperio premit ac vinclis et carcere frenat.
Illi indignantes magno cum murmure montis
Circum claustra fremunt; celsa sedet Aeolus arce
Sceptra tenens mollitque animos et temperat iras;
Ni faciat, maria ac terras caelumque profundum
Quippe ferant rapidi secum verrantque per auras.
Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris,
Hoc metuens, molemque et montes insuper altos

leges audet tibi dicere flendi, et quisquam lacrimas temperet ore tuas.

49. *Praeterea* ut nostrum *aufserdem* de tempore usurpatum *posthac* significat; sic G. 4, 500-2. *neque illum ... praeterea vidit.* — *Honor* dicitur poetis sacrificium, ut honoris quem diis homines habeant signum cf. 3, 118. 178. 264. Sil. 8, 243. Ita *honorem ferre* est *sacra ferre* 8, 102 cf. *adolere honores* 3, 547. — Iuno superba verbis utitur ius suum, quod in homines exercet, significantibus: *adorare*, *supplex*, *honor*. Simile: *Et quisquam pia tura focis imponere curet?* Ov. Am. 3, 3, 33.

50—64. Regia Aeoli.

Statim subiicitur quid fecerit Iuno, nec multis verbis ante eius consilium exponitur. Sic 4, 288.

50. *Flammatus* dicit Vgl. h. l. et *flammantia lumina* G. 3, 433, et verbo *flammare* primus usus est, quod scimus, Tacitus H. 2, 74 *Omnes exercitus flammaverat arrogantia venientium a Vitellio militum,* — *secum corde volutat* cf. 6, 185.

51. „Proprie *nimbi* vocantur repentinae et praecipites pluviae", S. saepe „commixta grandine", ut 4, 120. 161. cf. 5, 13. „*Loca feta* nunc plena, ut alio loco (2, 238) *feta armis*" S. *machina*; G. 4, 139 *fetae apes;* ita etiam *gravidus* usurpatum legitur 4, 229. Hor. C. 1, 22, 4, et *gravis* 6, 515. [Exempla alia ap. Freinsh. ad Fl. 3, 5, 18.]

52. *Aeoliam* describit Hom. Od. 10, init. quem locum cum hoc conferas et quo consilio Vgl. ab Homero recedat, perpendas. Post Vglium Aeoli regiam descripsit Val. Flacc. 1, 574—596. Ex novem illis insulis, quae Aeoliae vocantur, quam sibi sedem elegerit Aeolus, antiqui discrepant. Aeoliam nemorat Vgl. 10, 38 et 8, 416, ubi Liparen esse eam videtur indicasse, Hieramque tribuere Vulcano; contra Hieram Aeoliam esse sumit Strabo, addit tamen vulgo significari Aeoli sedem Strongylen (Stromboli); Plinius non haesitans ea in re haec habet: „Strongyle, in qua regnavit Aeolus". Ventorum regem ibi habitare insularum natura persuasit.

53. *Luctantur*, ut erumpant, ut *eluctari* apud Sen. N. Q. 4, 2 *Nilus per angusta eluctatus* — Sic ap. Lucr. 6, 196 Venti eorumque habitatio fere ut h. l. sed multis verbis describitur.

54. In carceribus singuli sunt venti, constricti simul vinculis. Illi carceres in monte sunt, quare is tremit ac murmurat strepitu ventorum. Attende autem versuum compositionem: longae voces, fuscae vocales, ubi murmur describitur ventorum erumpere frustra tentantium; breves voces, clarae et candidae vocales, ubi Aeolus luce laetus sedet. *Wd.* iungit ita: *m. c. murmure, m. c. c. fr.*

57. *Mollit*, nam etiamsi revera non redduntur molliores, tamen quum coerceantur et quominus immanitatem suam prodant prohibeantur, molliores videntur facti esse. *Sceptra* cf. 7, 98.

59. *quippe ferant, ni faciat. Ni faciat*, quod pendet ex eius voluntate, ut qui loquitur certus non sit quid fiat; *ferant* i. e. poterit esse ut ferant. Ita coniunctivus praesentis cum *nisi* particula iunctus 2, 598. 4, 292. 11, 912. Ov. Trist. 5, 12, 15: *Pluribus accusem, fieri nisi possit, ut ad me Littera non veniat, scripta sit illa tamen.* cf. Gr. § 410, 2. — *caelum profundum*, ita G. 4, 222. — Ad rem cf. Lucr. 1, 279: *Sunt igitur venti nimirum corpora caeca, Quae mare, quae terras, quae denique nubila caeli Verrunt ac subito vexantia turbine raptant,* et Ov. M. 1, 58: *Vix obsistitur illis, Quin lanient mundum.*

60. Obiectum omissum cf. 2, 492.

61. *Et montes altos* est *molis* expli-

Imposuit regemque dedit, qui foedere certo
Et premere et laxas sciret dare iussus habenas.
Ad quem tum Iuno supplex his vocibus usa est:
Aeole, namque tibi divom pater atque hominum rex
Et mulcere dedit fluctus et tollere vento,
Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat aequor,

catio, Hendiadys cf. Gr. § 502. — *insuper imposuit.* Ita 3, 579 *ingentem insuper Aetnam impositam.* Ov. M. 1, 67 *super imposuit.* Alia abundantis adverbii exempla vide 6, 751.

62. *foedere certo* i. e. lege certa. Ita G. 1, 60 *Continuo has leges aeternaque foedera certis imposuit natura locis;* alibi; neque lex aliud est quam foedus qualecunque inter duas partes. Sic Colum. 10, v. 219 leges, quibus caelum regitur, dixit *foedera caeli* et Val. Fl. 4, 102 *non foedera legum ulla tenent.*

63. *Premere habenas* est adducere; ita 11, 600 *sonipes pressis pugnat habenis.* Ov. A. A. 3, 467 *supprime habenas;* contra *laxare* est immittere, cf. 6, 1. Comparantur venti cum equis ferocibus. *Laxas dare* idem quod *laxare.* Per *dare* verbum adiectivo vel participio additum verba circumscribuntur, ita tamen, ut rei effectus etiam significetur; ita *haec ego vasta dabo* 9, 323, quo loco non propter metrum talia poetam conatum esse apparet; *te mea dextera defensum dabit* 12, 437; *placata venti dant maria* 3, 70. Huc pertinet amata Vglio formula: *haec ubi dicta dedit* 6, 628. 7, 323. 471. etc. Alia apud Plautum, ut *perfectum, factum, curatum dare,* apud Terentium *exornatum, incensum dare;* etiam apud historiarum scriptores ut ap. Sall. Iug. 59 *victos dare* et Liv. 8, 6: *stratas legiones Latinorum dabo.* Nonnulla in orationis usum transiere, ut *responsum, consultum dare.*

64. *Supplex* indicat, quantum de superbia sua remittat, ut quod petit assequatur.

65—74. Iuno ab Aeolo petit auxilium.

65. „Rhetoricum est in omni petitione hoc observare, ut possit praestare qui petitur, ut sit possibilitas, ut res sit iusta quae petitur, ut habeat modum petitio, ut sequatur remuneratio. Et sciendum est secundum hunc ordinem omnes petitiones formare Vglium" S. — *Namque, nam, enim,* ut Graecum γὰρ, praecipue apud Herodotum, cum suo enuntiato praecedit id, cuius causam continet (ubi particulae ὅτι, *quod (weil),* locum habere solent); sic *namque* 10, 19, *nam* 730. 3, 374, *enim* 199. 4, 105 legitur. Indicatur eo modo commotus animus, qui earum rerum, quas agit, iam antequam dixit, reddere cupit rationem. — *divom p. a. h. r.* idem 10, 743. Contra Homericum est πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

66. *dedit. Dare* verbum cum infinitivo iunctum apud poetas eadem est significatione, qua concedere, permittere. Infinitivus obiectum est, quod datur; nihil autem impedit, quominus is infinitivus ipse casum regat: Cf. Gr. § 425, An. 4 et 6. Ita saepissime ut 3, 77. 5, 572. 6, 697. 9, 173. 10, 61. 235. Hor. Ep. 1, 16, 61: *Da mihi fallere* A. P. 323 *Graiis dedit ore rotundo Musa loqui.* Ov. M. 5, 444. 12, 556 *Cui posse figuras sumere quas vellet dederat.* Ita etiam passivum 3, 7. Ov. M. 1, 307. (Sic Plinius Ep. 1, 10. *datur cernere*). Simile est Graecum δῶκεν ἄγειν H. Il. 1, 348. λεῖπε φορῆναι 1, 107. Neque inusitatum est *donare* eadem structura positum, cf. 5, 262, et contrarium *sumere* ut Hor. C. 1, 12, 2 *Quem virum sumis celebrare Clio?* Quodsi his locis omnibus infinitivus potest haberi accusativus vel obiectum, sunt tamen alii, in quibus finis et intentio apertius indicatur, quae in multis locis, qui allati sunt, latet, cf. v. 319 *dederatque comam diffundere ventis.* Magis etiam ap. Hor. C. 1, 26, 1: *Tristitiam tradam in mare Creticum portare ventis,* i. e. ut portent. Atque ita videmus poetas sensim audere maiora, ita ut ad Graeci infinitivi normam, qui gerundii et supini significationes complectitur, utantur suo. Hic autem usus poetarum, ut fere ubique demonstrari licet, initium cepit ab usitata scriptorum formula, ut apud Livium 40, 47 legis: *bibere sibi iuberet dari,* et ap. Cic. Tusc. 1, 26: *ut Iovi bibere ministraret.* — *Mulcere,* i. e. delinire, mitigare ut v. 197 *Mulcere fluctus vento* quid sit cf. 3, 70.

67. *Gens inimica.* Statim Iuno irritata sententiam suam prodit caussamque petitionis suae, sed cauta utitur voce ambigua *inimica,* quam Aeolus intelligit adversantem Iunoni, quum significet etiam Iunonem adversari Troianis. — *Navigat aequor.* De accusativo cf. 5, 235.

Ilium in Italiam portans victosque Penates:
Incute vim ventis submersasque obrue puppes,
Aut age diversos et disiice corpora ponto.
Sunt mihi bis septem praestanti corpore Nymphae,
Quarum quae forma pulcherrima Deiopea,
Connubio iungam stabili propriamque dicabo,
Omnis ut tecum meritis pro talibus annos
Exigat et pulchra faciat te prole parentem.
Aeolus haec contra: Tuus, o regina, quid optes,
Explorare labor; mihi iussa capessere fas est.
Tu mihi, quodcunque hoc regni, tu sceptra Iovemque

68. Ad rem cf. 8, 12. Ov. Fast. 4, 251 *Quum Troiam Aeneas Italos portaret in agros.* M. 3, 538 *Qui longa per aequora vecti, hac Tyron, hac profugos posuistis sede Penates.* Hor. C. 4, 4, 53. — De Penatibus cf. 3, 12. Victi sunt dii, qui sedem suam non potuerunt ab interitu defendere; ita 2, 320. 8, 11.

69. *Incute vim ventis* i. e. adde violentiam ventis, exaspera ventorum animos; ita Ennius: *dictis Romanis incutit iram.* *OR.* explicat inc. vim ventis (abl.) sc. puppibus (dat.). — *submersas obrue;* submerge et obrue cf. 4, 22.

70. *age diversos*, dissipa; ita *transversum agere* aliquem est *pervertere* Sall. Iug. 6. 14.

71. *bis septem.* Simili modo poetae saepius numeros maiores circumscribere coguntur ob metri necessitatem, et quaerunt eos numeros, qui arcanam aliquam vim habent ut v. 272. 381. 393. 9, 272. 11, 9. 12, 899. — Ut hoc loco Nympham, sic Gratiarum unam Iuno promittit Somno Hom. Il. 14, 268. Nymphae comites sunt et famulae dearum. — *praestanti corpore* ut v. 166. 190. 313. 3, 13. 427. 538. 618. 688. 5, 372. 7, 783. 9, 50. 12, 218, alibi, est ablativus modi cf. Gr. § 331.

72. *Quae pulcherrima* pro breviore *pulcherrimam* non tantum metro cogente quaesitum est, sed ut magis extollatur nymphae pulchritudo. — *Deiopea*, MR. Serv. *Deiopeam*, Edd.

73. Item v. 4, 126. Pronuntiandum esse *connūbjo* docet § 13. „*Connubium est uxoris iure ducendae facultas*" Ulpian Tit. V. 14. p. 19 ed. Hugo; deinde ipsum est coniugium optimo iure, ex quo procreati liberi optima fruuntur civitate. Honestum igitur nomen connubii, cf. 3, 319. 4, 668. 316. Ov. M. 1, 490. 11, 226. — *propriam*, et inde perpetuam, cf. 3, 85. 6, 872. Nep. Thras. 4 *Parva munera diutina, locupletia non propria esse consueverunt.* C. Man. 16 *Quod ut illi proprium ac perpetuum sit, optare debetis.* — *dicabo* „Plus est dico quam do, dicatur perpetuo, datur ad tempus," Don. Ter. Phorm. 1, 2, 11.

75. Cf. Plin. H. N. 7, 43: *in quibus quaerendis sapientes aetatem exigerent.*

76—123. Tempestate coorta Troiani per mare disiiciuntur.

Nihil ad promissa Aeolus respondet, sed etiamsi dono maxime movetur, iusso tamen obedire se fingit omnemque facti culpam a se removet, quae inferiorum si ad facinus aliquod a potentioribus excitantur solet esse ratio. Non recte igitur propter illud Iunonis promissum reprehensus est Vgl. a *Wdnero* et *Ld.* quod sine caussa promitteret et ne Aeolus quidem ad id attenderet, sc. ut Vgl. nihil spectasse videretur aliud quam ut Homerum imitaretur. — Praeterea Aeolus quae a Iove acceperat v. 65. 66, Iunoni se debere confessus est, ut memor videretur beneficii, non cupidus. Ad rem cf. C. ND. 2, 26.

76. *o regina.* „Inferioris personae reverentia est maiorem meritis appellare, non nomine. Contra maioris est minorem nomine tantum vocare" S. cf. 65. — *Explorare quid optes*, i. e. recte secusne id fiat, quod vis fieri, tuum est.

77. Cf. Plaut. Trin. 2, 2, 9: *si mea imperia capesses;* est studio exsequi.

78. *sceptra Iovemque concilias.* De hoc usu praesentis vide 4, 228. Tu conciliasti mihi a Iove sceptrum, i. e. potentiam meam (cf. 253.) ipsumque mihi reddis propitium. *Conciliare aliquid alicui* et *alicui aliquem* recte dicitur, cf. Liv. 36, 11 *gentem regi conciliabat.* Verba autem nonnunquam assumunt duo obiecta, diversa ratione explicanda ut 2, 258 *Danaos et claustra laxat Sinon*, cf. 255. 426. 2, 654. 4, 695. 6, 70. 484. 10, 71. Tib. 3, 3, 21 *Non opibus mentes hominum curaeque levantur.*

Concilias, tu das epulis accumbere divom,
Nimborumque facis tempestatumque potentem.
    Haec ubi dicta, cavum conversa cuspide montem
Impulit in latus: ac venti, velut agmine facto,
Qua data porta, ruunt et terras turbine perflant,
Incubuere mari totumque a sedibus imis
Una Eurusque Notusque ruunt creberque procellis
Africus et vastos volvunt ad litora fluctus.
Insequitur clamorque virum stridorque rudentum.
Eripiunt subito nubes caelumque diemque
Teucrorum ex oculis: ponto nox incubat atra.
Intonuere poli et crebris micat ignibus aether
Praesentemque viris intentant omnia mortem.
Extemplo Aeneae solvuntur frigore membra;
Ingemit et, duplices tendens ad sidera palmas,
Talia voce refert: O terque quaterque beati,
Quis ante ora patrum Troiae sub moenibus altis
Contigit oppetere! o Danaum fortissime gentis,
Tydide, mene Iliacis occumbere campis
Non potuisse tuaque animam hanc effundere dextra,

79. *Epulis deum* non accumbunt, nisi in deos relati; ita E. 4, 63. Poetae enim signum rei conspicuum pro re ipsa ponunt.

80. Nota dei potestatem, qui simul atque attingit montem, aperit claustra, quae venti, qui maria ac terras caelumque secum ferunt (v. 58), frustra tentant effringere. *Ld.* sumit totum (!) ab Aeolo montem revelli, ut venti exire possint. Sed opus non est tanto molimine, satis est, quod uno sceptri impulsu claustra simul omnia aperiuntur. Sic *datur porta*, quae nulla est toto monte, in quo sunt venti, inverso.

85. *Ruunt* activum est 35. 11, 211. G. 1, 105. 2, 308 et apud alios. Intransitivum est ut h. l. 5, 695. cf. 104. — Summam autem oriri opinabantur tempestatem, si omnes inter se venti confligerent, ita 2, 419. Stat. Theb. 1, 349 sq. Hom. Od. 5, 292 sq. *πάσας ὀρόθυνεν ἀέλλας παντοίων ἀνέμων*. Aliquos autem ventos dixisse poeta contentus est, nihil curans, quis potissimum ventus naves ad Libyam deferat, omittit enim dicere Aquilonem. — *Creber procellis* i. e. crebris procellis, cf. 7, 483 *cornibus ingens*. Africus procellosus est in mari mediterraneo. Tempestates describi invenies 3, 192 al.

87. Cf. Ov. M. 11, 495 *Sonant clamore viri, stridore rudentes.*

89. Ad verba cf. Lucr. 1, 219 *ex oculis res quaeque repente erepta.* Ad rem cf. 3, 192 sq. Ov. Fast. 2, 493: *Sol fugit et removent subeuntia nubila caelum.* Od. 5, 293: *σὺν δὲ νεφέεσσι κάλυψε γαῖαν ὁμοῦ καὶ πόντον· ὀρώρει δ' οὐρανόθεν νύξ.* 9, 66. sq. *Póntó nóx incubat átra.* Haec verba et ictu et vocalibus rem signant.

90. *Poli*, caelum, cf. 608. Il. 251; saepissime apud alios poetas. — *micat.* Cf. Ov. Tr. 1, 2, 45: *Celeri micuerunt nubila flamma.* De voce *micare* 10, 396.

91. *intentant.* Similiter dixit Catull. 64, 187 *ostentant omnia letum*, cf. Od. 5, 297 *καὶ τὸτ' Ὀδυσσῆος λύτο γούνατα καὶ φίλον ἦτορ* — Horrorem apud Virgilium variis modis descriptum vide 3, 30.

93. Cf. 9, 16: *Duplices ad sidera palmas sustulit;* ita *duplices* dixit manus 7, 139. 10, 667. *Palmas* cf. 5, 233.

94. Cf. Od. 5, 306: *Τρισμάκαρες Δαναοὶ καὶ τετράκις, οἳ τότ' ὄλοντο Τροίῃ ἐν εὐρείῃ.* Sic terque quaterque 4, 589.

96. *Oppetere* ita 12, 543. 640. Tac. A. 2, 24. Plin. H. N. 10, 3. Primus videtur dixisse Vgl. pro *oppetere mortem.* Est autem oblatam mortem fortiter excipere.

97. Diomedes, Tydei filius, Graecorum fortissimus, (H. Il. 6, 98.) interfecit Aeneam, (H. Il. 5, 239.) nisi Venus hunc surripuisset. — *mene* cf. 37. — *Animam effundere* dixit Vgl. ut Cic. Ph. 14, 12 *extremum spiritum effundere.*

98. *Saevus* in laudem dicitur bellatoris 12, 107. Hor. C. 2, 12, 5. Ov. M. 13, 177. — *Sarpedon* Iovis et Laoda-

Saevus ubi Aeacidae telo iacet Hector, ubi ingens
Sarpedon, ubi tot Simois correpta sub undis
Scuta virum galeasque et fortia corpora volvit.
Talia iactanti stridens Aquilone procella
Velum adversa ferit fluctusque ad sidera tollit.
Franguntur remi; tum prora avertit, et undis
Dat latus: insequitur cumulo praeruptus aquae mons.
Hi summo in fluctu pendent; his unda dehiscens
Terram inter fluctus aperit; furit aestus arenis.
Tres Notus abreptas in saxa latentia torquet —
Saxa vocant Itali, mediis quae in fluctibus, Aras —

miae filius, dux Lyciorum, Troianorum socius et virtute egregius et corporis praestans magnitudine, occisus est a Patroclo. Sed neglexit Virgilius quod Homerus tradit corpus eius a sociis in Lyciam esse reportatum. cf. H. Il. 16, 454. Quod ne Virgilius fecisse videatur *Nck.* *iacet* de occiso intelligit non de sepulto, ut *iacet* sit pro praeterito cf. 4, 228. At id fieri nequit.

100. De Simoente, cf. H. Il. 12, 22.

101. Idem paene versus legitur 8, 539. De tali repetitione cf. 4, 528. Sententia autem haec: Utinam interissem aut cum iis quibuscum mori honestum erat, aut cum multis, quibuscum mori non erat singulare infortunium.

102. *Iactare*, ita 2, 768 *voces iactare per umbras.* Dativum explica: quum talia iactaret, cf. v. 266. 2, 713: *Est urbe egressis tumulus templumque vetustum (wenn man herauskommt vor die Stadt).* Elegans hic in tempore signando dativus cf. Gr. § 280. Paene expressi Homeri versus sunt Od. 5, 313 sq., quos conferas.

103. *Stridens procella adversa.* De *procella* cum duplici adiectivo ad subiectum altero, altero ad praedicatum adiuncto cf. 3, 70. Procella aquilone excitata et adversa (ex adverso) veniens, stridens velum ferit, i. e. scindit, *zerreisst*, ut 4, 580 *strictoque ferit retinacula ferro*; et frangit remos et proram invertit, ita ut iam navis latus undis opponatur, unde facilius pervertitur.

104. *proram avertit My.* al. scil. *procella*. Itaque ad vocem *dat latus* supplendus est genitivus *prorae* et post *franguntur remi* redeundum ad *procellam*, quod incongruum est. Sed *prora avertit* R. et Serv.; qui explicat „avertit pro avertitur.“ Avertit autem est ut nostrum *umkehren*, *umwenden*, et transitivum et intransitivum. Multa autem verba et apud nos et apud Romanos etiam intransitiva habentur, quum sint transitiva. In lingua Latina maxime verba sunt motum significantia: Sil. 11, 250 *strepituque moventum* (sc. pedes) *murmurat alta domus;* ita Liv. 23, 1. Flor. 2, 6. et 8 *movent* (sc. castra) nos: *Sie brechen auf.* Apud Vgium sunt intransitiva: *vertere* 3, 365. *avertere* 1, 406. (*revertere* usitatissimum) *volvere* 1, 234. G. 1, 163. *volutare* 3, 607. *deflectere* 10, 331. *praecipitare* 2, 9. 4, 251. 11, 617. *affectare* 3, 670. *ferre* 2, 34. *insinuare* 5, 185. *oppetere* 1, 96. 12, 543. 640. *sternere* 8, 719. *rotare* 10, 362. *proripere* 5, 741. *eripere* 3, 560. *ponere* 5, 681. 7, 27. 75. 10, 103. *sistere* 3, 7. *tardare* 10, 856. *iungere* 10, 240. *accingere* 2, 235. *agglomerare* 2, 339. *ingeminare* 4, 529. 5, 227. G. 1, 333. *turbare* 5, 800. *inundare* 10, 24. *accendere* 12, 560, cf. Gr. § 140, 5.

105. *Dat latus*, „inclinatur“ (S.) navis ita ut latus fluctibus opponat. — *Praeruptus* (cf. v. 246) *aquae mons* est in praeceps abruptus, ut solent esse montes et saxa. — *Insequitur cumulo* ut 2, 498: *amnis fertur in arva furens cumulo.* Ventum aliquanto tardius unda ab eo commota subsequitur; ipso autem versus sono audimus fluctus intumescentes.

106. *hi — his* cf. 9, 572. Sic *pendere naves* saepius dicuntur, cf. 10, 303. — *dehiscens* „valde hiscens. *De* enim augentis est, ut in Terentio (Heaut. 4, 6, 21.) *Deamo te Syre*“ S. cf. 4, 52 *desaevio* 1, 157 *defessus.*

107. *Arenae* quae in maris fundo sunt, non quae in litore; ita 3, 557. 4, 297. cf. 6, 297. Ov. M. 11, 499: *Fulvas ex imo verrit arenas.*

109. Quid sit *dorsum*, invenies ad 10, 303. — *Arae* dicebantur insulae Aegimuri, cf. Plin. H. N. 5, 7. Liv. 30, 24. adversae Carthagini ab eaque 230 stadiis remotae, nunc *Zowamoore* et *Zimbra* dictae; sed e Servii annotatione, qui

Dorsum immane mari summo: tres Eurus ab alto
In brevia et Syrtes urguet, miserabile visu,
Inliditque vadis atque aggere cingit arenae.
Unam, quae Lycios fidumque vehebat Oronten,
Ipsius ante oculos ingens a vertice pontus
In puppim ferit: excutitur pronusque magister
Volvitur in caput; ast illam ter fluctus ibidem
Torquet agens circum et rapidus vorat aequore vertex.
Adparent rari nantes in gurgite vasto,
Arma virum tabulaeque et Troia gaza per undas.
Iam validam Ilionei navem, iam fortis Achatae,
Et qua vectus Abas, et qua grandaevus Aletes,
Vicit hiemps: laxis laterum compagibus omnes
Accipiunt inimicum imbrem, rimisque fatiscunt.

diversis locis aras memorat, videtur apparere, talia dorsa omnino aras esse dicta. Totum illud mare naufragiis infame est, quae bello Punico primo fecere Romani. — *Mare summum* (cf. 147 et 5, 819 *summa aequora*) est maris superficies, cf. Cic. Fin. 4, 23, 64: *Quis enim ignorat, si plures ex alto emergere velint, propius fore eos quidem ad respirandum, qui summam aquam appropinquant* etc. Adde quae ad 7, 61.

111. *Brevia*, sunt loca vadosa (*Untiefen*), ut *brevia vada* legitur 221 et apud Tac. An. 1, 70 *Neque discerni poterant incerta a solidis, brevia a profundis.* — *Syrtes* (*Sandbänke*), nomen est appellativum; Syrtes enim illae infames (cf. 4, 41) non eo in loco sunt, quo haec res agi fingitur. Itaque aut in saxa mari tecta torquentur, ut naufragia faciant, aut intra syrtes implicantur et arenae circumdantur aggeribus, unde nequeunt exire. — *miserabile visu:* idem 9, 465. De exclamationibus orationi insertis cf. 7, 73.

113. *Lycios.* „Hi Troiae ad auxilium venerant, qui mortuo rege Pandaro Aeneam secuti sunt" S. Pandari frater Eurytion est cum Aenea 5, 495. — *Oronten* graeca forma etiam apud scriptores recepta est cf. Gr. § 94, 4.

114. *a vertice* i. e. desuper, cf. G. 2, 310: *Tempestas a vertice silvis incubuit* et A. 5, 444.

116. *magister*, gubernator: ita 5, 176. 867. — Pro *illam OR.* coni. *aliam* contra libros et contra sententiam.

117. „*Vertex* dicitur circumacta in se unda et quae quasi sorbere videatur" S. (*Strudel*); ita G. 3, 241. — *vertex* M. ubique — *vortex* R. cf. Gr. § 19.

118. Nota huius versus post concitatissimos sedatum incessum. — *rari.* Submersa navi pauci extolluntur ex gurgitis vastitate, ut nando se servent; simul res quae in navi inerant circumferuntur.

119. *Arma virum* sunt scuta imprimis, cf. 474. 10, 841. Liv. 1, 37 *Multi in flumine ipso periere, quorum fluitantia arma ad urbem cognita in Tiberi.* „Bene addidit *virum;* arma enim dicuntur cunctarum artium instrumenta ut (177) *Cerealiaque arma;* item (5, 15.) *Colligere arma iubet.* (quae sunt vela ut 6, 353. Ita classis armatur 4, 229, i. e. remis velisque instruitur.) Item et alio loco (G. 1, 160.) *Dicendum et quae sint duris agrestibus arma*" S. *quis sine nec potuere seri nec surgere messes*, et 12, 6 *movet arma leo;* cf. 2, 99. Prop. 3, 20, 27 *Persequar aut studium linguae, Demosthenis arma.* Cic. CM. 3, 9 *Sunt arma senectutis artes exercitationesque virtutum.* — *Gaza* „opes, omne quod possidemus" S. cf. 5, 40 *gaza laetus agresti;* ne ubique gazam putes ingens aurum significare, quantum Persarum regibus fuit.

120. *Achatae* in libris est, *Achati* Charisius dicit Plinium docuisse non ita scripsisse Virgilium sed scribere debuisse. Neque enim ex Charisii verbis potest demonstrari aliud quam eam fuisse formam Plinio probabiliorem quam *Achatae.* Quare nolo cum *OR.*, aliis, Plinii opinionem aut Charisii errorem secutus omnium negligere Mssorum scripturam.

121. *vectus* cf. 5, 113.

122. *Hiems*, omnis tempestas; ita 125. 196. etc.; hiems enim, qualis in Italia est, intelligitur.

123. *Imbrem* aquam marinam iam dixit Ennius, nam „imber humor omnis;" ita Lucr. 1, 716: *ex igni terra atque anima procrescere et imbri.* G. 4, 115 et Stat. Theb. 3, 123 *atros imbres* dixit

Interea magno misceri murmure pontum
Emissamque hiemem sensit Neptunus et imis
Stagna refusa vadis, graviter commotus, et alto
Prospiciens summa placidum caput extulit unda.
Disiectam Aeneae toto videt aequore classem,
Fluctibus oppressos Troas caelique ruina.
Nec latuere doli fratrem Iunonis et irae.
Eurum ad se Zephyrumque vocat, dehinc talia fatur:
Tantane vos generis tenuit fiducia vestri?
Iam caelum terramque meo sine numine, Venti,
Miscere et tantas audetis tollere moles?
Quos ego! sed motos praestat componere fluctus;

lacrimas. — *rimisque fatiscunt.* Solvuntur, ut rimas agant, ita *fatiscere* 9, 809. G. 1, 180. 2, 249. De re vid. Ov. M. 11, 515 *Rima patet praebetque viam letalibus undis.*

124—156. Neptunus Troianos ab interitu servat.

124. Paene idem versus est 4, 160. Confer autem totum hunc locum cum Ov. M. 1, 330 sq., et quomodo hi poetae eadem in re quam describunt differant, expende. Neptunus in imo mari habitat.

125. *Sensit* hiemem esse excitatam, *graviterque commotus*, quod in suo regno alius quis turbas movisset, extulit caput suum in altum prospiciens, quae esset caussa. Nota sedatum perfecti genus post multa praesentia; ita autem iunge: *sensit miscere et esse emissam h. et refusa stagna*, quae parum accurate et h. l. et 10, 765 explicantur per *mare. Stagnum* est aqua profundo in loco collecta, inde recte *stagna refusa vadis imis* sunt, quae ad summum mare feruntur; et in eo intelligitur tempestatis vehementia, quod aqua in maris fundo, vel quae est in maris cavernis et fossis, extollitur.

126. Rei novitate percussus, *placidus* tamen est, quod sua fisus potestate certus est placaturum se ventos et hiemem. Vide 255. — Idem fere v. G. 4, 351.

128. *Disiectam* classem esse id est, quod primum videt, dein factum id esse caeli ruina. Itaque cognoscit dolos Iunonis, quum ex regno suo (aëre) in fratris (mare) irruerit et id, ut iram suam exerceret in Troianos. Minime igitur invehitur in ipsam Iunonem, sororem et pari potentia deam, sed eos castigat, qui illius iussu turbas fecerunt. Id non dicitur, sed indicatur asyndeto.

129. *fluctibus oppressos.* Ita de igne Liv. 30, 6 *Quos non oppressit ignis, ferro absumpti.* — *caeli ruina* (*des Himmels Einsturz*), i. e. procella et imbribus; ita Sil. 1, 251 et Val. Flacc. 8, 334 *poli ruina*, cf. G. 1, 324 *ruit arduus aether*, et Bastarnae grandine et fulminibus petiti *caelum in se ruere aiebant* Liv. 40, 58. *Ruina* autem ap. Cic. est substantivum abstractum; ita h. l. et 3, 414. 571. Lucr. 6, 155 *grandinis ruina.* Post Livium tandem idem est quod *rudera*, *reliquiae.*

130. *latuere.* De huius verbi structura cf. Gr. § 297.

131. Eurum et Zephyrum pro toto ventorum agmine posuit. Cf. v. 85.

132. *generis* „Astraeus enim, unus de Titanibus, qui contra deos arma sumpserunt, cum Aurora concubuit, unde nati sunt venti secundum Hesiodum (Theog. 278). Et hoc loco *fiduciam* pro *confidentia* posuit, quum fiducia in bonis rebus sit, confidentia in malis" S.

133. *meo sine numine* i. e. voluntate cf. 8.

134. *Caelum miscere* i. e. perturbare in proverbium abiit, cf. Liv. 4, 3: *Quid tandem est, cur caelum ac terras misceant?* — *Moles.* sc. maris, ita Sil. 14, 123 dixit *maris moles.*

135. *Quos ego*, sc. gravissima poena afficiam; aposiopesis est quae magnum aliquid exspectare iubet, quod vultu et manibus indicatur. Cf. Ter. Eun. 5, 5, 19 *Ego te furcifer, si vivo, sed istud, quidquid est, primum expedi!* Fuerunt qui pro *quos* substituerent *vos*, sed non alloquitur eos, quod apparet etiam ex *praestat*, sed secum colloquitur, idque ipsum *Nck.* signum iudicavit esse quo demonstraretur admodum sperni ventos a Neptuno, qui tamen statim eos alloquitur! Sequitur, ut relativum recte pro secunda persona poni concedamus, rem notam et a *Pl.* ad h. l. exemplis probatam Ov. Her. 12, 207. Sil. 9, 55. — *componere fluctus*, sedare; ita 12, 109 *componere bellum.* Lucan. 1, 297 *componere tu-*

Post mihi non simili poena commissa luetis.
Maturate fugam, regique haec dicite vestro:
Non illi imperium pelagi saevumque tridentem,
Sed mihi sorte datum. Tenet ille immania saxa,
Vestras, Eure, domos; illa se iactet in aula
Aeolus et clauso ventorum carcere regnet.
Sic ait, et dicto citius tumida aequora placat,
Collectasque fugat nubes, solemque reducit.
Cymothoe simul et Triton adnixus acuto
Detrudunt naves scopulo: levat ipse tridenti;
Et vastas aperit syrtes et temperat aequor;
Atque rotis summas levibus perlabitur undas.
Ac veluti magno in populo quum saepe coorta est
Seditio, saevitque animis ignobile volgus;
Iamque faces et saxa volant, furor arma ministrat:
Tum, pietate gravem ac meritis si forte virum quem
Conspexere, silent arrectisque auribus adstant;
Ille regit dictis animos et pectora mulcet:
Sic cunctus pelagi cecidit fragor, aequora postquam

multum. — Cf. v. 249. — Postea gravem poenam dabitis, si iterum tale quid commiseritis. *Mei peccati luo poenas* C. Att. 3, 9.

138. *sorte.* Hoc verbo videtur illam innuere sortitionem de mundo inter Iovem, Neptunum, Plutonem factam, cf. H. Il. 15, 187.

140. *vestras Eure domos.* Si plures alloquimur, nonnunquam unum nominamus; ita ap. Vglium 9, 258. 525. 10, 188. 11, 686. cf. Gr. § 241. — *Aulam* dici antrum non mirabere, quando 8, 242 speluncam Caci *regiam* dici legeris. „*Aula* autem vocabulo irridetur Aeolus, sequitur enim *carcere;* et nihil tam contrarium, si simpliciter intelligamus." S. Aeolo regnum est clausi carceris, quare ei ventos non licet emittere in mare.

144. *simul-et* 5, 298. 8, 182. 12, 326. Liv. 6, 40 al. — *simul-que* 7, 340. 9, 358. 11, 294. 834. — *simul-simul* 1, 513. — *una-et* 11, 863. — *Triton*, Neptuni et Amphitrites (Salaciae) filius; eius forma 10, 209. — *Cymothoe* una Nereidum. „Nomina deorum [marinorum] plerumque de caussis fiunt ficta ab elementis, quae nomina dici voluere maiores, ut Cymothoe i. e. cursus fluctuum, *ἀπὸ τοῦ θέειν τὸ κῦμα.* — „*Annixus* antiquum est, ut *connixus*, quibus hodie non utimur, dicimus enim *annisus*" S. cf. Gr. § 189.

145. Pertinet ad v. 108.

146. Pertinet ad v. 110 sq.

147. *summas undas*, cf. v. 110.

148. „Vgl. tempestati populi motum comparat. Tullius populo tempestatem, pro Milone (c. 2.): *Equidem ceteras tempestates et procellas in illis dumtaxat fluctibus contionum*" S. Ita ap. Hom. Il. 2, 144 et Sil. 7, 253 sq. inversa est comparatio. *Ac veluti quum* cf. 4, 402. — *magno.* Inde maior strepitus et maior auctoritas eius, qui deprimit — *Saepe* in comparatione potest locum habere, quum quod comparatur, notum et inde saepius factum esse oporteat. Ita 5, 273. 527. 9, 723. *Ld.* jungit *quum saepe* = *quotiens.* Sic dicitur quotiescunque vulgus saeviat, toties adesse virum gravem, qui comprimat. Quod utinam fieret.

149. *Animis* sedes indicatur saevitiae. Pluralis dicitur, quod *vulgus* est collectivum. Sed cf. 2, 386.

150. Ut hoc loco *faces* volantes, sic in tumultu memorantur a Cicerone *coniecti ignes* ad Att. 4, 3, 2, cf. § 6 *ut alios cum accensis facibus adduxerit* et Tac. 14, 45 *conglobata multitudine, saxa et faces minitante.*

151. *Gravitas* dicitur de honore et auctoritate, qua quis fruitur, cf. Cic. de or. 2, 37. Brut. 71. *gravem* „venerabilem, unde et contemptibiles *leves* dicimus" S.

152. *arrectis auribus* cf. 2, 173. 206. 303. *arrige aures* Ter. Andr. 5, 4, 30. Adrigere enim est advertere, attendere; cf. Sall. Iug. 68, 4. *praedam benigne ostentat; ita animis eorum arrectis.* 84, 4. eos *arrexerat*, i. e. attentos et alacres reddiderat, cf. v. 579. 5, 643. — *adstant da stehn* cf. 3, 123.

Prospiciens genitor caeloque invectus aperto
Flectit equos curruque volans dat lora secundo.
  Defessi Aeneadae quae proxima litora cursu
Contendunt petere, et Libyae vertuntur ad oras.
Est in secessu longo locus: insula portum
Efficit obiectu laterum, quibus omnis ab alto
Frangitur inque sinus scindit sese unda reductos.
Hinc atque hinc vastae rupes geminique minantur

155. *Genitor* Neptunus dicitur ut 5, 817, et *genitor profundi* Ov. Met. 11, 202 et Stat. Achill. 1, 61 *o magni genitor rectorque profundi.* Sed omnino Neptunus genitor et pater (5, 14) vocatur, ut dii omnes patres dicuntur, quo nomine homines eos venerantur. Ita in Aeneide Mars, Apollo, Tiberinus eo nomine invocantur. — *caelo aperto* abl. temporis (*bei freiem Himmel*); nubibus non obducto, sereno. Vide 5, 212. — *Invectus* (*von feierlicher Auffahrt*), ita Aurora 12, 277, Caesar triumpho invehitur 8, 714. — Equi Neptuni memorantur etiam 5, 817. Il. 13, 23. — *curru secundo*, i. e. celeri vel eo, qui facile equos sequitur, significatque idem quod 147 est *levibus rotis. Wg.* dativum esse sumit et iungit *lora dare currui. Lora dare* est remittere. Itaque currus cuperet volare! — *cecidit-postquam flectit.* Praesens historicum quum sit pro perfecto, licet etiam cum particula *postquam* iungere, sive in enuntiato perfectum est, ut h. l. sive praesens historicum ut 12, 861. *postquam videt — fert.* cf. Gr. § 464, An. 3.

157 — 179. Troiani ad terram sibi incognitam appellunt.

157. *defessi* (*ganz erschöpft*, cf. 106) sunt tempestate; quare cursu litus petunt. — *Aeneadae* vocabulo iam usus est Lucretius 1, 1. sed notandum, quod Aeneadas dicit Vgl. non eos, qui ab Aenea originem ducunt, ut 8, 648, sed qui eo utuntur duce et imperatore. Ita 568. 5, 108. 7, 284. 334. 616 alibi.

159. „*Est in secessu.* Topothesia est, i. e. fictus secundum poeticam licentiam locus. Ne autem videatur penitus a veritate descedere, Hispaniensis Carthaginis (quae est hodie Carthagena) portum describit. Ceterum hunc locum nusquam in Africa esse constat, nec incongrue propter nominis similitudinem posuit.“ S. Extremis verbis excusat Servius poetam; sed errat ipse, neque enim in rebus geographicis Vglio erat fingendi locus cf. 3, 6. Ac Schaw Anglus locum, qualem describit Vgl., invenisse sibi visus est inter promontorium Mercurii (*Cap Bon*) et Apollinis (*Cap Zibel*) prope antiquam urbem Aquilariam, de qua Caes. B. C. 2, 23. Quare non cum Servio et Macrobio aliisque de Odyss. 13, 96. surreptam dicemus hanc portus descriptionem. Alium locum et Vgli verbis magis congruum invenit Davis (*Karthago und seine Ueberreste. Aus d. Engl.* 1863) Propius Carthaginem portum esse, prope portum Cap Klamart, unde Aeneas prospexerit, haud procul a portu esse fontem dulcissimum, esse etiam nunc nemora umbrosa; monstrat Venus Carthaginem 365 ex monte Dschebel Khawi, sive *Katakombenhügel*, 4 m. angl. a Carth.; sed collis 419 *qui plurimus urbi imminet* est Sidi Bosaid, unde singula urbis poterant conspici. Hanc rem exposuit *Goebel Jhrb.* 1864 p. 658. — Mediam in terram recedit et se insinuat mare et obiecta insula, qua omnes undae franguntur, tutus efficitur portus, cf. 8, 193. *Insula portum efficit obiectu laterum.* Cf. Caes. B. C. 3, 112. *Haec* (Pharos) *insula obiecta Alexandriae portum efficit.* Proxime ad hunc locum accedit Solin. 7, 24. *Euboea insula laterum obiectu efficit Aulidis portum.* — De structura *obiectu laterum* cf. 677.

161. Similis locus G. 4, 420. — Franguntur undae et recedunt sensim dilatatis orbibus, undae enim repulsae in infinitam orbium multitudinem solvuntur. *Ab alto* frangitur (*vom hohen Meere her bricht sich die Welle*). Quare non aptum iungere *omnis ab alto unda* ad normam loci 7, 647.

162. *hinc atque hinc:* ex utraque parte; ita 4, 447. 8, 387. 12, 431 ex omni parte v. 500. 9, 380. 550. Imitati sunt Stat. Silv. 2, 2, 4. Mart. 10, 83. 1. non scriptores. quamquam *hinc — hinc* receperunt inde a Livio. *huc atque huc* 11, 601. 12. 558. — *Gemini* duo scopuli dicuntur, quod proxime inter se iunguntur, cf. *gemini dracones* 2, 203. *sunt geminae somni portae* 4. 894. *geminae cristae* 6, 780. *geminas acies* = oculos 6, 789. — *minantur*, sc. altitudine. Simile ap. Sil. 4, 2 *Nubiferos montes et saxa minantia caelo* = in caelum. cf.

In caelum scopuli, quorum sub vertice late
Aequora tuta silent: tum silvis scena coruscis
Desuper, horrentique atrum nemus imminet umbra.
Fronte sub adversa scopulis pendentibus antrum;
Intus aquae dulces vivoque sedilia saxo,
Nympharum domus. Hic fessas non vincula naves
Ulla tenent, unco non alligat ancora morsu.
Huc septem Aeneas collectis navibus omni
Ex numero subit: ac magno telluris amore
Egressi optata potiuntur Troes arena
Et sale tabentes artus in litore ponunt.
Ac primum silici scintillam excudit Achates
Suscepitque ignem foliis atque arida circum
Nutrimenta dedit rapuitque in fomite flammam.
Tum Cererem corruptam undis Cerealiaque arma

4, 88 *murorum minas.* — Ad rem cf. 3, 533—36.

163. Intra illos scopulos portus est tutus, et mare silet, vento non commotum.

164. *Tum.* *ferner* cf. 8, 285. *Scena*, umbraculum vel camera ex arborum ramis et frondibus structa, cf. Ov. A. A. 1, 106 *Illic quas tulerant nemorosa Palatia frondes, simpliciter positae scena sine arte fuit.* — *silvis coruscis:* tremula luce micantibus, dum leni vento moventur, praesertim post pluviam. Itaque silva luce resplendet supra, sed ipsa ita densa est, ut solis lux penetrare nequeat, quare obscurum *(atrum)* est *nemus;* id autem pro *silva* dictum, ut varietur, ita Hor. C. 1, 21, 5.

165. *horrenti:* horrorem moventi; ita 319. Sic Pind. Pyth. 4, 81 *φρίσσοντας ὄμβρους* dixit et Vgl. G. 4, 468 *caligantem nigra formidine lucum.* cf. 3, 195. De voce *imminere* et *adversus*, cf. 420. — Hi versus explicantur iis, quae sunt v. 310. 11. — Scopulos *pendentes* etiam Statius dixit Silv. 2, 2, 16. et *pendula rupes* Claud. in Rufin. 2, 507. ut nostrates.

166. *Scopulis pendentibus antrum* facile explicabis post locum Lucretii 6. 195. *speluncasque velut saxis pendentibus structas.* Est autem ut *vivo sedilia saxo* ablativus materiae cf. 3, 618.

167. *Aquae* sunt fontes; ita rivuli ap. Hor. C. 3, 4, 8: *lucos, quos et aquae subeunt et aurae.* — *Vivo saxo* est non arte laborato; ita 3, 688. G. 2, 469 *vivi lacus.* Ov. F. 2, 315 *antra subit tophis laqueataque pumice viva.* M. 3, 159. 5. 317.

168. *Nympharum domus.* His duobus verbis omnia continentur, quae ad loci laudem dici poterant, et prudenter abstinuit ab antro multis verbis exornando, quod iam egregie fecit Homerus Od. 13, 103 sq. — *Unco morsu* non est hypallage, quae si dicitur ea esse forma loquendi, qua adiectivum a notione ad quam pertinet, ad eam ad quam non pertinet, referatur, plane est absurda. Si res, qua mordetur unca est, ipse morsus uncus dici potest, cf. 8, 526. Ancoras autem *suo* ex tempore poeta infert ut 6, 2, quum antiqui uterentur lapidibus perforatis Od. 9, 136. Nam in rebus publicis et domesticis Vgl. sequi solet morem Romanum; quare Romanis multo acceptius erat carmen, quam si antiquorum Graecorum ignotos iam aut contemptos mores esset imitatus.

171. „Tellurem pro terra posuit, quum Tellurem deam dicamus, terram elementum, ut plerumque ponimus Vulcanum pro igne [2, 311], Cererem pro frumento [1, 177], Liberum pro vino [1, 215]“ S. Martem pro bello v. 4. Iovem pro aere Hor. C. 1, 1, 25. Lares et Penates pro focis 1, 527. Venerem pro amore, Hymenaeum pro nuptiis 1, 651. Orcum pro locis inferis 2, 186 etc.

172. *potiri arena*, i. e. litore. Ita Ov. M. 11, 55. 12, 38. 13, 729, cf. 540. — *optata:* Post ea maris pericula quaevis terra optata est.

173. *Tabere* rarum nec nisi apud poetas est, usitatum *tabescere.*

174. Alia eiusdem rei descriptio est 6, 6. G. 1, 135. Scintillam excipit foliis aridis, addit alia arida et circumagendo efficit, ut incendantur et *folia* et *arida illa nutrimenta.* — *Rapuit* flammam in fomite latentem. „*Fomites* sunt assulae, quae ab arboribus cadunt, quando inciduntur“ S.

177. *Cerealia arma.* „Arma enim

Expediunt fessi rerum, frugesque receptas
Et torrere parant flammis et frangere saxo.
Aeneas scopulum interea conscendit et omnem
Prospectum late pelago petit, Anthea si quem
Iactatum vento videat Phrygiasque biremes,
Aut Capyn, aut celsis in puppibus arma Caici.
Navem in conspectu nullam, tres litore cervos
Prospicit errantes: hos tota armenta sequuntur
A tergo, et longum per valles pascitur agmen.
Constitit hic, arcumque manu celeresque sagittas
Corripuit, fidus quae tela gerebat Achates,
Ductoresque ipsos primum, capita alta ferentes

generaliter omnium rerum instrumenta dicuntur (cf. 119). Ergo hic propter carminis dignitatem refugiens vilia, rem vilem auxit honestate sermonis, ut alibi (G. 1, 391) ne lucernam diceret, ait: Testa cum ardente viderent scintillare oleum" S. Sic *notae* pro litteris 3, 444. *avis* pro mergo 4, 254 et pro ciconia G. 2, 320 dicitur et *Graeca testa* pro amphora H. C. 1, 20, 2. — *expediunt*, ita 702. 6, 219.

178. *fessi rerum:* cf. 14. — *fruges receptas*, recuperatas, ut quae iam maris esse videbantur, cf. 583 et 6, 111 *Patrem medio ex hoste recepi.* 6, 819 *fasces receptas.*

179. Cf. G. 1, 267 *Nunc torrete igni fruges, nunc frangite saxo.*

180—198. Troiani vires reficiunt.

Aeneas regio fungens munere vilibus negotiis non interest; cf. 6, 9.

181. *Pelago* dativus explicatur 5, 451, quid sit *pelagus* 5, 8. (*Er sucht sich eine Aussicht weit hin auf's Meer.*) — *si* cf. 578. — *Quis* indefinitum nomini proprio appositum est. *Ob er eine Spur von A. sehen könne.* Sic ap. Prop. 4, 11, 19 *si quis posita iudex sedet Aeacus urna.* Ov. Am. 1, 13, 39 *Si quem Cephalum complexa teneres.* Sen. Herc. Fur. 1323 *Quis Tanais aut quis Nilus aut quis Persica violentus Tigris aut Rhenus ferox.... abluere dextram poterit.* Ad *quis* cf. 10, 861. Noli autem iungere verba: *si quem*, *Anthea*, *Capyn* etc.; ut appositionis loco nomina propria addantur pronomini et signent qui ii sint quos quaerit; nam id si facis, ordinem turbant verba *Phrygiasque biremes*, et *quem* indefinitum post certissimum nomen Anthei inepto est loco. *Wd.* legere iubet *si qua.*

182. *Biremes* quas hoc loco dicit, facit triremes 5, 119. Satis fuit poetae significasse naves.

183. *arma Caici:* „Quia navigantium militum est puppibus arma religare" S. cf. 8, 91. 10, 80.

184. „Cervi non sunt in provincia proconsulari, ad quam venit Aeneas" S. „Possunt tunc fuisse, sed ut multis aliis locis variae mutationes factae" S. in cod. Fuld. Ita esse negant Herodotus, Aristoteles, teste Heynio, et Plin. H. N. 8, 51: *Cervos Africa propemodum sola non gignit.* Contra Vgl. etiam 4, 154 et Lucanus 9, 921 cervos esse in Africa memorant, nec minus ii, qui nostris temporibus eas regiones peragrarunt. Cf. 4, 73. 5, 37, quibus ex locis intelliges in talibus rebus Vglium non temere esse versatum. Sunt qui antiloparum aliquod genus cervis significari putent. — *errantes:* „pascentes, ut E. 2, 21 *Mille meae Siculis errant in montibus agnae.* Revera enim dum pascuntur vagantur" S. De *tris* et *tres* cf. Gr. 86, 4.

185. *A tergo sequi* abundantia est, cuius exempla ad 6, 751 exstant. — *tota armenta (ganze Rudel)* cf. 3, 220.

186. *Longum* agmen, multi igitur sunt cervi per vallem flexuosum (cf. 7, 98) pascentes.

187. *arcus*, *sagittas*, *quae tela.* Ita 7, 477 *locum*, *quo litore.* — De hac oppositione cf. Gr. § 250. — *que* consecutivum cf. Gr. § 480. — Achates est armiger Aeneae, ut apparet ex 10, 332. cf. 11, 32. — *Hic* ut *hinc* v. 194 *Nck.* vult esse temporale. — *Quae tela g. A.* delet *Pl. Rb. Gr.* sc. quod Aeneas „ipsa Venere mollior" (!) suas sagittas ferre nollet.

189. *Ferentes* significantius quam gerentes; cervi enim cornua sua, ut magnum ornatum, superbi ferre dicuntur, quod vel ex fabulis notum ei, qui nondum vidit.

Cornibus arboreis, sternit, tum volgus, et omnem
Miscet agens telis nemora inter frondea turbam:
Nec prius absistit, quam septem ingentia victor
Corpora fundat humi et numerum cum navibus aequet.
Hinc portum petit et socios partitur in omnes.
Vina bonus quae deinde cadis onerarat Acestes
Litore Trinacrio dederatque abeuntibus heros,
Dividit, et dictis maerentia pectora mulcet:
O socii, — neque enim ignari sumus ante malorum —
O passi graviora, dabit deus his quoque finem.
Vos et Scyllaeam rabiem penitusque sonantes
Accestis scopulos, vos et Cyclopia saxa
Experti revocate animos maestumque timorem
Mittite; forsan et haec olim meminisse iuvabit.

190. *Cornibus arboreis*, ut E. 7, 30 leguntur *ramosa cornua cervi*. De ablativo cf. 71.

191. *Miscet*, nam confusi inter se sternuntur cf. 10, 721. Nesciunt enim unde sagittae advolent. — *agens telis:* ita 4, 70 et G. 3, 412 *latratu turbabis agens*. — „*Frondea* pro frondosa posuit. Plerumque enim dum varietati declinationis student, mutant proprietatem; nam *frondeum* est totum de frondibus, ut torus, *frondosus* vero lucus; licet enim abundet frondibus, non tamen est de frondibus totus: ut saxeus: saxosus“ S. Cf. *florea rura* pro florida 430, nulla metri necessitate. Sic dicitur *spumeus Nereus* 2, 419. *spumea saxa* 7, 589. *lumina* (i. e. oculi) *flammea* 7, 448.

193. *septem* cf. 170. — *Humi* adverbium est ut *domi* et locum significat quo quid est; sed ut cum verbis ponendi iungi solet *in* et abl., sic etiam *humi* (Sic dicitur *fundere humi* h. l. et 5, 78. 6, 423. 11, 665. *sternere humi* 9, 754. 10, 697. *condere humi* cf. 10, 558.) apud Ovidium, Plinium, Tacitum. *Humo* indicat motum *de loco*, ut 3, 3. G. 2, 460. 3, 9. Quod legitur G. 4, 115 *ipse feraces figat humo plantas*, *humo* est dativus a *figat* pendens, cf. 226, ut est ap. Hor. Sat. 2, 2, 79. *humo affigere*.

195. De Aceste 5, 38. — *Bonus* benignus est; ita ap. Tib. 2, 4, 45: *At bona quae nec avara fuit, centum licet annos vixerit, ardentem flebitur ante rogum.* — *Deinde* non sua loco positum (cf. 5, 14), ad *dividit* pertinet. *Deinde bonus quae vina* coni. *Pl.* — *Onerarat cadis* pro *cados onerarat vino*, ita 8, 180 *onerantque canistris dona laboratae Cereris.* Alia verba structurae variatae cf. 6, 229.

198—204. Aeneas suos consolatur. Similis oratio Ulyssis Od. 12, 208. Teucri Hor. C. 1, 7, 21.

198. *enim*, cf. 65. — *Ante* ad *malorum* pertinet, ad normam Graeci τὰ πρὶν κακά.

200. „*penitus*, i. e. valde“ S. Melius iunges cum *accestis* cf. 12, 256. Sed *Wg.* explicat *innen tosend*, assentitur *Ld.:* „*bezeichnet die im Innern, daher (?) stark, weithin hallenden Felsen.*“ *In* penitus accestis *würde A. seinen Gefährten den Vorwurf der Unvorsichtigkeit oder der Tollkühnheit machen. (?)* Rem narrat 3, 555—67; quae a Cyclopibus passi sint v. 569—675.

201. *accestis:* de forma v. mtr. § 14. *Cyclopia saxa*, quum *saxa* memorentur, intellige Aetnam.

202. *Revocate* animum, qui iam aufugit, cf. 214. — *maestum timorem:* „qui maestos et sollicitos facit, ut mors *pallida* est et *tristis* senectus“ S. Adiectiva activa significatione cf. 6, 715. Sed hic locus aliter explicandus videtur. Abstracta enim, ut quae in rebus concretis tantum conspiciantur, recte assumunt adiectiva, quae concretis, quibus ipsa inhaerent, apta sunt. Ita *tabida lues* 3, 137. *gelidus tremor* 6, 83. *turpis egestas* 6, 276. *humilis pavor* G. 1, 331. *obscena fames* 3, 367. *anxius timor* 9, 89.

203. *Forsan* oratoribus non usitatum. — *Olim* „temporis futuri est“ S. sic 20, 288. 10, 12. Hor. C. 2, 10, 17. *Olim* enim, cf. *ollus*, *ille* remotum a dicente tempus significat, quale non minus futurum est quam praeteritum. — Sententia haec satis frequens, ut Ciceronis illud: (Ep. 5, 7.) *Habet praeteriti doloris secura recordatio delectationem.* — *Acti labores iucundi.*

Per varios casus, per tot discrimina rerum
Tendimus in Latium, sedes ubi fata quietas
Ostendunt; illic fas regna resurgere Troiae.
Durate et vosmet rebus servate secundis.
Talia voce refert, curisque ingentibus aeger
Spem voltu simulat, premit altum corde dolorem.
Illi se praedae accingunt dapibusque futuris:
Tergora deripiunt costis et viscera nudant;
Pars in frusta secant veribusque trementia figunt;
Litore aena locant alii flammasque ministrant.
Tum victu revocant vires, fusique per herbam
Implentur veteris Bacchi pinguisque ferinae.
Postquam exempta fames epulis mensaeque remotae,
Amissos longo socios sermone requirunt,

206. *fas.* „Dicendo *fas* ostendit alibi nefas, ut occurreret cogitationi sociorum, ne fatigati tot malis quascunque requirerent sedes, quod etiam in quinto factum est, navibus incensis" S. Simul animum reddit, quod fatum frangi non potest. — *Ostendunt*, ita etiam Cic. C. M. 18 *Ver ... ostendit fructus futuros.* Fam. 5, 12 *quod mihi saepe ostendis te esse facturum.* Sall. Iug. 23 *defensoribus moenium praemia modo, modo formidinem ostentare.* 66. 68. — *Resurgere* dicitur urbs eodem modo, quo *stare* incolumis, *iacere* diruta, cf. Hor. C. 2, 17, 12. 3, 3, 65 *ter si resurgat murus aeneus.* *Nck.* vult: *Latium: sedes — ostendunt, illic* etc.

207. *Durate,* v. intrans. ut saepius ap. poetas et Livium 10, 46. 23, 18. Cf. 104.

208—22. Maesti Troiani ob amissos socios.

208. *aeger* curis, cf. 351. — Ducis est exhortari, etiamsi ipsi spes paene nulla sit.

209. *premit altum corde dolorem:* Dolorem, qui magnus exsurgit, deprimit, ne appareat; ita *premere curam* 4, 332. Cui contrarium *altius surgunt irae* 10, 813. *assurgunt irae* 12, 494. — *Altior pavor* legitur ap. Tac. 16, 29. Cf. Schilleri: *Mein* überschwellend, *mein empörtes Herz hab' ich* hinabgedrückt *in meinen Busen*, et Nemes. Ecl. 4, 16 *Quid vultu mentem premis et spem fronte serenans* etc.

210. *praedae:* Dativus est poetarum.

211. *deripiunt* cf. 10, 475. 11, 743 ob additum *costis* unice verum. *Der.* prob. *Wg. Wd. Ld. dir.* prob. *Rb. Nck. Dis* signat aliquam duarum rerum separationem, *de* alterius ab altera remotionem. Cf. 224. 3, 419. A librariis in his vocibus tam saepe erratum est, ut scriptis libris paene sit auctoritas nulla. — *viscera* cf. 6, 253.

212. *pars secant.* Collectivum cum plurali verbi proximi cf. Gr. § 242, 5. Sic *pubes* 5, 120. *genus* 6, 581. *turba* 11, 143. Id fieri in altera enuntiati parte usitatissimum ut 2, 32 *Pars stupet et mirantur.* — *Pars-alii* ut E. 1, 65 etiam ap. Sall. saepissime opponuntur cf. Iug. 57. 58. 69. al. — *veribus* M. R. al. omnes, ut G. 2, 396. Aen. 5, 103. *verubus* P.; probat *veribus* Plinius apud Charisium; nec minus apud alios scriptores videtur praeferri. — *Trementia* noli cum Servio accipere „adhuc palpitantia", quasi eo verbo significetur edendi cupiditas, qua correpti non exspectent Troiani, dum omnis vita ex bestia recedat. Potest id quidem dici in Polyphemo 3, 627. Accedit, quod ex iis quae antea narrata sunt apparet, cervos iam per aliquod tempus esse caesos. Tremunt quod veru moventur.

213. Alii aquam calefaciunt, qua utantur (ut videtur, nam Vgl. non dixit), ad carnem lavandam et coquendam vel ad alias res necessarias.

214. *fusi per herbam* cf. 5, 102.

215. *Impleri* cum genitivo 2, 586. Cic. Verr. 5, 57, 147 *quum completus iam mercatorum carcer esset.* Fam. 9, 18, 4. Liv. 1, 46 *Celeriter adolescentem suae temeritatis implet* al. cf. Gr. § 271.

216. Simile 8, 184. „Caute in maestitia cibis famem exemptam dicit i. e. fugatam" S. Aliter 723. — *mensaeque remotae:* Simul enim cum epulis mensae solebant apponi et auferri apud Romanos; inde haec formula dicendi, qua omnino finem epulis esse impositum significatur. *Pl.* legi vult *relictae.*

217. De re tristi si confabulantur homines, sermonem solent libenter producere atque in eo ipso aliquod infortunii quaerere levamen ac solatium. — *Requirunt*

Spemque metumque inter dubii, seu vivere credant
Sive extrema pati nec iam exaudire vocatos.
Praecipue pius Aeneas nunc acris Oronti,
Nunc Amyci casum gemit et crudelia secum
Fata Lyci fortemque Gyan fortemque Cloanthum.
Et iam finis erat, quum Iuppiter aethere summo
Despiciens mare velivolum terrasque iacentes
Litoraque et latos populos, sic vertice caeli
Constitit et Libyae defixit lumina regnis.
Atque illum tales iactantem pectore curas
Tristior et lacrimis oculos suffusa nitentes,
Adloquitur Venus: O qui res hominumque deumque
Aeternis regis imperiis, et fulmine terres,

signat desiderium sociorum, sic Cic. Fin. 5, 20. pr. Man. 1. Ita *quaerere* 5, 814. *virtutem sublatam ex oculis quaerimus* Hor. C. 3, 24, 32. Pro *sermone Pl.* coni. *clamore*.

219. *Extrema pati* i. e. mori; omnium enim extremum mors est. Cf. 6, 457 *ferro extrema sequi.* 11, 865 *exspirantem et extrema gementem.* Tac. H. 4, 59 *famem, ferrum et extrema pati.* Sic etiam *suprema* et *ultima* ponunt poetae; hoc etiam Livius. — *vocatos:* quum vocati sunt, non si vocati sunt. Quid enim fiet, si non vocantur? *Vocare nomen* mortui solemne, ut recte *Hn. Sb.* qui affert Prop. 2, 10, 27 *Tu vero nudum pectus lacerata sequeris, Nec fueris nomen lassa vocare meum.* Itaque *n. i. e. v.* = esse mortuos.

220. Nomina Troianorum plurima Vgl. fingere cogitur, neque enim fabulis tradita erant. De *Oronte* vide 113. De genitivi forma 30. — *Amycus* etiam 5, 373. 12, 509, diversus ab iis, qui memorantur 9, 772. 10, 704. — *Lycus* 9, 545. *Gyas* et *Cloanthus* 5, 118.

221. *secum gemit* cf. 50. „Secum propter socios" S. ne desperarent, si ducem viderent contristatum.

222. *f. G. f. C.* Rau ex v. 612 illata putat.

v. 223—53. Queritur apud Iovem Venus, quod Aeneas ab Italia arceatur.

223. *Et iam finis erat — quum* cf. 3, 590.

224. *Velivolum* „duas res significat, et quod velis volatur i. e. transeatur, ut hoc loco [et Lucr. 5, 1441. Ov. Pont. 4, 16, 21] et quod velis volat, ut Ennius, *Naves velivolas:* qui et proprie dixit. Et est ista reciproca metaphora navium et avium." S. cf. 6, 16. — *Despiciens* „deorsum adspiciens, sicut *suspiciens* (cf. 438) sursum adspiciens" S. „Cum Moretano primo Leidensis tuetur 1. 224 *dispiciens*, quod ceteri omnes *FMRγbc.* etc. et grammatici in *despiciens* mutarunt" *Rb.* Potius diceret *despiciens* veram scripturam corruptam esse in *disp.* — *terras iacentes* „in longum expositas" S. porrectas, planas 3, 689. Tac. H. 1, 86 *Tiberis iacentia et plana urbis loca implevit.* Sic saepe apud geographum Avien. descr. terr. v. 39. 339. 525. Ita autem *iacere* omnis videtur terra, vel acclivis ac montuosa, ei, qui de caelo despicit, ut Phaethon ap. Ov. M. 2, 179 *despexit terras penitus penitusque iacentes.*

225. *Sic*, ut apud Graecos οὕτως post participium abundantia quadam positum est. Cf. 7, 668. 8, 488. Flor. 1, 7, 7. Simili modo *deinde, tum* post participium 5, 14.

226. *Constitit* ut homines solent cogitabundi. — *regnis defixit* cf. 193.

227. *Tales*, quales Libya et Troianis conspectis oriebantur. — tales *iactans in* coni. *Pl.*

228. *Venus*, pulchra dea, pulchrior fit tristitia et lacrimis. — *Suffusa oculos lacrimis* cf. Ov. M. 1, 484 *pulchra verecundo suffunditur ora rubore.* De accusativo graeco, quem dicunt, cf. Gr. § 304.

229. *Alloquitur.* Consentaneum est metu angi Venerem, quum in hostilem videat suos pervenisse terram. Accedit Iovem, qui jam cogitat, quomodo fatum, quod erat de Roma, peragat. Inde datur occasio, ut filiae suae Iuppiter id fatum exponat.

230. *Aeternis imperiis* regit Iuppiter. Is igitur, qui est omnipotens, qui eum, qui contra stat, fulmine terret, ne quid conetur, quid timebit ab Aenea, homine debili, qui

Quid meus Aeneas in te committere tantum,
Quid Troes potuere, quibus, tot funera passis,
Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis?
Certe hinc Romanos olim, volventibus annis,
Hinc fore ductores, revocato a sanguine Teucri,
Qui mare, qui terras omni dicione tenerent,
Pollicitus, quae te, genitor, sententia vertit?
Hoc equidem occasum Troiae tristesque ruinas
Solabar, fatis contraria fata rependens.
Nunc eadem fortuna viros tot casibus actos
Insequitur. Quem das finem, Rex magne, laborum?
Antenor potuit, mediis elapsus Achivis,
Illyricos penetrare sinus atque intima tutus
Regna Liburnorum et fontem superare Timavi,

ne potest quidem tantum suscipere, ut Iovis iram moveat? Ubi Iuppiter invocatur, fulminis fit mentio, ut 4, 208. 12, 200.

231. *Meus Aeneas*, ut 2, 511 Hecuba dicit: *meus Hector* et apud nos usitatissimum. — *potuere* „Argumentum est ab impossibili, ut alibi (529): *non ea vis animo*. Et est validius quam a voluntate; plus enim est non posse, quam non nolle.“ S.

233. „Ne ad Italiam perveniant, toto orbe [terrarum] pelluntur“ S. *Hinc* ut *unde* v. 6. — *olim* cf. 203. — *volventibus annis:* II. l. verbum neutrum cf. 104; atque ita saepissime participium. G. 1, 163 *volventia plaustra* Cul. 193 *volventia membra draconis*. Val. Fl. 1, 505 *volventibus annis*. Cf. Gr. § 176, 5.

235. „Dicendo *revocato* ostendit Italiam, unde Dardanus fuerat; *a sanguine Teucri:* Teucrum pro Dardano posuit. Dardanus enim de Italia profectus est, Teucer de Creta: quia solent poetae nomina de vicinis provinciis vel personis usurpare, ut *Didonem* dicit *Sidoniam*, quum sit Tyria, a loci vicinitate“ S. cf. 7, 47. Ita 3, 167 *Iasium* memorat, ubi *Dardanum* debebat afferre. Videmus tamen poetam alibi, ut locus postulet, ex variis Troianorum nominibus aptum eligere, ut 157 *Aeneadae;* 3, 294. 7, 195 *Dardanidae;* 3, 248. 4, 542 *Laomedontiadae* dicuntur. — Iam enim e Thracia, Delo, Creta, Sicilia expulsi sunt.

236. *omni MR. dicione* i. e. imperio omnia pariter complectente; cf. Graecum *ἶφι ἀνάσσειν*. *omnis* F. ut legimus *terras omnes* 5, 627. 8, 26. 9, 224. „Melius *omni* quam *omnis*“ S. Cf. 10, 53 *Magna dicione iubeto Carthago premat Ausoniam*. Pro *omni* coni. *Pl. domini*. Iam abundat *dicione*.

237. *Pollicitus quae te* est leve anacoluthon in oratione concitatiore pro: Pollicitus, qua re permotus sententiam mutasti tuam? Posses etiam ad *pollicitus* supplere *es* neque tamen scribendum *pollicitu's*, quasi contractum esset ex *pollicitus es*. Ut pollicitu's h. l. sic 5, 687 exosu's 10, 827 laetatu's ter apud Vgl. scribit *Rb.*, *Wd.;* improbat *Bk.*, *Ld.* Quodsi *sum*, *sumus*, *estis* ad participium suppletur sine apostropho (cf. 5, 362), non opus est novam formam, vix in vulgari comicorum sermone repertam, inferre nitido poetae. — „Pollicemur sponte, rogati promittimus“ S. quo magis mirandum et indignandum, quod mutavit sententiam.

238. *Hoc* „hac re“ S. Ita Cul. 198. Plaut. Pseud. 3, 2, 18. 32. Lucr. 4, 1087. Hor. Sat. 1, 1, 46. Plin. Ep. 2, 19, non legitur apud scriptores Ciceroni aequales.

239. *Solari* cum accusativo rei dolorem afferente, Moret. 29 *laborem* Tac. A. 2, 36 *repulsam* 16, 13 *cladem* Plin. Ep. 8, 11 *desiderium* et est solando lenire. Verbum autem apud poetas et scriptores argenteae aetatis in usu est. Apud Cic. est *consolari* pr. Mil. 35: *gloriam esse hanc unam quae brevitatem vitae posteritatis memoria consolaretur*. — *rependens* „compensans, et est translatio a pecunia“ S.

242. De Antenore cf. 248 *Sinus Illyrici* sive mare Hadriaticum — *Liburni* Illyricus populus — *Timavus* in Histria est inter Aquileiam et Tergeste. — *elapsus* cf. 26.

243. Livius narrat 10, 2 Adrianum mare legentibus tutius esse litus orientale.

244. *Superare* praeternavigare, maxime si aliqua fit contentione aut periculo, ut fretum, promontorium, adversum amnem ita 3, 698. Liv. 25, 27 *venti superare cum Pachynum prohibebant* 30, 19. 31, 23. Tac. A. 15, 46 *dum promontorium Miseni superare contendunt*. Simile *vin-*

Unde per ora novem vasto cum murmure montis
It mare proruptum et pelago premit arva sonanti.
Hic tamen ille urbem Patavi sedesque locavit
Teucrorum, et genti nomen dedit armaque fixit
Troia; nunc placida compostus pace quiescit:
Nos, tua progenies, caeli quibus adnuis arcem,
Navibus, infandum, amissis, unius ob iram
Prodimur atque Italis longe disiungimur oris.
Hic pietatis honos? sic nos in sceptra reponis?
Olli subridens hominum sator atque deorum

cere iter 8, 95. Ov. Ib. 595 *ubi ventosum superaris aequor*, ut apud eundem M. 14, 75 *evincere Charybdim.* 15, 706 *evincere fretum.* — *fontem Timavi* cf. Gr. § 254.

245. Mela 2, 4: *Timavus novem capitibus exsurgens, uno ostio emissus. Nck. ora novem: offenbar (?) Mündungen.* — *cum* cf. 55.

246. *it mare proruptum* „effusum fluens" S. *Prorumpere* verbum et transitivum est et intransitivum cf. 3, 572. Inde participium *proruptus* de eo, qui (se) prorupit. 7, 459 *toto proruptus corpore sudor.* Cic. pr. R. A. 24, 68 *prorupta audacia.* Sil. 3, 51 *Praeruptum exundat pelagus.* Lucr. 6, 435 dixit etiam *prorumpitur vis venti.* Posse etiam a v. intransitivo participium perfecti formari docet 5, 332. Itaque Timavus ortus e novem seu septem (cf. Strab. 5, p. 214) fontibus, qui inter scopulos per intervalla magno cum fragore exeunt, statim latam regionem inundat, ut mare esse videatur; hinc *mare* dicitur *pelago premere arva.* Hodie eam aquam *Madre del mare*, maris parentem, dici narratur et Serv. ad h. l. addit haec: „Amat poeta rem historiae carmini suo coniungere; Varro enim dicit hunc fluvium ab incolis *Mare* nominari." Ad rem cf. Liv. 41, 1 *Consul castra ad lacum Timavi posuit; imminet mari is lacus.* — Haec fluminis descriptio, quamquam pulchra et ad eius naturam maxime accomodata, in hac Veneris oratione non, credo, erat necessaria. Sed cf. 11, 543. Vers. 245. 46 eiicit *Pl.* — *Vs. Thl. Fd. Sb. proruptum* supinum dicunt esse explicantque: *Fons it proruptum in mare;* et ora explicant ostia, ut *Nck.* ad 245. —

247. *Hic tamen* „hoc est: etiam in loco difficili" S. — *urbem Patavi* cf. 244.

248. *Nomen dedit genti* „hoc est, quod ne victori quidem concederetur Aeneae" S. cf. 12, 833 sq. — „Antenor autem traditur *Henetos*, qui ex gente Paphlagonum secuti erant, amisso duce Paelemene (*Πυλαιμένης* Il. 2, 851) apposito digammate *Venetos* appellasse. Antenor de Helena reddenda saepe auctor fuit (Il. 7, 348) Menelaumque et Ulixen ne Paridis insidiis sternerentur admonuit, et ut ab aliquibus traditur, ipse defendit (Il. 3, 205. Ov. M. 13, 196 sq.) ob quod meritum capta urbe incolumis evasit" schol. Maii. Cf. Liv. 1, 1. — *Figere arma* pacis est signum cf. 5, 484.

249. *Pace compostus quiescit* i. e. tranquillus et securus pace cf. Ov. Am. 1, 4, 53 *Si bene compositus somno vinoque iacebit.* Varro At. ap. Senec. Ep. 56 *Omnia noctis erant placida composta quiete*, cf. 135. Itaque Antenor summa pace fruens laboribus exantlatis securus aetatem degit; Aeneas contra omni premitur fortunae discrimine. Male c. q. quidam intelligunt de mortuo, neque enim Aeneae suo Venus mortem optat.

250. *caeli quibus adnuis arcem:* Aeneas contra, dis genitus et deus futurus, ne ea quidem consequitur, quae Antenor homo. — *Adnuere* est nutu permittere, et dicitur, si quis quid concedit superior inferiori, de Iove 9, 106. Hor. C. 4, 8, 22; ad Germanicum Ov. Fast. 1, 15 *Annue conanti per laudes ire tuorum.*

251. Prodimur a te, uni deae ut mos geratur. Se ipsam autem gentis suae nomine complectitur. Sic *nos* 253, cf. 2, 595. — *infandum:* Navibus enim amissis, quibus solis poterant ad Italiam pervenire, iter omne occlusum est.

253. *Hic* i. e. *talis*, ut nos: *Ist das der Lohn?* — *Reponis in sceptra* i. e. in regnum sc. insigne pro re, ut 78. 7, 422. 9, 9: Ita in regnum promissum restituis? cf. Sil. 5, 486 *Certabat pulsos per regna reponere reges*, et si structuram spectas cf. Celsum 8, 10, 1 qui dixit *reponere ossa in suas sedes.* Rem explicant versus qui sequuntur.

254—96. Iuppiter Veneri Aeneadum fata breviter exponit.

254. *Olli* antiqua forma pro illi cf. §

Voltu, quo caelum tempestatesque serenat,
Oscula libavit natae; dehinc talia fatur:
Parce metu, Cytherea; manent immota tuorum
Fata tibi — cernes urbem et promissa Lavini
Moenia, sublimemque feres ad sidera caeli
Magnanimum Aenean; neque me sententia vertit.
Hic tibi — fabor enim, quando haec te cura remordet,
Longius et volvens fatorum arcana movebo —
Bellum ingens geret Italia, populosque feroces
Contundet; moresque viris et moenia ponet:
Tertia dum Latio regnantem viderit aestas

14. — *Sator* ut 11, 725; ap. Hom. πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

255. *caelum tempestatesque serenat: Serenat* non eodem modo refertur ad utrumque cf. 78. In re praeiverat Ennius: *Iuppiter hic risit, tempestatesque serenae Riserunt omnes risu Iovis omnipotentis.* Iuppiter etiam *Serenator* dicitur. Deorum autem ea est potentia, ut vultu sive laeto sive irato in regno suo et pacem firment et turbas moveant cf. 127. Il. Il. 13, 28. Hinc in precationibus illud: *laetus adsis.* Cf. de Venere Lucr. 1, 5 de Baccho Hor. C. 2, 19.

256. *Oscula libavit* (sic Sil. 1, 104) i. e. summa labella attigit, quod est patris caste amantis filiam. *Natae* adiectum post pronomen *illi* (Similia 5, 609) ut cognationis mentio fiat, neque enim in alio Iuppiter omnem deponeret gravitatem et maiestatem.

257. *Parce metu* (dativi forma cf. 3, 541) *noli metuere*, est enim *parcere* saepe idem, quod *abstinere ab re;* ita 9, 656 *parce bello* i. e. abstine a bellando 2, 534 *nec voci iraeque pepercit:* neque abstinuit vociferari et irasci vehementer. G. 2, 339 *hibernis parcebant flatibus Euri* i. e. non flabant. — *Cytherea* cf. 680. — *manent immota* cf. 26. — *Manent* primo loco cum vi dictum.

259. *sublimemque feres a. s. c.* „Bene addidit *feres*, ut gratius esset, quod per ipsam fieret“ S. Tibi ipsi concessum erit, eum in caelum i. e. in deorum numerum inferre. „Aeneas uxore et regno potitus, Latino mortuo, Etruscos certamine premens, in conflictu bellico requisitus nusquam comparuit, et Numici fluminis gurgite haustus putatur, cui Ascanius, hostibus devictis, Aeneae Indigeti templum dicavit (cf. 12, 794. Liv. 1, 2. Ov. M. 14. 607. Tib. 2. 5, 43), ad quod pontifices quotannis cum consulibus veniunt sacrificaturi“ schol. Maii. — *sublimen* adverbium inferunt *Rb.*, *Wd.*

261. *Hic* i. e. Aeneas *tibi*, (*fabor enim . . .*) *bellum geret. Tibi* dativus ethicus h. l. aptissimus. Similes locos reperies 2, 601. 8, 42. Ecl. 8. 6. 10. G. 2. 252. 4, 384; Cic. Fam. 9, 2, 3: *At tibi repente venit ad me Caninius.* Cf. Gr. § 278. Serv. iungit *tibi fabor enim* explicatque *tibi soli* additque 10, 8 eum aliter loqui cunctis diis praesentibus, quod quamquam verum, huic loco aptum non est, neque enim id dicit Iuppiter: Tibi dicam non aliis, sed: Etiamsi ea reticere volui, usque dum evenirent, dicam tamen nunc, ne nimis angaris. Nam neque *enim* suo, nec *tibi* apto loco, quod in thesi non in arsi est, positum esset. — *remordet* cf. 7, 402.

262. *volvere:* Ita 3. 102. Longius et repetens arcana proferam. — *movebo:* Ita *cantus movere* 7, 641. 10, 163. *carmina movere* Ov. Met. 10, 149. 14, 20. *Fallax historias movet* Hor. C. 3, 7, 20. Nam est transferre ad alterius cognitionem ea, quae antea latuere.

263. *feroces:* Ferocia militum in laude est; ita 12, 19. Sall. Cat. 11. Iug. 102. Liv. 3, 27. Tac. H. 2, 76.

264. *contundet:* Cf. Liv. 27, 12 *Adhortatus milites* (Hannibal) *ut memores Trasimeni Cannarumque contunderent ferociam hostis* et c. 2 *Marcellus scribit eundem se, qui post Cannensem pugnam ferocem victoria Hannibalem contudisset, ire adversus eum.* Hor. C. 3, 6, 10 *contundere impetus*, et 4, 3. 8 *regum minas. Contundere* enim est *vi frangere;* sic Cic. Phil. 13, 13 *contundere* et *frangere* iungit. „Incongruum fuerat in consolatione bella praedicere: ob hoc ergo etiam victoriam pollicetur“ S. — *ponet.* Et urbem condet et leges imponet incolis, ut victor; cf. 6, 853 *pacisque imponere morem. Ponere* est *instituere;* ita *iura ponit* ap. Prop. 4, 9, 64.

265. Regnabit Aeneas per triennium, per triginta annos Ascanius, per trecentos Albani reges, infinitum habebit imperium Roma.

Ternaque transierint Rutulis hiberna subactis.
At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo
Additur, (Ilus erat, dum res stetit Ilia regno)
Triginta magnos volvendis mensibus orbes
Imperio explebit, regnumque ab sede Lavini
Transferet, et longam multa vi muniet Albam.
Hic iam ter centum totos regnabitur annos
Gente sub Hectorea, donec regina sacerdos
Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem.
Inde lupae fulvo nutricis tegmine laetus
Romulus excipiet gentem et Mavortia condet
Moenia Romanosque suo de nomine dicet.
His ego nec metas rerum nec tempora pono;
Imperium sine fine dedi. Quin aspera Iuno,
Quae mare nunc terrasque metu caelumque fatigat,

266. *terna:* Grammaticorum, qui Priscianum advocant, legem, qua cum pluralibus tantum *trini* iungatur, non *terni*, poetam vides nescisse. — *Hiberna* signant hiemes. — *Rutulis subactis* potest esse ablativus; sed tamen dativus in tempore notando elegans, cf. 102. Eadem sententia copula *et*, *que nec* iuncta est, qua forma saepe uti Vgilium iam horum locorum ordo demonstrabit 411. 415. 420. 450. 503. 535. 541. 563. 567. 571 etc. Varia autem eius repetitionis est ratio et consilium. Sine copula repetitio 407.

268. *Res Ilia* cf. 3, 1. *stetit regno* i. e. firmata est, floruit; nam nunc i. e. quum loquitur, Troianis regnum non est. Ita Liv. 1, 3 *Tutela muliebri res Latina et regnum avitum paternumque puero stetit.* *Pl.* negat hanc esse ablativi structuram scribitque *regni.* — *Ilus erat:* „Quem nunc vocare incipiunt cognomine Iuli pro Ilo, quod cognomen habebat, dum res Ilia stetit. Idque cognomen ei non temere addunt. Nam hinc orietur Gens Iulia. Iuppiter sic loquitur, quasi Troiani suo monitu et voluntate, ipsi tamen nescientes et imprudentes hoc fecissent.“ *Pl.* Si etiam nunc versus tibi displicet cf. 11, 537. — *cui cognomen Iulo:* „Dicimus et *nomen mihi est Cicero* et *Ciceronis* et *Ciceroni.* Melius tamen est dativo“ S. Cf. Gr. § 284.

269. *volvendis mensibus* cf. 9, 7 *volvenda dies*, G. 2, 402 *Atque in se sua per vestigia volvitur annus* cf. 234. — *magnos orbes:* annos. Triginta annis postea Albam esse conditam et Cato apud Servium et Varro R. R. 2, 4, 18 et Dion. Hal. 3, 34 testantur.

271. *Multa vi* i. e. magnis opibus *muniet Albam.* Idem narratur 8, 42—48 „vitans enim novercalem invidiam deseruit Lavinium“ S. *multa vi Wd.* refert ad *Albam.* *Longam Wd., Sl., Jh.* — *longam* h. l. scripsi, quum 6, 160 darem Longam, non temere, sed quod illic nomen est proprium, hoc in oraculo appellativum. Idem fecit *Wg.*

272. *Iam* in re futura cf. 11, 708. — *Regnabitur*, regnum erit, est impersonale ut ap. Liv. 1, 17. — ter centum, trecenti v. 71.

273. *Gente Hectorea* significantur non Aeneadae sed Troiani; quare accipe: Troiani dominabuntur, atque inter eos Aeneae progenies. — *Sacerdos* Vestae *regina* dicitur quod est regis filia cf. 9, 223. *Regina* hoc loco, ut *mulier ancilla* Sall. Iug. 12. *femina vidua* Nep. Milt. 2 alia.

274. *Ilia* plerumque *Silvia* vel *Rhea* dicta.

275. *Tegmine laetus* i. e. gaudens tali ornatu, quem habet; ita 2, 417: *laetus Eois Eurus equis* — *lupae* „qua utebatur more pastorum“ S. et Prop. 4, 10, 20 lupinam galeam Romuli memorat. Ut vero Romulus lupae nutricis, ita Iuppiter Amaltheae caprae nutricis utitur pelle.

276. *Excipiet gentem* quasi filum omissum, quem iterum nendo extendat cf. 3, 317. Liv. 9, 33 *Q. Fabius .... bellum ad Sutrium excepit.* Bonum id verbum de Romulo, qui Martis filius alio loco aliaque condicione ex matre gentem Iuliam propagavit, Amulio ac Numitore mortuis. — *Mavortia*, quod a Martis filio conduntur et ipsi sacrantur.

278. *Nec metas, nec tempora pono* i. e. nec locorum nec temporum finibus circumscribo. — *Imperium sine fine* pro adiectivo *infinitum* cf. 11, 464.

280. *Fatigare terras metu* dictum est, ut *caelum clamore, silvas venatu, amnem remis, locum sonitu* Ov. Met. 1, 573; est

Consilia in melius referet mecumque fovebit
Romanos, rerum dominos, gentemque togatam.
Sic placitum. Veniet lustris labentibus aetas,
Quum domus Assaraci Phthiam clarasque Mycenas
Servitio premet ac victis dominabitur Argis.
Nascetur pulchra Troianus origine Caesar,
Imperium Oceano, famam qui terminet astris,
Iulius, a magno demissum nomen Iulo.
Hunc tu olim caelo, spoliis Orientis onustum,
Accipies secura; vocabitur hic quoque votis.

vexare, atterere, requiescere non sinere. Ita etiam explicabis 7, 582 *Martemque fatigant* i. e. requiescere non sinunt, sed tumultu et clamore sustentant; sic Sil. 1, 671 *curas fatigant*, semper exercent. — *Metus* ita 11, 400. Sall. Cat. 9. 51, 30. Iug. 18. 25 etc. cf. Quint. 6, 2, 21 *Metum duplicem intelligi volo, quem patimur et quem facimus.* De re confer, quae supra de Iunonis machinis poeta et quae ipsa dicit 7, 301: *Absumptae in Teucros vires caelique marisque.*

281. *In melius referet:* emendabit, in meliorem partem, a qua aberravit cf. 11, 426. Tac. A. 1, 33 *indomitum animum in bonum vertere.* — *fovebit* cf. 18. „Bello Punico secundo, ut ait Ennius, placata Iuno coepit favere Romanis" S. Eo etiam de bello deos inter se certasse docet 10, 11—14.

282. *gentemque togatam:* Toga non licuit uti nisi civi Romano; quare in ea apparuit dignitas Romani, potuitque eam Vgl. ut magnum aliquid commemorare; cf. Hor. C. 3, 5, 10 *Anciliorum et nominis et togae Oblitus aeternaeque Vestae.* Flor. 4, 11, 3 *Antonius patriae, nominis, togae, fascium oblitus, totus in monstrum ... desciverat.* Quibus locis togam cum rebus sanctissimis componi vides. Quid, quod etiam Claudianus dixit: *Nec pudet insignem habitum Latii mutare togaeque.* Sall. autem Iug. 21, 2 *ni multitudo togatorum fuisset*, togatos omnino Romanos dixit; ut Cic. saepe. Adde Suet. Aug. 40 et Pl. Ep. 4, 11 „Carent iure togae, quibus aqua et igni interdictum est".

283. *placitum* sc. fato.

285. Assaracus proavus Aeneae. — *Phthia* Achillis, *Mycenae* Agamemnonis, *Argos* Diomedis regnum. Attulit clarissimorum Graecorum sedes, cum vi etiam dixit *servitio premet* et *dominabitur* — Romanis autem Troianorum ultio demandatur.

286. *Caesar* Augustus cf. 6, 793 sq. „Omnis poetae intentio .. ad laudem tendit Augusti: sicut et in sexti catalogo et in clypei descriptione. Haec autem Iovis allocutio, partim obiecta purgat, partim aliquid pollicetur" S.

287. *imperium oceano* etc. Multo magnificentius id extulit 7, 797 sq. — *famam qui terminet astris.* Talis magnae gloriae significatio usitata Romanis cf. 379. E. 5, 43 *usque ad sidera notus.* Hor. C. 1, 1, extr.: *Quod si me lyricis vatibus inseris, Sublimi feriam sidera vertice.* Cic. Ph. 2, 44, 114 *quum illi eam gloriam consecuti sint, quae vix caelo capi posse videatur.* Quid quod Prop. 1, 9, 17 dixit: *Nunc mihi summa licet contingere sidera plantis (!).*

288. *Nomen* appositio est ad v. *Iulius* cf. 3, 18. — *demissum:* deductum, ita G. 3, 35 *demissaeque ab Iove gentis nomina.* Hor. S. 2, 5, 63 *ab alto demissum genus Aenea.* — *Iulia stirps* coni. Pl. pro *Iulius a* cf. § 8.

289. *Spoliis orientis onustum*, et ad bellum cum Antonio et Cleopatra gestum potest (Antonius enim *vires Orientis et ultima secum Bactra* traxit cf. 8, 687) et ad res Parthicas pertinere, quas respicit etiam 7, 606. Augusto enim a. 734 in Asia versanti Phraates rex Parthorum, veritus ne bello peteretur, captivos et signa, cladibus Crassi et Antonii Romanis erepta remisit. Hac de re multi sunt eius temporis poetae, et Florus suam rerum Romanarum narrationem hac laude Augusti claudit, qua imperium Romanum de orbe terrarum vere erat constitutum. Quod si hoc recte sumitur, haec interposuit paulo ante mortem; Vgl. enim mortuus est a. 735; sed sufficit ad h. locum explicandum victoria quae erat de Cleopatra. *Ih.* in Caesare intelligit C. Iulium Caesarem v. 286—290 a. v. 291 Augustum, quem non nominet Vgl. sed tecte significet, quasi Augusto grata fuerit tecta et obscura laudatio, quae post bina milia paene annorum unus indagaret.

290. *Secura* a Iunone — *Accipies* in caelo. — *Vocabitur hic quoque* non solum Aeneas cf. G. 1, 41 de Augusto:

Aspera tum positis mitescent saecula bellis:
Cana Fides et Vesta, Remo cum fratre Quirinus
Iura dabunt; dirae ferro et compagibus artis
Claudentur Belli portae; Furor impius intus
Saeva sedens super arma et centum vinctus aenis
Post tergum nodis, fremet horridus ore cruento.
  Haec ait et Maia genitum demittit ab alto,
Ut terrae utque novae pateant Carthaginis arces
Hospitio Teucris, ne fati nescia Dido
Finibus arceret. Volat ille per aera magnum
Remigio alarum, ac Libyae citus adstitit oris.
Et iam iussa facit, ponuntque ferocia Poeni

Votis iam nunc adsuesce vocari. Votis qui vocatur, deus est.

291. *tum:* regnante Augusto. — *bellum ponere* cf. 8, 639.

292. *Cana Fides* i. e. prisca, qualis maiorum fuit. Ei albo panno involuta manu sacrificabatur cf. Hor. C. 1, 35, 21 *Te Spes et albo rara Fides colit Velata panno;* eiusque templum et Numa (Liv. 1, 21. Dion. Hal. 2, extr.) constituit et Calatinus Cic. N. D. 2, 23. — Quum *cana* dicatur Vesta 5, 744. 9, 259 etiam h. l. *cana* ad Vestam referendum est. *Cana* dicitur *Veritas* Attices philosophiae alumna ap. Varr. Sat. fr. 31, 29 ed. *Oehler;* et ap. Claudianum IV. cons. Hon. 505 legimus *priscamque resumunt canitiem leges*, ut *canus* sit purus, incorruptus, infucatus, castus, sanctus. — *Vesta* cf. 2, 296 antiquissima religione culta, pacis pacisque artium praeses. Quod haec potissimum numina profert, causa est et quod eorum in pacis descriptione commemoratio aptissima est, et quod eorum templa prope aedes Augusti in Palatio erant. — *Remo cum fratre Quirinus*, i. e. ambo dii facti et amore coniuncti populum suum communi regent consilio. Illud autem, quod fratrem Romulus occidit, piaculum est, quod populum Romanum etiam bellis civilibus mersit. Cf. Hor. Epod. 7, 17: *Acerba fata Romanos agunt Scelusque fraternae necis, Ut immerentis fluxit in terram Remi Sacer nepotibus cruor.* Quare si iam societate et amicitia coniuncti fuerint, laetiora omnia Romanis evenient.

293. *Dabunt* et Fides et Vesta et c. Remo Quirinus. Pro *Remo cum fratre Q.* coni. *Pl. Numa cum vate Quiriti!*

294. *Belli portae* sunt Iani, cuius templum a. 725 et 729 clausum est cf. 7, 607—15 et Liv. 1, 19. Neque tamen haec ita dicta sunt, ut ad Ianum certo anno clausum pertineant, sed ut omnino pacem et externam restitutam esse indicetur et internam. Cf. Simile ap. Calp. Sic. 1, 46. — *Furor* cum Bello includitur et vincitur, ut apud Statium est inter Martis comites eiusque in aula habitat. Cf. *Vor den Thoren gefesselt liege des Streits schlangenhaariges Scheusal. Schill. Braut.* Expressam imaginem vides illius temporis, quo respublica optata fruebatur quiete, multi tamen erant, qui civilia bella revocare studentes coercebantur potentia Augusti.

296. Pro *horridus* Rau coni. irritus.

297—304. Mercurius Aeneae ad Didonem parat aditum.

297. Maiae filius, Mercurius, Iovis nuntius est et ap. Il. Od. 5, 28 et apud Romanos ut ap. Plaut. Stich. 2, 1, 1 *Mercurius Iovis qui nuntius perhibetur*, is *qui feros cultus hominum voce format* ut ait Horatius C. 1, 10, 1.

298. *Pateant hosp.* eadem ratione dictum, qua *clauditur orbis* 233.

299. Dido quae fatum nesciebat, quo in Italiam Troianis eundum erat, facile potuit eos a finibus suis arcere, timens, ne hostes essent sociique Pygmalionis, quos ut arceret custodes in litore disposuerat.

300. *pateant-arceret.* Quum praesenti historico, quia praesens est forma, recte praesens, quia praeteritum est significatione, recte imperfectum subiungatur: utrumque potest coniungi; sed nunquam variatur sine consilio cf. Gr. § 463. *Nck.* ita iungit: *demittit, ut pateant Teucris; ne arceret, volat — oris.*

301. *remigio alarum* cf. ad 6, 19. — *citus adstitit* cf. 5, 137. — *ponuntque; Que* est consecuticum cf. Gr. § 480. Et revera v. 525 sqq. Poenos, crudeles alias, videmus non iure gentium peregrinis statim inferre mortem sed ad reginam concedere aditum, quae rem iudicet. Itaque Mercurius perfecit aliquid, quod negat *Wd.*

Corda volente deo; in primis regina quietum
Accipit in Teucros animum mentemque benignam.
At pius Aeneas, per noctem plurima volvens,
Ut primum lux alma data est, exire locosque
Explorare novos, quas vento accesserit oras,
Qui teneant, nam inculta videt, hominesne, feraene,
Quaerere constituit sociisque exacta referre.
Classem in convexo nemorum sub rupe cavata
Arboribus clausam circum atque horrentibus umbris
Occulit; ipse uno graditur comitatus Achate,
Bina manu lato crispans hastilia ferro.
Cui mater media sese tulit obvia silva,
Virginis os habitumque gerens et virginis arma,
Spartanae, vel qualis equos Threissa fatigat
Harpalyce volucremque fuga praevertitur Hebrum.

303. His verbis apte movetur rerum sequentium exspectatio. *Pl.* ab *in primis* — *benignam* ut humilia delet.

305—335. Aeneas terram incognitam explorans obvius fit Veneri.

305. *per noctem* cf. 662. — *plurima volvens.* Ita Lucr. 6, 33 *volvere curarum fluctus dixit*, cf. 50. Participium autem praesentis h. l. et Sall. Iug. 113: *Haec Maurus secum ipse diu volvens tandem promisit* et ubique non perfecti est loco, sed sua est vi, qua indicat idem, quod est enuntiato primario, tempus esse eius rei, quae participio contineatur. Itaque est: *quum volveret per noctem, constituit.* Ita explica 2, 550. 8, 158. Liv. 42, 56: *Lucretius, Chalcidem adveniens quum audisset* etc. (*als er bei seiner Ankunft hörte*). Cic. Tusc. 2, 25, 61: *quum Rhodum venisset decedens ex Syria* (*auf seiner Reise aus Syrien*) etc. Cf. Gr. § 444, An. 1.

306. *Alma* ut 11, 182 perpetuum est lucis epitheton, ut *dies almus* dicitur 5, 64. Ecl. 8, 17. Lux enim omnia quasi alit. — *locos novos:* sc. Aeneae. Ita *locos novos* poetae dixerunt, ut Ennius ap. Cic. de Div. 1, 20, ea loca, quae is, de quo sermo est, nondum adiit. Ita ap. Ov. M. 3, 520 *Liber novus* dicitur, ὁ *νεωστὶ δαίμων* ap. Euripidem Bacch. 219, qui Thebanis nondum erat cognitus deus.

307. *vento* sc. actus cf. 333.

308. *inculta* (*unbebautes Land*). — *Ne* — *ne* ita 2, 738. 5, 95. 703. 12, 321 in interrogatione duplici non bipartita cf. Gr. § 419, 4, 4.

309. *Exacta*, quae explorasset. Primus videtur dixisse Vgl. cf. Suet. Caes. 47 *Margaritarum pondus sua manu exigere.*

310. De loco quo naves abscondit cf. 162 sq. de structura *convexo nemorum* 422.

312. *Comitatus* ut ap. Cic. Cat. 2, 2: *quod ex urbe parum comitatus exierit*, participium passivi, quum *comitor* sit deponens. Alia v. ad 2, 422. Ovidius tamen haec habet: *Ingenio tamen ipse meo comitorque fruorque* Trist. 3, 7, 47, et *Pirithoum Theseus Stygias comitavit ad undas* Ep. ex Pont. 2, 3, 43. *Comitatus* cum ablativo sine praepositione *a*, hominum, qui non sua voluntate ducuntur sed aliena legitur 2, 580. 10, 186 cf. Gr. § 325, 2.

313. Idem v. 12, 165. — *bina.* Distributivum pro cardinali, ut videtur, positum cf. 5, 560. — *hastilia lato ferro* cf. 9, 50. — *Crispans* est poetarum.

314. *se tulit obvia.* *Se ferre* pro ire 1, 503. 2, 456. 3, 599. 7, 492. *magna se mole ferebat* 8, 199. Ita *se afferre* 3, 310. *se perferre* v. 389. *se inferre* v. 439. 4, 142. 10, 576. *se efferre* 7, 420. 536. 8, 611. 12, 441. *obvius se obtulit* 10, 552. In prosa *se obviam ferre.* — Recte autem Venus, quae a Iove auxilium petiverat, acta amore filii, ipsa parat ferre opem. *Pl.* coni. *sese obtulit obvia.*

315. *Virginis* habuit externam formam et vestitum, et virginis arma, qualia gerere solent Spartanae vel Threissae. *Virginis* vocabulam repetendum erat, ne *os* etiam ad *Spartanae* traheretur. — Spartanas virgines, quae in gymnasio exercebantur, neque robore et agilitate corporis iuvenibus multo inferiores erant, etiam venatibus operam dedisse nescio alium qui testetur; quamquam credere non absurdum est. Apud unum Servium est: „Sparta ... ubi sunt puellae venatrices“. *Pl.* coni. *Numinis os! ... sed virginis.*

316. *qualis fatigat* cf. 3, 641.

317. *Harpalyce* Thracum regis Har-

Namque humeris de more habilem suspenderat arcum
Venatrix dederatque comam diffundere ventis,
Nuda genu nodoque sinus collecta fluentes.
Ac prior, Heus, inquit, iuvenes, monstrate, mearum
Vidistis si quam hic errantem forte sororum,
Succinctam pharetra et maculosae tegmine lyncis,
Aut spumantis apri cursum clamore prementem.
  Sic Venus; et Veneris contra sic filius orsus:
Nulla tuarum audita mihi neque visa sororum.
O quam te memorem, virgo? namque haud tibi voltus
Mortalis, nec vox hominem sonat: O dea certe;

palyci filia, quae, in silvis educata, venatibus et cursibus se duraverat. Hanc comparationem ex suo tempore posuit Vgl., non quod Aeneas Spartanas virgines cognoverit. — *Hebrum* Mss. — *Eurum* Edd. plures ex coniectura. — Hebrus enim, qui nunc Maritza dicitur, quum lenis et placidus fluvius esset, qui nec volucer dici posset, nec celeritatis in comparationem assumi; contra solemnis esset celeris cursus cum ventis comparatio et apud ipsum Virgilium (cf. 7, 807. 8, 223) et alios (cf. Ov. M. 13, 806), haec autem duo vocabula *Eurus* et *Hebrus* et alibi in Mss. confunderentur, ut ap. Hor. C. 1, 25, 20 pro *Hebro* omnium Mss. scriptura *Euro* legendum est: mutarunt etiam hoc loco interpretes. — Sed primum celeris cursus cum celeri flumine comparatio non absona est, grata etiam patrii fluminis commemoratio; deinde potuit Vgl. ignorare amnis longinqui naturam, certe G. 4, 523 fluvium habet celerem, siquidem recte intelligo verba: *Gurgite quum medio portans Oeagrius Hebrus Volveret*, et est ap. Stat. Theb. 9, 438 *spumifer Hebrus.* Fluvius autem longior non facile eundem cursum servat, et quum Hebrus e montibus decurrat altissimis, probabile est, eum celeri cursu deferri in planitiem. Sic Pl. H. N. 5, 10 in Nilo memorat rapidam celeritatem. — Itaque malim erroris periculum cum Klopstockio subire (qui (Wingolf 1) *Die Wasser Hebrus wälzten mit Adlereil des Celten Leyer*) quam cum aliis vim poetae inferre. Accedit quod Silius Vgli imitator, scripsit 2, 73 *Quales Threiciae Rhodopen ... lustrant, cursuque fatigant Hebrum* et 3, 306 *levibus gens ignea plantis, cui sonipes cursu, cui cesserit incitus amnis.* Hunc Silium iam corrupto Vgli exemplari deceptum esse sumit *Rb.* — *Fuga* est omnis celer motus, ita celer incessus 4, 430 celeris navigatio 7, 23. celer volatus 9, 15. Ita *fugere* 3. 268. 258. — *Praevertitur* „transit, dicimus autem et *praevertit* (cf. 7, 807) et *praevertitur.*" S. *Praeverto* activum est ut *anteverto*; inde *praevertor* quod *anteeo*, *transeo*, et ut haec verba, quamquam raro, accusativum eius qui (cursu) vincitur, assumit. Cf. Plaut. Cas. 2, 8, 75 *pulere praevortar viros.* Apud Livium est etiam: *coactique consules omnibus eam rem praeverti* 8, 13.

318. *de more* sc. venatricis. — *habilem*, quem facile potest gestare. Ita *clipeus habilis* 12, 432. *galea* 9, 305. *currus* Ov. M. 2, 531. *calcei* Cic. de orat. 1, 54, 231.

319. *dederat* cf. 66.

320. *collecta sinus* accus. graecus qui dicitur; cf. 2, 273. De re cf. 4, 139. 6, 301. 9, 582. Ov. M. 10, 536 *Nuda genu vestem ritu succincta Dianae.* Vestis ne celeri cursui obesset, succincta in sinus colligebatur. — *Fluere* amplae et laxae vestes saepe dicuntur; nos: *wallendes Gewand.*

322. *errantem*, vagantem ut venatricem.

323. *Succingi gladio*, *ferro* dici solet, sed etiam *pharetra*, *balteo.* Quid quod Livius dixit 7, 5 *succinctus cultro.* 21, 10 *s. armis legionibusque.* *Mv.* scripsit *pharetra, et ... lyncis aut* quem contra recte monet *Rb. tegmen* non dici de pelle bestiae nisi ad corpus humanum quum adhibetur cf. 7, 666. 11, 576; sed ipse arrepta scriptura libri γ. *tegmina* verba eodem modo disponit sc. ut concinnitas sit: persequi *tegmina et cursum!* Et necessaria erat virginis vestium descriptio, ut Aeneas eam agnosceret.

324. *premens*, insequens 467. 9, 793. sive urgens, opprimens 9, 330. *telis premere* 8, 249. 9, 793. 2, 530.

326. *audita mihi:* Dativus cum passivo; cf. 440.

328. *Sonare* cum accusativo est referre, significare cf. Cic. Off. 3, 21 *haec duo verba inter se discrepare, re unum sonare videntur* cf. Gr. § 294. b.

An Phoebi soror? an Nympharum sanguinis una?
Sis felix nostrumque leves, quaecunque, laborem,
Et quo sub caelo tandem, quibus orbis in oris
Iactemur, doceas; ignari hominumque locorumque
Erramus vento huc vastis et fluctibus acti.
Multa tibi ante aras nostra cadet hostia dextra.
Tum Venus: Haud equidem tali me dignor honore;
Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram,
Purpureoque alte suras vincire cothurno.
Punica regna vides, Tyrios et Agenoris urbem;
Sed fines Libyci, genus intractabile bello.
Imperium Dido Tyria regit urbe profecta,
Germanum fugiens. Longa est iniuria, longae

329. *an — an.* Ita explica: Deam te esse certe scio, nescio an sis Diana ipsa, nescio an aliqua eius nympha. Utrumque autem ei probatur, sed non utrum probabilius sit quaerit, satis contentus scire eam esse deam; *An — an* interrogationis disiunctivae apud bonos scriptores non esse cf. Gr. § 419, 7. — *Sanguis* saepe ap. Vglium genus significat, ut ap. nos *Blut* pro *Geschlecht;* ita 19. 6, 836 et saepe. *Pl.* coni. *A. P. s. an pars Nympharum agminis una!* „Ipse versus, minus leniter fluens, dubitantis animum exprimit.“ Sic coniectura probatur, quod ea peior fit versus, peior latinitas.

330. *Felix* activum est: reddens felicem cf. 6, 715; atque ita saepe in precationibus: *Quod felix faustum fortunatumque sit.* E. 5, 65 *Sis bonus o felixque tuis!* G. 1, 345 *felix hostia.*

332. *locorumque.* v. hypermeter cf. § 4.

333. *vastis et* Mss. — Vglius adiectiva bisyllaba, si sunt in medio versu, ut maiorem aliquam vim accipiant, ita solet collocare, ut extrema syllaba sub ictum cadat; ita *vastus* 1, 52. 86. 146. 162. 245 etc. quare *et vastis* minus probum.

334. Cf. E. 1, 7 *Illius aram Saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.* — *Cadere* deo hostia, quae immolatur, saepe dicitur cf. Hor. C. 3, 18, 5 *si tener pleno cadit haedus anno.* — *multa victima. Multus* adiectivum saepe singulari dicitur, quando plurali videtur opus esse; pluralis enim notio iam inest vocabulo. *Multa arbor* Luc. 10, 304. *multa rosa* Hor. C. 1, 5, 1. *multa canis* Ep. 2, 31. Sic *plurima nux* G. 1, 187. *plurimus oleaster* 2, 183. *plurima unda* 4, 419. Nos modo ita in collectivis: *viel Waldung.* Cf. Gr. § 360 An.¹

335—371. Venus docet Aeneam prope esse Carthaginem a Didone profuga conditam.

335. *Tum Venus.* Omissum est dicendi verbum ut saepe cf. 4, 416.

337. Cothurno opus erat venantibus, ne laederentur cf. E. 7, 32. „Cothurni sunt calceamenta venatoria, crura quoque vincientia, quorum quivis utrique aptus est pedi.“ S.

338. *Agenoris urbem* dicit eam, quae ab huius progenie condita est. Sic Carthaginiensis dicitur Agenoreus saepissime apud Silium 1, 15 *A. arces;* 17, 58 *A. litora;* 198 *A. porta;* 392 *A. ductor;* 404 *A. nepotes. Pl.* tamen *Agenoris urbem* insipidum vocans alia proponit pro lubitu eligenda, aut *P. r. v.* hemistichio, aut *Tyriaque ab origine stirpem* sive *Tyrioque ab Agenore stirpem!* Deinde coni. *Vicini Libyes* pro *S. f. L.* Agenor, Beli, Aegyptii regis, frater, primus Sidonis urbis rex dicitur, eius filii Cadmus, Phoenix, Cilix, filia Europa. Sidonii autem „Tyron urbem ante annum Troianae cladis condiderunt“ Iustin. 18, 3; inde etiam Dido Sidonia vocatur 446, alibi. — Didonem autem posteriorem fuisse illo tempore, quo Troia capta esse vulgo dicitur, plerique tradunt; sed etiam aliquos esse scriptores, qui Romam non multo post Troiam eversam conditam esse scripserint, res est satis nota, et iam Naevius idem quod Vgl. narrasse videtur.

339. *Fines Libyci* sunt, non Asiae, ubi Tyrios tu scies habitare *genus:* De liberiore appositionis genere cf. 5, 734.

340. *imperium regit.* Ita Ov. Pont. 3, 3, 61: *Sic regat imperium terrasque coerceat omnes Caesar;* ita *iura regere* pro *exercere* alii dixerunt. Licet etiam *imperium* intelligere de terra, cui imperat. Novum esse *regere imperium* et audacter

Ambages; sed summa sequar fastigia rerum.
Huic coniunx Sychaeus erat, ditissimus agri
Phoenicum, et magno miserae dilectus amore,
Cui pater intactam dederat primisque iugarat
Ominibus. Sed regna Tyri germanus habebat
Pygmalion, scelere ante alios immanior omnes.
Quos inter medius venit furor. Ille Sychaeum
Impius ante aras atque auri caecus amore
Clam ferro incautum superat, securus amorum
Germanae; factumque diu celavit et aegram,
Multa malus simulans vana spe lusit amantem.
Ipsa sed in somnis inhumati venit imago
Coniugis, ora modis attollens pallida miris;
Crudeles aras traiectaque pectora ferro

dictum laudat *Wd.* Contra *Gt.* „turpissimum mendum“ putat scribitque *gerit!*

342. *Summa fastigia* i. e. rerum capita, res maxime illustres. Vox eadem vi reperitur apud Varronem, translata de fastigio aedium. — *Sequar* sc. dicendo (cf. *verfolgen*) ita 2, 434; *prosequor* 2, 107; et *resequi* apud Ovidium (M. 6, 36. 8, 863. 13, 749) est pro *respondere.*

343. *Sychaeus.* Rem narrat Iustin. 18, 4. — *ditissimus agri* cf. 14. — Eundem divitiarum fontem, qui Romanis esse solebat, latifundia, pascua, arboreta Vgl. tribuit Phoenicibus, qui, mercaturae dediti, pollebant auro. Sed poterat Tyrius etiam dives esse agris. Hanc scripturam et libris Mss. et a grammaticis defensam ex 10, 563, temere illatam putat *Rb.* et Huetium secutus scribit *auri*, allatis v. 349. 358. 364, ubi auri sit memoratio! quasi id locis opus sit demonstrare aurum posse surripi non agrum. Atque illos versus Servium aliosque et eos qui describebant libros, non vidisse opinatur! — Deinde *Pl.* quod in *Sychaeus* v. 343 et 48 prima syllaba diverso metro est cf. § 13. in v. 343 pro *Sychaeus* scribit *aequaevus (!)* omisso nomine necessario!

344. *Miserae*, quae mox deliciis suis orbaretur. Vgl. saepissime vocabulo aliquo narrantis de re sententiam profert antequam narrat.

345. *pater* Belus. — *intactam*, castam virginem cf. Iuven. 6, 162 *intactior omni Sabina.* Hor. C. 1, 7, 5 *intacta Pallas.* — *iugarat ominibus.* Erant enim apud Romanos etiam nuptiarum auspicia cf. Val. Max. 2, 1. Tac. A. 11, 27. C. Div. 1, 16. Iuv. 10, 336. Catull. 61, 19 *bonā nubet alite virgo.* Prop. 3, 19, 14 *Contineant nobis omina prima fidem.* — *primis om.* Itaque nondum ob alium maritum antea capta erant omina. Erat primus amor.

347. *Pygmalion* Didonis est germanus. — *Ante alios* cum comparativo est poetarum.

350. *Securus amorum*, nihil curans Didonis amorem, quo maritum amplectebatur; ita *securus* c. gen. inde a Vglio cf. 7, 303. 10, 326. *securus belli* Luc. 5, 526. *securus famae* Ov. Trist. 1, 1, 49.

351. *Aegram* sc. animo; *aeger* enim de animi, *aegrotus* de corporis dici solet valetudine. Inde *mortales aegri* 2, 268.

352. *Malus* ut antea *impius* interpositum est ex narrantis iudicio. — *Vana spe lusit*, quum eum posse vivere diceret, quem ipse interfecerat. — *ludere*, sc. decipere 407.

353. *sed* cf. 19. *in somnis* cf. 2, 270. — *inhumati.* Etiam in hoc, quod ne sepelivit quidem, Pygmalionis apparet immanitas.

354. *modis miris* i. e. mirandum in modum. Idem 6, 738. 7, 89. 10, 822. G. 1, 477. Lucr. 1, 124 *simulacra modis pallentia miris.*

355. *crudeles aras.* De re cf. 349. Quodvis facinus locum quo fit afficere, et homo loco, in quo est, eandem quam habet indolem videtur praebere. Inde *litus avarum* 3, 44. *fortunata nemora* 6, 639. *limen crudele* 3, 616. *sceleratum* 6, 563 al. Romae erat *vicus sceleratus* et *porta scelerata.* Hinc locorum expiationes et consecrationes; hinc horror sacer, quo afficimur, si ad locum accedimus, quo egregium aliquid factum est. Cf. *Göthe: Die Stätte, die ein guter Mensch betrat, ist eingeweiht — das heilige Land.* — *Traiicere* est transfodere 2, 273. 9, 633. 10, 339. 400. Caes. B. G. 7, 25 *Scorpione* (teli genus) *ab latere dextro transiectus exanimatusque concidit.*

Nudavit caecumque domus scelus omne retexit.
Tum celerare fugam patriaque excedere suadet,
Auxiliumque viae veteres tellure recludit
Thesauros, ignotum argenti pondus et auri.
His commota fugam Dido sociosque parabat.
Conveniunt, quibus aut odium crudele tyranni
Aut metus acer erat; naves, quae forte paratae,
Corripiunt onerantque auro; portantur avari
Pygmalionis opes pelago; dux femina facti.
Devenere locos, ubi nunc ingentia cernis
Moenia surgentemque novae Carthaginis arcem;
Mercatique solum, facti de nomine Byrsam,
Taurino quantum possent circumdare tergo.
Sed vos qui tandem, quibus aut venistis ab oris?
Quove tenetis iter? Quaerenti talibus ille
Suspirans imoque trahens a pectore vocem:
O dea, si prima repetens ab origine pergam,
Et vacet annales nostrorum audire laborum,

356. *Nudavit* ad *pectora* pertinet, ex eoque aliud verbum monstrandi ad *aras* est extricandum. Id sibi sumpserunt vel optimi scriptores. Cic. pr. R. A. 8 *quum eodem tempore et ea, quae praeterita sunt, et ea, quae videntur instare, praeparet.* De Zeugmate cf. Gr. § 500. — *caecum*, obscurum cf. 6, 715.

357. *suadet* c. inf. Gr. § 425. An. 3.

358. *Tellure recludit;* i. e. e tellure effodit. Verba enim cum *re* composita saepius simplicem ablativum praepositione non addita assumunt; cf. *refulgeo* 402. *resto* 679. *reporto* 2, 115. *resigno* 4, 244. *revello* 546. *remitto* 5, 99. *reddo* 178. *refero* 409. *refluo* 9, 32. *resulto* 10, 330. *reporto* G. 1, 275. *redeo* 3, 11. *revoco* 4, 28. — *Auxilium viae* appositum ad *thesauros*, qui sint auxilium; ita 443. 636. 12, 84. Appositum est id, quod re ipsa efficitur. Cf. *Otho pontificatus auguratusque honoratis iam senibus cumulum* dignitatis addidit T. H. 1, 27. 44. A. 2, 64.

359. *ignotum* sc. Pygmalioni, aliis, notum Didoni, cf. Iust. 18, 4: „Huic (Sychaeo) magnae sed dissimulatae opes erant, aurumque metu regis non tectis sed terrae crediderat. Quam rem etsi homines ignorabant, fama tamen loquebatur. Qua spe incensus Pygmalion generum suum occidit.“

362. *paratae* sc. erant et 367 *mercatique* sc. sunt cf. 5, 362.

364. *Pygmalionis opes*, non quas ille iam suas putabat; sed quae ex iure imperii ipsi cedere debebant, eiusque erant. *Pl.* pro *opes* coni. *spes*, versumque corrumpit. — *dux femina.* Id attentum facit eum, qui audit, in talem feminam.

365. *cernis M.* „cum multis“ *Hn. cernes PRγ* teste *Rb.* i. e. statim videbis. Sed docuit *Wg. nunc* cum futuro non ita dici. Ac rem conficit quod narratum est ad 159.

366. *arcem* i. e. Byrsam, quum *arces* v. 20 significet urbem Carthaginem.

367. *mercatique:* Notissima est de taurino corio fabula, orta sine dubio, quod Phoenicum vocem Bosra, qua arx significatur, Graeci cum ipsorum aliquo vocabulo βύρσα confundebant; ut Tac. hist. 5, 2 Idaeos Cretenses cum Iudaeis permiscet. — Delet *Wd.* quod male iungitur; quod male narratur, quum mercati sint non solam Byrsam; quod singula inter se male cohaerent. *Wg.* ut servet, transponit versus: Merc. Tau. Dev. Moen! Frustra *Pl.* ex Sil. 1, 24 demonstrare conatur hos versus iam lectos esse a Silio. Nihil ibi legitur quam nota haec historia, quam interpolatorem etiam a Silio sumpsisse non minus probabile est, quam a Vglio Silium. At *Pöhlig*, *Stendal* 71 ex imitatione quae est Ciris 488 versus iam primo saeculo lectos esse demonstrat.

369. *Qui tandem* signat sciscitantis desiderium.

372—386. Aeneas quae sibi acciderint narrat.

372. *repetens a prima origine.* Simile 8, 371. G. 4, 285. — *Pergam* sc. narrare. Ita Cic. Verr. 3, 3, 20 *pergam atque insequar longius.*

373. *Annales* dicit, quod multos annos

Ante diem clauso componet Vesper Olympo.
Nos Troia antiqua, si vestras forte per aures
Troiae nomen iit, diversa per aequora vectos
Forte sua Libycis tempestas appulit oris.
Sum pius Aeneas, raptos qui ex hoste Penates
Classe veho mecum, fama super aethera notus;
Italiam quaero patriam et genus ab Iove summo.
Bis denis Phrygium conscendi navibus aequor
Matre dea monstrante viam, data fata secutus;
Vix septem convolsae undis Euroque supersunt.
Ipse ignotus, egens, Libyae deserta peragro,
Europa atque Asia pulsus. Nec plura querentem
Passa Venus medio sic interfata dolore est:
 Quisquis es, haud, credo, invisus caelestibus auras

continuos vexatum se maeret esse laboribus.

374. *componet* MP2. *componat* RP1. Utrumque per se bonum; standum igitur a libris melioribus el Hor. C. 3, 3, 7 *Si fractus illabatur orbis, Impavidum ferient ruinae.* Cic. Tusc. 5, 35, 102 *Dies deficiet* (alii dant *deficiat*), *si velim paupertatis causam defendere.* Cf. Gr. § 406, 2. — *Componere* est quieti tradere cf. 249 et Pl. Ep. 2, 17 *composito die.* — Hoc loco Olympus dicitur pro caelo naturali, sic 7, 218. 8, 280. Ecl. 6, 86 ut G. 1, 450 *emenso quum iam decedet Olympo* et Cic. de Consulatu I. 2 *Nam pater altitonans stellanti nixus Olympo* qui v. legitur in de Div. 1, 12. Rarior tamen ea est significatio, quam vulgo creditur; certe multis in locis *Olympus* aut montem, aut deorum sedem signat, non ipsum caelum.

375. Nomen si it per aures, auditur.

376. *diversa:* procul inter se remota 3, 4.

377. *Forte sua* urgendum est Aeneae, ne videatur consulto et ut popularetur Africam adiisse. Idem facit Ilioneus 527. Incolaeque advenarum solebant metuere iniurias et rapinas; sic Pallas 8, 110 advenientibus quasi hostibus occurrit. Itaque Aeneas primum memorat, tempestate se esse appulsum, deinde se esse pium, deorum colentem ob eamque rem *fama super aethera notum.* Itaque tibi tuisque a me nihil est periculi. *Pl.* scribit *aeq. ventis iactatos Libycis Gt: Orta furens Libycis.* Ita 384 *Libyae deserta* memorantur. Terrae autem nomen modo a virgine audierat, quod vel bis eidem obtundere num ex narrationis indole sit, quaero.

378. *Penates* cf. 527.

380. Ex Italia, Corytho scilicet, Etruriae urbe, Dardanus erat filius Iovis. Talem quaerit patriam, quare periculum non est, ne in Africa, terra externa velit sedem ponere. *Pl.* proponit: *S. p. A. f. s. a. n. I. q. patriam: genus a. I. s. Classe v. m. raptos ex hoste P.* — *et genus* Mss. plures, *et* omittunt al. Si eiicis *et*, cogeris *genus* habere appositionem ad v. *patriam*, qualis notatur 339. Non potest *genus* pertinere ad Aeneam, non quod ea nimia esset gloriatio eius, qui modo fama super aethera notum se esse dixit, sed quia, qui sit, iam 378 et 379 indicavit. Iam respondet a v. 380 alteri quaestioni: *Quove tenetis iter?* Hoc si statueris, non erit magni momenti *et* aut positum aut omissum. — *genus ab Iove* sc. ortum cf. 7, 647.

381. *bis denis* cf. 71.

382. *data fata* cf. 3, 5. — *Matre monstrante.* „Hoc loco per transitum tangit historiam, quam per legem artis poeticae aperte non potest ponere. Nam Varro in secundo rerum divinarum dicit: *Ex quo de Troia est egressus Aeneas, Veneris eum per diem quotidie stellam vidisse, donec ad agrum Laurentem veniret, in quo eam non vidit ulterius, qua re et terras cognovit esse fatales*“ S. *data Pl.* coni. *mea.*

384. *Libyae Pl.* coni. *exsul.*

385. *Interfata querentem non passa plura* sc. queri. Ita iungi potest et *interfari* c. acc. ap. Liv. 32, 34. *Orsum eum dicere Phaeneas interfatus.* Plin. Ep. 1, 23 *quem interfari nefas esset.* Praestat tamen iungere *passa querentem:* ut vel Cicero usus est participio Off. 1, 21, 71 *Iis forsitan concedendum sit rem publicam non capessentibus, qui excellenti ingenio doctrinae sese dediderunt.* Cf. 7, 421. 10. 426.

387 — 401. Venus Aeneam socios revisurum promittit.

387. *Credo* iniectum orationi ut 10, 865.

Vitales carpis, Tyriam qui adveneris urbem.
Perge modo atque hinc te reginae ad limina perfer.
Namque tibi reduces socios classemque relatam
Nuntio et in tutum versis aquilonibus actam,
Ni frustra augurium vani docuere parentes.
Adspice bis senos laetantes agmine cycnos,
Aetheria quos lapsa plaga Iovis ales aperto
Turbabat caelo; nunc terras ordine longo
Aut capere aut captas iam despectare videntur.

Similis sententia ap. Hom. Od. 3, 28. — *Vitales auras* dixit Lucr. 3, 406 *Vivit et aetherias vitales suscipit auras;* alibi.

388. *Carpere* ita saepius ap. poetas; (nostrum, *pflücken, d. h. was am Wege steht, sich darbietet, geniefsen*). Ita 4, 522. 555. G. 3, 435 *molles sub divo carpere somnos.* Pers. 5, 151: *Carpamus dulcia.* Hor. C. 1, 11, 8: *Carpe diem, quam minimum credula postero.*

391. *in tutum* cf. 422. — *actam. Agi* ventis nautae dicuntur cf. Hor. C. 3, 7, 5 *actus ad Oricum.* Ov. M. 4, 620 *Inde per immensum ventis discordibus actus.*

392. *Vani*, ut qui doctrinam professi sunt, quam non habent.

393. In hoc augurio cycni sunt; nam est avis Veneri sacra et „cycnus in auguriis nautis gratissimus ales, hunc optant semper, quia nunquam mergitur undis." — *laetantes* „post periculum" S. — *duodecim;* is enim fuit numerus navium amissarum, ut iam ex eo Aeneas cognosceret augurii fidem. — *agmine*, i. e. non amplius turbati, sed ordinem servantes.

394. Aquilae cum oloribus inimicitias exercent teste Plinio 10, 74, 95 et Buffonio. — *Caelum apertum*, *freier Himmel*, dici potest nubibus non obductum, ut Ov. M. 6, 693 et G. 1, 393 *aperta serena*, ut *campus apertus* est arboribus non consitus et impeditus. Sed esset otiosum; quare ita accipe, ut simul significet, in quo nihil est, quo quis se tegere possit aut defendere. Sic Caes. B. C. 3, 84: *His erat rebus effectum, ut equites mille apertioribus etiam locis septem milium Pompeianorum impetum sustinere auderent.* Itaque *caelum apertum* est, quo cycni ubique expositi sunt aquilae impetui, et bene comparantur cum nautis in alto mari tempestate iactatis.

396. *Despectare terram* est ap. Ov. M. 4, 623 *ex alto .. aethere longe despectat terras.* Cf. 224. — *Aut capere* respondet versui 400: *aut portum tenet; aut captas iam despectare videntur* respondet: *aut pleno subit ostia velo.* Rem quotidie potes videre; priores aves iam locum capiunt, reliquae intentis in illas oculis devolant; itaque *captas* explica captas a prioribus avibus. Tali modo si haec verba interpretaris, neque languidum quidquam inest comparationi, neque verbum ullum supervacuum, neque structura difficilis. Versus autem 397. 98 nihil significant nisi gaudium olorum ex aquilae impetu liberatorum, quo non minus socii e tempestate servati fruebantur, cantuque id ex nautarum more significabant. Quod quum tempore prius sit eo, quod inest v. 396, perfectum ponitur. Atque ut illi cycni, qui iam in caelo aperto aquilam decussere, non aufugiunt in terram volando, sic nautae in mari aperto iam ventis placatis liberatique periculo eamque ob caussam iam congregati ac laeti et canentes, ut illi cycni terram, ita ipsi portum petunt, quo quiescant, non quo defendantur. Superest memorare quantae turbae in h. l. motae sint. — *Pl.* v. 393 ut ingratum sibilum tollat, dat *Agmina bis senos laetantia conspice cycnos* et 396 explicat: „Terras capiunt et captas, metu dempto, statim relinquunt et in altum evolant. (Quid ibi volunt?) *Despectare terras* est super terras se tollere. Idem vidit *Wg.*" Sic tollitur omnis comparati similitudo; magis etiam quod 398 dat: *et coetu cinxere lacum.* — Post scribit *Haud aliter puppesque ducum;* additque: „Quare Vgl. dixisset *puppes tuae* et *pubes tuorum* non intelligo." At ista mutandi caussa non est sed accuratius quaerendi. *Schenkl (Recens. Weidneri)* pro *captas* scribit *captis* et ita iungit: „Adspice ut cycni, quos a. turb. quique terras capere .... videntur reduces (i. e. rursus in caelum elati) (!) polum cinxerint." *Rb.* novum infert vocabulum *capsos* (*Nistkasten*, saepta) pro *captas* et *respectare* (quod est in uno P.). Quaerit enim perfugii aliquam significationem ab h. l. alienam. Neque *Wd.* expedire se potest, nisi scriptura *respectare* pro *des.* et deleto versu 398. *Benoist* v. 396 explicat: *capere* per *quae-*

Ut reduces illi ludunt stridentibus alis
Et coetu cinxere polum, cantusque dedere,
Haud aliter puppesque tuae pubesque tuorum
Aut portum tenet aut pleno subit ostia velo.
Perge modo, et, qua te ducit via, dirige gressum.
    Dixit et avertens rosea cervice refulsit,
Ambrosiaeque comae divinum vertice odorem
Spiravere; pedes vestis defluxit ad imos;
Et vera incessu patuit dea. Ille ubi matrem
Adgnovit, tali fugientem est voce secutus:
Quid natum totiens crudelis tu quoque falsis
Ludis imaginibus? cur dextrae iungere dextram
Non datur ac veras audire et reddere voces?
Talibus incusat gressumque ad moenia tendit.
At Venus obscuro gradientes aere saepsit,
Et multo nebulae circum dea fudit amictu,
Cernere ne quis eos, neu quis contingere posset,
Molirive moram aut veniendi poscere caussas.
Ipsa Paphum sublimis abit sedesque revisit
Laeta suas, ubi templum illi, centumque Sabaeo

rere: alii adhuc quaerunt, alii in quaesitum locum oculos defigunt. (Sic comparatio plane sublata est.) *Ld.* qui antea versus transposuit. nunc meam sequitur sententiam et *Wg.*

398. *cantusque dedere* cf. 2, 698. „Anas cycnus ferus" dulciter canere dicitur, ita 7. 700. E. 8, 55. Hom. Il. 2, 459. Quare Apollini etiam sacer et poetae cycni dicuntur, ut ap. Horat. 4, 2, 25 Pindarus est cycnus Dircaeus.

400. *Ostia* sc. portus, ita *portus ostium* dixit Cic. Verr. 4, 53, 118.

402—440. Aeneas venit Carthaginem.

402. *avertens* cf. 104. — In discessu dii solent numen suum indicare cf. 4, 277. 5, 658. 9, 659. — *Cervice* et *vertice* iunge cum v. *refulsit* et *spiravere* cf. 358.

403. *Ambrosia* omnia sunt deorum, ita et comae, vestes ut Hom. Il. 5, 338 *ἀμβρόσιος πέπλος*. Il. 1, 529 *ἀ. χαῖται.*

404. *Vestis defluxit*, „quia dixit supra (320) sinus collecta fluentes" S.

405. *Incessu* etiam dignitas apparet cf. 46. 5, 647. Ov. M. 3, 609: *Specto cultum faciemque gradumque, Nil ibi, quod posset credi mortale, videbam.* Cum nostro loco confer Ovidium, qui de Flora haec: *Tenues secessit in auras, Mansit odor, posses scire fuisse deam* Fast. 5, 375. Lusit hic; dignitatem secutus est Virgilius. Iunge *vera patuit:* incessu igitur patuit veram esse deam.

407. *totiens.* Itaque et alibi sub falsa imagine Venus se obtulerat filio, vera 2. 589. — *Ludere aliquem* 7, 442. 11, 427. Cic. ad Q. Fr. 2. 12 *Eum lusi iocose satis.* Ter. Ad. 4, 5, 63 *Obsecro num ludis tu nunc me?* — Sine copula ad prius adiungitur alterum idque explicatius ut 421. 461. cf. 266.

409. *veras* i. e. voces matris filium *audire* et matri suas *reddere*, non quasi alienum alienae.

411. *Venus — dea.* Nomini proprio in altero enuntiato additur appellativum ut 692. 12, 634, et appellativo proprium 7, 620. Non absimile, quod notatum est ad 8. 168. — Eodem modo Ulysses per Minervam nube circumfusus Alcinoi domum intrat. Cf. Hom. Od. 7, 14.

413. *Aut* non est interrogativum sed tertiae interrogationis discernit partes cf. Gr. § 419, An. 8.

414. *moliri* cf. 2, 108.

415. *sublimis abit* cf. 4, 22. — *Paphus* et Amathus, urbes Cypri Veneris cultu nobilissimae; inde Venus et Paphia et Amathusia dicitur. Omnino in insula Cypro Venus colebatur; inde *Κύπρις* dicta.

416. *Laeta*, quod sedes suas revisit missa de filio cura. — *centum arae.* Is numerus in sacris sollemnis cf. 4, 200. — *Sabaei* Arabum gens. ex Saba autem tus cf. G. 1, 57. 2, 117; quod nec Homeri

Ture calent arae sertisque recentibus halant.
Corripuere viam interea, qua semita monstrat.
Iamque adscendebant collem, qui plurimus urbi
Imminet adversasque adspectat desuper arces.
Miratur molem Aeneas, magalia quondam,
Miratur portas strepitumque et strata viarum.
Instant ardentes Tyrii, pars ducere muros,
Molirique arcem et manibus subvolvere saxa,
Pars optare locum tecto et concludere sulco.
[Iura magistratusque legunt sanctumque senatum]

tempore Graecis, nec Numa regnante Romanis in usu erat, cf. O. F. 1, 341; tamen a poeta tempori tribuitur Troiano. Sic 4, 453. 8, 106. 11, 481. — Veneri autem Paphiae „sanguinem arae offundere vetitum, precibus et igne puro altaria adolentur" Tac. H. 2, 3.

418. *corripere viam*, ita Ov. M. 2, 158. Plin. Ep. 4, 1 *sed tanto magis viam ipsam corripiemus*; sc. celeritate, ita ut ambo viae termini brevi temporis intervallo interposito ab eo, qui it, attingantur atque in unum quasi corripiantur; ita *corripere spatia* 5, 316, *campum* 5, 144. G. 3, 104. Iam socios visendi cupidi properant ad urbem. — *qua* cf. 2, 505.

419. *collem* cf. 159. — *plurimus* cf. 6, 659.

420. *Imminere* montes infra iacentibus terris saepe dicuntur ut 165. Ov. M. 4, 524 *Imminet aequoribus scopulus*. Liv. 28, 6 *Duas arces urbs habet, unam imminentem mari*. 29, 35 *Exercitus ab imminente prope ipsis moenibus tumulo est admotus*. — *Adversus* i. e. ad nos versus, regione oppositus; ita saepissime 4, 701. 5, 89. 6, 418. 552. 684. 755 et ap. Ciceronem. — *Aspectare* primus dixit Vgl. pro prosaico *spectare ad* i. e. vergere ad. Post Tac. Agr. 24 *Britannia Hiberniam adspicit*. — *arces*: *Pl.* coni. *aedes*.

421. *Molem* sc. aedificiorum cf. Cic. Mil. 31. Hor. C. 3, 29, 10 *Fastidiosam desere copiam et molem propinquam nubibus arduis*. — *magalia*. Suburbia Carthaginis id nomen retinuerunt. Magalia autem sive mapalia „aedificia Numidarum agrestium, oblonga, incurvis lateribus tecta, quasi navium carinae sunt" Sall. Iug. 18. „Magalia, Afrorum casas, et mapalia idem significant, sed magalia ma producit, mapalia vero corripit ut G. 3, 340" S. ad 4, 259. — *Magalia quondam* fuisse recte monet *Ld.* intellexisse Aeneam ex magalibus circumiacentibus cf. 4, 259. Versum delet *Pl.*

422. *Strata viarum* ita Lucr. 1, 316 *strataque iam vulgi pedibus detrita viarum*. 4, 417 *collectus aquae, qui lapides inter sistit per strata viarum (gepflasterte Straſse)*. Poetae enim substantivorum maxime abstractorum paucitate coacti, neutra adiectivorum fecerunt substantiva, neque solum pluralis numero sed etiam singulari quae genitivum assumerent, secuti illi suae linguae ingenium, quo si qua vis inest in adiectivi notione, substantivo ea proferri solet cf. Gr. § 363.

423. *Instant* absolute dicitur 2, 491. Iam vero quum h. l. *ardentes* non minus absolute dictum sit, ut etiam 472. 2, 41. 529, magis convenit iungere *instant* cum infinitivo *ducere*, ut est 2, 627. 10, 118. Lucr. 4, 998 *corripere instant*. Neque offenderis, quod *pars* — *pars* sequitur, si comparaveris 11, 887. — *Ducere muros*, *Mauern führen* et Sallustius et Livius aliique dixerunt, quos laudat Bentl. ad Hor. C. 3, 3, 65.

424. *Subvolvere*, hoc uno loco lectum, est in sublime efferre cf. *subiicere* 12, 288 et *suspicere* 438. — *moliri arcem* „molibus factis extollere" S. Cf. 2, 108.

425. *Optare* est eligere; ita 3, 109. 5, 247. 8, 503. Cic. pr. RA. 11.

426. *iura magistratusque legunt*. Ex *legunt* verbo ad *iura* verbum *constituunt* vel simile aliquid eruendum est cf. 356; vel *iura* indicat iudices, qui ius dicunt, et habemus *eine richtende, verwaltende und berathende Behörde*. Tamen non falsi sunt ii, qui in hoc versu haesere interpretes. Nam et ante et post de aedificiis est sermo, neque *iura legunt* placet ob zeugma; adversatur hic versus etiam rationi, qua Dido regiam exercet potestatem cf. 507 et 5, 758, neque unquam apud Romanos populus Senatum legit. Intulit hunc versum aliquis, qui comitiorum etiam fieri mentionem voluit, et qui meminerat locorum 3, 132 sq. 5, 755 sq. *Hck. Nck.* versum retinent; delent *Pl. Wg. Ld. Wd.*

Hic portus alii effodiunt; hic alta theatri
Fundamenta locant alii, immanesque columnas
Rupibus excidunt, scenis decora alta futuris:
Qualis apes aestate nova per florea rura
Exercet sub sole labor, quum gentis adultos
Educunt fetus, aut quum liquentia mella
Stipant et dulci distendunt nectare cellas,
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
Ignavum, fucos, pecus a praesepibus arcent;
Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella.
O fortunati, quorum iam moenia surgunt!
Aeneas ait, et fastigia suspicit urbis.
Infert se saeptus nebula — mirabile dictu —
Per medios miscetque viris, neque cernitur ulli.
Lucus in urbe fuit media, laetissimus umbrae,

427. *theatri* MγP2. prob. *Hn. Pl. Wg. theatris* FRP2. prob. *Rb. Nck. Wd.* Utrumque recte dicitur. — *lata* unus F. prob. *Pl. Rb. Wd. alta* MPRγ. prob. *Wg. Ld.* et si S. dicit „Hinc futura magnitudo intelligitur“ non patet utrum legerit, *lata* autem videtur correxisse cui *alta* 429 repetitum displicebat. Qua de re cf. 6, 901. Neque ut quis pro *lata* inferret *alta* caussa erat. Theatrum Vglii tempore in quavis fere urbe Graeca et Romana erat; quare non dubitavit poeta etiam Poenis attribuere.

428. *fundamenta locant:* Apud scriptores usitatius *iacĕre* cf. 5, 631. *locant* MPRF2. *petunt* F1. rec. *Rb.*

429. *excidunt* cf. 6, 42. Suet. Cal. 37 *excisae rupes durissimi silicis.* In hac arte Romani praestabant. — *Scenis* dat. a substantivo *decora* pendens. Rutil. Itin. 1, 93 *Percussere labor densis decora alta tropaeis.* A. 10, 203 *ipsa caput populis.* 8, 65 *celsis caput urbibus.* Sen. Ira 1, 9 *miles qui signum receptui negligit.* Flor. 1, 1, 4. *Latio caput* cf. Gr. § 366.

430—36. Hoc loco praeivit comparatum, ut saepius; ipsa autem comparatio aptissima est, et quod sedulitatem Poeni ostendunt, et quod quum inter se discurrant variaque officia exsequantur, ordine tamen omnia et consilio agunt. Ad rem cf. G. 4, 162 sq. — *Per florea rura* Claud. R. Pros. 2, 118 sed quod ibi iam fere eadem leguntur, *Gt.* 431—36 ab alio illatos putat et eiicit, contra nitente *Wdro*, qui ipsi huic loco eos aptissimos esse demonstravit.

431. *exercet* cf. 3, 182. — *Sub sole* significantius et rectius, quam *in sole;* ita E. 2, 13 *sole sub ardenti.* Ov. M. 1, 603: *sub nitido dic.* Hor. C. 1, 1, 25: *sub Iove frigido.*

433. *Distendunt* notat ingentem copiam cf. Tib. 2, 5, 84 *distendet spicis horrea plena Ceres.* E. 7, 3 *distentae lacte capellae.*

435. *ignavum, fucos genus:* Verba ita posita etiam alibi; Flor. 1, 11, 7 *aestivae, Praeneste, deliciae.* Cf. E. 2, 3. 3, 3 *infelix, o semper, oves, pecus.*

436. Ut ex diverso apum labore fit aliquid sc. mel, sic ex Poenorum Carthago.

437. Aptissima haec exclamatio.

438. Quid sit *suspicere* docet S. ad 224. Verbum id significare testantur loci 6, 668. Cic. N. D. 2, 2 *quum caelum suspeximus* etc.; quem locum qui est imitatus auctor orationis de Har. Resp. 9 dixit: *quum suspexerit in caelum.* Inde etiam substantivum *suspectus ad Olympum* 6, 579, et frequentativum ap. Avien. descr. terr. 369 *Memnon suspectat roseas Aurorae matris habenas.* — *Suspicit,* quum colle relicto urbem intraret.

439. *mirabile dictu* cf. 7, 73.

440. *cernitur ulli.* Dativus cum passivo saepius apud poetas, rarius apud scriptores invenitur et Ciceronem; saepius cum participio iunctus quam cum verbo finito cf. 326. 2, 247. 3, 14. 6, 793. Cf. Gr. § 288.

441—493. Aeneas quae in Iunonis templo sunt imagines perlustrat.

441. *Umbrae* et *umbra* est in M. *Umbrae* significat *cui magna est umbra;* ita 11, 73 *laeta laborum;* et laudatur fragmentum Sallusti: *frugum pabulique laetus ager.* Cf. 343 *ditissimus agri;* et est gen. copiae cf. Gr. § 265, 7 et 4.

Quo primum iactati undis et turbine Poeni
Effodere loco signum, quod regia Iuno
Monstrarat, caput acris equi; sic nam fore bello
Egregiam et facilem victu per saecula gentem.
Hic templum Iunoni ingens Sidonia Dido
Condebat, donis opulentum et numine divae;
Aerea cui gradibus surgebant limina, nexaeque
Aere trabes, foribus cardo stridebat aenis.
Hoc primum in luco nova res oblata timorem
Leniit, hic primum Aeneas sperare salutem
Ausus et adflictis melius confidere rebus.
Namque sub ingenti lustrat dum singula templo,
Reginam opperiens, dum, quae fortuna sit urbi,

Praestat id alteri *umbra* nam i. e. qui laetatur umbra, quam habet (cf. v. 275). Sic est Ov. Pont. 1, 2, 25 *Adde loci faciem, nec fronde nec arbore laeti.* Qua significatione posteriores poetae posuere vel genitivum, ut Silius, Statius, Claudianus, fortasse male intellecto hoc Virgilii loco. *Umbra* autem videtur ex *media* ortum esse.

443. Signum ut esset obtulit dea cf. 358. Rem satis notam narrant Sil. 2, 411 et Iustin. 18, 5 *Ibi quoque equi caput repertum bellicosum potentemque populum futurum significans, urbi auspicatam sedem dedit.* S.: „Sacerdos locum elegit faciendae urbis, quo effosso inventum est caput bovis, quod quum displicuisset, quia bos semper subiugatus est, alio loco effosso, caput equi inventum placuit. Illic ergo Iunoni templa fecerunt. Unde et bellicosa est Carthago per equi omen, et fertilis per bovis." In monetis Carthaginiensium equus est; et agricultura Carthaginienses clari, ut Romani eorum de ea re libros converterint. Revoca tibi in memoriam, quae narrantur de Capitolio Romano. Simile ex equis augurium 3, 540.

444. *Sic*, hoc signo, *fore* a verbo *monstrarat* pendet. — *Nam* secundo loco positum ut 3, 379. 10, 585.

445. *Facilem victu* ut 3, 621 *nec visu facilis* cf. Gr. § 443; et ipse *victus* dicitur *facilis* G. 2, 460. Contrarium est *asper victu* 8, 318 et *Mensis asper populus victuque maligno* Sil. 3, 280. *Facile* autem *vivere* dicitur, qui securam ac iucundam vitam degit; ita Plaut. Curc. 5, 2, 6 *Nugas garris. — Soleo, nam propter eas vivo facilius. Hck. Ih Pl.* *victu* deducunt a *vincere*, et *Pl.* coni.: *Egregiam haud facilem vinci per s. g.*

447. *Condebat;* itaque nondum perfectum erat templum, ut intelligitur ex v. 454. Sed tamen paene erat perfectum, ut iam imagines appictae essent et ut eo iam posset uti Dido ad ius dicendum. — *donis opulentum et numine.* Quod magnum erat deae numen et potentia, dona multi offerebant, qui ab ea auxilium exspectabant. In mentem revoca templa, quae erant Delphis, Deli, alia.

448. *Surgebant gradibus limina* i. e. gradibus suppositis factum est, ut limina essent altiora. Itaque gradibus ascendebatur ad templum.

449. *nexaeque aere trabes.* Ita Soph. El. 837 Χρυσόδετος dixit pro Χρύσεος. — „Aerea ideo vel quod aes veteres magis in usu habebant, vel quod religioni apta est materies." S. — Cum vi quadam repetit idem verbum ut 4, 138; saepe Ov. M. 4, 636. 5, 566. 2, 107 *Aureus axis erat, temo aureus, aurea summae curvatura rotae.* — Ad rem nota, quod Argis colebatur Iuno Χαλκίοικος, Spartae Athene, et Alcinoi domus (Hom. Od. 7, 84 sq.) aere, argento, auro, et Pantheon, ab Agrippa conditum, aereis trabibus et valvis exstructum est. Neque minus alia Italiae templa ornata fuisse probabile. *nexae* FMPRγc. prob. *Rb. Wd.* „Multi *nixae* legunt, non *nexae*" S. *nixae Pl. Wg. Ld.* Genuinum videtur *nexae;* utrumque fere ad idem redit; nempe et columnae, trabes, cardo, al. aere facta sive obducta sunt; sed recte *Wd.* monet in *nixae* non probam esse dicendi rationem. — *surgebant*, *nexaeque* cf. 5, 362.

452. *melius:* magis. — *Confidere* absolute dictum, *Muth fassen; afflictis rebus* est abl. quamquam res afflictae erant. Cf. 2, 402.

453. *Sub templo* i. e. in inferiore templi parte (cf. 4, 387) stans opera in eo sculpta conspicit.

454. *Opperiens;* exspectans. Aeneas v. 389 iussus est ad limina adire reginae; quum ad templum nondum perfectum, cf. v. 447, pervenisset, potuit ex operariis

Artificumque manus inter se operumque laborem
Miratur, videt Iliacas ex ordine pugnas,
Bellaque iam fama totum volgata per orbem,
Atridas, Priamumque, et saevum ambobus Achillen.
Constitit et lacrimans: Quis iam locus, inquit, Achate,
Quae regio in terris nostri non plena laboris?
En Priamus! Sunt hic etiam sua praemia laudi;
Sunt lacrimae rerum, et mentem mortalia tangunt.
Solve metus; feret haec aliquam tibi fama salutem.
Sic ait atque animum pictura pascit inani,
Multa gemens, largoque humectat flumine voltum.
Namque videbat, uti bellantes Pergama circum
Hac fugerent Graii, premeret Troiana iuventus;
Hac Phryges, instaret curru cristatus Achilles.

inter se colloquentibus audire reginam adventuram. Nam poeta epicus non curat linguae diversitatem, neque eius est interponere interpretem. — *fortuna* „felicitas" s. opes.

455. *Artificum manus* etc. i. e. artem in operibus et laborem comparans miratur. Cf. Petron. Sat. 83 *Zeuxidos manus vidi nondum vetustatis iniuria victas.* Nos: *er schreibt eine gute Hand.* — *inter se* Vulg. *intra se* FMPRγbψ. teste *Rb.* quum *Hn.* et *Wg.* ex libris omnibus dant *inter se;* quod *Sb* explicat „manus artificum inter se operantium. *Rb.* coni. *intrans* sive *intras.* Sed non intus sunt imagines, nec recte narratur: *intrans miratur. Wd.* suspicatur pro *inter se* tale aliquid. quale *nitidas.* — *Operum laborem* ita G. 2, 155 i. e. opera ipsa, quatenus labore et diligentia perficiuntur. De voce *labor* cf. 7, 248.

458. *Saevum* c. dativo; ita Tib. 1, 2, 88 *saevire* c. dativo. — Priamo iratus est, ut hosti. Atridis per tempus ob ereptam Briseidem; quare his verbis inest argumentum Iliadis. Hunc v. eiicit *Pl.* quod saevus Atridis Achilles non pertineat ad Iliacas ex ordine pugnas, et quod saevus Priamo non recte dicatur sc. ei, cui tot filios interfecit!

460. *Plena laboris.* cf. 4, 189.

461. *En* cum nominativo, ut 4. 597. 5, 639 solet iungi. Cf. Gr. § 311. — *Laus* est quam virtute et rebus gestis aliquis meretur cf. 5, 355. 8, 273. 10, 825. 9, 252 *Quae digna viri pro laudibus istis Posse rear solvi?* Itaque *laus* omnino de facto laudabili. Effectum pro efficiente, ut *vulnus* pro *telo* 2, 529. — *Hic*, ubi nunc sumus, Carthagini.

462. Sunt *lacrimae rerum* cf. 2, 784 i. e. rerum factarum etiam earum quae non ad ipsos pertinent; et *mentem* sc. Carthaginiensium *tangunt. rühren*, cf. Cic. Att. 2, 19 *Minae Clodii ... modice me tangunt.* — Itaque huius terrae incolae et virtutem laude, et miseriam misericordia prosequuntur. — Iam *Br.* coniecit *gentem; Gt: sunt lacrimae aerumnis: gentem. Pl: sunt lacrimae. reor, atque homines mortalia tangunt!*

463. *Solvere metus* cf. 5, 420. — Pluralis recte, nam multa adversa accidere poterant omnium rerum inopibus et in terra incognita versantibus. De hoc plurali cf. 5. 359. In eo autem magna est sermonis dulcedo, quod Achatem alloquitur eumque ut bono animo sit exhortatur. — *Aliquam* i. e. non contemnendam; qualis fatura sit, nondum potest signare.

464. *Pascit animum: er weidet sich am todten Bilde* cf. Cic. Verr. 5, 26. *Quum eius cruciatu atque supplicio pascere oculos vellent.* — *Inanis* est pictura sive caelatura, si comparatur cum rebus quibus interfuit ipse.

465. Similia 6. 1. 11, 90. Hom. Il. 9, 14 Agamemno δακρυχέων ὥστε κρήνη μελάνυδρος. Lucr. 1, 919 *Et lacrimis salsis humectant ora genasque.* Ex nostro more, qui lacrimas fundere viro forti indecorum habemus, non est haec res iudicanda. Dixit etiam Ov. Met. 1, 584 *Inachus fletibus auget aquas;* quod nos non diceremus, nisi forte iocantes.

467. *Hac — hac* ita opposita leges ap. Prop. 1, 3, 13. Cf. 9, 572. — *Premere hostem.* proprium hac in re verbum apud Livium. Caesarem, al. cf. 324.

468. In crista inest aliquid, quod terrorem moveat; hinc κορυθαιόλος Ἕκτωρ et Il. 6, 469 λόφον ἱππιοχαίτην δεινὸν ἀπ' ἀκροτάτης κόρυθος νεύοντα νοήσας tremit Astyanax. Cf. 12, 88.

Nec procul hinc Rhesi niveis tentoria velis
Adgnoscit lacrimans, primo quae prodita somno
Tydides multa vastabat caede cruentus,
Ardentesque avertit equos in castra, prius quam
Pabula gustassent Troiae Xanthumque bibissent.
Parte alia fugiens amissis Troilus armis,
Infelix puer atque impar congressus Achilli,
Fertur equis, curruque haeret resupinus inani,
Lora tenens tamen; huic cervixque comaeque trahuntur
Per terram, et versa pulvis inscribitur hasta.
Interea ad templum non aequae Palladis ibant
Crinibus Iliades passis, peplumque ferebant,
Suppliciter tristes et tunsae pectora palmis;
Diva solo fixos oculos aversa tenebat.
Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros,
Exanimumque auro corpus vendebat Achilles.

469. De Rheso, Thraciae rege et Hecubae fratre eiusque sociis, a Diomede occisis, et equis ab Ulysse abductis Hom. Il. 10, 433 sq. 470 sq.; sed primus, ut videtur, Pindarus tradidit, in fatis fuisse, Troiam non potuisse capi, si Rhesi equi pabula gustassent Troiae Xanthumque bibissent. — *niveis tentoria velis.* In bello Troiano aut sub dio noctem peragunt aut in tuguriis (κλισίαις); non sub tentoriis linteis. Cf. 168.

470. *primo prodita somno.* Primus enim somnus artus esse solet sed melius est accipere vere primum i. e. primae noctis somnum, ita *Wg.* Cf. Ov. Her. 1, 40 *Rhesus somno proditus.*

471. *vastabat.* Ita 8, 8 *latos vastant cultoribus agros*, delectum habentes, et (Caes.) B. G. 8, 24 *fines vastare civibus.* Cf. *populare* 527. Ita de delectu Stat. Theb. 4, 36 *quantas populis solaverit urbes.* Adde Sall. Iug. 48 *vastus ab natura et humano cultu.* Liv. 2, 50 *agrestium fuga vasti relicti agri.* Deinde etiam dictum de iis, qui in proelio caesi sunt. Cf. 9, 323 *vastare corpora* et 771 *ferarum vastatorem Amycum.* Ov. M. 13, 255 *Quid referam Sarpedonis agmina ferro Devastata meo?* — *Vastabat* imp., nam in pictura erant iam multi caesi; *avertit* perf. est factum unum.

472. *ardentes*, animo fervidos.

475. Troilus Priami filius „minimus natu, non minus fortis quam Hector“ Dares c. 7, admodum iuvenis (Hor. C. 2, 9, 15 *impubem Troilon*) ante tempus, quod describit Ilias, cum Achille congressus, scuto amisso et e curru deiectus, quum lora non remitteret, equis per pulverem trahitur, hasta per corpus traiecta pulverem inscribente. Cf. Hom. Il. 24, 257. — Secundum Plaut. Bacchid. 4, 9, 30 eius vita erat inter Troiae pignora. Apollinis habebatur filius Apoll. 3, 12, 5 et secundum alios ab Achille in ipsa ara Apollinis Thymbraei occisus est, quem ulturus deus Achilli mortem paravit. — *amissis armis* i. e. scuto cf. 119.

478. *inscribitur.* Recte et *inscribi alicui rei aliquid* et *aliquid aliqua re dicitur* cf. 6, 229; et si non offendimur, si Cicero Verr. 2, 69 *statuae equestres, quas tu poni inscribique iussisti* dicit, hoc quoque recte dictum est. Cf. E. 3, 106 *inscripti nomina regum nascuntur flores.*

479. *Interea* non est per idem tempus, sed inter alia videt etiam haec. Res narratur Hom. Il. 6, 269, ubi Hector ab Heleno monitus matronas Troianas excitat, ut peplo donato a Minerva implorarent auxilium ad arcendum ab urbe Diomedem. — *non aequae*, adversae.

480. *Crinibus passis* feminae utebantur maestae cf. 3, 65.

482. *Diva solo fixos oculos aversa tenebat* cf. 6, 469. Id facit, qui timet, ne precibus flectatur. Ita Regulus dicitur *virilem torvus humi posuisse voltum* ap. H. C. 3, 5, 43.

483. Ap. Hom. Il. 22, 399 Achilles Hectorem quum interfecisset, statim currui alligatum ad naves trahit; sed poetae, qui post Homerum scripserunt, v. c. Sophocles et Ennius idem quod Virgilius tradidere. *Raptaverat* narrantis est non describentis, nec poterat illa ter repetita raptatio pingi, tamen eius signa erant in corpore.

484. *auro vendebat.* Priamus enim,

Tum vero ingentem gemitum dat pectore ab imo,
Ut spolia, ut currus, utque ipsum corpus amici,
Tendentemque manus Priamum conspexit inermes.
Se quoque principibus permixtum adgnovit Achivis;
Eoasque acies et nigri Memnonis arma.
Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Penthesilea furens, mediisque in millibus ardet,
Aurea subnectens exsertae cingula mammae,
Bellatrix, audetque viris concurrere virgo.
Haec dum Dardanio Aeneae miranda videntur,
Dum stupet obtutuque haeret defixus in uno,
Regina ad templum, forma pulcherrima Dido,
Incessit, magna iuvenum stipante caterva.
Qualis in Eurotae ripis aut per iuga Cynthi

qui, ut Hectoris filii corpus sepeliendum reciperet, noctu adiit Achillem, et donis et supplice voce usus est cf. Hom. Il. 24, 486 sq.

485. *dat gemitum* cf. 2, 698.

486. *Spolia*, *currus*, *corpus amici* Hectoris, posita omnia in Achillis tentorio.

488. *principibus permixtum Achivis.* Itaque inter medios hostes versatur. Aeneas enim apud Homerum fortitudine inter primores Troianorum excellit, cf. praef. — *adgnovit* M. al. — *adgnoscit* FR. fortasse e v. 470.

489. *Eoae acies* sunt Aethiopum, quorum rex Memnon, de quo 751.

490. *Penthesilea*, Amazonum regina, Troiae venisse auxilio poetae narrant, qui scripserunt post Homerum. Cf. Iustin. 1. 2. Apud Homerum Amazones tempore, quod fuit ante bellum, memorantur Il. 3, 189. Artifices vero earum facta exprimere certatim tentarunt. — *Lunatis peltis;* ita 11, 663 i. e. „scutis brevissimis in modum lunae iam mediae“ S.

492. *Subnectens* Penthesilea furens i. e. excitata, turbida, Amazones turmas suas ducit contra viros, dum tapfer und schamhaft zugleich das zufallig herabgleitende cingulum fest anheftet *Wd.* Sed nondum manus conseruit, ut idem *Wd.* explicat, medioque in certamine tempus non esse recte monens *Ld.*, sine caussa totum versum suspicatur esse spurium. — *concurrere c. dat* 10, 8. — *Exsertus* est nudatus cf. 11. 649 de Camilla. *Lersch Rhein. Mus.* 1851 p. 37 octo sumit imagines inter se oppositas in fronte fastigii 1 a) Victoria Troianorum et Hectoris, b) Victoria Graecorum et Achillis. 2 a) Mors Troili, b) Mors Rhesi. 3 a) Priami preces ad Achillem, b) Troianarum ad Minervam. 4 a) Mors Memnonis, b) Mors Penthesileae. Idem *Ld.* Paullo aliter disponit *Wd.* 3 a) Iliades et Minerva, b) Penthesilea et Amazones. 4 a) Achilles et Priamus, b) Aeneas et Memnon. Quae quamquam disponere iuvat, non ad amussim res descripsit poeta; ita v. 488 *se quoque* qua in tabula aut quibus in tabulis viderit non facile dixeris. *Rb.* versus traiecit, ita ut post *bibissent* v. 473 ponat *Interea ad templum — tenebat* 479—82 et adiungat *Parte alia — hasta* 474—78. Sc. ut Diomedis facta opponantur supplicationi mulierum. Sed recte monet *Ld.* sic supplicationem factam esse *nocte*, neque eam pertinuisse ad mortem Rhesi. Omnis in talibus rebus mutatio vana est.

494—519. Dido advenit, mox Aeneae socii.

494. Dum stupet, quod suorum fata tam nota et celebrata sint in terra remotissima, et in hoc uno obtutu defixus est, advenit Dido.

495. *Defigere* lumina cogitantis est cf. 226. 7, 249.

496. Versus incedentem maiestate signat reginam.

497. *stipante caterva:* Proprium id verbum; ita Liv. 42, 39 *stipante turba*, et *stipator*, *Trabant* Cic. Off. 2, 7.

498. *Diana* et Lacedaemone et Deli imprimis colebatur, *Eurotas* notus ille Laconiae fluvius; *Cynthus* mons Deli, unde *Cynthia* dicitur Diana. — *Qualis* recte iungitur cum voce *Diana.* non cum verbo. Comparatur enim omnino Dido cum Diana maiestate. non actionibus; neque quae ad honorem deae augendam adduntur singula trahuntur in comparationem; sed id modo dicitur, Didonem ea fuisse pulchritudine, qua Diana est, quum maxime maiestate sua splendet. Valerius Probus ap. Gellium 9, 9 hunc locum cum Homerico comparat (Od. 6, 102) eumque illi

Exercet Diana choros, quam mille secutae
Hinc atque hinc glomerantur Oreades: illa pharetram
Fert humero, gradiensque deas supereminet omnes;
Latonae tacitum pertentant gaudia pectus:
Talis erat Dido, talem se laeta ferebat
Per medios, instans operi regnisque futuris.
Tum foribus divae, media testudine templi,
Saepta armis, solioque alte subnixa resedit.
Iura dabat legesque viris, operumque laborem
Partibus aequabat iustis aut sorte trahebat;
Quum subito Aeneas concursu accedere magno
Anthea Sergestumque videt fortemque Cloanthum
Teucrorumque alios, ater quos aequore turbo
Dispulerat penitusque alias avexerat oras.
Obstipuit simul ipse, simul percussus Achates

multo habet inferiorem, assentiunturque *Rb.* et *Wd.* Sed cur intulit Homerum, nisi ut male imitatus videretur Vgl.? Quid igitur, si non imitatus est? si non comparavit singula? Sic 4, 143. 7, 674. *Gr.* qui premit singula, Didonem facit maiorem omnibus viris, talemque feminam ab Aenea non amatam esse affirmat, eiicitque v. 498—505 *Qualis — templi*. *Gr.* eiicit et 490—93 ne Penthesileae imago detrahat de pulchritudine Didonis(!)

499. *exercet choros.* Diana enim semper magno est stipata nympharum numero. „Hoc non ad comparationem pertinet, sed est poeticae descriptionis evagatio.“ S.

500. *Oreades*, nymphae, montium habitatrices et venatrices. — *Pharetra* perpetuum Dianae insigne.

501. *Supereminet* c. acc. 6. 857. 10. 765. Cf. Ov. M. 3, 181 *Tamen altior illis* (nymphis) *Ipsa dea* (Diana) *est, colloque tenus supereminet omnes.* Corporis enim magnitudine deorum spectatur maiestas cf. 2, 772.

502. *Pertentant gaudia pectus* cf. 5, 828. 7, 355. G. 3. 250 *vides, ut tota tremor pertentet equorum corpora.* Sumptum hoc verbum a Lucretio 6, 286 *inde tremor terras graviter pertentat.* — *tacitum pectus.* Huius vocis vim ut plane intelligas, observa matrem, liberos defixo animo intuentem; nihil loquitur, sed gaudia, quibus tota tenetur, facile sentiuntur.

503. *laeta.* Vultu laetitiam indicans, quae oritur ex virtutis conscientia rerumque gestarum memoria et adspectu, quas futurarum omen habet.

504. *Instans* cum dativo: dans sedulam operam, ita Tac. Agr. 18, et excitans operantes.

505. *Foribus divae* i. e. cellae *et media f. testudine* „camera incurva, quae secundum eos, qui scripserunt de ratione templorum, ideo sic fit, ut simulacro caeli imaginem reddat“ S. Senatus autem Romanus saepius in templis conveniebat ut Concordiae, Bellonae etc., neque tamen in ipso adyto, quod sacerdotibus modo adire licebat, sed in locis, quae inaugurata eodem tecto comprehendebantur; itaque recte *in foribus divae* sed *media in testudine* templi sedere dicitur Dido. *Pl.* coni. *divae media, a testudine templi*, *Rb. divae, media e te. te.* Vides autem Vglium non imitari Graecos mores sed inferre Romanos externis etiam gentibus.

506. *saepta armis* „satellitum scilicet“ S.

507. *Iura dare legesque* regiae potestatis signum est cf. Ov. M. 1, 576. In tribunali et ius dicit et quae ad urbem condendam pertinent, ordinat, ut aut ex arbitrio rem constituat aut sorte. „*aut sorte:* „Hoc tractum a Romana consuetudine: nam praetores trahebant in expediendis negotiis sortes ex urna“ Pomp. Sab. — De regia potestate cf. 5, 758 et 759.

509. *Quum subito* saepius iungitur ut 535. De indicativo cf. 3, 590. — *Concursu magno*, multorum concursatione facta, qui peregrinos spectare cupiebant; ut 519 clamor est non Troianorum, sed Troianos comitantium. Cf. Cic. Off. 3, 11 *Aristides in contionem magna exspectatione* sc. Atheniensium *venit dixitque.*

512. *oras* acc. loci cf. 4, 106. — *avexerat* MRP. sc. ab Aenea rec. *Hn. Wg. Rb. advexerat* M2 rec. *Hck. Pl. Lch.* ad Prop. 4. 6. 63. *averterat* Fy.

513. *percussus* FRP. *perculsus* M.

Laetitiaque metuque; avidi coniungere dextras
Ardebant, sed res animos incognita turbat.
Dissimulant, et nube cava speculantur amicti,
Quae fortuna viris, classem quo litore linquant,
Quid veniant? Cunctis nam lecti navibus ibant,
Orantes veniam et templum clamore petebant.
  Postquam introgressi, et coram data copia fandi,
Maximus Ilioneus placido sic pectore coepit:
O Regina, novam cui condere Iuppiter urbem
Iustitiaque dedit gentes frenare superbas,
Troes te miseri, ventis maria omnia vecti,
Oramus: prohibe infandos a navibus ignes;
Parce pio generi, et propius res adspice nostras.
Non nos aut ferro Libycos populare Penates

514. *Obstupescunt*, quod ii, quos dispelli et abstrahi viderant, iam coniuncti in urbe adsunt; *laetantur*, quod vident servatos, *metuunt*, quod in aliorum, quorum mens hostilis videtur, sunt potestate; nam capti adducuntur. — *avidi ardebant* cf. 5, 137. — *ardebant* c. inf. cf. 2, 105.

516. *Dissimulant* se adesse. — *nube cava* cf. 6, 293.

517. *viris* sc. sit cf. 5, 362. — *linquant.* De praesente cf. 4, 228.

518. *quid veniant* cf. 6, 389 *Fare age, quid venias. Was kommst du?* cf. Liv. 31, 39 *Venisse caduceatorem et quid venisset, nunciatum est.* Quid gerimus tela? A. 11, 735. — *Quid veniant cuncti.* RF. Id verum non est, cf. v. 633. *cuncti Ih. Sk Wg.* qui *cuncti* explicat in unam legationem coniuncti. Principes igitur et duces adsunt, neque ex v. 584 concludes, quod ibi dicitur: unus abest sc. Orontes, cunctos e navibus adesse, sed cunctis e navibus duces *(lecti)*, itaque abesse Orontem, qui perierat, neque solus sed omnes simul socii. Hac voce *cunctis* satis indicatur, id quod opus erat, omnes esse servatas naves. — *veniant. Cunctis* Mss. plur. ii etiam, qui cum Mediceo solent concordare. In M. ipso est *veniant. cuncti.* quod punctum pro littera s videtur obtinuisse, *cunctis Pl. Rb. Wd.* Custodes igitur, qui a litore arcebant, permiserunt, ut Troiani legatis missis a regina peterent veniam. Neque enim omnes Troiani ultro naves inanes reliquissent, neque tanta erat custodum multitudo, ut eos invitos abstrahere potuissent, neque capere eos, qui appulerant, sed depellere debebant custodes.

519. *veniam.* Cf. 4, 50 *Posce deos veniam.* 3, 144 *veniam precari.* 11, 101. Eius igitur vocis usus est etiam, quando petitur a potentiore, ne exerceat potentiam suam in debiliores, non modo, si peccatum commissum est cf. 3, 261.

520 — 560. Ilioneus a Didone petit auxilium.

520. Idem v. 11, 248.

521. *maximus* sc. natu ita 654. Idem est orator ad Latinum missus 7, 212 sq. Quod Teucrorum linguam intelligunt Poeni cf. 454.

522. In iis, quae sequuntur, inest captatio benevolentiae quae dicitur. Tu cui maxime benignum se praestitit Iuppiter, non deeris miseris; quae iustitia regis subiectos, non eris iniusta in peregrinos; quae urbe condita hoc loco humanitatis semina iecisti, non ostendes te inhumanam.

523. *gentes*, Afros non Poenos.

524. *maria omnia.* De acc. cf. 5, 235.

525. *infandos:* quos dicere et commemorare non possum sine horrore cf. 2, 3. Navibus enim amissis omnis salus videbatur adempta.

526. *pio generi*, a quo tibi nihil est metuendum. *Propius adspice*, nam si hoc feceris, nos non perdes cf. 9, 209.

527. *Populare* i. e. populari cf. 12, 263. est incolis privare cf. Liv. 3, 6 *urbs Romana morbo populatur* Cf. *vastare* 471. — *Penates* i. e. habitationes. Quamquam enim Penates gentis et familiae, Lares aedium sint tutores, quare illi cum gente emigrant, cf. 378, non item Lares; tamen saepius eorum nomina confundebantur (ut 5, 744. Tib. 2, 5, 20 alibi) quum iidem dii et Penates et Lares ab eadem gente saepius colerentur. Inde etiam Penates ut Lares cf. 171, pro aedibus et foco, cf. 704, dicebantur. Sic Ovidius ausus est: *Caelicolae ... suos posuere penates* i. e. domos. Non ea sibi

Venimus aut raptas ad litora vertere praedas;
Non ea vis animo, nec tanta superbia victis.
Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt,
Terra antiqua, potens armis atque ubere glebae;
Oenotri coluere viri; nunc fama, minores
Italiam dixisse ducis de nomine gentem.
Hic cursus fuit;
Quum subito adsurgens fluctu nimbosus Orion
In vada caeca tulit, penitusque procacibus austris
Perque undas, superante salo, perque invia saxa
Dispulit; huc pauci vestris adnavimus oris.
Quod genus hoc hominum? quaeve hunc tam barbara morem
Permittit patria? Hospitio prohibemur arenae;

licere intellexit Cicero, qui pr. RA. 8 *nudum eiicit domo atque focis patriis diisque penatibus praecipitem exturbat.*

528. *Venire* cum infinitivo iunctum, qui consilium indicat, admodum est rarum; legitur sic ap. Plaut. Bacch. 4, 3, 18 *Parasitus modo venerat aurum petere,* Liv. 42, 25 *quod alii super alios legati venirent speculari dicta factaque sua.* Cf. 2, 33. — *Ad litora*, ut inde navibus abducant.

530—33. Iidem versus leguntur 3, 163. Hesperia omnis a Graecis ad occidentem terra dicitur ut 569. 2, 781.

531. *Terra antiqua* i. e. clara rerum antiquitate ut 12. 2. 363. 3, 131. 10, 719; et excellens incolarum fortitudine et ubertate agrorum. — *Uber* dicitur pro ubertate, ut 3, 95. 7, 262. G. 2, 185. 234. 275. Tac. H. 3, 34 *ubere agri floruit* Cremona.

532. *Oenotri* antiquus Italiae populus, unde Italia etiam Oenotria tellus apud poetas dicitur. — *Minores* posteros dicit Vgl. ut 733. 8. 268; post eum O. Tr. 4. 10, 55. Iuven. 1, 148. 2, 146. 8, 234 al.

533. *Italiam* „Italus, rex Siciliae (Siculorum cf. Thuc. 6, 2) ad eam partem venit. in qua regnavit Turnus, quam a suo nomine appellavit Italiam. Unde est (11, 317) *fines super usque Sicanos*" S. et Dion. Hal. 1. 12 Oenotros ab ipsorum rege Italo Italos narrat esse nuncupatos. De Italis et Sicanis cf. 7, 795. — *Gentem* potest referri ad v. *Oenotri*, ita ut Oenotros nunc Italos vocari diceret Ilioneus. omisso accusativo subiecti *eos* ut 3, 201. Simplicior tamen ratio est *gentem* pro terra dictam accipere. Ut enim antiqui, nec soli Graeci et Latini, et terrarum nomina pro populis et populorum pro terris usurpabant cf. 2, 193, sic etiam vocabula appellativa *terram* et *gentem* miscere licebat cf. 11, 325. Ov. M. 2, 215 *Cumque suis totas populis incendia gentes in cinerem vertunt.*

534. *Hic* Mss. fere omnes, *huc* P. sed nunc *Rb.* testatur in eo esse *hic*.

535. *Orion* sidus tempestates movere putabatur cf. Hor. C. 1, 28. 21. 3, 27, 17 iam apud Homerum, ut Il. 18, 486. 22, 29. Inde est *aquosus Orion* 4, 52. Cf. 4, 578. „Multi superfluo quaerunt, cur ortus commemoretur Orionis, quum sit immissa a Iunone tempestas. Sed Ilioneus ista non novit, quae a poeta supra dicta sunt, per Musam ut diximus cognita. Et constat numina, nisi inventa occasione, nocere non posse ... quod in omni suo opere Vgl. diligenter observat" S. Id est: A poeta deorum interponitur interventus ita, ut cum rerum natura cohaereat. Cf. 4, 554. 5, 614.

536. *Caeca saxa* ut 5. 164 „incognita, latentia" S. *caecae undae* 3. 200. Cf. 6, 715. — Ut *procaces Austri* h. l. dicuntur, ita *petulantes Euri* Lucr. 6, 110, *protervus Africus* Hor. Ep. 16, 22, *venti protervi* C. 1, 26, 2. Ov. F. 5, 321. „*Procax* proprie petax est. Nam *procare* est petere. Unde et *proci* petitores dicuntur" S. et *petere* virginem procus dicitur 7, 54. O. M. 9, 11.

537. *superante salo* cf. 122 *vicit hiems* et 2, 311 *Volcano superante.* Fingitur quasi certamen hominis cum elementis.

538. *huc — vestris oris* cf. 5, 609. — *Pauci*, ut timendi non simus; et *adnavimus* non voluntate ducti sed acti fluctibus.

539. *Quae patria*, i. e. quae terra, tam barbara est, ut hunc morem permittat? *Patria* autem dictum, ut terra quae patria esset moris. *Wo ist diese Sitte zu Hause?*

540. „Litus iure gentium commune omnibus fuit ... Cicero in Rosciana (pr. R. A. 26): *Nam quid est tam commune, quam spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus eiectis?* Unde osten-

Bella cient, primaque vetant consistere terra.
Si genus humanum et mortalia temnitis arma,
At sperate deos memores fandi atque nefandi.
Rex erat Aeneas nobis, quo iustior alter
Nec pietate fuit nec bello maior et armis;
Quem si fata virum servant, si vescitur aura
Aetheria neque adhuc crudelibus occubat umbris,
Non metus officio nec te certasse priorem
Paeniteat. Sunt et Siculis regionibus urbes,
Arvaque, Troianoque a sanguine clarus Acestes.
Quassatam ventis liceat subducere classem,

duntur crudeles, qui etiam a communibus prohibent" S. Attende etiam *arenam* dici, litus infecundum.

541. *Bella cient* homines hic habitantes; simile 5, 585 *belli simulacra ciere* et Tac. H. 2, 24 *irritare proelium.* — *prima terra* „i. e. in litore" S.

542. Si humanitatem omnem exuistis, neque hominum timetis vindictam, deos certe veremini eosque metuite. — *Temnere* simplex legitur 665. 6, 620. 10, 737 apud Lucretium et Horatium; in prosa oratione ap. Tac. H. 3, 47. Cf. 5, 154.

543. *At* cf. v. 4 *at nunc cano. At* particula, quae indicat, etiamsi sint verissima et certissima, quae in protasi dicantur, constare tamen ea quae in apodosi insunt. Cf. 555—7. Ter. Eun. 5, 2, 27 *si ego digna hac contumelia sum maxime, at tu indignus qui faceres.* Legimus etiam *at* post enuntiatum conditionale cum imperativo iunctum, ut h. l. Liv. 3, 17 *si vos vestri nulla cura tangit, at vos veremini deos vestros ab hostibus captos;* et cum coniunctivo qui est pro imperativo ut 4, 615. 6, 406. G. 4, 239. *Liceat haec nobis, si oblivisci non possumus, at tacere* C. Fl. 25. Cf. Gr. § 483. — *Sperare* cum acumine quodam dicitur pro exspectare. Ita legitur 4, 419. 11, 275. Flor. 3, 1 *Quis speraret post Carthaginem aliquod in Africa bellum?* Apud Ciceronem similesque non videtur esse ea significatione nisi addita negatione. In locis Plautinis quos Serv. laudat *deos sperare* est *diis confidere.*

544. „Bene *memores*, quia etiamsi non statim puniant crimina, sunt tamen memores. Ut Horatius (C. 3, 2, 31) *Raro antecedentem scelestum deseruit pede poena claudo.*" S. — Aeneas neque pietate nec militaris rei scientia *(bello)* aut fortitudine *(armis)* cuiquam inferior. Attribuit ei virtutes proprie Romanas. — *Hck.* iunxit *iustior pietate*, et est *pietas iustitia adversum deos* C. ND. 1, 41, quem nunc sequor post alios, maxime quod omissae in parte prima negationis quae olim collegeram exempla, iam ex Mss. correcta evanuerunt. Antea: *quo nec iustior alter, nec maior pietate, nec maior bello et armis* interpretatus sum.

546. *vescitur aura* ut 3, 339.

547. *occubat umbris.* Sic 5, 371 *tumulo occubat Hector*, 10, 705 *Paris urbe paterna occubat. Umbrae crudeles* sunt, quod dilectum ducem eripuere. Quod pluribus verbis idem dicit, quantopere eum ea res moveat, significat. Cf. 266. Sed recte *Hck.* monet ablativum *cr. u.* non certam loci dare significationem, quare quum *occumbere morti* 2, 62 sit mori, melius erit *cr. u.* habere dativum. Ita explicat *Wg.*

548. Iam apud Servium est, *non metus officio, nec. Non metus* est *officio* i. e. ex hoc quod praestabis officio nullum tibi nascetur periculum, „nec tibi parum videatur prima beneficia praestitisse, quum possis maiora recipere" S., et *nec* dicitur esse in Mss. omnibus, recepere *Rb. Wd. Hck. Nck. Ld.* Contra *non metus, officio ne* scribunt *Pl. Wg. Hn.* structura planiore, sententia eadem. Et nos illo amisso gratiam reddere possumus; sunt enim nobis in Sicilia urbes, agri, et popularis Acestes, qui gratiam habebit servatorum.

550. *arva* M. al. *arma* R. al. prob. *Rb. Hck.* et Serv. Si *arma* dicit, minatur iam, nisi salvos Dido dimiserit, quod inter preces tam aperte fieri non placet, neque convenit cum *placido pectore*, quo Ilioneus locutus est. Contra quod *arva* dicit, non sibi opus esse ostendit, ut cum Tyriis de Africa contendant, sibi iam esse arva et urbes, quare a se Tyriis nihil esse timendum. — *Acestes* cf. 195. „Bene *Troiano*, ut necesse habeat, si passi fuerint iniuriam, vindicare cf. 11, 179, quod in principio bene tacuit." S. *Rb.* lacunam esse sumit post 550.

551. *subducere* cf. 573.

Et silvis aptare trabes et stringere remos;
Si datur Italiam sociis et rege recepto
Tendere, ut Italiam laeti Latiumque petamus;
Sin absumpta salus, et te, pater optime Teucrum,
Pontus habet Libyae, nec spes iam restat Iuli,
At freta Sicaniae saltem sedesque paratas,
Unde huc advecti, regemque petamus Acesten.
Talibus Ilioneus; cuncti simul ore fremebant
Dardanidae.
Tum breviter Dido, voltum demissa, profatur:
Solvite corde metum, Teucri, secludite curas.
Res dura et regni novitas me talia cogunt
Moliri, et late fines custode tueri.
Quis genus Aeneadum, quis Troiae nesciat urbem,
Virtutesque virosque, aut tanti incendia belli?
Non obtunsa adeo gestamus pectora Poeni,
Nec tam aversus equos Tyria Sol iungit ab urbe.
Seu vos Hesperiam magnam Saturniaque arva,
Sive Erycis fines regemque optatis Acesten,
Auxilio tutos dimittam opibusque iuvabo.
Voltis et his mecum pariter considere regnis?

552. *silvis* pro *in s.*

555. Amisso Aenea nulla iam salus speranda Troianis — Conversio orationis in vocativum animi vehementer agitati signum est cf. 2, 56. — *sin* — *at* cf. 543.

556. *pontus habet.* Cf. 6, 362 et ludentem Ovidium M. 1, 361 *Namque ego, crede mihi, si te modo pontus haberet, Te sequerer, coniux, et me quoque pontus haberet* Hor. C. 1, 28, 10 *habent Tartara Panthoidem.*

557. *sedes paratas* ab Aceste; ita *urbs parata* 4, 75.

560. *Dardanidae* delet *Gr.*

561—78. Dido auxilium promittit.

561. *voltum demissa;* itaque leniter. De acc. graeco cf. 228.

562. *Solvite corde metum*, abire sinite metum. *Solvitur* et *metus corde* et *cor metu*, quare utrumque recte dicitur, et si alterum est usitatius. 2, 26 *solvit se luctu.* Prop. 4, 6, 41 *solve metu patriam.* Ov. Fast. 3, 2 *nitidas casside solve comas*, al.

563. *Res dura (die Noth);* ita *dura tempora* dixit Liv. 33, 5. Ad rem cf. 4, 40—44; timet etiam, ne frater bellum inferat. — *regni novitas* „quae semper habet timorem“ S.

564. *custode:* De singulari cf. 9, 380 Vides rem duram significari multis spondeis.

565. *Troiae urbem:* De gen. cf. 5. 52. Tam clari sunt Troiani eorumque virtutes et fata, ut nemo sit, qui eos nesciat, neque ita nos sumus stupidi, ut quae alibi geruntur ignoremus iisque non moveamur, neque tam remoti ab omni hominum commercio, ad quos rerum fama non perveniat.

567. *Obtundere* est contra tundendo aciem minuere: traducitur etiam ad sensus et animum cf. Cic. Tusc. 1, 33. CM. 23.

568. A quibus Sol remotus currui suo equos adiungit, ii ipsi a terrae regionibus, quae maxime incoluntur, remoti sunt cf. 6, 796.

570. „*Eryx* Veneris et Butae filius fuit (et deus 5, 391), qui occisus ab Hercule (quocum caestu contendere ausus erat) monti ex sepultura sua nomen imposuit, in quo matri fecerat templum, quod Aeneae adscribit poeta 5, 759. Secundum Siculas narrationes Aeneas modo *πολλοῖς ἀναθήμασι τὸ ἱερὸν .. ἐκόσμησε* Diod. 4, 83. In hoc autem monte dicitur etiam Anchises sepultus, licet secundum Catonem ad Italiam venerit.“ S. Mons erat prope Aegestam sive Segestam, quam Aeneas condidisse putabatur cf. 5, 703; clarus rebus ab Hamilcare gestis.

571. Defendam ab iniuriis et iuvabo in rebus necessariis.

572. *Voltis et* ut 6. 818; et quum sequatur alterum enuntiatum, sequitur is modus, qui post *si* ponendus erat. Ita indicativus G. 2, 519. Ter. Eun. 2. 2, 21: *Negat quis, nego; ait, aio.* Cic. Tusc.

Urbem quam statuo, vestra est; subducite naves;
Tros Tyriusque mihi nullo discrimine agetur.
Atque utinam rex ipse noto compulsus eodem
Adforet Aeneas! Equidem per litora certos
Dimittam et Libyae lustrare extrema iubebo,
Si quibus eiectus silvis aut urbibus errat.
His animum arrecti dictis et fortis Achates
Et pater Aeneas iamdudum erumpere nubem
Ardebant. Prior Aenean compellat Achates:
Nate dea, quae nunc animo sententia surgit?
Omnia tuta vides, classem sociosque receptos.
Unus abest, medio in fluctu quem vidimus ipsi
Submersum; dictis respondent cetera matris.
Vix ea fatus erat, cum circumfusa repente
Scindit se nubes et in aethera purgat apertum.
Restitit Aeneas claraque in luce refulsit,
Os humerosque deo similis; namque ipsa decoram
Caesariem nato genetrix lumenque iuventae

2, 24: *Ira exardescit, libido concitatur: in eandem arcem confugiendum est.* Coniunctivus 6, 31. Cf. Gr. § 411. — *pariter:* una mecum et aequo cum Poenis iure.

573. *urbem quam statuo vestra est.* Raro apud Latinos substantivum attrahitur sequente relativo; Pl. Curcul. 3, 49 *sed istum, quem quaeris, ego sum.* Cf. Gr. § 249, An. 2. — *Subducit* cf. 3, 135; naves, ne putrescant, si quis per longius tempus voluit remanere; *deducit*, qui de substratis trabibus. in quibus in terra sunt collocatae, in mare propellit cf. 3, 71. De *sub* et *de* cf. 224.

576. *certos (sichere Leute).* Cf. illud dictum: *Amicus certus in re incerta cernitur;* Cic. Fam. 1, 7 *Quoties mihi certorum hominum potestas erit, quibus recte dem, non praetermittam.*

578. *si*, ob; cf. 181. 2, 756. 6, 78. 10, 458. Sed sequi debet in interrogatione relativa coniunctivus et sequitur in locis allatis, Cf. Gr. § 419, 9; quamquam in vulgari sermone indicativus reperitur, ut *visam si domi est.* Cf. Gr. § 419, An. 11. Neque tamen ita licet construere in culto sermone; itaque praestat explicare: Lustrare iubebo, ut reperiatur, si errat. — *Eiectus* proprium de naufragis cf. 4, 373. — *silvis aut urbibus:* Si errat per deserta loca aut per hominum habitationes. „In libris quibusdam" (Sic *Rb.*) est *montibus* quod praef. *Br. Pl.*

579—612. Aeneas Troianis et Tyriis medium se infert.

579. *arrecti* cf. 152.

580. *Erumpere nubem* singulare est pro er. *ex nube.* Alius est acc. Ter. Eun. 3, 5, 2 *Iamne erumpere hoc licet mihi gaudium.* C. Att. 16, 3 *Ne in me stomachum erumpant, quum sint tibi irati.* *se erumpere* G. 4, 368.

581. *ardebant* cf. 2, 105.

582. *Animo sententia surgit*, ut nos: *Der Gedanke steigt in der Seele auf.*

583. *receptos;* servatos cf. 178.

584. *unus:* Orontes cf. 113. Iunge: *quem medium in fl. submersum nos vid. ipsi* — Nck.: *quem sub. vid. quum essemus in m. fl. ipsi.*

587. *In aethera purgat apertum* sc. se nubes. Nubes enim ex Romanorum sententia fit ex aere concreto cf. 6, 42. Cic. N. D. 2, 40, 100 *aer concretus in nubes cogitur.* Noli ad *apertum* obiectum habere *Aeneam;* nam hoc versu una sententia concluditur de nube; in sequente sermo est de Aenea.

589. Lati sunt humeri Apollinis cf. Hom. Hymn. Apoll. 7. *Pl.* iubet legi *decorem caesarii* vultque esse genitivum pro *caesariei.* At si dea afflat decoram caesariem, non afflat crines, quibus iam tectum est Aeneae caput. sed decorem, idque satis intelligitur, ut *Plepi* machinis opus non sit.

590. *Caesaries* hominem ornare putabatur cf. Tib. 1, 4, 37 *Solis aeterna est Phoebo Bacchoque iuventas, Nam decet intonsus crinis utrumque deum.* Liv. 28, 35: *Praeterquam quod suapte natura multa maiestas inerat* (in Scipione), *adornabat promissa caesaries.* Ap. Claud. IV Cons. Hon. 552 Honorii laudatur caesaries. *Purpureum* non de nitore, qui

Purpureum et laetos oculis adflarat honores:
Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flavo
Argentum Pariusve lapis circumdatur auro.
Tum sic reginam adloquitur, cunctisque repente
Improvisus ait: Coram, quem quaeritis, adsum,
Troius Aeneas, Libycis ereptus ab undis.
O sola infandos Troiae miserata labores,
Quae nos, relliquias Danaum, terraeque marisque
Omnibus exhaustos iam casibus, omnium egenos,
Urbe, domo socias! Grates persolvere dignas
Non opis est nostrae, Dido, nec quidquid ubique est
Gentis Dardaniae, magnum quae sparsa per orbem.

iam inest voci *lumen*, sed de robore accipiendum. — *iuventae:* „*Iuventus* est multitudo iuvenum, *Iuventas* dea ipsa, sicut Libertas, *iuventa* vero aetas, sed haec confunduntur plerumque" S. Ita ap. Liv. 28, 35 *flos iuventae (Jugendblüthe)*. Liv. 40, 6 *medio iuventae robore ille, hic flore;* sed *Iuventas* pro *iuventa* dictum est 5, 398. Lucr. 5, 886. H. C. 2, 11, 6. Flor. 2, 2, 1.

591. *Honor* corpori tribui non potest alius nisi pulchritudo; cf. G. 2, 404 *silvis aquilo decussit honorem.* Inde *honestus* paene idem quod *pulcher* 10, 133. 12, 155. G. 2, 392. — *Afflari* dicitur vates a deo 6, 50, et Anchises fulmine a Iove 2, 649.

592. *Manus* sc. artificis solet ebur aut aliud per se iam splendens auro includere, quo magis luceat. Hanc explicationem probat locus Homeri Od. 6, 229 et A. 10, 135 sq. Itaque pulchrum Aeneae corpus dea auxit venustate.

593. Parium marmor pulchritudine et albitudine clarum.

595. In *adsum* duo sunt et *ego* i. e. *Troius A.*, de quo locuti estis, et coram sum i. e. *L. e. a. u.*

597. *Sola;* nondum enim alienae stirpis quemquam invenerat, quem misereret Troianorum.

598. *relliquias Danaum* cf. 30. — Terra bellum et pestilentiam (3, 147) perpessi, mari tempestates. (124. 3, 192.)

599. Et bella exhauriuntur et labores cf. 4, 14 sed etiam ii qui perferunt. Sic *plebs exhausta impensis* Liv. 6, 5; *provincia sumptibus exhausta* Cic. Att. 6, 1; *exercitus bello exhaustus* Vell. 2, 21. *exhaustos* F2MPR *exhaustis* F1 „cum Servio" *Rb.*, qui recepit. Apud Servium est *exhaustos.* — *omnium egenos.* Romani qui et masculinum et neutrum adiectivi substantiva faciebant (cf. 422); tamen quum perspicuitatem sermonis omnium virtutum praestantissimam iudicarent, vitarunt formas ambiguas. Itaque casus obliquos praeter accusativum nolebant usurpare in genere neutro, nisi ex verborum connexu neutrum satis intelligebatur. Sunt tamen ap. Vglium loci pauci, in quibus casus obliquus legitur ut h. l. et 7, 197 *cuius egentes* pro cuius rei. G. 2, 472 *exiguo adsueta iuventus.* Sic A. 12, 882 *aut quidquam mihi dulce meorum, meorum* neutrum esse iam ex voce *quidquam* apparet, ut ap. Cic. Lael. 15 *eius enim est istorum quidque.* Cf. Gr. § 373.

600. *urbe domo socias* „publico privatoque dignaris hospitio" S. Dido autem iam recepit 573; quare *socias* de conatu accipiendum non est, sed iam fit. — Neque ego neque omnes si convenerint Troiani, per totum orbem nunc sparsi, gratias dignas referre possumus; dii tibi referent, siquidem pios (i. e. eos qui bonum rectumque colunt ex metu deorum) respiciunt, si iustitia non est vanum nomen neque conscientia probe factorum. Cf. Stat. Theb. 7, 379 *Nec laudare satis dignasque rependere grates Sufficiam, referent Superi.*

601. *Quidquid ubique est gentis*, quotquot ubique Dardani sunt; cf. 5, 793 *quod superest* et 716 *quidquid est invalidum* ita Liv. 2, 5 *quidquid deorum esset.* 35: *quidquid erat patrum, reos diceres.* c. 49. 3, 17. 25 etc. Hor. Ep. 5, 1 *At o deorum quidquid in caelo regit.* Sat. 1, 6, 1 *Lydorum quidquid Etruscos incolit fines.* Iungitur etiam pluralis verbi Ov. M. 10, 18 *Quidquid mortale creamur.* Luc. 7, 364 *Quidquid hominum sumus.* Ter. Andr. 4, 4, 6 *quid illic hominum litigant?*

602. Troiani erant in Epiro, Sicilia, Creta, Venetis — *m. q. s. p. o.* eiicit *Pl. Gr.* neque enim scisse Aeneam, ubinam dispersi essent per orbem Troiani. At si res ita se habebat, ne illud quidem poterat

Di tibi, si qua pios respectant numina, si quid
Usquam iustitia est et mens sibi conscia recti,
Praemia digna ferant. Quae te tam laeta tulerunt
Saecula? qui tanti talem genuere parentes?
In freta dum fluvii current, dum montibus umbrae
Lustrabunt convexa, polus dum sidera pascet:
Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt,
Quae me cunque vocant terrae. Sic fatus, amicum
Ilionea petit dextra, laevaque Serestum,
Post alios, fortemque Gyan, fortemque Cloanthum.
  Obstipuit primo adspectu Sidonia Dido,
Casu deinde viri tanto; et sic ore locuta est:
Quis te, nate dea, per tanta pericula casus
Insequitur? quae vis immanibus adplicat oris?
Tune ille Aeneas, quem Dardanio Anchisae
Alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad undam?
Atque equidem Teucrum memini Sidona venire
Finibus expulsum patriis, nova regna petentem

dicere: Quidquid *ubique* est gentis Dardaniae.

603. *Si qua pios respectant numina* cf. 2, 536 *Si qua est caelo pietas* (*Wenn noch Gerechtigkeit im Himmel ist*). *Si qua deis pietas* Sil. 6, 410. *Si* non dubitantis est sed affirmantis.

604. *Si quid est iustitia* i. e. „Si valet apud homines iustitia" S. et *iustitia* legi dicitur in M1FPR. *iustitiae* M2. quod prob. *Hck.*, facile ex *est* sequente ortum. Cf. Cic. ad div. 6, 18 *Ego quoque aliquid sum.*

605. Felix hominum aetas, qua tu nata es. Simile ap. Hom. Od. 6, 154. Ov. Met. 4, 322., et egregii sunt parentes, qui te genuerunt. Recte contulit *Ld.* locum Schilleri ex Virg. Aurel.

606. Equidem tibi perennia beneficii tui monumenta statuam, quamcunque in terram pervenero. Similis descriptio vocis *semper* est E. 1, 60. Tib. 1, 4, 65. Alia E. 5, 76.

607. *Dum montibus umbrae lustrabunt convexa:* „Quamdiu inclinata in montibus latera umbrae pro Solis flexu circumibunt" S. cf. 310. 11, 515 et Iustin. 2, 10 *convexa vallium. Lustrare* est percurrere cf. 2, 528. — *Dum montibus umbrae Lustra dabunt, convexa p. d. sidera pascet* coni. Hs. Ita *convexa sidera* dixit Ov. Pont. 4, 9, 129 et Vgl. *convexa caeli* A. 4, 451. *Rb.* et *Nck. lustrabunt* sumunt esse intransitum. Quod iam vetat membrorum concinnitas.

608. *Polus* sive caelum pascit sidera, nam ex caelo ali dicunt sidera Epicuraei cf. Lucr. 1, 232 *aether sidera pascit. Nck* polum sumit pastorem siderum. — Itaque haec est sententia: Dum fluviorum, montium et siderum natura constabit. — Versus 607. 8 ut ineptos delent *Pl. Gr.*

609. Idem v. E. 5, 78. De loco adiectivi cf. Gr. § 235. A. 2.

613—42. Aeneam Dido domo recipit.

613. *Obstupuit* „animo perculsa est, quod iam futuri amoris est signum. — *primo adspectu* i. e. pulchritudine. — *casu* i. e. miseratione" S. et fortitudinis admiratione.

614. *Ore loqui* legitur 6, 76. 9, 319 *ore effari* 2, 524. De tali abundantia cf. 4, 344.

615. *Quis te* „admirantis est non interrogantis" S.

616. *Immanes* orae sunt, quod incoluntur a gentibus immanibus, quales Gaetuli, Nasamones cf. 4, 40. Nota quod ipsa Dido hanc suam terram, in qua sedem posuerat, immanem dicat, quam immanitatem sua superatura est humanitate.

617. De re cf. Hom. Il. 2, 820.

619. Teucer, a Troia redux, a patre, quod fratris Aiacis mortem non impedisset, non admissus (cf. Hor. C. 1, 7, 21) Cyprum petiit, ibique coloniam conditurus accessisse putandus est ad Sidonis et Tyri regem (Belum cf. 729) Didonis patrem, cuius apud scriptores Matgenus aut Mettus nomen est, ut eius auxilio in condenda urbe Salamine uteretur adversus incolas, quos is brevi ante domuerat.

Auxilio Beli; genitor tum Belus opimam
Vastabat Cyprum et victor dicione tenebat.
Tempore iam ex illo casus mihi cognitus urbis
Troianae nomenque tuum regesque Pelasgi.
Ipse hostes Teucros insigni laude ferebat
Seque ortum antiqua Teucrorum ab stirpe volebat.
Quare agite, o tectis, iuvenes, succedite nostris.
Me quoque per multos similis fortuna labores
Iactatam hac demum voluit consistere terra.
Non ignara mali miseris succurrere disco.
Sic memorat; simul Aenean in regia ducit
Tecta, simul divom templis indicit honorem.
Nec minus interea sociis ad litora mittit
Viginti tauros, magnorum horrentia centum
Terga suum, pingues centum cum matribus agnos,
Munera laetitiamque dii.
At domus interior regali splendida luxu
Instruitur, mediisque parant convivia tectis:
Arte laboratae vestes ostroque superbo,

623. *Casus* interitus; ita 2, 563 et *casus Troiae* Ov. M. 13, 577.

624. *Pelasgi* apud Romanos poetas omnino Graeci; quamquam h. l. arcanam aliquam notitiam dare fortasse putabitur.

625. Etsi hostis erat, Troianos laudabat, et *Teucros* Teucer maluit dicere. *Laude ferebat* ita Liv. 7, 10 *miris pro contione eam pugnam laudibus tulit.*

626. *Volebat*, *er wollte von ihr abstammen*, ita Cic. de Div. 2, 44 *Volunt illi omnes eodem tempore ortos eadem conditione nasci.* Teucer autem matre natus est Hesiona, Laomedontis filia, Telamonis uxore. Cf. Soph. Ai. 1299. — *a* cf. 4, 191. — *stirps* cf. 12, 208.

630. „Nobilissimus versus; gravissima sententia; cuius, cum 628, 629, vi percepta, si adolescentem non voluptate gestire videas, nae illum a poetae lectione statim abigas, suadeo“ Hn. — *Disco* perfectam rem signat cf. 4, 228.

632. *honorem* cf. 49. Heroum temporibus sacrum fit hospitis adventu. Hoc vero loco Vgl. omnia angustiora narrans Romano more supplicationem per omnia pulvinaria decernentem facit Didonem; quod Senatus Romae fecit, res maxime felix quando eveniebat. — *Indicere sacra* cf. 3, 264. C. BG. 7, 90 *His rebus litteris Caesaris cognitis Romae dierum XX supplicatio indicitur.* Imitatus Val. Fl. 2, 650 *Simul hospita pandi Tecta iubet templisque sacros indicit honores.*

633. Etiam illis, qui in litore remanserunt, dona mittuntur, ut laetum diem celebrent, et viginti tauri viginti navibus. — *nec minus interea:* Eadem formula 6, 211. 7, 572. *nec minus* 3, 482. 6, 475. 11, 203. 12, 746.

635. *terga suum*, i. e. sues. Cf. 4, 132.

636. *laetitiamque dii* Mss. „Sane quidam hunc versum intelligi non putant posse, ut est ille: *quem tibi iam Troia*“ (3, 340) S. Legitur et *dii* et *diei*, (utrumque pro *die* cf. Gr. § 90. An. 1.) et *dei*, sed non constat in quibus quidque sit Mss. Iam si *diem* intelligis, abest vini commemoratio, quam exspectas; si *deum*, nimis obscura ea est, neque facile poterit vinum dici *laetitia Bacchi*, multo minus *dei;* (aperte locutus est Vgl. v. 734 *adsit laetitiae Bacchus dator*). Abest etiam ante *munera* copula *et.* Nec mirum, si in versu manco et imperfecto sententia etiam est obscura et ambigua. Tamen monendum h. l. et 3, 340 in versu imperfecto imperfectam inesse sententiam, quum in ceteris omnibus sit perfecta et absoluta. Utcunque res est, optima est explicatio *Wdri*, qui *m. l. dii* i. e. diei appositum habet versus prioris, tauros illos etc. esse munera et laetitiam diei; nec opus fuisse commemoratione vini praesertim in v. imperfecto, quem Vgl. erat expleturus. *Hck. m. l. dei* explicat pecora ita pinguia, ut deo possint esse laetitiae. *Pl.* coni. *muneraque laticemque Lyaei Gt. Muneraque flavae Cereris laticemque Lyaei.* Utrumque contra metrum cf. § 9.

639. *Laboratus* primus dixit Vgl. h. l.

Ingens argentum mensis, caelataque in auro
Fortia facta patrum, series longissima rerum
Per tot ducta viros antiquae ab origine gentis.
Aeneas — neque enim patrius consistere mentem
Passus amor — rapidum ad naves praemittit Achaten,
Ascanio ferat haec, ipsumque ad moenia ducat;
Omnis in Ascanio cari stat cura parentis.
Munera praeterea, Iliacis erepta ruinis,
Ferre iubet, pallam signis auroque rigentem
Et circumtextum croceo velamen acantho,
Ornatus Argivae Helenae, quos illa Mycenis,
Pergama quum peteret inconcessosque Hymenaeos,
Extulerat, matris Ledae mirabile donum.
Praeterea sceptrum, Ilione quod gesserat olim,
Maxima natarum Priami, colloque monile

et 8, 181. — *Vestes* sunt *Decken*, stragulae; ita Cat. Epith. 50. Cic. Phil. 2, 27, saepius etiam *vestes stragulae* dictae, ut Tusc. 5, 21. — *Arte laboratae* ita Ov. M. 3, 158 *antrum arte laboratum nullo.* — *superbum*, splendidum, cf. 2, 504. De talibus vestibus cf. 3, 483. — De nominativo cf. 2, 170.

640. *Ingens argentum* est magna copia vasorum argenteorum, sic 3, 466 et C. Verr. 4, 4. — Omnes Tyriorum res gestae conspici poterant in caelatis operibus; ita stragulis auro pictis in Epithalamio Catulli Ariadnae res signatae sunt.

642. *Antiquae Wg.* et *Jh.* se ex praestantioribus libris recepisse affirmant, *antiqua Hn.* in My. aliis multis inesse testatur. *Rb. antiquae* in MPγ *antiqua* in R legi dicit idque recepit. Quo loco ut pluribus potes videre, ne nunc quidem de librorum scriptura ubique satis constare. Utrumque bonum est: prius antiquam esse gentem indicat, alterum nihil, ne antiquissimum quidem, ex eius gentis historia esse omissum; tamen prius huic loco videtur esse aptius.

643—56. Aeneas filium arcessit.

643. *Consistere*, tranquillum esse, cf. Cic. Phil. 2, 28, 68 *Te neque vigilantem, neque in somnis credo posse mente consistere.*

644. *Praemittit*, antequam Didonis legati ad Ascanium possent pervenire et *praemittit rapidum*, ut rapidus eat cf. 4, 22. *Rapidus* dicitur de celeri incessu; ut 7, 156 *rapidi passus;* ita homines celeriter ingredientes *rapidi* dicuntur 11, 906. 12, 81; *fulmen rapidum* 1, 42. Sic cf. *rapere viam* 6, 8. Inde omnino vehemens, ut *rapida flamma* Ov. M. 2, 123 *rapidus aestus* V. E. 2, 10; inde *rapidus Sol* G. 1, 92. 2, 321. Ov. Am. 3, 6, 106. *rapidus Sirius* V. G. 4, 425. — *praem.*, *ferat* cf. 8, 505.

645. *Haec*, quae evenerint.

648. *Palla* qualis sit vestis, cf. 11, 576. — Non mirabere, quod Vgl. tale Aeneae donum finxerit, si senatum idem donasse legeris ap. Liv. 27, 4: „Alexandriam ad Ptolemaeum Cleopatramque reges legati ad commemorandum renovandamque amicitiam missi dona tulere, regi togam et tunicam purpuream cum sella eburnea, reginae pallam pictam cum amiculo purpureo.“ — *signis auroque rigentem*, intextis rerum formis ex auro cf. v. 61. Simile 11, 72 *vestes auroque ostroque rigentes.* — *ferre iubet* sc. Ascanium cf. 2, 3.

649. *Velamen* praetextum est acanthi foliis oram ambientibus. Acanthus autem in craterarum, columnarum aliarumque rerum ornatu nobilis cf. E. 3, 45. Ov. M. 13, 701. — De croceo in vestibus colore cf. 11, 775.

650. Argiva Helena ap. Homerum Ἀργείη Ἑλένη; sed quod Mycenis eam profugisse dicitur cf. 2, 577. Multa autem simul pretiosa abstulerat, quae simul cum Helena repetebant Achivi cf. Hom. Il. 3, 70. — *Sceptrum* feminae regiae insigne Eur. Troad. 180. Stat. Theb. 6, 81.

653. Ilione „uxor Polymestoris (cf. 3, 49) fuit, quae post captum Ilium eiecta a viro, manu sua interiit.“ S. Iliones nomine Accii aliqua inscripta erat fabula.

654. *Maxima* cf. 521. — De dativo *collo* cf. 429. — *Bacatum monile* ita Sil. 8, 134. Bacas ob formae similitudinem margaritas dici posse facile intelligitur, neque tamen dicuntur, nisi aliunde

Bacatum et duplicem gemmis auroque coronam.
Haec celerans iter ad naves tendebat Achates.
At Cytherea novas artes, nova pectore versat
Consilia, ut faciem mutatus et ora Cupido
Pro dulci Ascanio veniat donisque furentem
Incendat reginam atque ossibus implicet ignem.
Quippe domum timet ambiguam Tyriosque bilingues;
Urit atrox Iuno, et sub noctem cura recursat.
Ergo his aligerum dictis adfatur Amorem:
Nate, meae vires, mea magna potentia solus,
Nate, patris summi qui tela Typhoëa temnis,

constat, quales sint bacae. Ita Cul. 67 *Indi baca maris.* Sed Ov. M. 10, 116 *parilique ex aere* (argento) *nitebant Auribus in geminis circum cava tempora bacae.* Torques regibus a senatu dantur Liv. 43, 5. 44, 14.

655. *duplicem coronam:* „Sane immiscet Romanam consuetudinem; coronis enim feminae utebantur" S.; h. l. etiam regium est insigne, ut 8, 505. *Duplex* est proprio sensu cf. Val. Fl. 8, 235 *Medeae Ipsa suam duplicem Cytherea coronam donat.* — *Gemmis auroque* cf. 3, 618.

656. *haec celerans:* Ita imperium alicuius celerare i. e. celeriter exsequi dixit Val. Fl. 4, 80. 385. Ita active et alibi, ut *celerare iter* 8, 90. *cursus* 10, 249. — *Iter tendere* 6, 240. 7, 7, et *iter contendere* Cic. pr. RA. 34. — Has res unde Aeneas haberet quaesivit *Wd.;* sed quae profert, quamquam probo, non opus esse censeo quaerere.

657—96. Venus in Ascanii locum substituit Amorem.

Venus Cytherea timet, ne a Iunone impulsa Dido animum mutet, quare amore eam studet devincire.

658. *Facies*, *Gestalt*, sic G. 2, 131 *ipsa ingens arbos faciemque simillima lauro*, A. 3, 310. 5, 722. 12, 416. — *ora (Antlitz).* — Ut h. l. facies et ora, sic 683 facies et vultus iunguntur.

660. *Donis incendat;* omnis enim mulier munerum splendore capitur. Cf. 713. 714. — *Furentem* „incendat et furere faciat, ut (4, 22 quem locum confer) *animumque labantem impulit.*" S. — *ossibus implicet ignem:* Idem 7, 355. *Implicare* est infigere et eadem structura cf. C. de Div. 1, 36: *Dii vim suam naturis hominum implicant.* Aliud est *implicare alqd. aliqua re.* — *Ignis* de amore 4, 2.

661. *Domum ambiguam*, inconstantem et fraudulentam gentem Poenorum; eorum enim perfidia apud Romanos in proverbium abiit. „Item ap. Livium 21, 4 de Annibale: inhumana crudelitas, *perfidia plus quam Punica;* veri nihil, nihil sancti, nullius dei metus, nullum iusiurandum, nulla religio" S. Fides Punica notatur ap. Liv. 22, 6. 48. 26, 17. 30, 22. 42, 47. *Carthago fraudum domus* Sil. 6, 480. Apud Ov. Met. 2, 9 Proteus dicitur ambiguus, quod faciem saepe mutat. Tyrios *que* est explicativum cf. Exc. — *Bilingues*, fallaces, *doppelzüngig.* *Dimitte bilingues ex animo socios* Sil. 16, 157. *Movete bilingues insidias* Claud. B. Gild. 284. Ita iam apud Plautum, Pers. 2, 4, 28 *Tanquam proserpens bestia est bilinguis et scelestus.* Poen. 5, 2, 74 *Bisulcilingua quasi proserpens bestia.* Quibus ex locis videmus serpentium apud Romanos eo in vocabulo subesse cogitationem.

662. *Urit atrox Iuno*, i. e. ut nos loquimur, urit Iunonis atrocitatis cogitatio. — *Sub* tempus indicat cf. Gr. § 357. *sub noctem:* Nam Tristior idcirco nox est quam tempora Phoebi: Quae relevet luctus, turba sodalis abest Ov. Rem. Am. 585; hinc Nox curarum maxima nutrix dicitur Met. 8, 81. — *cura recursat:* Idem 12, 802.

664. Cf. Ov. M. 5, 365, ubi simili modo Venus Amorem alloquitur: *Arma manusque meae, mea, nate, potentia, dixit, Illa quibus superas omnes cape tela Cupido* et 369 *Tu superos ipsumque Iovem, tu numina ponti Victa domas etc.* — *nate — solus:* Vocativo apponi potest nominativus; ita Ov. Her. 14, 73 *Surge age, Belide, de tot modo fratribus unus.* Cf. Gr. 252, 5; adde 2, 283. *Hck.* interpungit *potentia, solus..*, recte refutatus a *Wdro.*

665. Typhon vel Typhoeus, centiceps, a Terra ut Titanum cladem ulcisceretur progenitus, a Iove fulmine est percussus. Itaque tela Typhoea sunt, quibus Iuppiter usus est in Typhoeum, i. e. fulmina. Etiam in gemmis conspicitur Amor ful-

Ad te confugio et supplex tua numina posco.
Frater ut Aeneas pelago tuus omnia circum
Litora iactetur odiis Iunonis iniquae,
Nota tibi et nostro doluisti saepe dolore.
Hunc Phoenissa tenet Dido blandisque moratur
Vocibus, et vereor, quo se Iunonia vertant
Hospitia; haud tanto cessabit cardine rerum.
Quocirca capere ante dolis et cingere flamma
Reginam meditor, ne quo se numine mutet,
Sed magno Aeneae mecum teneatur amore.
Qua facere id possis, nostram nunc accipe mentem:
Regius accitu cari genitoris ad urbem
Sidoniam puer ire parat, mea maxima cura,
Dona ferens pelago et flammis restantia Troiae;

mina frangens. Cf. canticum illud ap. Soph. Ant. 781. *Typhoea* dat Prisc. 1, 9, 54 et MFR.

666. *tua numina:* Cf. v. 8 et Serv.: „Notandum, unum deum plura habere numina.“ Artem huius orationis per singula verba poteris exsequi, ut fecit Servius. Iam magnum inest in eo, quod *frater* vocabulo incipit.

668. *Iactetur* defenditur ex § 9 sed *iacteturque* FMRγ, in libris Servii et in tanto librorum consensu *Wg.* haeret vultque defendere novis coniecturis. Posset defendere usu illo Horatiano, ut explicaret *Litora iactetur iacteturque* cf. Gr. § 480 s. v. *que* — *iniquae* MR. al. *acerbae* rec. *Rb.* ex P., in quo tamen suprascriptum est *iniquae.* Et altera manus ut in M., sic in P. melior.

669. *Nota:* i. e. Haec omnia tibi nota sunt. — *Nostro dolore* est „eo quo et ego, aut doluisti ideo, quia me dolentem vidisti, ut doleo illa re“ S. Prius videtur praestare.

670. *nunc* F1. rec. *Rb.* *hunc* F2MR. — Dido eum iam tenet, iam moratur et plura timenda sunt; incertum enim quo se vertant hospitia Iunonis Aeneam omni modo ab Italia retinentis. — Pro *hospitia Gt.* coni. *consilia*, quod ut bonum sit, significantius tamen *hospitia.*

671. *Iunonia hospitia* cf. 662. Iuno enim Carthaginis praeses est cf. 11. — *cessabit etc.* „Non poterit in tanta rerum opportunitate cessare, ut sit de proverbio tractum, quo dicitur *res in cardine est*, h. e. in articulo.“ S. — Ad *cessabit* facile ex *Iunonia* supplebis *Iuno*, ut nonnunquam ex antecedente adiectivo intelligendum est substantivum. Cf. Gr. § 246. d.

673. *Cingere flamma* est quasi urbem obsessam ita includere, ut nulli deo ad eam aditus sit, qui possit eius mutare animum. Cf. 7, 343 *obsidere.*

674. *ne quo numine:* ne quo deo adversante. *Hck.* expl. voluntate Didonis (!). At vocabulum non dicitur nisi de deo cf. 8.

675. *Mecum* i. e. tanto quo ego teneor amore. cf. G. 1, 41 *Ignarosque viae mecum miseratus agrestes;* 2, 8. Ecl. 2, 12. 31. 3, 32. Liv. 38, 48 *negaretis hoc mihi cum diis immortalibus.* Cf. Gr. § 244, 4. — *Pl.* coni. *mentem incendatur amore. Gt. pectus t. a.*

676. *Qua* ut 682. 11. 293 pro *qua ratione*, quod plene 4, 115. Cf. Cic. Phil. 6, 3 *Praedico Antonium delectus qua possit habiturum.* Ita *quacunque* Ecl. 9, 14. *aliqua* Ecl. 3, 15. Ter. Phorm. 5, 1. 19. — *Mens* est consilium, 2, 519. 5, 56. 812. Cic. Cat. 1, 12. Est enim et vis cogitandi et quod ea efficit, ipsum cogitatum. — *Accipe*, audi: cf. 2, 65.

677. *accitu:* Tales ablativi substantivorum in *tus* desinentium etiam apud scriptores inveniuntur ut ap. Tacitum A. 2, 43 *missu principis;* H. 1, 9 *missu Galbae;* 43 *missu Othonis* etc.; sed iam est apud antiquos Plaut. Ter. et Cic. Manil. 8 *eius adventu* = quod advenisset Cat. 1, 3 *discessu ceterorum;* Lael. 3 *amicorum decessu;* N. D. 1, 6 *quum .. ad eum ipsius rogatu arcessituque venissem;* Verr. 3, 28 *magistratus et quinque primi accitu istius evocantur.* al. Iis locus est, si caussa cur quis quid faciat, ex alio pendet homine. Cf. Gr. § 319.

678. *Cura* significat etiam eum, de quo cura est, ut 3, 476. 10, 132. E. 10, 22 *tua cura Lycoris.* Tib. 1, 9, 34. 3, 4, 43. 4, 10, 6. et 12, 1. Per totum autem carmen videmus Venerem in Ascanio multo magis laborare quam in servando Aenea. — In eo enim omne nititur fatum. Insignis locus 10, 48 sq.

Hunc ego sopitum somno super alta Cythera
Aut super Idalium sacrata sede recondam,
Ne qua scire dolos mediusve occurrere possit.
Tu faciem illius noctem non amplius unam
Falle dolo et notos pueri puer indue voltus,
Ut, quum te gremio accipiet laetissima Dido
Regales inter mensas laticemque Lyaeum,
Quum dabit amplexus atque oscula dulcia figet,
Occultum inspires ignem, fallasque veneno.
Paret Amor dictis carae genetricis, et alas
Exuit et gressu gaudens incedit Iuli.
At Venus Ascanio placidam per membra quietem
Inrigat et fotum gremio dea tollit in altos
Idaliae lucos, ubi mollis amaracus illum
Floribus et dulci adspirans complectitur umbra.
Iamque ibat dicto parens et dona Cupido

680. *Sopitus somno* dixit etiam Nep. Dio 2. — *super* cf. 6, 203. — *Cythera*, *τὰ Κύθηρα*, Cerigo, insula Laconiae opposita, Veneri sacra, unde dea dicitur Cytherea *Κυθέρεια*.

681. Idalium „Cypri nemus est, in quo oppidum breve" S. — *sacrata sede*, in sacro luco, cf. 693. Ita Erechtheus in Minervae sacro servatus dicitur ap. Hom. Il. 2, 549. — *Sacratus* pro sacer; ita 2, 157. Ov. M. 10, 321 *sacrata iura*. Cf. doctus, eruditus, al.

682. *medius occurrere* cf. 348.

683. *Faciem fallere* ut *μορφὴν δολοῦν* ap. Soph. Phil. 129 dictum: *fallere* pro simulare, ut *falsus* saepissime invenitur, ita etiam *mentiri*.

684. *pueri puer*. Solent Latini in iterandis iisdem vocabulis vim aliquam quaerere; cf. 5, 569 *pueroque puer dilectus Iulo*; 314 *calcemque terit iam calce Diores*; 10, 734 *seque viro vir contulit*; 361 *haeret pede pes densusque viro vir*; 600 *fratrem ne desere frater*; Ov. M. 2, 92 *patrio pater esse metu probor*; M. 11, 774 *celeremque metu celer urguet amore*. Multa alia.

686. „*Latex* proprie est aqua, ab eo quod intra terrae venas lateat; (!) sed et vinum latet intra uvam" S. Ita saepius de vino ut 736. Val. Fl. 1, 666 *pelago libat latices* i. e. vinum. Additur etiam ut h. l. vocabulum, quo apertius indicetur vinum intelligi, ut ap. Lucr. 5, 14 *Fertur Liber liquoris vitigeni laticem mortalibus instituisse*. Ov. M. 13, 653 *laticem meri*; est enim quodvis udum et fluidum; inde de aqua 4, 512. 6, 715. etiam de oleo et lacte. — Bacchus dicitur Lyaeus, quod *λύει* curas(?). „*Lyaeum* autem pro *Lyaeium* dixit." S. Cf. *Romanus*, *Graecus*. Solent enim Romani etiam pedestres scriptores nomina propria ponere pro adiectivis ab iis derivandis, praesertim si ipsa adiectivam aliquam habent terminationem et adiectivum auribus minus esset gratum; ita 3, 280 *Actius*; 602 *Danaus*; 4, 207 *Lenaeus*; 552 *Sychaeus*; 6, 778 *Assaracus*; E. 6, 65 *Aonas in montes*; *Latius dux* Luc. 10, 358; *Latia plebs* 403; *Latium corpus* 416 — *Maurus* cf. Bentl. Hor. C. 1, 22, 2; *Romula gens* 4, 5, 1 — *Ursi Numidae* Iuv. 4, 99; *Numidae dentis opus* Ov. Pont. 4, 9. 28; adde quae 5, 37. De Horatio cf. Dillenb. 1, 1, 28 de Livio Fbr. 21, 53.

687. *dare amplexus* cf. 2, 698. — *Oscula figere* iam Lucret. 4. 1173 dixit.

688. *fallas* sc. furtim instillando *veneno* sc. amoris.

690. *Gaudens* novo habitu et cultu, ut puer, simul quod dolos struere potest, ut Amor; ita laetus est 696 duce Achate, quod eum nova forma fallit, qui Ascanium secum ducere opinatur. Ita fallere ubique maximum est gaudium eius qui alienam fert personam.

691. *per membra quietem irrigat*; ita Furius apud Macrobium 6, 1 *mitemque rigat per pectora somnum*; Lucr. 4, 905 *Nunc quibus ille modis somnus per membra quietem irriget*. Simile *sopor irrigat artus* 3, 54.

692. *Venus* — *dea* cf. 411.

693. *amaracus*: „Sampsuchum sive amaracum in Cypro laudatissimum et odoratissimum." Plin. H. N. 21, 22. 93. Ex eo factum unguentum nobilissimum *amaracinum* cf. Lucr. 4, 1173.

695. Ibat *parens* et *Cupido* portabat: De hoc ordine verborum cf. 8, 168. *Wd.*

Regia portabat Tyriis, duce laetus Achate.
Quum venit, aulaeis iam se regina superbis
Aurea composuit sponda mediamque locavit;
Iam pater Aeneas et iam Troiana iuventus
Conveniunt, stratoque super discumbitur ostro.
Dant manibus famuli lymphas, Cereremque canistris
Expediunt, tonsisque ferunt mantelia villis.
Quinquaginta intus famulae, quibus ordine longo
Cura penum struere et flammis adolere Penates;

iungit *laetus portabat*, quod est contra ordinem verborum.

697—722. Epulum.

697. *quum venit — composuit — conveniunt.* Omnia recte sunt dicta; quum advenit Amor, iam locum tenet Dido suum, iam alii locum occupant. — *Aulaeis* „velis pictis, quae ideo aulaea dicta sunt, quod primum in aula Attali, regis Asiae, qui populum Romanum scripsit heredem, inventa sunt.“ S. Imprimis ad velanda conclavium tecta utebantur Romani saepe admodum splendidis cf. Hor. S. 2, 8, 54. *Wd.* aulaea in sponda esse sumit, intelligitque vestes stragulas. — *superbis* cf. 639.

698. *aurea sponda* abl. loci. Sponda aut lectum auro obductum saepius erat apud antiquos cf. Cic. Tusc. 5, 21, 61 *Collocari iussit* (Dionysius) *hominem* (Damoclem) *in aureo lecto, strato pulcherrimo textili stragulo, magnificis operibus picto.* Ita Nicomedes rex, Caesaris aequalis, habuit aureum lectum Suet. Caes. 49. Caligula argenteis laminis obductum Suet. Cal. 32. — *aurea* cf. § 10. — *Se composuit* dictum est cum gravitatis notione, *sich niederlassen;* ita G. 4, 189, ita *membra componere* 438 et *corpus ponere* Ov. M. 1, 300. 10. 128. 14, 427. — *mediamque*, in conclavi aliquantulum a reliquis remotam. Noli fingere Didonem inter Ascanium et Aeneam mediam in triclinio discumbentem, quod iam fecere quidam; id enim contra omne decorum est. Si neque ex Romano neque ex Graeco more et hoc et nonnulla, quae sequuntur, satis explicare poteris, attendas, Didonem esse et feminam et regem et Carthaginiensem, neque ap. Graecos, nec ap. Romanos similem personam reperiri. Videntur ab altera parte sedere Troiani, ab altera Tyrii cf. 738.

699. Troiani suis locis discumbunt. Aeneas loco altiore 2, 3 regiae sellae opposito.

700. „*Ostro* pro purpura posuit, unde fingitur purpura“ S. — *Super* praep. eodem loco posita 6, 17.

701. *manibus famuli* GRcγ. *famuli manibus* b. *manibus famulae* M. — Lavant more Romano ante coenam, dum servi aquas et mantelia (*Waschwasser und Handtücher*) circumferunt. Dein alii panem afferunt, alii cibos adornant et coquunt, alii in mensis proponunt et curant pocula. — *Mantelia tonsis villis* i. e. levia, mollia. — Cererem = panem cf. 171. — *Que — que* quamquam aequalia iungere solet, non tamen eosdem famulos omnia simul facere apparet; neque opus est afferre locos alios, in quibus *que* diversa iungit, quamquam sunt; ut 10, 130 *hi iaculis, illi certant defendere saxis, molirique ignem nervoque aptare sagittas*, ubi plurium hominum diversum studium describitur. 7. 639. E. 1. 65. — Versus 701 et 2 delet *Pl. Gr.* ut natos ex G. 4, 376 male positis aqua, pane, mantelibus. At si 703—6 non simul eiiciuntur, nihil proficitur.

703. *intus* in atrio cf. 726. — *Longam*, quod recepit *Wg. Wd.*, firmat Charisius; sed iam Gellii aetate et *longam* et *longo* legebatur cf. N. A. 4, 1. *Longo* apud Servium et in Mss. omnibus, qui nunc exstant praeter Palatinum. Et *penus longa* et *longus ordo* potest intelligi; alterum magnam penum, alterum magnam famulorum multitudinem signat cf. 6, 482. Alterum autem alterum involvit. Nam si longa est penus, per multos focos et, quod inde consequitur, a multis famulis paratur; si longus est ordo famulorum, multa est penus, ut in ea paranda tot homines occupentur. *Longa penus* autem dictum est, ut ap. Tac. A. 14, 31 *longa opulentia* pro magna.

704. *cura* c. infin. cf. 5. 638. — *Penum struere* est edulia et cibos adornare et parare, quod maxime igne fit, quare eas per plures focos dispositas cogita in parandis cibis occupatas. „Est enim omne quo vescuntur homines penus“ Cic. N. D. 2, 27. „Inter *penum* et *cellarium* hoc

Centum aliae, totidemque pares aetate ministri,
Qui dapibus mensas onerent et pocula ponant.
Nec non et Tyrii per limina laeta frequentes
Convenere, toris iussi discumbere pictis.
Mirantur dona Aeneae, mirantur Iulum,
Flagrantesque dei voltus, simulataque verba,
Pallamque, et pictum croceo velamen acantho
Praecipue infelix, pesti devota futurae,
Expleri mentem nequit ardescitque tuendo
Phoenissa et pariter puero donisque movetur.
Ille ubi complexu Aeneae colloque pependit,
Et magnum falsi implevit genitoris amorem,
Reginam petit. Haec oculis, haec pectore toto
Haeret et interdum gremio fovet inscia Dido,
Insidat quantus miserae deus. At memor ille
Matris Acidaliae paulatim abolere Sychaeum

interest, quod cellarium est paucorum dierum, unde et in cellam dicitur imperatum frumentum; penus vero temporis longi.“ S. Inde etiam Klaussen in libro suo de Penatibus inscripto Penates dictos putat, quod perpetuam conservandae familiae curam agunt. „Sane dicimus et *hic* et *haec* et *hoc penus*, sed a masculino genere et feminino quarta est declinatio, a neutro tertia.“ S. — *flammis adolere Penates*: „*Adolere* i. e. colere. Sed proprie est augere; in sacris autem per bonum omen dicitur“ S. Et dicitur adolere rem, quae crematur cf. 3, 547, eam rem, in qua flamma est; ut h. l. si *Penates* dictum sumis pro *focos* cf. 527. et 7, 71. Lucr. 4, 1231. *adolent altaria donis*. Tac. A. 14, 30. H. 2. 3 et inde G. 4, 379 *adolescunt ignibus arae*. Ita etiam *incendere aras* 3, 279; *incensa altaria* 8, 285. Cf. *die Lampe anbrennen*. Hunc locum imitatus est Silius 11, 275 *Non una ministri turba gregis, posuisse dapes his addita cura, his adolere focos, his ordine pocula ferre, nec non et certis struitur penus.* — *Struere* „ordinare, componere. Unde et structores dicuntur ferculorum compositores.“ S. *struere convivia* T. A. 15, 37.

705. „Non numerus, sed aetatis aequalitas habet admirationem“ S. Secutus est Val. Fl. 2, 653 *centumque pares primaeva ministri corpora.*

706. *onerent* — *ponant* MP. Est iis cura, ut ... et praesto sunt, ut quando tempus est, ponant; nondum enim ponunt. — *onerant* — *ponunt* RG.

707. *nec non et* cf. 5, 100. — *laeta limina* cf. 355.

708. Assignantur iis tori, quibus pictae iniectae sunt stragulae.

710. *flagrantes voltus* „ardentes divinitate“ S. cf. 5, 648. Melius tamen Nürnberger vertere videtur: *Doch Alles fesselt der leichtfertige Ascan Durch seiner schelm'schen Blicke Macht.* Certe notat Cicero pr. Cael. 20, 49 flagrantiam oculorum in iis, quae ad amorem pellicere cupiunt. — *simulataque verba* „composita in Ascanii similitudinem“ S.

711. *Rb. Wd.* versum delent ut „temere(!) assutum“ ex v. 649 sq. Retinent *Wg. Ld.* et v. 710 ad Iulum, v. 711 ad dona pertinere quum videant, h. v. servato concinnam fieri orationem autumant.

712. *Rb.* delet versus 712—14, quos defendit acerrime et optime *Wd. Rb.* vult non moveri Didonem donis sed solo puero. Cur igitur Aeneas dona dedisset? Dona autem per se egregia, insignia ex prioribus possessoribus, Didoni quod ab Aenea et per Amorem facilitate et urbanitate capientem offeruntur, acceptissima sunt. Iam donis acceptum Amorem nunc tandem decet sponte accedere ad Didonem, eamque eum sinu recipere. Dido autem quum devota sit pesti, infelix magis est quam scelerata, pudore abiecto.

713. *expleri mentem* cf. 2, 273.

716. Quum ex falso genitore Amor verum osculis hausisset filii amorem, accurrit ad Didonem et oscula, quae quasi in ore adhuc sunt ei, figit; ita ut Aeneas quasi Didonem osculari ipse videatur et amare.

719. „*Insideat*, in sinu sideat, legitur et *insidat*.“ S. *insideat* R. al.; *insidat* MP. — *Quantus deus* sit, cf. 664.

720. „Acidalia Venus dicitur ... a fonte Acidalio, qui est in Orchomeno, Boeotiae civitate, in quo se Gratiae abluunt, quas Veneri constat esse sacratas“ S. — *Abo-*

Incipit, et vivo tentat praevertere amore
Iam pridem resides animos desuetaque corda.
Postquam prima quies epulis, mensaeque remotae,
Crateras magnos statuunt et vina coronant.
Fit strepitus tectis, vocemque per ampla volutant
Atria; dependent lychni laquearibus aureis
Incensi, et noctem flammis funalia vincunt.
Hic regina gravem gemmis auroque poposcit
Implevitque mero pateram, quam Belus et omnes
A Belo soliti; tum facta silentia tectis:
Iuppiter, hospitibus nam te dare iura loquuntur,
Hunc laetum Tyriisque diem Troiaque profectis
Esse velis, nostrosque huius meminisse minores.

lere aliquem sc. eius memoriam cf. Sil. 1, 61 *abolere Aegates.*

721. *praevertere* „praeoccupare, propter Iunonem sine dubio" S.

722. *resides* „pigros, ad amandum inertes" S. cf. 6, 814.

723—36. Alterae mensae. Libationes, preces, cantus, sermones.

723. *Quies epulis* „propter regalem affluentiam; contra supra (216) ait: postquam exempta fames epulis." S. — *mensaeque remotae:* „Licet sub extranea persona Romanorum tamen exsequitur morem, apud quos duae mensae erant, una epularum, altera poculorum." Cf. 216. Sed antequam potarent, libare et deum aliquem invocare solebant.

724. Ad hunc versum conferunt Homericum Il. 1, 469. ubi: *Αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο, κοῦροι μὲν κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο* i. e. vino implebant. Neque tamen temere Virgilium imitari Homerum, hic locus documento est; nam servavit Romanum morem pocula corollis cingendi sive coronandi; qui memoratur 3, 525. Tib. 2, 5, 98 (inter Romanos poetas ceteris minime Graeca affectans) *Coronatus stabit et ante calix.* Quare minime audiendi sunt ii, qui Virgilium Homeri *στέφειν* pro *στεφανίζειν* dictum habuisse opinati sunt. — *Vina* autem *coronare* contraria dixit ratione, quam *pateram fundere* cf. 3, 354. *Vina* etiam alibi significant vasa vino impleta ut 9, 309. Val. Fl. 3, 609. — E cratere vinum hauriebatur cyathis et in pocula epulantium infundebatur.

725. *Strepitus* ut fere ubique, si ad pocula ventum est. — „*It strepitus tectis* i. e. ad tecta, ut *it clamor caelo* (5, 424). Legitur autem et: *fit str. tectis.*" S. *it* P. rec. Rb. *fit* MRγ. — *Vocem volutare* legitur etiam 5, 150. Ov. M. 12, 55; et Cicero dixit *verba volvere* pro pronuntiare, ut de or. 3, 47 *Longissima est igitur complexio verborum, quae volvi uno spiritu potest.* Brut. 70 *celeriter sua verba volvens.*

726. *atria per ampla:* „Tangit morem Romanum; nam ut ait Cato, et in atrio et duobus ferculis (*zwei Gänge*) epulabantur antiqui" S. ita 3, 353. — *Lychni* et *funalia* verba ad ornatum maxime composita. Cf. regiam Alcinoi Hom. Od. 7, 82 sq. Sil. 11, 280 *Eripiunt flammae noctem, strepituque moventum murmurat alta domus.* — *Laquearia* quae sint 8, 25.

728. *hic:* „tunc, est ergo adverbium temporis" S. demonstrativum et quidem non praesentis solum sed etiam perfecti ut saepius cf. 2, 122. 199. 386. 533. 699. 735. 743.

729. *Belus* „Lingua Punica Bal deus dicitur, apud Assyrios autem Bel" S. Res iam ex libris sacris nota. Belus igitur h. l. Tyri primus rex fuisse fingitur. — *implevit pateram.* Nam quum ante pocula pateris antiqui usi essent, mansit is usus, quo patera libabant diis; ut mola salsa, antiquissimum cibi genus, semper in sacris adhibebatur. Ita pateris libatur 3, 354. 7, 133. 12. 174. Libatur autem, antequam potandi fit initium cf. 8, 278, et libatur mero.

730. *soliti* sc. implere. — *tum facta silentia tectis.* Ita Val. Fl. 2, 348 *Circum pateris it Bacchus et omnis Aula silet;* et apud Servium legitur, dubium an a Servio scriptum hoc: „Apud Romanos etiam coena edita sublatisque mensis primis silentium fieri solebat, quoad ea quae de coena libata fuerant ad focum ferrentur et igni darentur".

731. Iuppiter hospitalis, *Ζεὺς ξένιος*, invocatur.

732. *Troiaque profectis:* „Bene noluit *profugis* dicere" S.

733. *Velis* vox solemnis, cf. 3, 457.

Adsit laetitiae Bacchus dator, et bona Iuno.
Et vos, o, coetum, Tyrii, celebrate faventes.
Dixit, et in mensam laticum libavit honorem,
Primaque, libato, summo tenus attigit ore;
Tum Bitiae dedit increpitans. Ille impiger hausit
Spumantem pateram et pleno se proluit auro;
Post alii proceres. Cithara crinitus Iopas
Personat aurata, docuit quem maximus Atlas.
Hic canit errantem lunam, solisque labores;
Unde hominum genus, et pecudes; unde imber et ignes;
Arcturum, pluviasque Hyades, geminosque Triones;

— *minores* cf. 532. Attende h. l. inversam in peius esse precationem; memores enim pugnant ipsique nepotesque cf. 4, 629.

734. *Adsit* etc. Si ad auxilium vocatur deus, semper ut adsit rogatur cf. 4, 578. 8, 78. 10. 254. 461. 773. Nam modo praesentes deos auxilio esse posse antiqui putabant, ut nos, qui omnipotentem habemus deum, eundem ubique praesentem esse dicimus. Sic *praesens* pro potens cf. 12, 152. — *bona* cf. 12, 647.

735. *Coetum celebrare* Cic. Att. 1, 19. 9 *conventus*, *qui initio celebrabantur*, *iam diu fieri desierunt.*

736. *laticum honorem:* De genitivo id quo regens constat significante cf. 5, 52. — *In mensam libat* „more sacrorum" S. cf. 8, 279.

737. *Libato*, participium neutrius nude positum cf. Gr. § 451. — *summo tenus attigit ore:* „Et verecundiam reginae ostendit et morem Romanum. Nam apud maiores nostros feminae non utebantur vino, nisi sacrorum caussa certis diebus" S. Itaque ut regina debet bibendi facere initium, ut femina vino abstinere. *Pl.* coni. *Vinaque vix labio summa tenus attigit ora*, (sc. poculi) *Cum* Bitiae.

738. *Increpitans*, exhortans ut 3, 454. Iam Servius monet, si Dido Aeneae propinaverit, fuisse contra decorum. Propinandi mos apud Romanos saepe memoratur. — Bitias autem et Iopas, teste Servio, Punica erant nomina.

739. Cf. Copam 29 *aestivo recubans te prolue vitro.*

740. Ut h. l. Iopas, ita ap. Homerum Phemius et Demodocus canunt ad citharam: cf. Quint. 1, 10. 10. 104. — *crinitus:* Is in Apollinis morem citharoedorum habitus erat. Cf. 590. — *Personare*, v. neutrum, est magna voce sonare, ut per magnum spatium audiatur cf. Cic. pr. Coel. 20 *Non loquuntur solum*, *verum etiam personant.* Tac. An. 16, 4 *Plebs personabat certis modis. plausuque composito.* Ita *resonare* Hor. C. 3, 11, 3. Aliter Cic. Phil. 2, 41 *Personabant omnia vocibus ebriorum.*

741. „*Quae* legendum est, non *quem*" S. — *Quem* MPRγ praestat alteri *quae*, quod etiam in libris est, quo recepto rectus ordo non servabitur sententiarum; nam 741. 42 de ipso Iopa, in sequentibus de iis quae canit est sermo; *quae* autem propterea S. probat, quod Atlas docere non potuerit Iopam, Didonis tempore viventem. Sed in mythicis narrationibus non est ea temporis concinnitas quaerenda, et Atlas deus est semper vivens, et Iopae canentis maior est laus et exspectatio, si ab ipso Atlante praeceptore didicit. — *maximus Atlas* cf. 8, 136. Cicero autem Tusc. 5, 3, 8 Atlantem astronomiae studuisse putat, quapropter etiam h. l. ab eo Iopas doctus esse fingitur.

742. *errantem lunam:* Luna omnium stellarum maxime locum mutat. — *Solis labores* canit, i. e. canit qui sint solis labores, quando cursum suum conficere tendat. In animum revoca duodecim Herculis labores, quibus Solis per zodiacum decursum putant indicari, et Phoenices Solem et Lunam deos maxime coluisse. Alibi *labores* significant defectus ut G. 2, 478 *Defectus Solis varios lunaeque labores;* Lucan. 7, 4 *Defectusque pati voluit raptaeque labores lucis.*

744. Arcturus stella in Boeotae sidere cf. 3, 516. — Hyades sive Pluviae, Suculae, Virgiliae dictae, in capite Tauri. — *Gemini Triones* sunt ursa maior Helice, in quam etiam Callisto dicitur mutata Ov. M. 2, 496 sq., et minor Cynosura, nymphae quae Iovem infantem nutriebant, quapropter in sidera mutatae. Quid triones (unde septentrio quod septem magnis stellis constant, cf. Cic. N. D. 2. 41) significet docet Gell. 2. 21 et S. qui: „triones sunt boves aratorii". Cf. G. 3, 381. Maior praecipue dicitur etiam ap. antiquos ἅμαξα, plaustrum, *Himmelswagen.*

Quid tantum oceano properent se tinguere soles
Hiberni, vel quae tardis mora noctibus obstet.
Ingeminant plausu Tyrii, Troesque sequuntur.
Nec non et vario noctem sermone trahebat
Infelix Dido, longumque bibebat amorem,
Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa;
Nunc, quibus Aurorae venisset filius armis,
Nunc, quales Diomedis equi, nunc, quantus Achilles.
Immo age, et a prima dic, hospes, origine nobis
Insidias, inquit, Danaum, casusque tuorum,
Erroresque tuos. Nam te iam septima portat
Omnibus errantem terris et fluctibus aestas.

746. „tardis, non longis, sed aestivis, i. e. tarde venientibus" S. Recte; ita et hiemis et aestatis rationes exponit, — Iidem v. G. 2, 481. 82. Cf. Lucr. 5, 680. — Non habuit aliud, quod canentem Iopam facere posset, nam Phoenicum res gestae hominibus Romanis, quibus scripsit, et ipsi Vglio erant ignotae; Graecas fabulas a Poeno referri carmine ineptum erat: quare res modo supererat, qualis est hoc loco. Et has de rerum natura quaestiones libenter audiebant et carminibus aptissimum habebant argumentum cf. E. 6, 31 et praecipue G. 2, 475 sq. A. 6, 724. Idem canit Apollo ipse Stat. Theb. 6, 357. Ita Lucretius libros de rerum natura scripsit, poeta, si quid iudicare possum, inter Romanos multum praestans ingenio.

747. *ingeminant* cf. 104. *plausu* cf. 9, 811. — *Troesque sequuntur*, ut hospites verecundi signum exspectant.

748. *Noctem trahere* dicit Ov. M. 12, 159 *noctem sermone trahunt*, Petron. c. 111 *Femina quintum iam diem sine alimento trahebat.*

749. *Bibere* translate dicitur, si quid cupide arripimus; ita *aure bibere aliquid* Hor. C. 2, 13, 32. Ov. Tr. 3, 5, 14; *aures bibulae* Persius 4, 50 dixit, *aures sitientes* C. ad Att. 2, 14.

750. *Multa* in initio et in fine versus cf. 11, 358.

751. Memnon Aurorae et Tithoni filius, rex Aethiopum, ex oriente copias Troianis adduxit. Pulchritudine excellebat cf. Hom. Od. 4, 188. 11, 521; interfecit Antilochum, Nestoris filium, et ipse occisus est ab Achille, eiusque mortem mater rore matutino flere dicitur. Ov. M. 13, 576—622. Arma eius erant a Vulcano facta A. 8, 384. — Arctinus Milesius scripsit Aethiopin quinque libris, in iisque Memnonis facta.

752. *Diomedis equi* cf. 10, 581. Et pater eius Tydeus apud Homerum equorum cura insignis est (Il. 4, 370. 387. 5, 126) et ipse Diomedes; (9, 51, 711.) saepius etiam in proelio equos capit sc. Daretis 5, 25, Chronici 165, ipsius Aeneae 264 divinae originis. Insignes erant etiam Rhesi Il. 10, 568 cf. 469., quos abduxit. Hos opinor h. l. intellexit poeta; quamquam Diomedes usus est Aeneae equis Il. 8, 106. 23, 400. Certe si ad hanc rem animum Vgl. attendisset, non potuisset sic interrogantem Didonem inducere. — *Quantus* fuerit corporis viribus et animi virtute.

753. *A prima origine insidias* vult audire, itaque non totum bellum Troianum, sed modo urbis interitum. Quum singula quaesita essent et responsa, iam nascitur cupiditas rem totam ex ordine audire. Dido autem quum id flagitat, non tam cupida est scire quantus fuerit Achilles vel quales Diomedis equi multaque alia, sed id eius interest, ut pergat narrare Aeneas, quem vult retinere.

755. Annorum numerum ex ipso Aenea Dido in *sermone vario* scire potuit, ut *Rb.* et *Wd.* non debuerint haesitare in eo, quod „subito" et quod Dido tempus memorat, quod aliis locis Vgl. declarare vitaverit. Itaque *Wd. Nam — aestas* tibicinem habet ab ipso Vglo factum, *Rb.* eiicit. Sed recte ipse *Wd.* docet ex libro III non posse tempus constitui, et si Heynius $6\frac{1}{2}$ annos, Conrads $1\frac{1}{2}$ annos eo libro contineri sumunt, posse stare utrumque. Hinc autem sequitur, h. l. septem annos commemorari non esse absurdum, neque ille locus, quem *Wd. Rb.* obstare dicunt, revera obstat 5, 626 *septima aestas*. Negant autem si illo loco septimus annus sit, posse idem esse h. l. Sed qui annus memoratur 5, 46 praeterlapsus est inter mortem Anchisae et ludos, non inter Aeneae in Africam adventum et ludos; et 5, 626 *septima aestas iam vertitur*, neque per totum annum Carthagine Aeneas commoratus esse usquam dicitur.

In hoc libro Aeneas fatis magis quam factis laudatur, quod dii in eo servando occupati sunt, ut aliquando regnet Augustus; deinde ipse constans in adversa fortuna summis laudibus extollitur a suis. Tandem ipse prodit. Haec omnia duobus fiunt diebus 1. 1—305. 2. 306—756.

Excursus ad v. 2.

Diu in editis obtinuit *Lavinaque*, Heynius dedit *Lavinia*, Wagnerus *Laviniaque*. Apud Servium haec leguntur: „*Lavinaque venit litora;* haec civitas tria habuit nomina. Nam primum Lavinium dictum a Lavinio, Latini fratre; postea Laurentum a lauro, inventa a Latino, dum adepto imperio post fratris mortem civitatem augeret. Postea Lavinium a Lavinia, uxore Aeneae. Ergo *Lavina* legendum est, non *Lavinia;* quia post adventum Aeneae Lavinium nomen accepit. Et aut Lavinum debuit dicere, sicut dixi, aut Laurentum". Ex his verbis haec duo apparent, primum fuisse eo tempore in libris etiam *Lavinia*, non tantum *Lavina*, et Servium hoc praeferre, fortasse inferre primum, ex praecepta sua ratione, quod temporis prolepsin, (cf. ad 3, 6.) saepissime apud Virgilium obviam, hoc loco admittere non vult. Deinde id apparet, scribendum esse supra: *nam primum Lavinum dictum a Lavino*, ut sana verbis sententia restituatur. Nomen autem *Lavinum* non satis certo loco demonstratur; nam genitivus *Lavini* Aen. 1, 258. 270. Ov. Met. 14, 728. Tib. 1, 5, 49 etiam a *Lavinium* recte deducitur; Iuvenalis autem locus 12, 71 *Atque novercali sedes praelata Lavino* etiam *Lavinio*, ut in fine versus, admittit (cf. M. §. 4.); et a librario, qui leges versus ignoraret, *Lavino* videtur esse substitutum. Neque adiectiva *Lavinas* (ut Arpinas Privernas etc.) aut *Lavinus*, quae duci possunt a voce *Lavinum*, reperiuntur. Unicus locus Propertii, qui hunc nostrum imitatur 2, 25, 64 *lactaque Lavinis* (i. e. Laviniis) *moenia litoribus* in incertis est et ex Virgilii loco constituendus non valet ad litem dirimendam. Contra quae iusto modo deducuntur a *Lavinium*, scilicet *Lavinius* et *Laviniensis* certissima sunt cf. Sil. 1, 44 *Sceptraque fundarit victor Lavinia Teucris;* al. et Varro R. R. 2, 4 „*Itaque quod portenderit, factum XXX annis, ut Lavinienses condiderint oppidum Albam.*" — Iam vero quum *Lavina* et *Lavinia* facile permutari possint, magni est momenti, quod Gellius 10, 16. Quint. 11, 3, 37, qui hunc versum laudant, *que* particulam agnoscunt. Hac autem copula opus est hoc loco, nam est epexegesis i. e. latiori notioni subiicitur arctior et angustior, qua prior accuratius definitur; quodsi fit, recte locum habet copula cf. 13. 554. 569. 4, 236. etc.

Itaque *Lavinia* omisso *que* improbandum, et quum *Lavina* vocabulum esse vix possit commonstrari, superest *Laviniaque*, quod ex ratione ad §. 13. exposita ob metrum potest probari. Iam restat ut dicamus, quid Mss. praebeant. Quod ex iis, quae supra diximus, probabile est, etiam Servium legisse: *Laviniaque* exstat in uno libro, in M. est *Lavinia*˙.˙ (quod est signum liturae), reliqui dant *Lavinia* aut *Lavinaque*, orta haec e studio, quo versui ut videbatur laboranti librarii subvenire cupiebant.

P. VIRGILII MARONIS
AENEIDOS
LIBER SECUNDUS.

Conticuere omnes intentique ora tenebant.
Inde toro pater Aeneas sic orsus ab alto:
Infandum, Regina, iubes renovare dolorem,
Troianas ut opes et lamentabile regnum
Eruerint Danai, quaeque ipse miserrima vidi,
Et quorum pars magna fui. Quis talia fando

1—13. Didoni petenti Aeneas Troiae narrare parat interitum.

Difficilis erat Aeneae de se narratio. Debebat enim vitare, ne videretur esse gloriosus, neve quum ex capta Troia cessisset, videretur esse ignavus. Utrumque consecutus est poeta, quum Aeneam tam modestum se, tam propensum praebeat ad peccata confitenda, tam sincero animo facta sua quasi ex re non ex ipsius virtute nata describentem, ut vera viri virtus eluceat. — Una et continua nascitur narratio, quod Aeneas non narrat, nisi quod ipse vidit; itaque in uno Aenea etiam narratio coalescit et qui audiunt majore afficiuntur voluptate, quam si quis aliena facta refert.

1. „Conticuere omnes, quia supra dixit: *fit strepitus tectis.*" S. — *Intenti ora tenebant* ut 8, 520 *defixi ora tenebant* explica, *sie richteten gespannt den Blick*, non *sie richteten den gespannten Blick*, quasi esset intelligendum *intenta*, hypallage aliqua, qua opus non est, nec *intente* recte diceretur cf. 5, 137. — in*tentique tenebant:* De tempore cf. Gr. § 458.

2. *Pater* h. l. dicitur Aeneas eoque vocabulo iam indicatur quo dolore eius animus affectus fuerit, qui coram filio florente, quem vix ex incendio servaverat, amissae meminisset matris et avi nequidquam servati, ut non posset non dicere versum tertium. — Sellarum altitudo in honorem accipitur cf. 8, 541.

3. *Infandus dolor est*, qui verbis non potest exprimi ob rei asperitatem. Sic *infandae caedes* 8, 483. *infandus casus* 578. Cf. 1, 525. 10, 673. 11, 257. 12, 804. Ad rem simile habes Ov. M. 14, 465 *Admonitu quamquam luctus renovatur amaro.* — *Iubes renovare dolorem* sc. narrando, ut eruerint. — Saepius fit, ut, accusativus eius qui iubetur facere aliquid, ad infinitivum omittatur cf. Gr. § 434. Neque ad rem facit, sive quod verbi subiectum idem est infinitivi, ut 2, 433. 3, 603. 4, 493, sive diversum, ut h. l. 184. 6, 457. 7, 290. 9, 354. Non iubet Dido Aeneam iterum cum Graecis pugnare, sed narrare illas pugnas: dolor igitur non est Troiae eversio sed eius narratio. Inest ergo in *renovare dolorem* narrandi significatio, ut bene sequatur *ut* etc. — *Hck. Rb. dolorem. Trojanas ... fui, quis talia,* perversa sententia, perversa structura. Optime et multis verbis redarguit *Wd.*

4. *Opes* „semper ad magnificentiam, *divitiae* ad usum" S. cf. Cic. Lael. 6, 1 *Opportunae sunt divitiae ut utare, opes ut colare.* — *Lamentabile* est regnum propterea, quod eruitur. — *Eruere* nove dictum pro *evertere;* imitatus est Tac. H. 4, 72 *eruendae civitatis avidus miles.*

6. *Quorum pars magna fui*, magnam calamitatum partem ipse pertuli cf. Ov. Her. 3, 46 *et fueram patriae pars ego magna meae.* — *Fando* explicatur *dum fatur,* qui ablativi in gerundio usus, quo

Myrmidonum Dolopumve aut duri miles Ulixi
Temperet a lacrimis! Et iam nox humida caelo
Praecipitat, suadentque cadentia sidera somnos;
Sed, si tantus amor casus cognoscere nostros
Et breviter Troiae supremum audire laborem,
Quamquam animus meminisse horret luctuque refugit,
Incipiam. — Fracti bello fatisque repulsi
Ductores Danaum, tot iam labentibus annis,
Instar montis equum divina Palladis arte
Aedificant, sectaque intexunt abiete costas.

solum tempus indicatur. est dubius. Explicant ita 6, 660. 7, 182 *pugnando;* sed in his etiam locis accedit caussae significatio ut 1, 713. 6, 664, ut h. l. nam ipsa narratio lacrimarum caussa est. cf. Gr. § 440. 5.

7. *Myrmidonum* dux Achilles postque eius mortem filius Neoptolemus fuit; et *Dolopes* duce Phoenice Achilli parebant cf. Hom. Il. 9, 484. Sunt etiam „Dolopes Pyrrhi, qui eum de Scyro secuti sunt" S. — *Durus*, qui non facile misericordia movetur: Tib. 3, 4, 76 *Vincuntur molli pectora dura prece. Durus* enim, ut ex *durare* verbo intelligi licet, est is, qui suo statu manet; hinc est etiam inexorabilis precibus. Huc quae det Serv. attende: „Virgilius pro negotiorum qualitate dat epitheta, quum Homerus eandem etiam in contrariis servet." — *Ulixi* de genitivo cf. 1. 30. Quibus is populis imperaverit ap. Hom. Il. 2, 631 sq. narratur. Itaque ne illi quidem stragis et ruinae auctores hostesque infestissimi, si in memoriam revocant Troianae gentis casum, lacrimas poterunt retinere. Simile 11, 258. Ov. M. 14, 474 *Graecia tum potuit Priamo quoque flenda videri.* Claud. B. Gild. 37 *Lugenda Getis et flenda Suevis Hausimus* sc. Romani. — Sil. 2, 647 *Quis tristia facta piorum temperet evolvens lacrimis.*

8. *Humida nox*, ita *humentes umbrae* cf. 4, 7. Humor, ros cadit nocte paene praeterita.

9. *Praecipitat* verb. intrans. etiam apud Cic. de or. 3, 55, 209: *sol praecipitans* (*untergehend*). Caes. B. C. 3, 25 *hiems iam praecipitaverat.* Cf. 1. 104. — *Suadentq.* etc. idem 4, 81. invitant ad somnum; ita Ov. Fast. 2, 635 *Iamque ubi suadebit placidos nox ultima somnos.* M. 13, 418 *Iamque viam suadet Boreas.* — *Cadere* sidera saepe dicuntur ap. poetas ut 8, 59; in oratione *occidere.* — Est igitur iam extremum noctis tempus.

10. *Amor* est studium; quare componitur 11, 739 *hic amor, hoc studium.* Quod cum infin. iungitur cf. 5, 638.

11. *Supremum laborem* i. e. extremum, quo omnia perierunt, urbis excidium. *Labor* enim, cf. *labi*, aerumnas significat; quibus vires atteruntur; hinc *laborare* aegroti recte dicuntur; ita 7. 481 *labores* sunt aerumnae et miseriae belli.

12. *Horret* regit infinitivum et *refugit* ut ap. Cic. (Phil. 14, 3. *refugit animus eaque dicere reformidat.* Tusc. 1, 45 *Ita taetra sunt quaedam, ut ea fugiat et reformidet oratio*, ubi *refugere* est iunctum cum alio verbo. Adde H. C. 1, 1, 34 *Lesboum refugit tendere barbyton.* Sen. Ag. 417 *Refugit loqui mens aegra.* — Nunc, quum memoria facta est, horret animus et antea semper *refugit*, evitavit eam sibi revocare. Itaque utrumque tempus recte positum est. *Gt.* coni. *luctusque resurgit. Pl. refugitque dolore* sive (!) *lucture fugitque. Fd.* (*Bonn* 45) perfectum sumit dictum esse *ἀοριστῶς(!)* i. e. tempore nullo. Quibus conatibus removere student perfectum ab omni parte probabile.

13—20. Graeci equum exstruunt.

13. *fracti:* Ita 170. 12, 1. — *Fatisque repulsi:* quod vi capi Troiam fato vetitum erat; itaque ad fraudes se vertunt, „In hoc libro duplex intentio est, ne vel Troiae quod victa est, vel Aeneae turpe videatur esse, quod fugit" S.

14. *labentibus*, dum labuntur cf. 1, 305. — *Ductor* pro duce dicere amat ob sonum ut 8, 6. 470. 513. et alii poetae.

15. *Instar montis:* ad montis magnitudinem: Tac. An. 2, 61 *instar montium eductae pyramides.* — *Palladis arte* cf. Hom. Od. 8, 493 *ἵππου, τὸν Ἐπειὸς ἐποίησεν σὺν Ἀθήνῃ.*

16. *Aedificant* „ut Cicero" S. Verr. 2, 5, 13 *navem esse aedificatam.* — *Texere* de trabibus iungendis imprimis navium dicitur cf. 112. 11, 326 et S.

Votum pro reditu simulant; ea fama vagatur.
Huc delecta virum sortiti corpora furtim
Includunt caeco lateri penitusque cavernas
Ingentes uterumque armato milite conplent.
Est in conspectu Tenedos, notissima fama
Insula, dives opum, Priami dum regna manebant,
Nunc tantum sinus et statio male fida carinis:
Huc se provecti deserto in litore condunt.
Nos abiisse rati et vento petiisse Mycenas.
Ergo omnis longo solvit se Teucria luctu.
Panduntur portae; iuvat ire et Dorica castra
Desertosque videre locos litusque relictum.
Hic Dolopum manus, hic saevus tendebat Achilles;
Classibus hic locus, hic acie certare solebant.
Pars stupet innuptae donum exitiale Minervae

„Naves dicuntur texi, nam ubi naves fiunt, textrinum vocatur."

18. *virum corpora* cf. 4, 132. *furtim*, clam cf. 6, 24. *caecus*, obscurus cf. 6, 714. — *Huc* verbis *caeco lateri* explicatur cf. 5, 609.

19. *Penitus* complent cavernas.

20. *milite:* Singul. pro plurali cf. 9, 380.

21—39. Troiani in Graecorum castra exeunt, de equo consultant.

21. *Est in conspectu* sc. Troiani litoris. — *Tenedos* insula XL stadiis ab agro Troiano remota, in qua templum Apollinis Sminthei, sed a Graecis devastata esse fingitur. Postea colonia Aeolensium, a Pisandro, Orestis filio, in illam Asiae partem ducta, eam etiam insulam occupavit cf. Pind. Nem. 11, 34.

22. *dives opum* cf. 1, 14. — *regna:* Nam unum regnum ex multis constat minoribus, itaque ad augendam regni amplitudinem utitur plurali.

23. *male:* De adverbio *male* adiectivis apposito cf. 735. — *Fidus* autem ab animatis ad inanimata translatum cf. 10, 592.

25. *abiisse* sc. eos. De forma *iisse* cf. 3, 603.

26. *Solvit se luctu.* cf. I, 562.

27. *Panduntur portae* „signum pacis est" S. — *iuvat ire* cf. 7, 628. 749. 3, 282 *iuvat evasisse* (*es erfreuet*). — *Dorica castra* ita 6, 88 et Prop. 2, 7, 16 de castris Graecorum in bello Troiano dictum. Dorum autem opes maxime post bellum Troianum creverunt ducibus Heraclidis. Nomine igitur poeta Graecos signat, quod illo tempore, de quo narrat, nondum clarum erat. Tales anachronismi saepissime apud poetas cf. 3, 6. — „Dorica castra mala est compositio, ab ea syllaba incipere qua superius finitus est sermo." S. Κακέμφατον tale (cf. Quint. 8, 3, 45. 695.) vitandum esse censebant, qui dicendi dabant praecepta, neque tamen poetae vitarunt. Sic *temporă rāmis* 5, 71. 8, 286. *temporă rāmo* 7, 135. — *currĕrĕ rēmis* 5, 222. alia. cf. 3, 183.

29. *Tendebat:* „Tentoria habebat, ut 8, 605" S. — *saevus* cf. I, 458. „Talis ubique inducendus est, ut Horatius (A. P. 122): Iura neget sibi nata" S.

30. „*Acies* legitur et *acie*" S. quod praebent MR. al. *acies* P. al. cf. 559. „Sapientius Vgl. de equo consilia inire Troianos facit, antequam in arcem deductus erat, quam apud Homerum deducto iam in arcem equo Od. 8, 504" *Hn.*

31. *Stupet* regit accusativum ut ap. Val. Fl. 1, 149. 2, 510. 620. Talia saepius apud poetas. Amant enim vocabula fortiora et rariora, ea etiam quae res magis pingunt et oculis subiiciunt. Itaque poetae, quum nova verba formandi Latina in lingua non magna esset facultas, verba primum aliud significantia in aliam significationem traxerunt, verbaque quae secundum vim primariam nullius erant rectionis, casus regere iusserunt. Qua ex ratione in animi motibus designandis ea verba quae externum signant corporis habitum, quo is qui animo movetur est, substituunt verbo proprio. Sic pro *timere* dixerunt *tremere*, *tremiscere*, *horrere*, *pallere*, *pavere* aliquem; pro amare dixerunt *ardere* al. cf. Gr. § 295. — *Minervae* et hoc loco et 189 recte habebis dativum cf. 1, 429; aut genitivum obiecti; ut scripsisse dicitur Claudianus: *Mala legunt donum Veneris* i. e. quae Veneri dono offerantur, et scripsit Cicero Verr. 3, 80. *Hck. Minervae* habet gen. subi.

Et molem mirantur equi; primusque Thymoetes
Duci intra muros hortatur et arce locari,
Sive dolo, seu iam Troiae sic fata ferebant.
At Capys et quorum melior sententia menti
Aut pelago Danaum insidias suspectaque dona
Praecipitare iubent subiectisque urere flammis,
Aut terebrare cavas uteri et tentare latebras.
Scinditur incertum studia in contraria volgus.
Primus ibi ante omnes, magna comitante caterva,
Laocoon ardens summa decurrit ab arce,
Et procul: O miseri, quae tanta insania, cives?

— *Exitiale*, quod nunc scit quum narrat, non illo tempore, quo vidit. Cf. 237 *fatalis* et 245 *infelix*.

32. *Mirantur*, nam si solvitur stupor, sequitur miratio. De plurali verbi ad collectivum relato cf. 1, 212.

33. *Hortatur* cum infinitivo iungitur 74. 3, 134. 144. 608. Cic. Inv. 2, 5. Sest. 3. Liv. 37, 49; *dehortari* Sall. Iug. 24. De hoc infinitivo verbis, quae intentionem aliquam signant, adiuncto cf. Gr. § 425 A. 1. 2. 3. Apud Virgilium eius generis leguntur haec verba *moneo* 10, 439 = impello ut, *ago* 3, 682, *subigo* 3, 257, *adigo* 6, 696, *tendo* 1, 19, *luctor* 12, 387, *certo* 4, 443, *oro* 6, 313, *venio* 1, 527, *sufficio* 5, 21, *suadeo* 12, 813, *edico* 11, 463, *praecipito* 11, 3, *horreo* = timeo ne 11, 636, *coniuro* G. 1, 280, *peto* 7, 96. Poetae autem inde progressi non ita consilii, quam effecti tenebant cogitationem; posteriores autem scriptores imitati sunt poetas, ut in his, sic saepissime; et quid inter utramque structuram infinitivi et *ut* ac coniunctivi interesset, obscurabatur. Inde posteriores ut Avienus talia audebant: *Aeolus impositus pelago est effundere carcere ventos et sedare salum.* Descr. terr. 627. Cf. 1, 66.

34. *dolo.* Id suspicatur Aeneas, quod, ut S. narrat ex Euphorione, uxore filioque a Priamo occisis iustam proditionis caussam habere videbatur. Noli tamen putare, eum cum Graecis consilia communicasse. Iusserat autem equum dicari Minervae et in arce collocari.

35. Capys memoratur 1, 183. 10, 145, qui idem fortasse est. „Et bene nec se nec patrem huic consilio dicit interfuisse, per quod interitus patriae immineret“ S.

36. *pelago*, in pelagum cf. 5, 451. — *Insidiae* ipse dicitur equus, quo parantur insidiae cf. 1, 358.

37. *iubent* cf. 3. — *subiectisque* Mss. Non opus est particula *ve*, nam in eo modo dissentiunt Troiani, utrum equus aboleatur an servatus in arce locetur; neque ad rem quidquam interest, aqua an igni pereat, nec qui delendum censebant, renitebantur, si qui antea volebant perscrutari. Quare vides *aut* etiam res quidem diversas, quae tamen ad idem redeant significare. Cf. 127. 187. 779. 786. 4, 529. 8, 205 al. C. pr. Q. 2 *Quid iniquius dici aut commemorari potest?* — Particulam *que* sic positam videbis 5, 68. 10, 709. 12, 893 nec minus *et* Tib. 1, 9, 49 *Illa velim rapida Vulcanus carmina flamma Torreat, et liquida deleat amnis aqua.* Hor. Sat. 2, 3, 157 *Quid refert morbo an furtis pereamque rapinis.* Liv. 4, 28 *an deum aliquem protecturum vos rapturumque hinc putatis?*

39. *Incertum*, nesciens quid faciendum sit, in contrarias partes abit. Attendas tamen ad vocem *studia*, quippe homines quo minus sententiae suae certam possunt afferre rationem, eo acrius defendere solent.

40—56. Laocoon equum censet esse delendum.

40. *Ante omnes* 5, 540. G. 2, 475 ap. poetas. Eo additamento aut superlativi vis augetur, (ut h. l. et 7, 55.) aut comparativi (ut 1, 347. *ante alios immanior omnes*) aut positivi extollitur, ut 3, 321 *O felix una ante alias Priameia virgo.*

41. *Ardens* ira, quod de re certissima dubitant, decurrit, rem statim confecturus.

42. *procul.* Iam ex longinquo cives alloquitur, ardore abreptus. *inquit* omissum cf. 4, 416. — Quae vestra est insania, num revera creditis hostes avectos esse, aut quidquam facere Graecos, quod dolo careat; estne tam male notus vobis Ulysses eiusque astutia? Utentur hac machina, ut aut ex ea velut turri urbem inspiciant, aut in muros (ventura desuper) descendant. Talium autem turrium apud Romanos multus usus, nondum in bello Troiano.

Creditis avectos hostes? aut ulla putatis
Dona carere dolis Danaum? sic notus Ulixes?
Aut hoc inclusi ligno occultantur Achivi,
Aut haec in nostros fabricata est machina muros,
Inspectura domos venturaque desuper urbi,
Aut aliquis latet error: equo ne credite, Teucri;
Quidquid id est, timeo Danaos et dona ferentes.
Sic fatus, validis ingentem viribus hastam
In latus inque feri curvam compagibus alvum
Contorsit. Stetit illa tremens, uteroque recusso
Insonuere cavae gemitumque dedere cavernae;
Et si fata deum, si mens non laeva fuisset,
Impulerat ferro Argolicas foedare latebras;
Troiaque nunc staret, Priamique arx alta maneres.
Ecce, manus iuvenem interea post terga revinctum

45. Hunc versum adscripsisse Vglium putat *Rb*, ut aliquando eum, vel 46 et 47 eligeret. Sed apparet opponi debere duplex *aut*, cui potest adiungi *aut aliquis latet error*, in quo comprehenditur utrumque et quodcunque aliud potest fingi.

48. *aliquis* cf. Gr. § 386, A. 2. — *Error*, fraus, id quod in errorem ducit, cf. 6, 27.

49. *Quidquid id est*, indicativus, ut 1, 601, in talibus dictionibus apud Latinos legitimus. Cf. Gr. § 395. — *et dona ferentes:* „etiam quum ultro offerunt dona“ S. Alia est explicatio: atque etiam tum maxime quum dona ferunt; ut ap. Cic. pr. Dei. 10 *Calamitosus Deiotarus, qui, et ab eo, qui in iisdem castris fuerit, accusetur.* pr. Mil. 25, 671. Man. 3, 7. etc. Sed ea vis non inest particulae, „sed inest in collocatis reliquis verbis, quae rem explicant.“ Hand. — Sic *que* 10, 874.

51. *feri.* Et *fera* (sc. bestia) et *ferum* dicitur, (sc. animal) unde gen. *feri* Ov. M. 8, 355. 382; acc. *ferum* 7, 489; dat. *feris* 5, 818. Sed habes etiam masculinum apud Ov. M. 8, 422 *immanemque ferum multa tellure iacentem Mirantes spectant.* Fast. 1, 550 *Traxerat aversos Cacus in antra feros.*

52. *illa*, hasta; cuius magna vi ligno impactae tremor bene notatur, ut *ingens* fit hasta viribus validis, quibus mittitur.

53. *Insonuere cavae cavernae* i. e. ita, ut cavas eas esse i. e. equi uterum cavum esse facile posses cognoscere: *sie klangen hohl, als hohle.* Adiectivum enim nonnunquam nec praedicatum nec attributum, (quid enim cavae cavernae?) sed potius dixeris appositum; cf. 5, 137. *gemitumque dedere* cf. 698.

54. *Fata deum* „quae dii loquuntur“ S. cf. 257. — *Laevus*, perversus ut Ecl. 1, 16 *si mens non laeva fuisset.* Hor. A. P. 301 *o ego laevus! Si fata deum* sc. *fuissent*, eruendum hoc ex sequente *fuisset* cf. 1, 16. Alii supplent *s. f. d. non laeva fuissent.*

55. *impulerat.* Certum erat, eum nos impulisse, si fata non obstitissent. Cf. Gr. § 408. — *Impello* cum infinitivo legitur 1, 11. 2, 250 et ap. Tac. et Iustinum cf. 33. — *Foedare* „dilacerare“ S., vulnerare, quum quovis vulnere quodvis vel foedissimum corpus foedetur cf. 3, 241. 4, 673. 7, 575. Tib. 4, 1, 57. Ov. M. 3, 522. 14, 190.

56. *staret — maneres* My. A nominativo ad vocativum transeunt poetae, si animi affectus erumpit. Cf. 1, 555. 2, 429. 3, 118. 371. 6, 18. 7, 684. 10, 542. Ov. F. 2, 492. — *stares — maneres* R. al. — *staret, — ret* Aproniauns, sc. ut eadem esset terminatio. Contra Serv.: „*stares*, si *staret* legeris, *maneres* sequitur, propter ὁμοιοτέλευτον.“ — Laocoon cum magna manu accurrens, talem fecit in equum impetum, ut nisi alvum tetigisset, ubi compagibus continebatur, eum perforasset, neque minus impulisset ad equum delendum, nisi adstantium animus ad rem novam esset abstractus.

57—76. Sino Graecus ad consultantes Troianos adducitur.

57. *Ecce* repentinum aliquod fieri indicat et inexspectatum, quo status rerum commutatur. Sic 318. 525. 3, 477. 7, 286. 11, 226. et absolute dicitur cf. Gr. § 311. — Sinonis de fraude narratio post Homerum vulgata est, et apud Romanos in vulgus nota, quod constat ex ratione, qua Sinonis meminit Plaut. Bacch. 4, 9,

Pastores magno ad regem clamore trahebant
Dardanidae, qui se ignotum venientibus ultro,
Hoc ipsum ut strueret Troiamque aperiret Achivis,
Obtulerat, fidens animi atque in utrumque paratus,
Seu versare dolos seu certae occumbere morti.
Undique visendi studio Troiana iuventus
Circumfusa ruit, certantque inludere capto.
Accipe nunc Danaum insidias, et crimine ab uno
Disce omnes.
Namque, ut conspectu in medio turbatus, inermis
Constitit atque oculis Phrygia agmina circumspexit:
Heu, quae nunc tellus, inquit, quae me aequora possunt
Accipere? aut quid iam misero mihi denique restat,
Cui neque apud Danaos usquam locus, et super ipsi
Dardanidae infensi poenas cum sanguine poscunt?

13, ibique docemur, totam de Troiae interitu narrationem, quam dat Virgilius, Plauti tempore omnibus fuisse notissimam. Attendas velim, qua arte poeta eam composuerit; Sinonemque ita a veris ad ficta transire, ut Troiani vix possent fidem non habere.

58. *trahebant: Trahere* est cum festinatione ducere, ita ut is qui ducitur aut nolit aut nequeat tam celeriter sequi, atque inde renitatur. Voluntas sequendi h. l. deest et 123, 404. potestas 321. 457. 6, 753.

59. *ultro* cf. 12, 3.

60. *Struere insidias* Livius dixit 2, 3. 23, 17. 34.

61. *Fidens animi* „est nomen; desinit enim esse participium, quia genitivo casui cohaeret.“ S. Apud Lucan. 9, 373 est *fidens armorum* cf. 1. 14. — *in utrumque paratus:* Similis structura Hor. Ep. 1, 18, 10 *in obsequium plus aequo pronus.* Tac. An. 15, 61 *promptum in adulationes ingenium.* — *Paratus* cum infinitivo iungi satis notum est. Potest tamen infinitivus appositionis loco haberi ad *utrumque* cf. 3, 240.

62. *Versare dolos* „exercere“ S. Ita 11, 704. et *versare artes* 1, 657. Quodsi *dolos* versat, peragit; si non peragit, certa ei est mors. *Dolos* et *dolo* legit S. et explicat „dolo evertere et subaudis *Troianos.*“ (At id ipsum addendum erat) *Wd. dolos* improbat, *dolo* praefert, sed tamen vitium inesse sumit, quare coni. *domos*, sed id ipsum ei non satis placet. *Pl.* coni. *seu superare dolo.* — *Occumbere morti* „novae locutionis figura et penitus remota. Ennius: Ut vos vostri liberi defendant, pro vostra vita morti occumbant.“ S. Ita Ov. M. 15, 499 *occubuisse neci.* Usitatum est et simplex *occumbere* et *occumbere mortem.*

64. *Circumfusa ruit* cf. 169. — *certant* c. inf. 4, 443.

65. *Accipere* est audire cf. 1, 676. 2, 308. 4, 611. 6, 693. Ita *dare* significat dicere Ecl. 1, 19. Cic. Acad. 1, 3, 10 *Da mihi nunc, satisne probas?* Ter. Heaut. pr. 10: *Paucis dabo.* Audacius Ov. F. 6, 434 *Aeneas eripuisse datur.* Stat. Theb. 7, 315 *Asopus genuisse datur.* Claud. R. P. 3, 337 *Pater post proelia praedam advexisse datur.*

66. Apud Romanos Graeci propter perfidiam male audiebant cf. Cic. Flacc. 4. „Testimoniorum religionem et fidem *nunquam* ista (Graeca) gens coluit.“ — Affert *Wd.* aptissimum locum Sil. 6, 39 *Nosces Fabios certamine ab uno.* Pro *omnes* coni. *Gt. homines.*

67. *Turbatus* certe videbatur metu.

68. *Circumspexit:* Attende huius versus per singulos pedes artem.

69. *quae nunc* Mss. *quae me* Quint. 9, 2, 9 ex memoria ut saepe, non e scripto, probat *Pl.*

70. *Quid denique restat* ut 12, 193. Sic *restare* 7, 270.

71. *super;* „insuper“ S. cf. 7, 462. *ipsi* „quibus sum praestaturus salutem“ S.

72. *poenas cum sanguine* i. e. et sanguinem. Nam per *cum* praepositionem et subiectum cf. 1, 675, et obiectum adiungi potest cf. 688. 3, 176. 4, 514. 8, 84. 10, 337. Iustin. 17, 1 *Regni ruinam cum clade vexatarum regionum portendebat;* saepe Ovidius Her. 7, 9. *Certus es Aenea cum foedere solvere naves?* M. 2, 610. 5, 112. Cf. Dl. ad H. C. 1, 1, 31. *Pl.* coni. *poscant.*

Quo gemitu conversi animi compressus et omnis
Impetus. Hortamur fari, quo sanguine cretus,
Quidve ferat; memoret, quae sit fiducia capto.
Ille haec, deposita tandem formidine, fatur:
  Cuncta equidem tibi, Rex, fuerit quodcunque, fatebor
Vera, inquit, neque me Argolica de gente negabo;
Hoc primum; nec, si miserum Fortuna Sinonem
Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.
Fando aliquod si forte tuas pervenit ad aures
Belidae nomen Palamedis et incluta fama

73. Iam qui capto illuserunt, miserescunt et nova audiendi cupidi ab ipso exposcunt. Sane vero mirum erat, quod Graecus homo id maxime lugebat, quod a Troianis, Graecorum hostibus, ad mortem traheretur.

74. *quo sanguine cretus* cf. 4, 191. De participii forma cf. 5, 332.

75. *Quid ferat?* ut nos, *was er bringe*, quid habeat dicere. Ita *fero* 161. et 8, 119. *deferre* 4, 298. *referre* 1, 309. *perferre* 5, 665. 11, 181. Sic *afferre* ut Liv. 6, 6. al. — *Quae sit fiducia?* Num habeat quidquam, quo fretus veniam speret impetrare hostium, quum ultro se obtulisset. *Rb.* coni. *Quive fuat, memores*, de quo *Wd.* „*Wir wollen dieses Kind dem Wohlwollen seines Vaters überlassen.*“ Ipse 74 et 75 perturbatos esse monet; maximeque movetur, quod in *hortamur* rex nimis obscuretur, cui Sino respondeat. *Pl.* eiicit *memoret — capto*; assentitur *Gr. Hck.* expl.: doceat, quanta ei fides possit haberi! Tale quid non solet ex transfuga quaeri.

76. Hic versus abest a multis Mss. sc. a Mor. al.; additus in Med. a manu recentiore. Siletur a Servio, et potest sine damno abesse, et potuit ab alio ex libro 3. 612 inferri. In ipso tamen versu nihil inest ineptiarum, neque v. 107 huic adversatur; nam h. l. formidinem ita deponit, ut loqui audeat, v. 107 nova simulat se angi formidine, ne peccet, quod arcanum equi eloquatur. Tota igitur res ex libris pendet. Versum eiiciunt *Pl. Rb. Wd. Ld. Gr.*

77—144. Sino narrat sua.

77. Vera dicam, *quodcunque fuerit*, i. e. „quicunque me sequentur eventus“ S. idque primum, quod mihi maxime obest, me esse Argivum. — *fuerit* cf. Gr. § 411 et 421, 4.

78. *Inquit* post aliud dicendi verbum cf. 5, 551. — *me* cf. 549. Suppleri solet *esse*. — *Negabo*, ut nos: *ich werde nicht leugnen.*

79. *Sinonem* pro me. „Solet in nomine quaedam esse emphasis“ S. ut 549. 674. 1, 48. 3, 433. 4, 31. *Quid est quod possit graviter a Cicerone* (me) *scribi ad Curionem* (te)? C. Fam. 2, 4. *Hannibal peto pacem* L. 30, 30. cf. Gr. § 237, 2. — *Si*, conditione posita dicit, sed Troiani debebant accipere pro *quum;* ipse autem quod fortuna miserum non finxit, non cogitur non mendax esse. Quam verum est illud, se a fortuna miserum esse factum, tam verum, se non esse mendacem.

80. *Improba* est, quod unum prae aliis *angit;* neque opus est, ut confugiamus ad explicationem hanc: quae facit improbos sc. quod miseria ad improba facinora impellat. — *finxit* „formavit ut (8, 634)“ S.

81. *fando* „dum dicitur“ S. Ita Ov. M. 15, 497 *fando vestras puto contigit aures.* Plaut. Amphitr. 2, 1, 41 *neque fando unquam accepit quisquam.* Cic. ND. 1, 29 *at vero ne fando quidem auditum est;* et *fando audire* vulgaris formula — Cf. 6. Orditur Sino a re nota notoque homine et vera refert, ut Troiani ea etiam vera habeant, quae mentitur: simulque quum *fando etc.* dubitet, num Troiani de Palamedis morte audierint, ipse tam rerum ignarus et stolidus videtur, ut fallere non possit.

82. Palamedes, cuius apud Homerum nulla est mentio, variis posteriorum poetarum celebratur fabulis; dicitur trium litterarum (ϑχφ) et ludi tesserarum inventor et callido consilio Ulyssem coegisse, ut in bellum Troianum proficisceretur, omniaque officia melius illo administrasse. Quare eius exarsit invidia et facto crimine quasi proditionem agitasset Palamedes, perfecit ut capitis damnaretur. Erat fil. Nauplii Euboici; alius erat Nauplius Neptuni et Amymones fil., quae neptis Beli, inde Belides (forma quasi Beleus sit primitivum cf. M. § 13.) h. l. falso dici contenditur; quamquam Servius Apollonio auctore a Belo Palamedem

Gloria, quem falsa sub proditione Pelasgi,
Insontem infando indicio, quia bella vetabat,
Demisere neci; nunc cassum lumine lugent:
Illi me comitem et consanguinitate propinquum
Pauper in arma pater primis huc misit ab annis.
Dum stabat regno incolumis regumque vigebat
Conciliis, et nos aliquod nomenque decusque
Gessimus. Invidia postquam pellacis Ulixi —
Haud ignota loquor — superis concessit ab oris;
Adflictus vitam in tenebris luctuque trahebam
Et casum insontis mecum indignabar amici,
Nec tacui demens et me, fors si qua tulisset,

septimum fuisse dicit. — De Palamedis caede cf. Ov. M. 13, 55 sq.

83. „Sub falso crimine proditionis" S. *sub* causam indicat cf. Gr. § 357, 3.

84. *Infando indicio*, quod aurum, quod a Priamo Palamedes accepisse dicebatur, Ulysses suo iussu in eius tentorio absconditum detexit atque eo indicio culpam accusati confirmavit. — *vetabat:* dissuadebat. „Iam hoc falsum est, sed dicitur ad Sinonis commendationem" S.

85. De dativo *neci* cf. 398. — *cassum lumine*, ut Lucr. 5, 719 cf. 11, 104 *aethere cassi.* — *lumen* et *lux* ut 6, 721, dicitur pro vita 1, 306. — *Lugent*, nam „virtutem incolumem odimus, sublatam ex oculis quaerimus invidi" Hor. C. 3, 24, 32.

86. *Si pervenit nomen — illi me comitem:* supplendum est cogitatione: *scias, dicam tibi;* cf. Liv. 21, 40: *Ne genus belli neve hostem ignoretis, cum iis est vobis pugnandum* etc. 2, 12 *Quando quidem est apud te virtuti honos, trecenti coniuravimus.* Alibi. — *Et cons. prop.* continet caussam, cur missus sit comes. Cf. 49. Vide, quot veniae caussas afferat Sino; si quidem iam ante bellum Troianum non sua voluntate Palamedi addictus est sed iussus a patre, paupertate coacto, et datus propinquo, cui denegari non poterat; famulusque quum esset, in bellum sequi debebat eum, qui ipse bellum dissuaserat et propterea occisus erat.

87. *Primis ab annis* sc. aetatis i. e. a prima iuventute, ut est 8, 517. — *Pauper;* „haec enim fuerat caussa militandi ut Terentius (Ad. 3, 3, 31): *quum hinc egens profugiet aliquo militatum*" S. cf. 3, 615. Tib. 1, 1, 1. Itaque caussam suo tempore valentem infert temporibus antiquis.

88. Et *stare* et *esse incolumem* recte dicitur, statumque, quo erat incolumis, notat ablativus *regno* i. e. regia auctoritate cf. 1, 268 et Tac. A. 1, 9 *Non regno tamen, neque dictatura, sed principis nomine constitutam rempublicam.* Pl. *rerum* coni. pro *regno.*

89. *Conciliis* i. e. in regum consessu eius valebat sententia. — *Nos* „pluralis numerus pro singulari ad evitandam iactantiam, ut Sallustius: Nos in tanta doctissimorum copia" S. ut pluralis etiam apud Ciceronem non est ille maiestaticus qui dicitur. Cf. nostrum *unser einer.* — *Aliquod* est non parvum, aliquantum. — *Nomenque decusque gessimus:* et fama et honore florui. Transtulit autem Virg. verbum *gerere* ad haec vocabula, quum usitatum sit: *gerere vestem, galeam, barbam* 277. *habitum* 1, 319. — Nomen est „gloriam" S. ut 5, 621.

90. *Pellacis* est „per blanditias decipientis: *pellicere* enim est per blanditias illicere" S. cf. Lucr. 5, 1002 *Nec poterat quemquam placidi pellacia Ponti Subdola pellicere in fraudem ridentibus undis.*

91. *Superis ab oris* opponitur inferis, ubi mortui delitescunt cf. 6, 481. De v. *ora* cf. 282. — *Concessit.* Tac. A. 14, 51 dixit: *Burrus vita concessit.*

92. *Vitam trahere*, *hinbringen* cf. 1, 748; et h. loco et 3, 696 et Ov. M. 7, 2 *perpetuaque trahens inopem sub nocte senectam* aerumnae ex appositis verbis intelliguntur non ex *vitam trahere.* — *In tenebris* i. e. remotus ab aliis. Cf. illud Ciceronis *in foro et in luce versari.* Quum remotus ab aliis vitam traheret, non pugnavit contra Troianos. *et q. c. arma* eiiciunt *Pl. Gr.*

93. *Mecum* ut G. 1, 389 *Et sola in sicca secum spatiatur arena.* 4, 465 *te solo in litore secum canebat.*

94. *tulisset.* Coniunctivus qui dicitur Plusquamperfecti nec 189. 3, 652. 6, 880. 9, 41. nec apud scriptorem quemquam est pro Coni. Futuri Exacti cf. Gr. § 463 et 469. An. 7. *Nck.* coni. *demens sed*, versum 95 eiicit et v. 97 scribit *haec mihi.*

Si patrios unquam remeassem victor ad Argos,
Promisi ultorem et verbis odia aspera movi.
Hinc mihi prima mali labes, hinc semper Ulixes
Criminibus terrere novis, hinc spargere voces
In volgum ambiguas et quaerere conscius arma.
Nec requievit enim, donec Calchante ministro —
Sed quid ego haec autem nequidquam ingrata revolvo?
Quidve moror? Si omnes uno ordine habetis Achivos,
Idque audire sat est, iamdudum sumite poenas;
Hoc Ithacus velit, et magno mercentur Atridae.
    Tum vero ardemus scitari et quaerere caussas,
Ignari scelerum tantorum artisque Pelasgae.
Prosequitur pavitans et ficto pectore fatur.

95. *Argos* pro Graecia omnino. Omnes autem Graeci si victores redeunt, et Sino victor redit, quare non inest vana ostentatio. In Graecia autem plures Palamedis amicos et cognatos excitaturum se sperat.

96. Ad *promisi ultorem* cf. Iust. 5, 2: *Spartani, qui vindices se libertatis Graeciae professi sint;* cf. v. 549. — *Odia* sc. Ulyssis *movi*, excitavi ut O. Am. 3, 11, 43 *Facta movent odium.* Itaque ipse sibi culpam odii imputat sc. ut delictum suum confessus maiorem sibi pararet fidem audientium.

97. *Prima mali labes* i. e. initium labentis in me mali, ornatius id quam II. Il. 11, 604 *κακοῦ δ' ἄρα οἱ πέλεν ἀρχή.* Cf. Iust. 17, 1 *Haec prima mali labes, hoc initium impendentis ruinae fuit.* De nominativo *labes* cf. 170.

98. *Criminibus terrere novis* i. e. miris, inauditis et quae ad illa accedebant Palamedis facta, quorum ut amicus particeps fuissem. De inf. historico cf. 132.

99. *Spargere voces ambiguas*, *zweideutige Reden ausstreuen;* quibus audientium animi ad scelera audienda fiunt proniores. cf. 1, 661. — *Conscius* iniuriae Palamedi illatae, cuius ultor futurus essem, parat arma. „*Arma* sunt instrumenta cuiuslibet rei, unde et insidiantis fraudes arma nominavit" S. cf. ad 1, 119. *Vulgum* masc. cf. Gr. § 74. An. 2. *Wd.* pro *arma* coni. *ausam — et q. e. a.* eiic. *Pl. Gr.*

100. *Ministro* est iuvante cf. Sall. I. 33 *quibus iuvantibus, quibusque ministris ea egerit.* Et *minister* adiectivum est ap. Cic. ND. 2, 60, 150. *Quam aptas, quamque multarum artium ministras manus natura homini dedit.* — „Arte agit, ut semiplena dicendo cogat et interrogare et avidius audire Troianos" S.

101. *Sed autem* est ap. Plaut. Rud. 2, 5, 15. Ter. Phorm. 4, 2, 11 plebeia abundantia, qualis: *deinde postea, deinde deinceps, etsi quamvis, etiam quoque,* alia hic illic apud scriptores obvia. *Pl.* coni. *S. q. e. h. aut cur n.* — *Ingrata*, quae mihi apud vos nihil gratiae referent, quum hostis mala vobis cordi non possint esse. Cf. 6, 213.

102. *Uno ordine* i. e. uno loco, pares. Cf. 10. 108.

103. *Idque*, sc. me Argivum esse. — *Iamdudum sumite poenas:* sumite poenas quod iamdudum debebatis; ita *iamdudum* cum imperativo est *quam primum* Ov. M. 11, 482. 13, 457. — Cf. G. 1, 213.

104. *Ithacus* gentile de voce Ithaca, ut *Ἴθακος* Eur. Cycl. 103. saepius apud Vgl. et Ov. M. 13, 512. pro Ithacensis cf. 1, 686. Elegans fraudium color, ut quidquid suppliciorum Sinoni fuerit illatum, Graecis facta videatur gratia. Simile Ov. Her. 9, 7. Fast. 2, 693 *Occidite dixit* (Sextus) *inermem, hoc cupiant fratres Tarquiniusque pater.* — „*Magno mercentur*, quia sacrorum est, ut fugiens victima ubicunque inventa sit occidatur, ne piaculum committatur" S. Sed h. l. potius ad inimicitias referas.

105. *Tum vero*, ut *καὶ τότε δὴ*, *da erst recht.* — *Ardemus* valde cupimus c. inf. 1, 515. 581. 2, 316. 4, 281. 8, 163. Sall. Iug. 39 *Quamquam persequi Iugurtham animus ardebat.* Cf. v. 31. — *Quaerere caussas*, cur a Graecis eius optaretur interitus" S. — *Casus Rb.* coni. ex obscuris litterarum correcturis.

107. *Prosequi* est *pergere narrando* ita Sil. 15, 104: Cf. *sequi* 1, 342. Usitatius est: *p. aliquid* i. e. pergere in aliqua re accuratius exponenda Cic. RA. 30. Flor. 3, 12 extr. — *pavitans*, ut videbatur. — *Ficto pectore* est animo subdolo. Cf. contrarium ap. Cic. Lael. 26: *in qua nisi, ut dicitur, apertum pectus*

Saepe fugam Danai Troia cupiere relicta
Moliri et longo fessi discedere bello.
Fecissentque utinam! Saepe illos aspera ponti
Interclusit hiemps et terruit Auster euntes.
Praecipue, quum iam hic trabibus contextus acernis
Staret equus, toto sonuerunt aethere nimbi.
Suspensi Eurypylum scitantem oracula Phoebi
Mittimus; isque adytis haec tristia dicta reportat:
Sanguine placastis ventos et virgine caesa,
Quum primum Iliacas Danai venistis ad oras;
Sanguine quaerendi reditus, animaque litandum
Argolica. Volgi quae vox ut venit ad aures,
Obstipuere animi, gelidusque per ima cucurrit
Ossa tremor, cui fata parent quem poscat Apollo.

videus tuumque ostendas, *nihil fidum ... habeas.*

108. In v. *cupiere* et *moliri* et desiderium et difficultas abeundi indicatur. *Moliri* enim verbo ubique inest notio difficultatis, cf. 1, 33. Quare placuit poetis; inde *moliri moram* 1, 414, *arcem* 1, 424, *moenia* 2, 132, (Idem O. M. 9, 199.) *iter* 6, 477, *classem* 3, 6, *ignem* 10, 131, *fulmina* G. 1, 328. *Ratis molitor Iason* Ov. M. 8, 302.

110. *Fecissentque utinam;* certe ego non essem infelix.

111. *interclusit hiems: Intercludere* etiam pro simplici *impedire* ap. Cic. Att. 8, 8: *Intercludor dolore, quo minus ad te plura scribam.* Auster a Troia Graeciam petentibus contrarius. — *Euntes*, quum iam in eô erant, ut irent. Neque hoc participium usurpatum est pro adiectivo *iturus*, sed ubique retinet participium quod dicitur praesentis suam significationem, quae exposita est 1, 305.

114. *Suspensi* est *in gespannter, ängstlicher Erwartung;* hinc saepius usurpatur de iis, qui oracula adeunt aut omnino de rebus futuris solliciti sunt. Cf. 729. 3, 372. 4, 9. — *Eurypylus* dux Orchomeniorum; cf. Hom. Il. 2, 734. — *scitantem* Mss. plerique — *scitatum* Mss. aliqt. et vulgata; *scitantum*, in qua forma corrupta utrumque latet, M. — Iam Servius *scitantem* et *scitatum* h. l. legi annotavit. Per se autem et *scitatum* bonum est, modo iungas verba ita: Eurypylum (ad) oracula mittimus scitatum cf. Liv. 40, 30 *M. Fulvium ad castra hostium speculatum misit;* supinum enim non amat casum regere. Cf. Gr. § 442; et *scitantem* cf. Liv. 21, 6 *Legati a Saguntinis Romam missi*, *auxilium ad bellum orantes;* cf. 111. — *Scitari* autem de consulentibus oraculum, ut Ov. M. 10, 564. Usitatius est *sciscitari.*

115. De adytis cf. 3, 92.

116. *sanguine et virgine caesa* i. e. Iphigenia, Agamemnonis filia. Diana enim ab Agamemnone violata ventos misit adversos. — Venti placantur, ut dii cf. 3, 115.

117. *Quum venistis* est eo tempore, quo venistis, ita ut ex his verbis non constet, utrum ante profectionem an post eam facta sit virginis immolatio.

118. De verbo *litare* cf. 4, 50.

119. *Argolica*, id vero acerbum, quod ex ipsis non ex hostibus quaerebatur, ut Romani aliquando caesis Graecis Gallisque deos placarunt, „more minime Romano". Liv. 22, 57. Plin. H. N. 28, 3.

120. *Animi* Mss. ut videtur exhibent omnes; *animis* igitur, quod editiones occupaverat, nunc iure explosum est, quamquam non est ineptum. *Ima* explicat *Neuffer* et *Wd.* per intima ut ap. O. M. 11, 416 *cui protinus intima frigus Ossa receperunt. Kl.* assumptis locis Homeri Il. 3, 34 ὑπό τε τρόμος ἔλλαβε γυῖα et 7, 215 Τρῶας δὲ τρόμος αἰνὸς ὑπήλυθε γυῖα ἕκαστον explicat: Tremor usque ad infima ossa cucurrit; idque recte.

121. *cui fata parent*, *quem poscat Apollo.* Haec verba varie possunt iungi; sed facile quid inesse debeat verbis intelligitur, scilicet: Metuunt omnes de se quisque, quum cui moriendum sit nesciant. — In *parent* subiectum esse potest *fata.* Sic explicat Serv. Atque supplebitur obiectum sc. mortem; et *quem poscat Apollo* sc. ad mortem, ita ut bis idem dictum sit. *Poscere* autem pro: ad poenam, ad mortem deposcere, etiam Cic. pr. RA. 5. *quos populus poscit.* Ov. M. 1, 199 *Studiis ardentibus ausum talia deposcunt.* Et obiectum omissum est hoc

Hic Ithacus vatem magno Calchanta tumultu
Protrahit in medios; quae sint ea numina divom,
Flagitat. Et mihi iam multi crudele canebant
Artificis scelus et taciti ventura videbant.
Bis quinos silet ille dies tectusque recusat
Prodere voce sua quemquam aut opponere morti:
Vix tandem, magnis Ithaci clamoribus actus,
Composito rumpit vocem et me destinat arae.
Adsensere omnes, et quae sibi quisque timebat,
Unius in miseri exitium conversa tulere.
Iamque dies infanda aderat; mihi sacra parari,
Et salsae fruges, et circum tempora vittae.
Eripui, fateor, leto me, et vincula rupi,
Limosoque lacu per noctem obscurus in ulva
Delitui, dum vela darent, si forte dedissent.

loco, quod infaustum est dicere mortem. Sic explicant *Wd. Ld.* — Potest etiam subiectum esse *oracula* ex v. 114, quo non offenderis, si conferes 3, 484; obiectum igitur est *fata* i. e. mortem: quod saepissime. Sed iterum idem bis dicitur, quod etiamsi malum non est, quaeritur tamen, an sit praeferendum sic verba iungere: *quem* (interrogativum) *poscat Apollo, cui fata* (mortem) *parent* sc. Graeci. Ita *parent* subiectum habet, quod potest habere proximum: non est omissum obiectum; neque quidquam ad illud *poscat* est supplendum neque eadem bis dicitur sententia. Ap. Ovid. M. 14, 213. legitur *fata parari* pro *mortem parari.* — *Quum fata parent Wd.*

123. *Quae numina* i. e. quae deorum voluntas sit significata cf. 1, 4. *Pl.* coni. *quae signent n. d.*

124. *Canebant*, praedicebant. *Canere* enim vatum est cf. 176. 3. 373. 5, 524. 8, 49. 499. 12, 28. Ov. M. 2. 639. Tib. 2, 5, 63. 3, 4, 77 al.

125. *Artifex* est Ulysses. — *Taciti videbant*, quod praevidebant iam neque tamen eloquebantur.

126. *Tectusque*, nos *versteckt* i. e. tegens consilia sua.

127. *Aut* cf. 37. *Prodere* est in publicum edere, quis destinatus sit.

129. *Composito*, ut cum Ulysse compositum erat; ita hoc adverbium ap. Nep. Dat. 6; alias *ex* et *de composito* usitatius. — *Rumpit vocem*, prorumpit, emittit vocem, antea retentam; ita 3, 246. 11, 377. Ov. M. 10, 147. et ῥῆξον φωνὴν Arist. Nub. 960. *rumpere questus*, 4, 553. cf. 3, 572. — *me destinat arae.* Sic ap. Val. Fl. 2, 484 Hesione narrat: *Crudelis scopulis me destinat urna.*

131. Ad *conversa tulere* cf. 169.

132. *Parari* „infinitus modus pro indicativo, et est figura historiographorum". S. et est pro imperfecto, adhibeturque in re describenda ut 685. 3, 141. 8, 493. 12, 216; inde in re quae saepius fit, ut 98. 4, 422. 7, 15. 11, 822. G. 1, 199. 4, 134. Cf. Gr. § 462. — Ad *mihi sacra parari* cf. Ov. M. 13, 454 *Sensitque* (Polyxena) *sibi fera sacra parari.* Quae eae res sacrae sint, in sequentibus accuratius indicatur, sc. *salsae fruges* i. e. mola salsa: „qua et frons victimae et foci aspergebantur et cultri. Fiebant autem de horna fruge et horno sale." S. cf. 4, 517. 12, 172.

133. *Vittis* victimae coronabantur, cf. 156. 5, 366 et G. 3, 486 *Stans hostia ad aram Lanea dum nivea circumdatur infula vitta.* Vittae autem, sunt et deorum cf. 3, 174, et sacerdotum cf. 10, 538, et regum, unde diadema ortum est, [quod docet Alex. ab Alex. G. D. 1, 28] et mulierum cf. 168. — De infularum forma cf. 10, 538.

134. Vide quam religiosum se simulet Sino, qui quod ad sacra destinatus effugerit, tanquam nefas fatendum putat. Vinculis autem coercitus fuerat, ne fugeret ante sacrum.

135. *obscurus delitui* cf. 4, 22.

136. *Dum vela darent* cf. 1, 5. *si forte dedissent* cf. 94. Itaque ex grammaticae legibus haec interpungendi ratio, quam iam Servius secutus est et recentes editores, satis firmatur; neque minus ex sententia: nam iure poterat dubitare Sino, quid facturi essent Graeci, quorum e manibus hostia effugerat; num essent abituri. *Hn.: dum vela, darent si forte, dedissent;* qui illud *si forte dedissent* ab aliena manu esse adiectum non multum abest quin contendat.

Nec mihi iam patriam antiquam spes ulla videndi,
Nec dulces natos exoptatumque parentem;
Quos illi fors et poenas ob nostra reposcent
Effugia et culpam hanc miserorum morte piabunt.
Quod te per superos et conscia numina veri,
Per, si qua est, quae restet adhuc mortalibus usquam
Intemerata fides, oro, miserere laborum
Tantorum, miserere animi non digna ferentis.
His lacrimis vitam damus et miserescimus ultro.
Ipse viro primus manicas atque arta levari
Vincla iubet Priamus dictisque ita fatur amicis:
Quisquis es, amissos hinc iam obliviscere Graios;

137. *Patria antiqua* est pristina, quae iam non potest ita nominari, cf. 4, 458. — Bene liberos et parentem memorat, ne temere Graecos videatur reliquisse, sed modo mortis terrore effugisse se probet. Ex h. v. apparet recte explicatum esse 86, Sinonem multo ante bellum Troianum in Palamedis fuisse famulatu.

138. Si quidquam vere licet dicere, est hoc, dulces esse patri natos. *Rb.* coni. *duplices*, ex lituris Palatini, quod duo nati magis moveant, quam unus! Num magis etiam quam tres?

139. *Fors et poenas* legitur in M. al. et iam Serv. haec habet: „*Fors et poenas*, forte et poenas; alii iungunt *forset poenas*, ut sit forsan.“ neque memorat scripturam *ad poenas*, quam Mss. exhibent deteriores. *Quos fors et poenas reposcent* omnino probum, neque opus est, ut *ad* substituatur; *reposcere* enim cum duplice accusativo est, ut 7, 606 *Parthosque reposcere signa.* — *Fors* adverbium est, ut 11, 50.

140. „Dicendo *effugia* verbo sacrorum et ad caussam apto usus est: nam hostia quae ad aras adducta est immolanda, si casu effugeret, *effugia* vocari vetere more solet“ S. Ut hoc loco, sic ap. Val. Fl. 1, 804. *Effugia* plurali idem est, quod fuga. Cf. pluralem *exsilia* v. 780. *Effugium* est fuga effecta.

142. *Per* in obtestandi formulis solet ab accusativo suo discerni, interposito pronomine personali; itaque facile accusativus plane tollitur, et oratio aliter exit: ita 10, 903 *Unum hoc, per si qua est victis venia hostibus, oro;* cf. 6, 459. 12, 59 ubi utrumque est et accusativus et enuntiatum conditionale cf. Gr. § 518, 6. — *restet:* Idem coniunctivus 536. Et id ipsum addubitans movet magis audientium animos.

143. *Intemerata* est v. poetica „incorrupta, integra“ S. cf. 6, 841. — Structura ut 10, 904 simplicissima est: *Quod te oro .. hoc est, miserere.* Ita post *oro* imperativus legitur 6, 363. Sil. 13, 463 *Quod te per nostri Martis precor aemula facta, arce.*

145—161. In Troianorum civitatem receptus Sino vera se dicturum iurat.

Hoc in iuramento iam multi observarunt omnia verba ita composita esse, ut vera dixerit Sino neque quidquam mentitus fuerit; ita tamen omnia esse pronuntiata, ut Troiani male intelligant necesse sit. Neque enim hostia fuerat, nec aram effugerat; itaque haec subest sententia: *Quam vera illa sunt, quae sunt falsa, tam vera sunt, quae dico.* Ita etiam 161 *si vera feram* Troiani putant esse affirmantis, possunt tamen esse etiam dubitantis. Ita iam 136 ambigua quaesisse Sino repertus est.

145. *miserescimus ultro: ultro* „plus enim quam rogaverat, praestiterant“ S. De v. *ultro* cf. 12, 3. *Hck.* coni. *miserescimus. Ultro ipse*, ut *ultro ipse* legitur 2, 279. 5, 446. Sed h. l. *ultro ipse primus* nonne inane? Deinde si quis miserescit, si in civitatem recipit, quid mirum, si eundem solvit vinculis? Troiani vero ubique in Aeneide misericordes et candidi animi, Graeci truces et perfidi sunt.

146. *Vincla levare* est removere, tollere, non tantum relaxare, ut ex 153 apparet. Cf. 3, 36. Ea vincula iniecerant pastores, quum Sinonem arriperent, qui quamquam ultro se obtulerat, (quod Aeneas scit, ubi haec narrat, non ubi facta sunt) tamen non intellexerant, se eum obtulisse, qui videbatur velle aufugere.

148. *Hinc* est ex hoc tempore, quo loquor. — *Quisquis es — noster eris* „licet hostis sis. Et sunt, ut habemus in Livio, imperatoris verba transfugam recipientis in fidem: Quisquis es, noster eris“ S.

Noster eris; mihique haec edissere vera roganti,
Quo molem hanc immanis equi statuere? quis auctor?
Quidve petunt? quae religio? aut quae machina belli?
Dixerat. Ille, dolis instructus et arte Pelasga,
Sustulit exutas vinclis ad sidera palmas:
Vos, aeterni ignes, et non violabile vestrum
Testor numen, ait; vos, arae ensesque nefandi,
Quos fugi, vittaeque deum, quas hostia gessi;
Fas mihi Graiorum sacrata resolvere iura,
Fas odisse viros, atque omnia ferre sub auras,
Si qua tegunt; teneor patriae nec legibus ullis.
Tu modo promissis maneas servataque serves
Troia fidem, si vera feram, si magna rependam.
Omnis spes Danaum et coepti fiducia belli
Palladis auxiliis semper stetit. Impius ex quo
Tydides sed enim scelerumque inventor Ulixes,

150. *Quo* est quorsum, quem in finem. Cic. Sest. 13. Hor. Ep. 1, 5, 10 *Quo mihi fortunam, si non conceditur uti.* A. 4, 98. 11, 735. 12, 879.

152. *Dolis instructus* est *aus Lug und Trug zusammengesetzt.*

153. *palmas* cf. 5, 233.

154. *Aeterni ignes* sunt *sidera* 153. i. e. Sol cf. 3, 599. Sideribus numen inesse apud antiquos vulgata erat opinio. — *Non violabile numen*, per quod nemo impune peierat.

155. *Enses nefandi* sunt, quod sibi nefarie et mala fraude dicit paratos. De plurali cf. 7, 98.

156. *Vittae deum* legitur M. S. qui explicat: quae habentur in honorem deorum. Alii quibus *vittae deum* non placuere iuncta, scripserunt *vittaeque, deum.* Sed quis dixit *hostia deum?*

157. *Fas mihi* est: Habes hominem religiosum, qui quum iam inter Troianos receptus sit 149. deos tamen testes advocat, se iam posse ex iure suo Graecorum res prodere. — *Resolvunt* iura, qui ea violant, contra ea peccant. Cf. 4, 27. — *sacrata iura.* Apud Romanos enim miles ad bellum exiens iuravit, se nihil contra rempublicam facturum.

158. *ferre sub auras. Ld.* affert O. M. 11, 184, ubi est rem *efferre sub auras.*

159. *Legibus teneri* formula sollemnis, ut Ov. M. 10, 213 *fatali lege tenemur.* Contrarium est *legibus solvi* Cic. Man. 21.

160. *Promissis manere* dicitur, ut *stare promissis*, ita 8, 643.

161. *Si* est *siquidem* cf. 9, 406. Troiani intelligebant *quum*, *quia.*

162—198. Sino Troianis de equo falsa tradit.

162. *Omnis spes Danaum.* „More suo a veris incipit. Nam et favit Minerva Graecis, et constabat raptum esse Palladium" S.

163. *Impius* dicitur Diomedes, „propter numina vulnerata" Martem et Venerem. Cf. 11, 275.

164. *sed enim* cf. 5, 395. — De *Ulysse* cf. 6, 529. — Palladii raptus magis per artifices, quam per poetas celebratus. Erant autem de Palladio Troiano variae narrationes, quum et ab Aenea id in Italiam portatum (Idque verum indicat Paus. 2, 23, 5) et Romam translatum esse dicerent Romani, Ov. F. 6, 424, et Athenienses in sua se arce servare contenderent. Paus. 1, 28, 9. et Argivi se habere gloriarentur Paus. 2, 23. 5. Alii etiam a Diomede in Italia Aeneae redditum tradidere (Serv.), alii a Troianis absconditum et bello demum Mithridatico a Fimbria inventum et Romam missum esse narraverunt. Serv. et Appian. Mithr. 58. — Vgl. qui h. l. Palladium raptum memorat, postea de eo silet, et modo Vestam et Penates in Italiam relatos esse narrat. Uno tantum loco nominatur Palladis sacerdos Nautes 5, 705. Fecit hoc, ne maxime confusas inter se esse et obscuras de Palladio fabulas cogeretur confiteri. Nam praeter ea, quae modo notata sunt, illud imprimis mirum, quod in Vestae templo Palladium servari putabatur. Dion. Hal. 1, 69. 2, 66. Lucan. 1, 598. Claudian. in Eutrop. 1, 328. Cic. pr. Scaur. 48. cf. Ov. Trist. 3, 1, 29 *Hic locus est Vestae, qui Pallada servat et ignem.* Erat autem inter arcana

Fatale adgressi sacrato avellere templo
Palladium, caesis summae custodibus arcis,
Corripuere sacram effigiem, manibusque cruentis
Virgineas ausi divae contingere vittas:
Ex illo fluere ac retro sublapsa referri
Spes Danaum, fractae vires, aversa deae mens.
Nec dubiis ea signa dedit Tritonia monstris.
Vix positum castris simulacrum: arsere coruscae
Luminibus flammae arrectis, salsusque per artus
Sudor iit, terque ipsa solo — mirabile dictu —
Emicuit, parmamque ferens hastamque trementem.
Extemplo tentanda fuga canit aequora Calchas,

et pignora reipublicae. Simile est a poeta factum in Ascanio et Silvio cf. 6, 763.

165. Nefas est in eo, quod simulacrum eripiunt. nefas, quod in ipso templo caedem edunt, nefas, quod manibus cruore adspersis sacra contingunt cf. 719, nefas, quod vittas virginis et deae contrectant. Mulierum autem vittae „insigne pudoris" habebantur. Ov. A. A. 1, 31. Rem. 386. Met. 1, 477.

169. *Fluere* est *dilabi*, ut Cic. Orat. 3, *Cetera nasci. occidere, fluere, labi nec diutius esse uno eodemque statu.* Fin. 2, 32 *Fluit voluptas corporis et prima quaeque avolat.* Inde est *mutari in deterius* ut Liv. 27, 17. Flor. 4, 12, 65. Sen. cons. ad Marc. 21. *Labuntur humana ac fluunt.* Manil. 2, 807 *Dissociata fluat resoluto machina mundo.* Inde dicuntur *res fluxae* cf. 10, 88. — *Retro sublapsa referri* item G. 1, 200. dictum tamquam de mole in montem evecta et ab eo recurrente. Solent autem scriptores ut ornent orationem, participio verbum aliud simile significans subiungere, ubi sufficeret verbum substantivum; neque vanum hoc esse ornamentum, quivis videt, sed fortius rem exprimi aut accuratius. Cf. 1, 26 *manet repostum.* 2, 64 *circumfusa ruit.* 5, 864 *classis scopulos advecta subibat.* 6, 310 *Lapsa cadunt. fixum sedet* 4, 15. *donatus abit* 5, 305. *pulsus abit* 11, 366. *pulsus cedit* 3, 121. *perfractu rumpunt* 12, 614. Ov. M. 2, 453 *labens ibat rivus.* 3, 388 *egressaque silvis ibat.* Alibi rem praecipuam inesse verbo et participium valere ad eam explendam, doctum est ad 4, 22. Quas rationes nonnunquam difficile est discernere.

170. *fractae vires.* Nudi nominativi saepius ita in rei alicuius descriptione ut 1, 639. 3, 216. 228. 593. 618. 4, 131. Eaque dicendi formula iungitur nonnunquam infinitivo historico ut h. l. ita 97. 6, 557. Sall. Iug. 51. Cic. Verr. 4, 29. al.

171. *monstris* i. e. ostentis cf. 3, 26.

172. *Vix* in protasi, nulla sequente in apodosi particula cf. 5, 857. — *Tritonia*, *Τριτογένεια*, unde dicta esset Minerva, iam antiqui ignorabant. Deducunt a voce *τριτώ*, quae Aeolensibus est caput; ita ut significet eam, quae ex capite (Iovis) orta sit, quae fabula a Stesichoro (Olymp. 56.) primum prolata est; deducunt etiam „a Tritone, amne Boeotiae, aut a Tritonide palude Africae, iuxta quam nata dicitur." S.

175. *emicuit* i. e. subsiluit cf. 5, 319. *parmamque ferens.* Quod frigeat *Pl.* coniicit *parmam quatiens. Wd. parmamque ciens*, monet tamen in talibus rebus sensum esse varium. — *Hasta tremit*, quum a dea concutiatur. Itaque iratae deae signa sunt ardor oculorum, sudor, motus simulacri. — De oculorum ardore iram indicante cf. 405. — *Sudasse* autem simulacra deorum saepius observatum est ab antiquis et inter omina relata ea res. Cf. Cic. Div. 2, 27. Exempla collegit, si libet cognoscere Freinsh. ad Flor. 2, 8, 3. Etiam illud saepe refertur, mota esse loco suo simulacra. Cf. Lucr. 1, 556 *Urbisque laborem Testatos sudore Lares delapsaque templis Dona suis.* Sed nusquam memoratur *salsus sudor*, et *Rb.* addit „non displicuisset fortasse critico Servio, si meminisset Sinonem mendacissimum et impudentissimum hominem talia tam putida fingere". Fingit et auget monstra, qualia evenire credebantur. — *Pl.* coni. *salsus umor!*

176. *Canit* ut vates, i. e. praecipit. — *tentare aequora* cf. Ecl. 4, 32 *tentare Thetim ratibus.* — „*Tentanda aequora*, si vel fugere possint, post iram Minervae" S.

Nec posse Argolicis exscindi Pergama telis,
Omina ni repetant Argis, numenque reducant,
[Quod pelago et curvis secum avexere carinis.]
Et nunc, quod patrias vento petiere Mycenas,
Arma deosque parant comites, pelagoque remenso
Improvisi aderunt. Ita digerit omina Calchas.
Hanc pro Palladio moniti, pro numine laeso,
Effigiem statuere, nefas quae triste piaret.
Hanc tamen immensam Calchas attollere molem

178. *omina ni repetant.* *Omina* fausta, quae Palladis auxilio steterant, post eam infensam perturbata sunt; quare nova et eodem in loco, quo priora erant repetenda: ut Romani saepius imperatores iam in bellum profecti, si quid in auspiciis captis erratum esse animadversum erat, ut ea repeterent Romam revocabantur. Cf. Liv. 8, 30 *quum ad auspicium repetendum Romam proficisceretur.* Neque enim alio loco, quam quo primo accepissent auspicia, reconciliare se posse putabant Romani. — *Numen reducant* re idem est, quod *omina repetant* verbis modo variatis; est enim voluntatem deae et propitium animum, qui iam ab iis recessit, reducere et reconciliare, quod factum esse bonis declaratur ominibus. Ita omnia aptissimam praeberent sententiam, nisi turbaret v. 179. — Fuerunt, qui *numen* pro simulacro dictum esse opinarentur, quod et vox *numen* vetat, neque locis potest confirmari satis idoneis cf. ad 1, 8. Iam vero si ita accipis et v. 178. 179. iungis: illud Palladium, ex cuius ardore, sudore, tremore aversam deae mentem esse Graeci in castris cognoscunt, iam in Graeciam ablatum est, et quidem *carinis* i. e. navibus pluribus, classe. Sed neque alius quis ante Troiam eversam in Graeciam Palladium deportatum narrat, neque Graecorum esse reversum quemquam, neque omnino potuit simulacrum simul esse diversis locis et in castris et in Graecia. Eam difficultatem non satis iam demonstratam esse sane mireris; sed videntur interpretes v. 179 accepisse, quasi a Sinone de eo ipso tempore dictum; qua re ea difficultas levatur, sed restat numen dictum pro simulacro. Sed ita sunt verba composita, ut a Calchante dicta videantur, iam antequam Graeci sunt in itinere. At vero *avexere* indicativus male se habet, et si ita explicatur et si Sino ex suo dicit tempore. Quomodo igitur locum sanabis? Exsecando versu 179, qui ortus est ex errore, quo quis putabat, numen esse simulacrum; quod si quis vult reducere, antea abstractum esse ratio postulat; quod non esse notatum aegre aliquis ferens hunc versum satis inanem adiecit. Inanem dico, quod praeter necessitatem *pelago* et *carinis* iunctum est, unum satis erat; quod ad *carinis* etiam additum est adiectivum; quod *secum* additum est, quo opus non erat. Servius hunc versum non explicat, quod mirum si legit. In aliquot Mss. legitur v. 180 „quod: Palladium". Probabilius autem est explicatum id esse hoc versu ab alio, quam in ceteris Mss. versum 179 esse omissum, siquidem a Servio explicatus erat. *Wd.* ad 1, 447 numen esse dei simulacrum h. l. demonstrasse se dicit, illo loco ex 2, 178 id demonstrat, ita ut thesis et hypothesis eadem sit. *Büchner* (*Progr. Schwerin* 66) transponit versus: 178. 180—3. 179. 184. Probat *Ld.* Sed *quod* pertineret ad *numen*, ut numen esset iterum simulacrum, et referendum esset simul ad *Palladium* et *numen*, et manent difficultates, quae in ipso versu inesse supra significavimus. *Pl.* coni. *Quod pelago turpi s. a. rapina!* Talia coniicere facile est admodum.

180. *Quod* i. e. quod ad id attinet, quod; ita 11, 15. Cf. Gr. § 485, 4.

181. Iterum arma parant deosque infensos student placare, ut comites sint expeditioni. „Ingenti arte de futuro sollicitos facit, ut praesentem firmet securitatem." S. *remenso* cf. 422.

182. „*Improvisi aderunt*; sicut et factum est" S. — *Digerit omina* i. e. interpretatur; vatis enim erat omina, quae etiam alii videre poterant, explicare et quae deorum esset voluntas exponere, et quomodo mala omina emendari possent docere. Ita *digerere* de oraculis 3, 446. et Ov. M. 12, 21 *atque novem volucres in belli digerit annos* (Calchas).

183. *Pro numine laeso* est pro dea laesa cf. ad 1, 8. et *pro* dictum est ut 12, 48.

185. Fingit Sino Graecos equum exstruxisse ad placandam Palladem, sed excelsae magnitudinis, ne posset in urbem introduci; quod si fieret, ad Troia-

Roboribus textis caeloque educere iussit,
Ne recipi portis aut duci in moenia posset,
Neu populum antiqua sub religione tueri.
Nam, si vestra manus violasset dona Minervae,
Tum magnum exitium — quod di prius omen in ipsum
Convertant! — Priami imperio Phrygibusque futurum.
Sin manibus vestris vestram adscendisset in urbem,
Ultro Asiam magno Pelopea ad moenia bello
Venturam, et nostros ea fata manere nepotes.
Talibus insidiis periurique arte Sinonis
Credita res, captique dolis lacrimisque coactis,
Quos neque Tydides, nec Larissaeus Achilles,
Non anni domuere decem, non mille carinae.

nos versum iri deae favorem. Inde intelligitur etiam, cur non ipsum reliquerint Palladium. *Hanc* v. 183 excipitur recte per *hanc tamen immensam*. — *Attollere molem;* ita *attollere arcem* dicitur 3, 134. Plin. N. H. 36, 5, 30: *Mausoleum attollitur in altitudinem viginti quinque cubitis.* Iuv. 14, 95 *dum meliore novas attollit marmore villas.*

186. *Roboribus textis* ablativus signat, qua re aliquid efficitur; nam roboribus i. e. trabibus textis i. e. nexis moles attollitur; cf. 3, 134. — *Caelo* dat. ad caelum cf. 5, 451.

187. *posset* Pγ. *possit* FM.

188. *antiqua*, sc. qua Palladium Troiani coluerant, quae Troianae pietatis commemoratio e Calchantis hostis mente facta, animadverte, quantopere mulcere debuerit aures audientium.

189. *violasset* cf. 94. — *Dona Minervae* cf. 31. — *dona* plur. 8, 729.

190. *nam — futurum.* Infinitivus a dicendi pendet notione, quae inest verbo *iubere*. Cf. Gr. § 428, 3. — *Ipsum* Calchantem odit Sino ob ea quae supra narravit.

193. *Asiam.* Terrae nomen positum, quando gens quae inhabitat intelligitur, ut 2, 533. 10, 365. 12, 232. E. 1, 63. Cic. Legg. 2, 9, 21: *Etruria principes disciplinam doceto.* Liv. 5, 34 *Celtae, quae pars Galliae tertia est.* N. Dat. 4 *Qui Cataoniam tenebat. quae gens iacet supra Ciliciam.* cf. Gr. § 359, 3. — *Pelopea* i. e. Pelopis moenia, urbes Graeciae. Et hoc vaticinium ratum est factum, (cf. 6, 839 sq.) quamquam hoc loco mente maligna prolatum.

194. *Ea fata*, quae 191 Troianis praedicuntur. — *Manere aliquem* aliquid dicitur, quod futurum est, *erwarten*, maxime si est adversum; sic 7, 596. 10, 438. 12, 61. Cic. Phil. 2, 5. 13, 20. Liv. 26, 13. Prop. 2, 21, 58 *Longius aut propius mors sua quemque manet.* Sed etiam de rebus laetioribus ut 9, 299. Hor. Ep. 17, 36 *quod me manet stipendium.*

195. *arte* cf. 1, 657.

196. *lacrimis coactis*, non obortis sed quas cogere cogebatur.

197. *Larissaeus* „a vicinitate, nam Phthius fuit“ S. cf. 7, 47. Larissa enim in Thessalia sita, (parebat autem Hippothoo Hom. Il. 2, 841) in qua Phthia, Achillis regnum.

198. *Non — non* pro *neque — neque* saepius; cf. Ov. Her. 9, 25 *Quem non mille ferae, quem non Stheneleius hostis, non potuit Iuno vincere, vincit amor.* Variavit autem Vgl. post *neque — nec* per hoc *non;* sic G. 1, 395 sequuntur *neque — nec — nec — non — non.* — *Mille carinae* rotundus is numerus navium saepissime traditur, ut Plaut. Bacch. 4, 9, 4. Liv. 45, 27. Sil. 3, 229. Ov. M. 12, 7. 13, 182. Si numeras apud Homerum Il. 2, 494—762, sunt 1186. Haec ab Aenea cum indignatione prolata movent miserationem audientium. At non modo hominum arte Troiani decipiuntur, quod esset stolidum, sed etiam deorum auguriis falluntur, quum Laocoontem, qui equum violaverat, viderent a diis interemptum, ut opinari deberent, id factum esse, quia ille equum violavisset; idque maxime miserabile est, quod in perniciem protruduntur pietate.

199—233. Mors Laocoontis.

Hanc Laocoontis historiam eodem fere quo Vgl. modo iam narravit Arctinus Milesius, *μαθητὴς Ὁμήρου.* Sic enim a Suida et Tzetze appellatur; a Dionysio Halicarnasseo *παλαιότατος ὧν ἡμεῖς ἴσμεν ποιητὴς Ἀρκτῖνος.* — Ad rem confer verba Servii: „Ut Euphorion dicit,

Hic aliud maius miseris multoque tremendum
Obiicitur magis, atque improvida pectora turbat.
Laocoon, ductus Neptuno sorte sacerdos,
Sollemnes taurum ingentem mactabat ad aras.
Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta —
Horresco referens — immensis orbibus angues
Incumbunt pelago, pariterque ad litora tendunt;
Pectora quorum inter fluctus arrecta, iubaeque
Sanguineae superant undas, pars caetera pontum
Pone legit sinuatque immensa volumine terga;
Fit sonitus spumante salo. Iamque arva tenebant,
Ardentesque oculos suffecti sanguine et igni
Sibila lambebant linguis vibrantibus ora;
Diffugimus visu exsangues: illi agmine certo
Laocoonta petunt. Et primum parva duorum
Corpora natorum serpens amplexus uterque
Implicat et miseros morsu depascitur artus;

post adventum Graecorum sacerdos Neptuni lapidibus occisus est, quia non sacrificiis eorum vetavit adventum. Post abscedentibus Graecis quum vellent sacrificare Neptuno, Laocoon, Thymbraei Apollinis sacerdos, sorte ductus est, ut solet fieri, quum deest sacerdos certus. Hic piaculum commiserat ante simulacrum numinis. Et ob hoc immissis draconibus cum suis filiis interemptus est. Historia quidem hoc habet, sed poeta interpretatur ad Troianorum excusationem, qui hoc ignorantes decepti sunt." Troiani autem sacra per bellum quo a litore prohibebantur intermissa, simulac potestas facta est, reparant Neptuno deo tutelari. Alius Apollinis sacerdos Panthus est 319. 430.

199. *hic* „tunc" S. hoc tempore cf. 1, 728.

200. *improvida;* nihil tale timentia. *Wg.* explic.: „turbat ita, ut fierent improvida, ut omissa omni cautione facerent, quod Sinon optabat."

201. *Sorte ductus;* „sic Sallustius: *Sorte ductus fusti necat.*" S. Tac. A. 1, 54. 13, 29. alii. Cf. 5, 498.

202. *Sollemnes arae* sunt, in quibus sacra fiunt certo tempore cf. Ov. A. A. 1, 133 *sollemnia theatra.*

203. *gemini:* „duo et similes" S. cf. ad 1, 162. — *tranquilla alta:* De duobus adiectivis ita coniunctis, ut alterum sit substantivum, cf. 7, 562. — *Alta* pl. sic 7, 362. 8, 691.

205. *Incumbunt* notat draconum molem et magnitudinem; cf. Ov. M. 3, 41: *Ille volubilibus squamosos nexibus orbes torquet et immenso saltu sinuatur in arcus.* et Val. Fl. 2, 500 sq. ubi draconem marinum describit, qui Hesionen est devoraturus.

207. *superant* Mss. plerique — *exsuperant* Edd. multae post Aldinam. — *Superare undas* i. e. eminere ex cf. Ov. Met. 1, 317 *Superatque cacumine nubes Parnasus.* Cf. 219. *Pl.* coni. *superant; undans p. c. p. p. l. s. in mille volumina terga.* — *Cetera* sic 12, 40. Rarus admodum is singularis, quamquam amatus a Sallustio. Cf. Cat. 13. 23. 51. 59. Iug. 61. 92. et Liv. cet.

208. *Pone* adverbium, a tergo, ut 725. 10, 226 *pone sequens.* Cf. Gr. § 345. — *Legit* pontum i. e. in superficie perlabitur; sic *naves mare legunt* 3, 127. — *sinuat* M. al. — *sinuant*, ut videtur plures. — Usitatius est dicere: *pars legit sinuans* aut *pars . . legens sinuat*, altero alteri subiuncto; non ut h. l. est adiuncto. Cf. 8, 125.

210. *oculos* acc. graec. ut 219. 221. Cf. 273. — Ad vocem *suffectus* cf. *suffecta leto lumina* Val. Fl. 1, 821. *maculis suffecta genas* 2, 105. — Ut draconibus, sic apro Calydonio sanguine et igne micant oculi ap. Ov. M. 8, 284. Ita furibundis sunt sanguineae acies 4, 643. 7, 399.

211. *Sibila* adiectivum est ut 5, 277. G. 3, 421.

212. *Agmen* de motu incedendi dicitur cf. 5, 211. et h. l. 5, 90. G. 3, 423 de spiris et voluminibus serpentium.

214. *corpora natorum* cf. 4, 132.

215. *Implicare* proprium de serpentibus, cf. Ov. M. 4, 364. — *Depascitur* cf. G. 3, 458 *Artus depascitur arida febris.*

Post ipsum, auxilio subeuntem ac tela ferentem,
Corripiunt spirisque ligant ingentibus; et iam
Bis medium amplexi, bis collo squamea circum
Terga dati, superant capite et cervicibus altis.
Ille simul manibus tendit divellere nodos,
Perfusus sanie vittas atroque veneno,
Clamores simul horrendos ad sidera tollit:
Quales mugitus, fugit quum saucius aram
Taurus et incertam excussit cervice securim.
At gemini lapsu delubra ad summa dracones
Effugiunt, saevaeque petunt Tritonidis arcem,
Sub pedibusque deae clipeique sub orbe teguntur.
Tum vero tremefacta novus per pectora cunctis
Insinuat pavor, et scelus expendisse merentem
Laocoonta ferunt, sacrum qui cuspide robur
Laeserit et tergo sceleratam intorserit hastam.
Ducendum ad sedes simulacrum orandaque divae

216. Dum spiris bis circumdant corpus, bis collum Laocoontis, capitibus etiam multum eminent. — *Spirae* de serpentium flexibus 12, 848. „Proprie spira est volubilitas funium.“ S.

221. Draconum sunt et nodi et sanies et venenum. — *vittae* sc. sacerdotales cf. 10, 538.

223. *Quales mugitus* „i. e. tollit“ (S.) taurus, quando aras fugit securi non prostratus sed irritatus. Ut bos sic vulneratus profuso sanguine tandem procumbet. sic Laocoon frustra nitetur contra dracones. Sed poeta servans decorum noluit legenti offerre foeda. — *incerta securis unsicher geführt.*

225. *Lapsus* recte tribuitur serpentibus, ut qui pedibus non incedunt cf. 5, 86. 7, 349. Sic *lapsus* dicitur de volatu 3, 225. C. ND. 2, 38. Adde *lapsus rotarum* v. 236. Ita *labi* saepissime dicuntur volantes ut 3, 243. 11. 588, stellae 694, aut *labi pennis* 4, 223, et vehentes ut 1. 147 *rotis levibus perlabitur undas.* Cf. 240 *illabitur urbi.* „*Delubrum*, in quo loco dei simulacrum dedicatum est“ Varro ap. Macr. 3, 4. Minervae templum in arce erat. *Tritonis* cf. 171.

226. *Diffugiunt* Mss. prob. *Hn. Wg. Ld.* et *Wg.:* „Diffugimus vel in varias partes eundo, vel omnino descendo ex aliquo loco.“ — *effugiunt Rb*, qui *diffugiunt* ex v. 212 illatum putat.

227. *Sub pedibusque deae* „scilicet maioris simulacri quod a cunctis videtur; nam quod colitur, et breve est, et latet, sicut Palladium erat“ S. Fingitur maior aliqua statua Minervae, qualis erat Athenis in summa arce; ipsum Palladium in templo cultum Diomedes et Ulysses surripuerant. — *clipei orbis* ut 10, 546.

229. *Insinuat* „insinuatur“ S. est intransitivum cf. 1, 104; ita etiam ap. Cic. de or. 1, 20, 90 *quod ita nati essemus, ut suppliciter insinuare iis, a quibus esset petendum, ... possemus.* — *scelus expendisse merentem:* meruisse ut scelus expenderet. — *Expendere poenas* saepe dicitur pro *solvere*, *dare* („nam apud maiores pecuniarias poenas constat fuisse“ S., ut etiam apud Germanos.) *Expendere* autem verbum ex eo est tempore, quo pecunia ponderabatur, nondum numerabatur. Sic 10. 669. 11, 257. Cic. Tusc. 2, 10, 23. al. et *pendere poenas* Ov. Trist. 3. 11, 35. Cic. l. l. — *Scelus* autem non potest dictum haberi pro poena cf. 7, 307; recte tamen dicitur *expendere scelus*, *die Schuld bezahlen;* ita Val. Fl. 4, 477 *nec credite culpam saevitiae scelerumque mihi nunc crimina pendi.*

230. *Sacrum robur* dicitur 260 *cavum robur.* Vide autem quomodo variet Vgl. idem dicendo; dicit *equum* 15. 48. 113. 260. *caecum latus* 19. 51. *cavernas* 19. *donum Minervae* 31. 189. *molem equi* 32. 150. *insidias suspectaque dona* 36. *lignum* 45. *machinam* 46. 237. *cavas latebras* 48. 55. *uterum* 52. 258. *alvum* 51. *effigiem* 184. *molem* 185. *tergum* 231. *simulacrum* 232. *monstrum* 245. *pinea claustra* 258. *dolum* 264. — Similia ad 3, 46.

231. *Scelerata* ipsa est hasta, qua scelus efficitur.

232. *sedes* sc. Minervae. — Omnes una voce placandam esse deam clamant.

Numina conclamant.
Dividimus muros, et moenia pandimus urbis;
Accingunt omnes operi, pedibusque rotarum
Subiiciunt lapsus, et stuppea vincula collo
Intendunt. Scandit fatalis machina muros,
Feta armis: pueri circum innuptaeque puellae
Sacra canunt, funemque manu contingere gaudent:
Illa subit, mediaeque minans inlabitur urbi.
O patria, o divom domus Ilium, et incluta bello
Moenia Dardanidum! quater ipso in limine portae
Substitit, atque utero sonitum quater arma dedere;
Instamus tamen immemores caecique furore,
Et monstrum infelix sacrata sistimus arce.
Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris
Ora, dei iussu non unquam credita Teucris.
Nos delubra deum miseri, quibus ultimus esset
Ille dies, festa velamus fronde per urbem.

233—49. Equum Troiani in urbem trahunt.

234. „*Muros* superpositos Scaeae portae, nam sequitur: quater ipso in limine portae. *Moenia pandimus urbis* non est iteratio; nam dicit patefacta porta vel diruta interiora civitatis esse nudata.“ S. Pl. Bacch. 4, 9, 29 Ilio tria fuisse audivi fata, quae illi forent exitio: Signum ex arce si perisset; alterum etiam est Troili mors, tertium quum portae Scaeae *limen superum* scinderetur.“ *Moenia* sunt etiam ipsius urbis aedificia, ut 252; itaque muro circumdantur moenia cf. 6, 549 *moenia triplici circumdata muro.* Vitr. 8, 4 *Zama cuius moenia rex duplici muro saepsit.* Flor. 1, 4, 2 *Moenia muro amplexus est.* Ita *murus* et *moenia* iungitur 9, 196. Liv. 10, 10.

235. *accingunt* cf. 1, 104. — Pedibus equi subiiciunt scutulas (lapsus rotarum cf. 225), quo facilius moveatur; et funibus alligatis trahunt in urbem. *Collo* trahentium, cf. Tib. 3, 6, 45 *pendentia brachia collo*, non collo equi. Id intelligit *Wd.*

237. *intendunt* c. dativo, ut simplex *tendere* G. 4, 399: *vincula capto tende.* — *Scandit* ut 234 *pandere*, pathetica sunt. Cf. illud Horatii: *Capitolium scandit cum tacita virgine Pontifex.* Cum accusativo 401.

238. *feta armis* cf. 20. De v. *fetus* cf. 1, 51.

239. *Sacra canunt*, „hymnos dicunt.“ Saepius in sacris virginum et puerorum auditur cantus cf. Hor. C. 4, 1, 26. et Carmen saeculare; „more Romano, patrimi et matrimi.“ S. Ita apud Livium 37, 3 „Decem ingenui, decem virgines, patrimi omnes matrimique, ad id sacrificium adhibiti.“ Puerorum et puellarum chori etiam apud Graecos. *Funemque:* Funem quod contingunt gaudent, ut ipsi etiam equum in urbem induxisse videantur. Ad funem *que* pertinet non ad *gaudent.*

241. *O patria* „versus Ennianus“ S. — *Divom domus* Ilium est, quod incolunt urbem plures dii. Cf. 1, 16.

242. Quod in limine substiterat, omen erat, ut omnino limen tangere et ingredienti et egredienti infaustum putabatur esse. Cf. Tib. 1, 3, 20 *O quoties ingressus iter mihi tristia dixi Offensum in porta signa dedisse pedem.* Hinc sponsa super limen mariti tollebatur, ne offenderet pedem.

243. *sonitum arma dedere.* Itaque non deerant signa deorum benignorum.

244. *immemores* dati ominis cf. 3, 617. *Instamus* nude positum ut 491. — *caecique furore:* Negligunt enim certissima omina.

246. *tunc etiam* „sicut antehac saepius.“ S. De Cassandra cf. Tryphiodorum in *Ἰλίου ἁλώσει* v. 346: *τὴν γὰρ Ἀπόλλων ἀμφότερον μάντιν τ᾽ ἀγαθὸν καὶ ἄπιστον ἔθηκεν* et carmen Schilleri.

247. *credita Teucris* cf. Gr. § 286. Ita *credor* poetae dicunt pro: mihi creditur. Sic Ov. F. 4, 307 eadem Cassandra dicitur *casta quidem sed non et credita.* et M. 15, 74 *Ora docta quidem solvit, sed non est credita.* F. 3, 351 *At certe credemur, ait, si verba sequetur exitus.* *Teucris* dativus cf. 1, 440.

249. *festa velamus fronde:* Id laeti-

Vertitur interea caelum et ruit oceano Nox,
Involvens umbra magna terramque polumque
Myrmidonumque dolos; fusi per moenia Teucri
Conticuere; sopor fessos conplectitur artus:
Et iam Argiva phalanx instructis navibus ibat
A Tenedo tacitae per amica silentia lunae,
Litora nota petens, flammas quum regia puppis
Extulerat, fatisque deum defensus iniquis
Inclusos utero Danaos et pinea furtim
Laxat claustra Sinon. Illos patefactus ad auras
Reddit equus, laetique cavo se robore promunt

tiae signum quasi a natura datum est. Inde in sacris 3, 25. — *per* urbem cf. 5, 102. Ad rem cf. Sen. Agam. 522—54.

250—267, Graeci urbem occupant.

250. *Vertitur caelum;* videtur enim cum stellis circumagi, terra fixa manere. Ita Ennius ap. Macr. 6, 1: *Vertitur interea caelum cum ingentibu' signis;* et Ov. M. 2, 70 *Assidua rapitur vertigine caelum, sideraque alta trahit celerique volumine torquet.* — *ruit* „nascitur de Oceano" S. cf. 6, 539. — His in versibus attende pedes ut sint compositi.

251. Spondeis nox depingitur quasi plumbo tegens animalia.

252. *Myrmidones* pro Graecis, quod ii inter eos maxime excellebant.

253. *Sopor* est altus somnus cf. 3, 173, quo vincitur homo post magnos corporis labores animique vehementes affectus. *Wd.* sumit inter v. 253 et 54 versum excidisse, in quo scriptum fuerit Sinonem signum dedisse Graecis, quod traditur apud Leschen.

254. *Phalanx* exercitus, manus, ut 6, 489. 11, 92. 12, 551. 662. — *navibus ire;* sic *equo*, *curru ire* dicitur. — *instructus navibus*, i. e. instructa acie.

255. *tacitae per amica silentia lunae.* His verbis optime expressit illud altum gratumque silentium noctis, quando luna serena campos iacentes illustrat. Neque sunt silentia amica Graecis, nocte enim obscura easdem fraudes vel melius strui posse cogita. Troia autem capta dicebatur plenilunio; ita 340 *oblati per lunam*, et Lesches in Iliade parva: Νὺξ μὲν ἔην μέσση, λαμπρὴ δ' ἐπέτελλε σελήνη. *Hck.* qui Troiam sumit obscura nocte captam esse *lunam* explicat per *noctem!* Quamquam autem luna lucet, tamen si cum die comparaveris noctem dices umbra magna terramque polumque involvere, maxime si circa aequinoctium capta est Troia. *Pl.* coni. *per muta s. l.*

256. *litora nota*, in quibus consueverant commorari. Sic *notus* 2, 401. 3, 657. 6, 689. 7, 500. G. 1, 363. Cf. Hor. C. 4, 2, 6 *amnis, imbres quem super notas aluere ripas.* — Tollitur ex regia navi fax, ut Sino cognoscat, equi claustra iam laxanda esse; classem enim adventare. Nam ut fraudem bonus sequeretur exitus, opus erat, eodem tempore ab iis, qui equo inclusi erant, portas aperiri urbis, quo a navibus Graeci adventabant.

257. *iniquis.* Recorderis Troianum loqui. — *Fata deum* sunt quae dant, ut 54. 3, 717. 6, 376. Luc. 1, 599. Sic *fata Iovis* 4, 614. 5, 784.

259. *laxat* sc. Danaos et claustra. Cf. 1, 78. et Cic. de or. 3, 61 *Ab hac contentione disputationis animos nostros curamque laxemus.* — Ita autem verba iunge, ut *ibat* habeas protasin, *quum extulerat*, *et laxat* apodosin; cf. 3, 590. Plusquamperfectum autem in enuntiato primario locum habet saepius, ut rem celeriter actam indicet cf. 10, 546 et Liv. 32, 12 *Postquam recepere se regii, verterat periculum in Romanos. Schon zog die Flotte in geordneten Reihen; da hatte plötzlich das Feuerzeichen aufgeblitzt, und nun öffnet Sino.* — Alii iungunt: *iam ibat*, *quum* .. *extulerat: et laxat;* ita ut flamma sit signum, quo classis iuberetur proficisci. Obest autem additum *iam*, quod aliud enuntiatum, huc pertinens, iubet exspectari, et quod, ita si iunguntur verba, *quum — extulerat*, otiosum est. — *Wg.* horum versuum ordinem mutandum proposuit et ita mutavit, ut oratio esset simplicissima. Scribere enim ei placet: Et iam Argiva phalanx, flammas quum regia puppis Extulerat, tacitae per amica silentia lunae Litora nota petens, instructis navibus ibat A Tenedo, fatisque etc. Sed mutandi nulla caussa. *Sinon* graeca forma cf. 8, 603.

260. *reddit* „quasi debitum" S. Sic 3, 333. 6, 18. Hor. C. 1, 3, 1: *Navis quae tibi creditum debes Virgilium finibus Atticis reddas incolumem pre-*

Thessandrus Sthenelusque duces et dirus Ulixes
Demissum lapsi per funem Acamasque Thoasque
Pelidesque Neoptolemus primusque Machaon
Et Menelaus et ipse doli fabricator Epeos.
Invadunt urbem somno vinoque sepultam;
Caeduntur vigiles, portisque patentibus omnes
Accipiunt socios atque agmina conscia iungunt.
Tempus erat, quo prima quies mortalibus aegris
Incipit et dono divom gratissima serpit:
In somnis, ecce, ante oculos maestissimus Hector
Visus adesse mihi largosque effundere fletus,
Raptatus bigis ut quondam aterque cruento
Pulvere perque pedes traiectus lora tumentes —

cor. — *Cavum robur* cur dixit, quod v. 230 sacrum dixerat? Ad rem cf. Hom. Od. 8, 515.

261. *Thessandrus* ex Homeri carminibus non notus, et Thersander, Polynicis filius, iam initio belli Troiani cecidit, ut docet Pausanias, qui descripsit Graeciam 9, 5, 7. — *Sthenelus*, Capanei filius, auriga Diomedis cf. H. Il. 4, 367 sq. 2, 563. — *Acamas*, Thesei filius. — *Thoas*, dux Aetolorum cf. Hom. Il. 2, 638. — *Neoptolemus* sive Pyrrhus „Achillis et Deidamiae filius, Pelei et Thetidis nepos ex patre, ex matre vero Lycomedis, regis Scyriae insulae“ S. — *Machaon* „Aesculapii filius, medicorum maximus“ S., rex Ithomes et Oechaliae cf. Hom. Il. 2, 729. — *Epeus* cf. Hom. Od. 8, 493, et Plaut. Bacch. 4, 9, 13 *Epium* nominat, qui *equum ligneum* fabricaverit.

262. *Demissum lapsi per funem* signat equi magnitudinem.

263. *Primus* ante alios egressus est; neque enim hoc vocabulo aliquam Machaonis praestantiam indicari est probabile, si comparas cum Ulysse et Neoptolemo.

265. *somno vinoque sepultam* cf. 3, 630 et Ennium: *Nunc hosteis vino domitei somnoque sepultei*, ita ad v. *sepultus* intelligendum est *somno* 6, 424. „Ostendere vult nihil magnum a Graecis factum, quod obtinuerint civitatem“ S.

266. *Caeduntur vigiles.* Itaque Troiani non in culpa sunt, quod somno se dant, vigilias enim posuerunt; neque vigiles damnandi, qui extra urbem, non intra hostes adorturos arbitrabantur, et extra portas speculabantur. Itaque subito a tergo caesi sunt.

267. *Conscia* sc. doli agmina iungunt sc. sibi; sic 4, 142. Cic. Fin. 3, 2, 9 *sed te adiungo socium*, sc. mihi.

286 — 297. Hectoris umbra Aeneae apparet in somnis.

268. Nox quomodo describatur a Virgilio cf. ad 4, 522. — *Mortales aegri* ut h. l. 10, 274. 12, 850. G. 1, 237. *mortales miseri* 11, 182. G. 3, 66. Mortales omnino de hominibus usurpatum a Sallustio. Cf. Gell. 13, 27. De v. *aeger* cf. 1, 351. Quod ita iunguntur duo adiectiva cf. 7, 562. *Mortales* i. e. homines, qui quavis hora in vitae tenentur periculo, ob eam ipsam vitam curis et sollicitudinibus anguntur i. e. *aegri* sunt. Quae est tristissima vivendi conditio.

269. *Serpere* somnus, qui leniter et sine sensu dormientium praeterlabitur, dicitur etiam a Plinio N. H. 7, 24; sic flumen lene et placidum apud Tib. 1, 7, 14. Ov. Tr. 3, 10, 30. al.

271. *Wd.* notat hoc spectrum nescire se quis invenerit. At nonne potuit tale quid ipse invenire Vgl.? neque talia somnia potest quisque scire, nec quisquam praeter Aeneam. *Videri* proprium in ostentis et somnis; ita 279. Cic. Divin. 1, 24, 49 *visum esse in somnis.* 51 *sibi in somnis visum esse.* 23, 46 *visam esse videre in somnis.* Acad. 2, 15, 47 *quae in somnis videantur.* Ita *in somnis* sollemne est cf. praeter hos locos 1, 353. 3, 151. 4, 466. 12, 908. Semel est, si recte memini, *per somnum* 5, 636. — *Effundere fletus* cf. 5, 482.

272. De Hectore raptato ab Achille cf. 1, 483. — In somnis mortui apparent, ut sunt corpora foedata, quum moriebantur; cf. Ov. Met. 11, 653; eodem enim statu sunt apud inferos cf. 6, 495. — Foedum, quod inest in *ater*, augetur addito *cruento*. *Wd.* scribit *r. bigis, ut.*

273. *perque pedes traiectus lora.* De accusativo graeco qui dicitur, cf. Gr. § 304.

Hei mihi, qualis erat! quantum mutatus ab illo
Hectore, qui redit exuvias indutus Achilli
Vel Danaum Phrygios iaculatus puppibus ignes —
Squalentem barbam et concretos sanguine crines
Volneraque illa gerens, quae circum plurima muros
Accepit patrios. Ultro flens ipse videbar
Compellare virum et maestas expromere voces:
O lux Dardaniae, spes o fidissima Teucrum,
Quae tantae tenuere morae? quibus Hector ab oris
Exspectate venis? ut te post multa tuorum

Quod tument pedes, sunt vivi adhuc hominis; itaque vivum Hectorem ab Achille tractum esse Vgl. sumit non mortuum cf. 1, 483.

274. *hei mihi.* „Ennii versus“ (!) S. — *quantum mutatus ab illo.* Magnus inest affectus in pristinae et praesentis fortunae comparatione. Cf. Ov. M. 6, 272 *Heu quantum haec Niobe Niobe distabat ab illa.* Hor. C. 4, 13, 18 *Quid habes illius, illius, quae spirabat amores.*

275. *qui redit.* Praesens non vult esse *Pl.* et coni. *Qui exuvias rediit*, hoc est emendare versum! De praesente cf. 4, 228. — Vel *indutus* Patroclo occiso, vel *iaculatus* Graecis in castra compulsis, nam utroque tempore Hector victoria sua splendebat. — *Exuviae Achillis* sunt Achillis arma Patroclo detracta „Celavit autem mortem Patrocli ad laudis augmentum“ S. De re cf. Hom. Il. 17, 194.

276. *puppibus* dativus loci; cf. 5, 451. De re Hom. Il. 13. et 16, 122 sq. et huic loco admodum similis est 22, 373.

278. *gerens*, ita Ov. Met. 11, 752 *substricta crura gerens.* 3, 216. 4, 135. — *circum plurima muros:* De loco praepositionis cf. 4, 671. — *Vulnera* ea intelligit Serv. quae memorantur Hom. Il. 22, 371.

279. *Ultro*, „quia ratio exigebat, ut loqueretur ille qui venerat“ S. — Immemor autem Hectoris caedis quaerit, cur tamdiu afuerit et quae caussa sit eius maestitiae. *Pl.* versus aliter disponit: 271. 74 — 78. 72. 73. 79.

281. *lux Dardaniae.* Facile se offert Homericum illud φάος, quod salutem solent interpretari; atque idem hoc loco *lux* vocem valere probari videtur formula illa *lucem offerre*, quod est salutem ferre ut ap. Cic. Man. 12. Phil. 1, 2. — Quae etiamsi vera sint, vide tamen, aptiusne explicetur per ornamentum, splendorem, ita Cic. Cat. 4, 6. Romam *lucem orbis terrarum* vocat et ap. Plin. Ep. 17, 5 est *Cicero lux litterarum altera.* sc. prima est Homerus. — *Dardania* urbs a Dardano exstructa, in monte Ida, antequam Ilium in planitie conditum est. Hom. Il. 20, 216. Dardaniorum autem dux est in bello Troiano Aeneas, Teucrorum Hector. Il. 2, 816. 818. Inde etiam Dardania legitur apud Romanos pro Troia, sed raro cf. 3, 52. 156. 6, 65. 8, 120. Ov. Her. 16, 57.

282. *quibus ab oris* i. e. unde; ita *orae* ut *fines* de regionibus ap. Cic. Man. 9 *Erat opinio ... fani .. diripiendi caussa in eas oras nostrum exercitum esse adductum.* Cf. *luminis orae* 7, 660.

283. *exspectate:* De vocativo, cf. 12, 947. — *Exspectare* autem saepius est cum desiderio exspectare [*Büchn.* ad Cic. pr. RA. §. 141. dat exempla]. — *ut te: wie sehe ich dich wieder?* Nam *ita, sic, ut* saepius cum verbo esse iunguntur, ut sint pro *talis, qualis* cf. Gr. § 239. An. 2. Cic. Tusc. 2, 27, 65 *ut est captus hominum.* — Et sine verbo ita legitur in loco, quem ante oculos videtur habuisse Vgl. ap. Ennium: *O lux Troiae, germane Hector! Quid ita, cum tuo lacerato corpore miser?* Macr. 6, 2. — Cum voce *defessi* ne *ut* iungamus impedit et intervallum quo posita sunt vocabula, et sententia. Par est enim Aeneam, quum Hectorem videat ita foedatum, ut ultro compellet, non de se primo loco quaerere, sed quae sit Hectoris conditio. Neque otiosum est illud *defessi*, modo sententiarum nexum probe teneas. Miratur enim Aeneas, quod Hector, Troianorum in bello propugnator, bello tandem confecto laetoque iam Troiae statu adveniat, et quod tam tristi habitu, quo infelix quoddam praedicere videtur. — *Post funera defessi*, ubi usitatior esset ablativus; voluit tamen significare ea praepositione, iam ad finem laborum esse perventum. Cf. Val. Fl. 2, 563 *quot mihi post lacrimas, post quanta pericula patrum serus ades.*

Funera, post varios hominumque urbisque labores
Defessi adspicimus? quae caussa indigna serenos
Foedavit voltus? aut cur haec volnera cerno?
Ille nihil, nec me quaerentem vana moratur,
Sed graviter gemitus imo de pectore ducens,
Heu fuge, nate dea, teque his, ait, eripe flammis.
Hostis habet muros; ruit alto a culmine Troia.
Sat patriae Priamoque datum. Si Pergama dextra
Defendi possent, etiam hac defensa fuissent.
Sacra suosque tibi commendat Troia Penates;
Hos cape fatorum comites, his moenia quaere,
Magna pererrato statues quae denique ponto.
Sic ait, et manibus vittas Vestamque potentem
Aeternumque adytis effert penetralibus ignem.
    Diverso interea miscentur moenia luctu,
Et magis atque magis, quamquam secreta parentis
Anchisae domus arboribusque obtecta recessit,
Clarescunt sonitus armorumque ingruit horror.

Claud. R. P. I. 105 *Te recipit post fulmina fessum Iuno.*

287. *ille nihil* „scilicet ad interrogata". S. — *vana quaerentem*, nunc inutilia et inania.

288. Gemit de patriae interitu, et quod vir fortis forti viro fugam suadere cogitur. Itaque erumpit statim gemitu *(heu)* et tristissimam vocem praemittit *(fuge)* et in *nate dea* nullam sibi esse indicat de Aeneae virtute dubitationem.

290. *alto culmine* F. — *alto culmine* M. teste *Wg. alto a* MPR teste *Rb.(!)* — *alta a culmine* elegans est Dorvillii coniectura; rec. *Wg.* Sic Hor. C. 4, 6, 3 *Troiae victor altae Phthius Achilles.* Sed Hom. Il. 13, 772 *νῦν ὤλετο πᾶσα κατ' ἄκρης Ἴλιος αἰπεινή.* Acron autem ad Horatii locum ita affert nostrum, ut probabile sit, eum *alta* legisse, quamquam in editis certe est *alto.*

291. *Sat patriae Priamoque datum*, cf. 11, 288 sq. Attende quanta haec arte composita sint; Hector, vir fortissimus et patriae amantissimus, testatur Aeneam omnia patriae praestitisse, fortitudine iam in urbe cremata nihil profici, a patria ipsa sacra deorum ei commendari; diis Penatibus novam sedem eum conditurum, ita ut Troia renascatur. Simul effert ipsa sacra.

293. *sacra suosque penates.* De adiectivo ad duo translato substantiva cf. 4, 588. — De Penatibus cf. 3, 12.

295. *Moenia statuere* 1, 573. 4, 655. et apud alios. — Iunge *quae magna statuet*, „non enim magna moenia inventurum promittit, sed magna facturum" S. Cf. 3. 160.

296. *vittas* sc. Vestae. Vittata enim sunt deorum simulacra, cf. 3. 174: sed ara etiam festis diebus vittis laneis cingebatur. Cf. Prop. 4. 6, 6. — Vesta cum igne aeterno in Italiam ab Aenea, deinde Lavinio Albam Longam ab Ascanio, post Alba Romam a Tullo Hostilio translata dicitur. — Deae autem simulacrum nusquam exstitit, sed igne tantum videtur significari. Cf. quae de Palladio dicta sunt 164.

297. *penetralis*, internus. Ita 4. 504. G. 1, 379. Cic. de Har. resp. 27 *foci penetrales.* ND. 2, 27 *penetrales dii* Ov. M. 13, 337 *signum penetrale Minervae.*

298—317. Tumultu excussus somno Aeneas se armat.

298. *Miscentur moenia luctu*, ita *domus gemitu* 486, caelum *murmure* 4, 160, *aequor clamoribus* 411. Dicitur etiam *miscere proelia, vulnera, incendia* 329. Cf. 1, 134. — *diverso* cf. 3, 4 est loco longe remoto.

300. *secreta recessit* cf. 4, 22. *Recedere* et *recessus* saepius de locis, sic 8, 193. — *Anchisae domus.* „Satis religiose locis omnibus, quamdiu vixit Anchises, ei universa concedit, ut alio loco" (3, 9) S.

301. *Clarescere* ut h. l. sonitus dicitur etiam vox et tibia; ita vox clara dicitur, *heller Ton*, et 705 *clarior* ignis *auditur.* Contra 10, 98 sunt *caeca murmura.* — Multa autem verba videndi ad auditum referuntur. Sic dicitur 4, 490 *mugire*

Excutior somno, et summi fastigia tecti
Adscensu supero atque arrectis auribus adsto;
In segetem veluti quum flamma, furentibus Austris,
Incidit, aut rapidus montano flumine torrens
Sternit agros, sternit sata laeta boumque labores,
Praecipitesque trahit silvas; stupet inscius alto
Accipiens sonitum saxi de vertice pastor.
Tum vero manifesta fides, Danaumque patescunt
Insidiae. Iam Deiphobi dedit ampla ruinam
Volcano superante domus; iam proximus ardet
Ucalegon; Sigea igni freta lata relucent;
Exoritur clamorque virum clangorque tubarum.
Arma amens capio; nec sat rationis in armis,
Sed glomerare manum bello et concurrere in arcem
Cum sociis ardent animi. Furor iraque mentem
Praecipitant, pulchrumque mori succurrit in armis.
    Ecce autem telis Panthus elapsus Achivom,
Panthus Othryades, arcis Phoebique sacerdos,
Sacra manu victosque deos parvumque nepotem

videbis cf. Hor. C. 1, 14, 3 nonne *vides* ut antemnae *gemant.*

302. *summum tectum* cf. 7, 61.

303. *Ascensu supero* ut 6, 676 *hoc superate iugum* i. e. ascendite. — *arrectis auribus* cf. 1, 152. Iunge: adsto arr. aur. velut stupet pastor, quum . . . Ut hoc loco comparatum non repetitur in comparatione v. 626 et 7, 717. 9, 339.

306. *sata laeta:* cf. G. 1, 1 *Quid faciat laetas segetes: lachende Fluren.* Usum dicendi explicat Cic. de or. 3, 38, 155. qui: „laetas segetes etiam rustici dicunt." — *boum labores:* cf. Hom. Od. 10, 98 *ἔργα βοῶν.* — Torrens describitur etiam 496. G. 1, 325. — De voce *labor* cf. 7, 248.

307. *Inscius* est, qui caussam tumultus nondum intelligit. In eoque omnis inest comparatio. Ut pastor igne vastatos agros conspiciens nondum vult credere, quod videt, sic Aeneas incensam urbem videns primo stupet, mox ei patescunt insidiae.

308. *accipiens*, audiens, ut 65. — Similis comparatio Hom. Il. 2, 455. 4, 452. 11, 155. Lucr. 1, 282. Hor. C. 3, 29, 38. 4, 2, 8. — G. 2, 304. A. 10, 405. 12, 523.

309. *manifesta fides*, urbis captae. Ita ap. Liv. 6, 13, *Da wars klar.*

310. *Deiphobus*, Priami filius, post Paridis mortem Helenae maritus, quomodo ea nocte perierit, ipse narrat 6, 493 — 530. Eum hostes, Graecis imprimis invisum, primum petierunt. — *dedit ruinam* cf. 698. — *Volcano* cf. 1, 171.

312. *Ucalegon*, „quem secundum Homerum (Il. 3, 148) in consiliis et amicitia constat Priami fuisse" S. Hominis autem nomen est pro domo, quam inhabitat. — *Freta lata relucent:* „Incendii magnitudinem voluit significare." S.

313. Tubarum in bello usus nondum apud Homerum. Cf. 5, 113.

314. *amens* „qui nec somniis credidi, nec rebus aspectis" S. — *Nec sat rationis*, neque quid arma profutura sint intelligo. Cf. 12, 742. Habes virum fortem patriaeque amantem, qui vincere cupit aut mori, neque certissimis deorum signis deducitur a sua ratione.

316. *animi* cf. v. 386. Furorem dicit et amentiam, quod Troiam defendit, nam „frustra niti extremae dementiae est."

317. *Succurrit* c. infinitivo ut ap. Cic. filium (Fam. 16, 21) *Illud etiam mihi succurrebat, grave esse me de iudicio patris iudicare.* Cf. Liv. 6, 12. Ita *subire* ap. Curt. 8, 2, 6 *Subit anniversarium sacrificium Libero patri non esse redditum statuto tempore.* Cf. 560.

318 — 335. Panthus Aeneam qui sit urbis status docet.

319. *arcis Phoebique sacerdos;* ita 7, 419 *Iunonis templique sacerdos.* In arce enim omnium deorum tutelarium templa esse finguntur, ut erant in Capitolio Romano.

320. *victos deos*, cf. 1, 68. — *ipse manu* cf. 645.

Ipse trahit, cursuque amens ad limina tendit.
Quo res summa loco, Panthu? quam prendimus arcem?
Vix ea fatus eram, gemitu quum talia reddit:
Venit summa dies et ineluctabile tempus
Dardaniae. Fuimus Troes, fuit Ilium et ingens
Gloria Teucrorum. Ferus omnia Iuppiter Argos
Transtulit; incensa Danai dominantur in urbe.
Arduus armatos mediis in moenibus adstans
Fundit equus, victorque Sinon incendia miscet
Insultans; portis alii bipatentibus adsunt,
Milia quot magnis unquam venere Mycenis.
Obsedere alii telis angusta viarum
Oppositi; stat ferri acies mucrone corusco
Stricta, parata neci; vix primi proelia tentant

321. *Trahit* modo aptum ad v. *nepotem* cf. 58. De hoc zeugmate 1, 356. — *ad limina* Aeneae; quare eius „et religio laudatur et virtus" S.

322. *Quam prendimus arcem? Arx* non est locus muris et fossis, sed altitudine et natura munitus, mons abruptus, quos locos homines sedes sibi quaerebant, ut tuti essent. Cf. *Nieb. Röm. Gesch.* III, p. 275. Hinc de monte et colle dicitur, ut 3, 291. 531. 6, 9. 784. G. 1, 240. Hinc arces Romanae sunt colles urbis Romae 4, 234. 10, 12. G. 2, 172. 535 et ap. alios ut Claud. Fesc. 12, 19 *Aurea septem geminas Roma coronet arces.* Translata significatione dicitur de quavis tutela et praesidio, quo tuti simus. Cic. Div. in Caec. 5, 18 *Lex de repetundis hanc habuit arcem.* Sall. fragm. or. Lic. 6 *Arcem habent ex spoliis vestris.* Liv. 6, 37 *Consulatum superesse plebeiis, eam esse arcem libertatis.* Est igitur: Quem locum munitum nos Troiani cepimus et defendimus, quum ex fuga tua iam appareat, arcem Pergameam ab hoste teneri. Neque *prendimus* praesens est, nec explicanda haec verba per: *quo confugiamus*, nam non fugere sed acerrime pugnare ardet; nec per: *quam capiamus arcem*, neque enim dux et bellator, qui in pugnam ruit, ex sacerdote et sene eam ipsam fugiente id recte quaesiverit. Nec placet illa verba accipere: *quomodo prendimus arcem;* neque enim relativo eam inesse relationem satis certis est exemplis demonstratum. Accedit quod, quaecunque ex his accipiatur ratio, offendit indicativus. *Schenkl.: qua prendimus arcem, auf welchem Wege erreichen wir die Burg.* Omnibus machinis utuntur interpretes ut difficultatem removeant *indicativi praesentis*, qui non est. *Wd: Wie steht es oben auf der Burg? Welches Bollwerk sollen wir besetzen, wenn ihr die Burg bereits aufgebt? Wir haben ja doch eine andere Burg nicht, Was sollen wir also thun?*

322. *Quo res summa loco? Wie stehts?*

324. *ineluctabile* cf. 8, 334.

326. *Ferus Iuppiter:* „Summae necessitatis est, quum etiam sacerdos in convicia ruit deorum; quod servat Vgl., ne unquam tradat Aeneae." S.

327. Panthus omnia iam periisse lamentatur — Clara illa est lamentatio *fuimus Troes* etc. Rem per ambages dictam brevissima concludit narratio: *incensa Danai dominantur in urbe.*

328. *Fundit* praesens tempus ad terrorem movendum valet, ut ipsum verbum *fundere.*

329. *Victor* est „propositi effector" S. 3, 439. 8, 61. 11, 565. G. 3, 114; *victrix* 7, 544. Ita *superare iussa* est exsequi ap. Ov. Met. 9, 15.

330. *adstant* cf. 442.

331. Tanto numero accurrunt, ut vix plures e Graecia putes advenisse.

332. *angusta viarum* cf. 1, 422.

334. *Parata neci*, i. e. parata necare, si quis occurrat; cf. Ov. Pont. 2, 2, 117 *placidus facilisque parens veniaeque paratus.* Tac. An. 12, 47 *animus sceleribus paratus.* — *Primi* aut de loco accipies, qui sunt in prima parte urbis; aut de tempore, ut sint primi Troianorum; idque praestat. Quum iam tota urbs capta sit, iam hic illic incendiis domus corruant, nondum a Troianis quidquam est actum; primi sunt vigiles, qui clangore et clamore exterriti, quum in armis sint, primi possunt pugnam ciere. Sed ii aegre resistunt et caeco Marte, i. e. certamine, quod profuturum nec sciunt, neque curant. „*Die Bürger stürzen in*

Portarum vigiles, et caeco Marte resistunt.
Talibus Othryadae dictis et numine divom
In flammas et in arma feror, quo tristis Erinys,
Quo fremitus vocat et sublatus ad aethera clamor.
Addunt se socios Rhipeus et maximus armis
Epytus oblati per lunam Hypanisque Dymasque,
Et lateri adglomerant nostro, iuvenisque Coroebus
Mygdonides. — Illis ad Troiam forte diebus
Venerat, insano Cassandrae incensus amore,
Et gener auxilium Priamo Phrygibusque ferebat,
Infelix, qui non sponsae praecepta furentis
Audierit. —
Quos ubi confertos audere in proelia vidi,
Incipio super his: Iuvenes, fortissima frustra
Pectora, si vobis audentem extrema cupido
Certa sequi — quae sit rebus fortuna, videtis:
Excessere omnes adytis arisque relictis

blinder Betäubung dem Feinde entgegen" *Schill.* Ita caeci 12, 279. *Caecum* autem Martem accipere proelium obscura nocte commissum non licet, et quod Graeci non magis luce fruuntur et quod Troia capta plenilunio est cf. 255. 340.

336—69. Aeneas sociis collectis per urbem proelia miscet.

336. His dictis et quasi deo actus aliquo in medium tumultum irruo.

337. *Erinys* MRF. ubique. Ita ap. Graecos; cf. Blomf. ad Aesch. Prom. 525. *Erinnys* vulg. Est Furia. furor.

339. *Addunt se socios* Aeneae, ut viro fortitudine praeclaro, quem ducem quaerunt. — *Addere se* ita 6, 778. — Rh. E. H. D. qui oblati sunt per lunam. — *Maximus armis* i. e. praestantissimus, ut 1, 545 *nec bello maior et armis.*

341. *adglomerant:* E priore *se addunt* pronomen huc etiam trahendum est; cf. 12, 457 *Densi cuneis se quisque coactis agglomerant*

342. Quae de Coroebo narrantur, interiecta sunt orationi, nullo cohaerentia vinculo. Eius mors 424. De eo cf. Homerum alia narrantem Il. 13, 363.

343. *Insano* fertur *amore*, quod ipsius amatae noluit audire monita.

344. *Gener* „dicitur et qui est, et qui esse vult." S.

346. *audierit* M. al. — *audierat* al. pauci. — *Infelix qui* — caussam continet, quare cum coniunctivo iungitur ut 5, 623. 6, 591. 9, 728. *Demens qui Rutulum in medio non agmine regem Viderit irrumpentem ultroque incluserit urbi.* Ille demens est, quum non viderit etc. At vero quando indicativus sequitur, enuntiatum relativum est subiecti loco, ut 3, 323 et G. 2, 490 *Felix, qui potuit rerum cognoscere caussas, Fortunatus et ille, deos qui novit agrestes:* qui potuit etc. est felix. — *Praecepta* sunt vaticinia, quae quibus dantur audire debent; ut quae deus oracula dat, *fata* habentur. Ita *praeceptum* 3, 546. — *furentis* „vaticinantis." S. cf. 6, 47.

347. *audere in proelia* cf. 12, 71.

348. *Incipio*, sc. dicere. „*Incipio super his:* his incipio insuper, quia iam audebant, unde paulo post *furor additus*" S. Cf. Graeca τοῖσι δ' ἦρχ' ἀγορεύων — τοῖσι δὲ μύθων ἦρχε. — *iuvenes, pectora:* De appositione cf. 5, 751. Frustra fortes estis neque enim salus parabitur. *Wd. Bis jetzt habt ihr Troja tapfer vertheidigt, leider vergebens.* Sed non id agitur.

349. *Cupido* est *sequi* cf. 5. 638. „Multi *audendi* legunt, multi *audenti.* Sed neutrum procedit. Ergo *audentem* legendum est" S. *audentem* γabe rec. *Wg. Rb. audendi* M rec. *Ld.* qui *si v. audendi e. c. certa, sequi*, quod sumit esse pro *sequimini! Rb: Certa cupido est* postulat *sequi* infinitivum. Itaque nihil restat eligere quam *audentem.* Recte.

351. *Excessere omnes dii;* nam quum ubique diis homines sint inferiores, non possunt capere urbem a diis defensam; si capitur, antea excesserunt sive ad hostes transierunt. Ita transire dicuntur ap. Luc. 7, 647 *Iam Magnus transisse deos senserat.* Itaque Romani deos ex obsessa urbe evocabant eorumque cultum Romam transferebant. Nomen etiam ge-

Di, quibus imparium hoc steterat; succurritis urbi
Incensae —: moriamur, et in media arma ruamus.
Una salus victis nullam sperare salutem.
Sic animis iuvenum furor additus. Inde, lupi ceu
Raptores atra in nebula, quos improba ventris
Exegit caecos rabies, catulique relicti
Faucibus exspectant siccis; per tela, per hostes
Vadimus haud dubiam in mortem, mediaeque tenemus
Urbis iter; [nox atra cava circumvolat umbra.]
Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, aut possit lacrimis aequare labores?
Urbs antiqua ruit, multos dominata per annos;

nii Romae tutelaris quam maxime ignotum esse voluerunt, ne quis hostium eum posset evocare. Formulam illam, qua deos elici putabant, tradidit Macrob. Sat. 3, 9. Eadem opinio medio aevo de Sanctis invaluit. Tali oratione *Pl.* putat omnem iis animum adimi (qua in re fallitur, nam instigantur desperatione) et mutat ita. *Incipio: quae s. r. f. vidctis, Excesserc — urbi Incensae sero, o iuvenes f. f. p! s. v. a. e. c. C. sequi, moriamur e. i. m. a. r. Una .. salutem!*

353. *Moriamur et ruamus* cf. 8, 125.

354. *Una salus victis nullam sperare salutem* [Similia Ruhnk. ad Vell. 2, 5.].

356. *Improbus* saepius est nimius, qui ita modum excedit, ut nequeat probari: sic 80. 9, 62. 12, 687 *mons improbus.* G. 1, 145 *Labor omnia vincit improbus.* Neque enim *iustus* et *probus* aut *iniustus* et *improbus* tantum ad mores spectant hominum, sed ad res omnes referuntur, quatenus sunt ut volumus esse. — *Lupi raptores*, ut ap. Ov. 10, 540, et Telesinus ap. Vell. 2, 27 Romanos vocat *raptores Italicae libertatis lupos. Lupi* Romani saepius dicuntur, ut ap. Liv. 3, 66. Cf. Iust. 38, 6. Haec autem hominis cum lupo comparatio iam ab Homero tentata, Il. 11, 72. 16, 353. a Vglio summo est exculta artificio. ut 9, 61 sq.

357. *Rabies* sc. edendi cf. 9, 64. *Caecos* sc. rabie.

360. *nox atra etc.* De nocte obscura monere hoc loco nihil attinebat; et intulit haec verba aliquis, ut versum compleret, simul respiciens illud *atra in nebula*, ut comparandum cum comparato magis conveniret. Praecipuam autem caussam improbandi habes v. 255; cui accedit, quod Androgeo sociisque eius occisis arma mutant, quod atra nocte facere nihil opus erat; neque tenebris Androgeus fallitur, sed quod instructam aciem ab ea parte videt prodire, qua via est ad naves, neque Troianos, ut ex eius verbis apparet, iam usquam resistere opinatur. Neque si plenilunium erat, media nocte luna occidit, ut volunt Serv. et *Friedrich (Teschen 68)*; neque e v. 397. 420. 569. 725 aliud concludas quam noctem fuisse, obscuriorem illam quam dies esse solet; plurima autem, quae hoc libro narrantur, non poterant fieri atra nocte. Quid quod etiam *cava umbra* non commode dictum est; cf. 6, 293. nec *circumvolare umbra* homines recte videtur dici. *Rb:* „Tibicinis loco posita suspicor *n. a. c. c. u.*, quae nisi versui explendo nullo videntur consilio addita esse". At Vgl. non scripsit in tibicine quod Latinum non erat. *Hr.* explicat noctem per umbram mortis, ut sit 6. 867 (unde haec verba mihi videntur ducta esse) et noctem dici de morte 6, 827. Quod verum non est; immo illic *nocte premi* dicitur homo, qui natus nondum est. Illud verum et ad 6, 867 exemplis probatum, *noctem circumvolare* dici eum, quem mors captura est, eoque modo liceret h. l. accipi explicationem verborum: *haud dubiam in mortem.* Sic accipit verba *Ld.* et *Wd.* Sed obstat illud *cava.*

361. *quis cladem* etc. Simile ap. Hom. Od. 3, 114. Sil. 2, 650. 5, 421. Exscripsit locum Orosius 2. 18.

362. *Aequare aliquid aliqua re* cf. Liv. 6, 20 *quum ea quoque, quae bello gesta essent, pro fastigio rerum oratione etiam magnifica, facta dictis aequando memorasset.* Plin. Ep. 8, 4 *haec* (facta) *aequare dicendo arduum.* Ita ap. Sall. Cat. 3. *facta dictis exaequare dicitur.* et Sil. 12, 388 *dictis bellantum aequare calorem.*

363. Exspectas audire fortia facta Troianorum, sed Aeneas tristitia capitur, clades funeraque recordatus quod summum est affert, illud *Urbs ruit.*

Plurima perque vias sternuntur inertia passim
Corpora, perque domos et religiosa deorum
Limina. Nec soli poenas dant sanguine Teucri;
Quondam etiam victis redit in praecordia virtus,
Victoresque cadunt Danai. Crudelis ubique
Luctus, ubique pavor, et plurima mortis imago.
Primus se Danaum, magna comitante caterva,
Androgeos offert nobis, socia agmina credens
Inscius, atque ultro verbis compellat amicis:
Festinate, viri. Nam quae tam sera moratur
Segnities? Alii rapiunt incensa feruntque
Pergama: vos celsis nunc primum a navibus itis!
Dixit et extemplo, neque enim responsa dabantur
Fida satis, sensit. Medios delapsus in hostes,
Obstipuit, retroque pedem cum voce repressit.
Improvisum aspris veluti qui sentibus anguem
Pressit humi nitens, trepidusque repente refugit

364. *Inertia* sunt „dum occiduntur, ut (G. 2, 172) imbellem avertis Romanis arcibus Indum: hoc est, avertendo ostendis imbellem“ S. cf. ad 4, 22. Ita mortuos dicit *vulgus iners* Claud. R. P. 1, 20. — Facile perduci quis potest, ut imbelles, senes, mulieres per *inertia corpora* indicari existimet, sed fortes etiam cadunt. Cf. 366 sq. Inde autem eius noctis atrocitas intelligitur, quod caedes fiunt per vias, domos, templa.

367. *Quondam* est quodam tempore, interdum; sic Cic. Div. 1, 43 *Quum saepe lapidum, sanguinis nonnunquam, terrae interdum, quondam etiam lactis imber defluxit.* Hor. C. 2, 10, 18 *Quondam cithara tacentem suscitat Musam, neque semper arcum tendit Apollo.* Hinc etiam in comparationibus, ut 416. 7, 699. 12, 863. G. 3, 99. Ov. M. 8, 192.

369. *mortis imago* cf. 8, 557. — Asperum hominem grammaticum scripsisse sumit *Rb.: luctus ubique pavorque et.* Quod si ita scripsit, peccavit.

370 — 401. Troianis favet fortuna.

371. *Androgeos* „et Graeca est et Attica declinatio“ S. Homo non alias notus.

373. *Viri* „increpantis est.“ S. — *Nam quae* etc. eodem modo sunt verba iuncta G. 4, 445. E. 9, 39. Vere ut festinetis excitandi estis, quae enim est segnities vestra.

374. *Rapiuntque feruntque*, Graece *ἄγειν καὶ φέρειν*, usitata est formula de urbium et locorum direptione.

377. *Sensit* sc. errorem suum, se in hostes incidisse. Ita *sensit* nudum, ut quid quis sentiat, suppleudum sit, saepius. Ita 8, 393. Ov. M. 13, 916. F. 3, 611. 4, 17. 143. Neque tamen opus erat ad eam rem, quae per se patet, comprobandam afferre locos. Hoc vero loco *sensit* obiecto non addito commendatur etiam, quod *dixit* est sine obiecto; et ut illud alio modo expressum praecedit, ita obiectum ad *sensit* ex sequentibus verbis eruitur. Sic 3, 669 *sensit et ad sonitum vocis vestigia torsit*, ubi ad *sensit* supplendum est *sonitum.* Bene autem *dixit* et *sensit* ita nude posita iunguntur. Ceteri iungunt *sensit m. delapsus i. h.*, structura nec Virgiliana nec Romana cf. Gr. § 437. An. 5 et Billr. § 396, 4 An. „*Dagegen haben die Lateiner nichts, was der griechischen Attraction δῆλός ἐστι πράξων, φανερός ἐστιν ἀχθόμενος (oder ἤσθετο ἐμπεσών) an die Seite gestellt werden könnte.*“

378. *retro repressit* cf. 169. — *repressit pedem* et vocem cf. 72. *Ld. cum voce* „*mit einem Schrei*“ et confert 688. 3, 177. 10, 667. Male; nam in his omnibus *cum voce* est *et vocem.* Et *reprimere vocem* non minus apte dicitur, quam *comprimere.*

379. *Aspris* syncopa est ad normam vocis *dexteris* et *dextris* cf. Gr. § 75 An. 2.

380. *humi nitens:* Cf. Cic. ND. 2, 48. *Crocodili fluviatilesque testudines ortae extra aquam, simul ac niti possunt, aquam persequuntur.* — *humi* cf. 1, 193. — *refugit.* Perfectum recte positum, nam quodvis, quod comparatur ut aliam rem illustret, iam notum itaque iam factum aliquando sit, necesse est. Ita perfectum legitur 223. 3, 681. 9, 437. 564. 11, 457. — Eadem imago reddita

Attollentem iras et caerula colla tumentem:
Haud secus Androgeos visu tremefactus abibat.
Inruimus densis et circumfundimur armis,
Ignarosque loci passim et formidine captos
Sternimus; adspirat primo fortuna labori.
Atque hic successu exsultans animisque Coroebus:
O socii, qua prima, inquit, Fortuna salutis
Monstrat iter, quaque ostendit se dextra, sequamur.
Mutemus clipeos, Danaumque insignia nobis
Aptemus. Dolus an virtus, quis in hoste requirat?
Arma dabunt ipsi. Sic fatus deinde comantem
Androgei galeam clipeique insigne decorum
Induitur laterique Argivum accommodat ensem.
Hoc Rhipeus, hoc ipse Dymas, omnisque iuventus
Laeta facit; spoliis se quisque recentibus armat.
Vadimus immixti Danais haud numine nostro,
Multaque per caecam congressi proelia noctem
Conserimus; multos Danaum demittimus Orco.
Diffugiunt alii ad naves et litora cursu

ab Homero Il. 3, 33. Ov. F. 2, 341 *Attonitusque metu rediit, ut saepe viator turbatum viso rettulit angue pedem.*

381. *attollentem iras* cf. 12, 4.

382. *abibat.* „Bene imperfecto usus est, non enim abiit." S. Cf. 6, 468.

383. *circumfundimur densis armis*, cf. 3, 634. *circumfundimur* M. — *mus* P. *Rb.* collato v. 409 haec monet: „Horum versuum similitudinem in perpolito poemate non relicturum fuisse Vglium suspicatus sum." *Armis* est ablativus, *Wd.* esse putat dativum. — Ab omni parte conferti in eos irruimus, et sternimus loci quo se recipiant ignaros et subito impetu stupefactos.

385. *Adspirat*, favet, a ventis secundis deducta imagine, ut docent 7, 8. 9, 525; sic *adspirare* significat *favere* ap. Ov. M. 1, 2. Tib. 2, 1, 35, et *flatum fortunae* dixit C. Off. 2, 6. Liv. 45, 8.

386. Coroebus dat perfidum consilium, non Aeneas neque is sequitur. — *Animi* etiam in uno homine esse dicuntur, qui pluralis significat copiam quandam animi, superbiam et ferociam. Ita Sall. or. Lep. 24. Lic. 10. Cic. Att. 7, 2 *animos mihi addidisti.* Liv. 3, 49 al. Adde 11, 491 *exsultatque animis.* 2, 316. 451. 8, 228. 256. 12, 1.

388. *dextra*, propitia, cf. 8, 302.

389. *insignia*, sc. gentis, cf. Caes. B. G. 1, 22 *id se ex Gallicis armis atque insignibus cognovisse.* Ea insignia maxime videntur fuisse apud Romanos in galeis et scutis; id certe probat locus Taciti H. 1, 38 nec improbat Caes. BG. 7, 45 et v. 412 *Graiae iubae* memorantur, quae in errorem induxerint; Coroebus autem galeam, clipeum et ensem mutat.

390. *Quis in hoste requirat* cf. Gr. § 356, 1.

391. *Deinde* post participium cf. 5, 14. — *comantem* „cristatum" S.

392. *Insigne decorum* in scuto erat. Heroes enim non minus, quam medii aevi equites, insignia gerebant, quae vel virtutis eorum, qui gerebant signa, vel ornamenta tantum essent. Sic describitur scutum Achillis ap. Homerum, Herculis ap. Hesiodum, Aeneae ap. Virgilium l. 8. Itaque insigne qui tollit, clipeum tollit, cf. 3, 468.

393. *Induitur* „quia multa inerant lora, quibus manum inserebant", S. ut 671, et lorum clipei super humeros iniiciebatur.

395. *recentibus*, modo partis.

396. *haud numine nostro*, non a nostris diis defensi, quos avertimus signis mutatis.

398. *Conserimus* „adversa fronte pugnavimus" S. Haec addit, ne dolo malo omnia egisse videantur. — *Demittimus Orco.* Idem 9, 527. Hor. C. 1, 28, 11. *demittere neci* 85. *mittere neci* 12, 513. *demittere morti* 5, 692. 10, 664. *Stygiae nocti* Ov. M. 3, 695 et *sternere leto* 8, 566, *morti* 12, 464; *deiicere leto* 10, 319. Alia dativi motum indicantis exempla ad 5, 451.

399. *Litora fida* sunt, quae eos defendunt et servant cf. 23.

Fida petunt; pars ingentem formidine turpi
Scandunt rursus equum, et nota conduntur in alvo.
Heu nihil invitis fas quemquam fidere divis!
Ecce trahebatur passis Priameia virgo
Crinibus a templo Cassandra adytisque Minervae,
Ad caelum tendens ardentia lumina frustra,
Lumina, nam teneras arcebant vincula palmas.
Non tulit hanc speciem furiata mente Coroebus,
Et sese medium iniecit periturus in agmen.
Consequimur cuncti et densis incurrimus armis.
Hic primum ex alto delubri culmine telis
Nostrorum obruimur, oriturque miserrima caedes
Armorum facie et Graiarum errore iubarum.
Tum Danai gemitu atque ereptae virginis ira
Undique collecti invadunt, acerrimus Aiax,
Et gemini Atridae, Dolopumque exercitus omnis:

401. Ii, qui in equo tutos fore se sperant, formidine ita exagitati sunt, ut insani reddantur; eos enim captum iri, si Troiani vicerint, est certissimum. Inde addit poeta *formidine turpi*. Quod „nimium ac fere ridiculum" iudicans *Pl.* dat *scandant* — *condantur*, grammatica perversa, suumque commentum frustra defendit locis alienissimis.

402—34. Certamen de Cassandra.

402. *Divis* est ablativus cf. 1, 452. i. e. Nemo potest rebus suis fidere abnuentibus diis sive contra voluntatem deorum. Si *diis* dativus est, dicitur hoc: Nemo recte fidit diis, qui sibi eum fidere nolunt. Quae sententia quum vera est tum inepta.

404. *Cassandra* Priami filia, infelix illa vates, cf. 246, ut se ab iniuriis vindicaret, in adytum Minervae confugerat. Nihilominus a sacro loco per summum nefas vi abstrahitur cf. 1, 41. Postea addicitur Agamemnoni, quem sequitur Mycenas simulque cum ipso interficitur. *Trahebatur* autem, nondum tracta est, ut Coroebus 425 occideretur *ad aram* sc. in pronao positam.

405. *Ardentia* sunt summa desperatione, omnino quovis vehementi affectu ut *ira* 12, 102. — *Tendens*, „quod est manuum, oculis dedit" S. Sed tendimus etiam oculos. Cf. 5, 508. 12, 930 *oculos dextramque precantem protendens.* Ov. Met. 14, 734 *ad postes oculos et pallida brachia tendens.* — *lumina*, oculos ut 3, 635 al.

407. *Furiatus* est in furorem coniectus, furia impletus. „*Furiatus* enim qui furit ex caussa, *furiosus* a quo furor non discedit." S. Cf. 588. De voce *mens* cf. 1, 676. — *Speciem* (*Erscheinung*), quod conspicitur, spectaculum. „Cic. Phil. 11, 3 *Ponite ante oculos P. C. miseram quidem illam et flebilem speciem.*" S. — *Coroebus* Cassandrae amator proelium debet inire. — *Densis armis*; arma enim densa sunt, si ii, qui arma gerunt, prope inter se consistunt cf. 383.

410. *delubri ex culmine.* Troiani in summo templo positi socios Coroebi, quos propter arma Graecos esse putant, telis obruunt. Simul Graeci propter ereptam virginem irati in eos telis immissis iam turbatos faciunt impetum; adveniunt etiam ex Androgei caterva, qui Troianos eos esse indicant. — Quid sit delubrum cf. 225.

411. *Miserrima* est *caedes*, ut 11, 885 quod cives a civibus configuntur. — *Obrui telis* 9, 808.

412. *Facies* etiam in rebus inanimatis in usu est, ut G. 2. 131 *Ipsa ingens arbos faciemque simillima lauro.* 4, 361 *Curvata in montis faciem circumstetit unda.* Sall. Cat. 31 *urbis facies.* Iug. 46 *belli.* 78 *locorum.* — *Errore iubarum* verus est genitivus et genuinus; iubae enim gignunt errorem. Sic *ereptae virginis ira* cf. Gr. § 256.

414. Acerrimus Aiax, quod is Cassandrae amore arsit 1, 41, non tanquam omnium Graecorum esset fortissimus. Praeterea pauci illi Troiani a flore et robore Graeci exercitus impugnati non mirum est si vincuntur. Ubique autem Troiani Graecis fortitudine pares sunt, atque etiam victo servatur virtus Aeneae.

415. *Gemini* Atridae „duo" S. cf. 1, 161. „Gemini enim sunt proprie simul nati" S. — *Dolopum* cf. 7.

Adversi rupto ceu quondam turbine venti
Confligunt, Zephyrusque Notusque et laetus Eois
Eurus equis; stridunt silvae, saevitque tridenti
Spumeus atque imo Nereus ciet aequora fundo.
Illi etiam, si quos obscura nocte per umbram
Fudimus insidiis totaque agitavimus urbe,
Adparent; primi clipeos mentitaque tela
Adgnoscunt atque ora sono discordia signant.
Ilicet obruimur numero; primusque Coroebus
Penelei dextra divae armipotentis ad aram
Procumbit; cadit et Rhipeus, iustissimus unus
Qui fuit in Teucris et servantissimus aequi;
Dis aliter visum. Pereunt Hypanisque Dymasque
Confixi a sociis; nec te tua plurima, Panthu,
Labentem pietas nec Apollinis infula texit.

416. De ventis ita inter se certantibus cf. 1, 85. — *quondam* cf. 367. — *rupto turbine.* Sic 11, 548 *tantus se nubibus imber ruperat.* Sil. 1, 135 *Ruptoque polo micat ignibus aether.* Ipsum etiam compositum *abrumpi* reperitur ea in re significanda G. 3, 259 *abruptis procellis;* quid quod A. 12, 451 dixit Vgl. *abrupto sidere;* quo loco *sidus* signat tempestatem. Etiam ipsae nubes dicuntur *abrumpi igne* 3, 199 (cf. nostrum *Wolkenbruch*) et Ov. Fast. 2, 495 *Hinc missis abrumpitur ignibus aether.* Quodsi fulminibus et imbribus nubes et caelum *rumpi* videntur, nec *abrumpi* ea diceres: contra turbo et imber potius *abrumpi* quam *rumpi* dicere videatur magis ex re esse. *Pl.* mavult *Adverso rapidi c. q. t. v.*

417. *laetus equis* cf. 1, 275. Ventis equi tribuuntur; sic Hor. C. 4, 4, 44 Eurum facit equitantem Siculas per undas; et Aquilo habet Thraces equos ap. Val. Fl. 1, 610. Sic ap. Eurip. Phoen. 220 est *Ζέφυρος ἱππεύσας.*

418. *Stridunt* ob sonum maluit dicere, quam *strident*, cf. Gr. § 184. Summa orta tempestate mare etiam movetur; inde dicitur Nereus ex imo fundo maris ciere fluctus.

419. „*Spumeus* pro spumosus" S., ut 496. Cf. 1, 191. De enuntiati conformatione 8, 168.

422. *Apparent;* adiungere enim se student Graecorum principibus. — *Clipeos mentitaque tela* cf. 293. — *Mentita*, simulata *tela* esse cognoscunt; participium vi passiva. Cf. Gr. § 168. Sic ap. Virgilium est *comitatus* 1, 312; *meritus* 3, 118; *veneratus* 3, 460; *dignatus* 3, 475; *exorsus* 10, 111; *remensus* 2, 181. 3, 143; *emensus* G. 1, 450; *dimensus* G. 1, 231. 2, 284; *oblitus* E. 9, 53; *populatus* 6, 496. Magis tamen poetae convenit quod Serv. dat: „*m. t.*, quae nos Graecos esse mentiebantur, ut solet, sensum dedit rei inanimatae". Cf. 23. 1, 355. 10, 592. „*Primi* quid sibi velit, nemo interpretum dixit" *Rb.* Nec mirum; nam satis plane locutus est Vgl. Illi qui iam semel fraude decepti sunt, primi intelligunt nos non esse Graecos; mox etiam alii. *Rb.* coni. *Priami*, quod bene refellit *Wd.*

423. *Signant*, indicant, eos alia uti dialecto et voce, non Graeca. Ili enim, iam semel decepti, facile fraudem cognoscunt.

424. *Ilicet* ita 758. 11, 468 „confestim, mox, sed apud veteres significabat *actum est*" S. Ortum ex *i*, *licet*, ut *sci*, *licet vide*, *licet*, sive *ire licet;* eaque formula utebantur sacerdotes ad populum sacrificio perfecto, consul in senatu et alibi. Cui iusso quum *sine mora* pareri soleret, eius vocabuli vicem suscepit.

425. *Minervae ad aram* cf. 404.

426. *Iustissimus* Troum dicitur Aeneas ap. Ov. M. 14, 245.

427. *aequi.* Cf. Ov. M. 1, 322 *Non illo melior quisquam nec amantior aequi vir fuit.* Ita arbiter apud Romanos *ex aequo bonoque* iudicabat.

428. *Dis aliter visum* cf. 3, 2. Homines enim his virtutibus praeditum non debuisse occumbere putaverint. Minus pie ap. Hom. Od. 1, 234 *νῦν δ' ἑτέρως ἐβάλοντο θεοὶ κακὰ μητιόωντες.*

430. *Nec labentem texit*, non texit, ut non labereris cf. 4, 22. — *Infula*, de qua 10. 538, non potuit firmitate sua tegere hominem; sed quod est pius et sanctus sacerdos, propterea nemo eum vulnerare ausus esset, siquidem Graeci fas colerent. Simili modo Flor. 2, 6, 34

Iliaci cineres et flamma extrema meorum,
Testor, in occasu vestro nec tela nec ullas
Vitavisse vices; Danaum et, si fata fuissent
Ut caderem meruisse manu. Divellimur inde;
Iphitus et Pelias mecum: quorum Iphitus aevo
Iam gravior, Pelias et volnere tardus Ulixi:
Protinus ad sedes Priami clamore vocati.
Hic vero ingentem pugnam, ceu cetera nusquam
Bella forent, nulli tota morerentur in urbe,
Sic Martem indomitum, Danaosque ad tecta ruentes
Cernimus, obsessumque acta testudine limen.
Haerent parietibus scalae, postesque sub ipsos
Nituntur gradibus, clipeosque ad tela sinistris
Protecti obiiciunt, prensant fastigia dextris.
Dardanidae contra turres ac tecta domorum

Syracusas non defendisse dicitur „triplex murus, totidemque arces, *portus ille marmoreus et fons celebratus Arethusae*". — Ut ex infula colligas, in capite vulneratus est Panthus. — De vocativo cf. 56.

433. *vitavisse* sc. me cf. 3.

434. *Meruisse manu* (Sic *merui* 12, 931), qua strages inter Danaos edebam, ut caderem manu Danaum. Sic disposuit *Pl.* et *Rb. Wd. Hck. Ld.* et *vices* habendum pro *vices belli*, quod legitur Sil. 3, 13. Sen. Oct. 480, *vices Martis* Claud. VI cons. Hon. 283. *Wg.* hanc structuram perplexam habet, *vices* explicat *Gänge*, alternantium gradus et petitiones, et interpungit post *Danaum*. Sic ego olim. Praeterea attende ut caderem et ad *fata f.* et ad *meruisse* pertinere cf. 12, 217. „Etenim Mars ipse ex acie fortissimum quemque pignerari solet" Cic. 14. Phil. 12, 32. Ita dixit Tac. Germ. 14 *vulnera mereri* et Val. Fl. 1, 196 *Da veniam, scio me cunctis e gentibus unum illicitas tentare vias hiememque mereri.* — *Divellimur.* Non effugiunt, sed casu secernuntur, quum Danai plurimis Troianis interfectis alio vaderent, ipsi autem clamore excitarentur, ut regiae ferrent auxilium.

435. *Aevo gravior*, ut Liv. 2, 19 *iam aetate et viribus erat gravior;* et *gravis annis* Hor. S. 1, 1, 4. *Aevum* est aetas ut 638. 3, 491. 9, 255.

436—505. Certamen de regia Priami.

436. Graeci per scalas admotas testudine protecti ad summa tecta evadere student; Troiani in summis aedibus stantes telis et lapidibus, quos ex ipsis tectis evellunt, irruentes proturbant. Alii interque eos Neoptolemus portas effringere cupiunt, quos excepturi sunt alii Troiani, intra portas positi et gladiis armati. Tandem Neoptolemus effractis et excisis portis in regiam irruit. Hoc autem loco, ut ubique Vgl. res bellicas ad Romanum descripsit, non ad Homericum modum; hinc scalae, arietes, testudines, turres mobiles, hinc manipli, legiones, cohortes, turmae, alae, tubae, buccinae, tesserae, vexilla, alia multa, quae passim in Aeneide inveniuntur. Quamquam omnino concedendum est, vix alia fuisse vocabula ad rem significandam. At rem bellicam in sex libris posterioribus habebimus.

441. *Acta testudine* sive sublatis et coartatis scutis tecti procedunt ad aedes. Cf. 9, 505.

442. *Haerent admoventur* diceret prosae orationis scriptor; atque hoc inest poeticum, quod factum iam dicitur id quod modo fit. Sed id etiam indicaret *admotae sunt;* quare illud accedit, ut quomodo fiat vel factum sit non appareat, quod est signum summae celeritatis. Ita 3, 63 *stant manibus arae*, 223 *subitae de montibus adsunt Harpyiae*, 9, 48 *Turnus adest.* (Ita *adesse* etiam pedestres scriptores saepius usurpant.) 3, 207 *vela cadunt* cf. 529. — *Postes sub ipsos*, prope fores nituntur *gradibus* scalarum.

444. *Protecti clipeos obiiciunt*, obiiciunt clipeos quibus protegantur. Cf. 4, 22. — *Ad tela* est eo versus, unde tela irruebant cf. 12, 372 *obiecit sese ad currum.* G. 2, 352 *munimen ad imbres*, cf. Gr. § 343. — *Fastigia*, corripiunt, quibus nitantur, ut in tecta evadant.

445. *Tecta* participium est, ita G. 1, 379 *tecta penetralia.* — *tota Rb.* ex uno P.

Culmina convellunt; his se, quando ultima cernunt,
Extrema iam in morte parant defendere telis,
Auratasque trabes, veterum decora alta parentum,
Devolvunt: alii strictis mucronibus imas
Obsedere fores; has servant agmine denso.
Instaurati animi regis succurrere tectis,
Auxilioque levare viros vimque addere victis.
  Limen erat caecaeque fores et pervius usus
Tectorum inter se Priami, postesque relicti.
A tergo, infelix qua se, dum regna manebant,
Saepius Andromache ferre incomitata solebat
Ad soceros et avo puerum Astyanacta trahebat.
Evado ad summi fastigia culminis, unde
Tela manu miseri iactabant inrita Teucri.
Turrim in praecipiti stantem summisque sub astra
Eductam tectis, unde omnis Troia videri
Et Danaum solitae naves et Achaia castra,
Adgressi ferro circum, quo summa labantes
Iuncturas tabulata dabant, convellimus altis
Sedibus, impulimusque; ea lapsa repente ruinam

446. *Quando*, quoniam iam non se posse defendere intelligunt, ipsa culmina proiiciunt.

448. *Decora alta* legisti iam 1, 429. *alta* M. *illa* P. rec. *Rb.* *Auratae trabes* saepius Vglii tempore apud Romanos. — *veterum d. a. parentum* i. e. maiorum. Tristis autem praebetur adspectus intereuntis splendoris, quem diruunt ipsi domini, ut modo vitam servent per tempus.

450. *servant* cf. 6, 556.

451. Quae quum videret Aeneas, rursus animo incenditur, ut auxilium ferat regi, quod iam antea ceperat consilium 315. — *Animi* plur. cf. 386. *instaurati succurrere* cf. 4, 576.

452. *Auxilio levare viros* est iuvare, sustentare et suas vires cum victis iungere. Cf. Iust. 5, 2 *inferiores auxilio levandos.*

453. Aeneas, quum a fronte summa vi oppugnaretur regia, a tergo per fores obscuras solique Priamo Priamique propinquis notas in arcem escendit. — *Caecae fores* i. e. obscurae nec notae aliis nec conspicuae. — *Pervius usus tectorum inter se, gewöhnlicher Durchgang.* Regia Priami multis aedibus constabat, in quibus filii habitabant, eratque porta postica, qua poterant in Priami aedes pervenire. Tales autem fores posticae in aedibus erant Romanorum cf. Hor. Ep. 1, 5, 31 *Atria servantem postico falle clientem.* *Pl.* disponit: *L. e. c. f., postesque relicti A tergo Priami tectorum pervius usus Inter se, infelix q. s.*

456. *se ferre* cf. 1, 314. — *incomitata.* Deposito omni regio ornatu et comitatu, nurus ad soceros (Priamum et Hecubam) adiit, avoque adduxit parvum nepotem, quo laetaretur. Dolore afficimur et misericordia vel legentes, si hunc belli terrorem cum secura illa felicitate comparamus, qua regia domus ante fruebatur. — *Saepius solebat* abundantia nobis etiam usitata; sic *saepe solere* E. 1, 21. Ov. M. 1, 639. 8, 19. 13, 417.

457. *Astyanacta*, qui a Graecis urbe capta de muro deiectus est.

459. *Irrita* sunt, non quod omnino non tetigerunt Graecos, sed quia Troianorum interitum avertere non potuerunt. Sic ap. Claud. R. Pr. 1, 247.

460. In praecipiti turris est, quae est in aedium fronte, ita ut praeceps eius lapsus sit in terram.

462. *Solitae* etiam ad *Troia* et *castra* pertinet cf. 4, 587.

463. *Tabulata (Stockwerke)* sunt contignationes ut 12, 672. Eo loco, quo turris contignationes cum aedibus iunctae sunt, contis student evellere; hinc *labantes iuncturae* i. e. se laxantes, discedentes. *Altis* autem *sedibus* evellitur turris, quae est in summis aedibus exstructa.

465. *ea lapsa* FM. *elapsa* P. recepit *Rb.* Itaque impellunt et tamen iis ex manibus elabitur, neque *ea* abesse posse intelliges.

Cum sonitu trahit et Danaum super agmina late
Incidit: ast alii subeunt; nec saxa nec ullum
Telorum interea cessat genus.
Vestibulum ante ipsum primoque in limine Pyrrhus
Exsultat, telis et luce coruscus aena;
Qualis ubi in lucem coluber, mala gramina pastus,
Frigida sub terra tumidum quem bruma tegebat,
Nunc positis novus exuviis nitidusque iuventa
Lubrica convolvit sublato pectore terga,
Arduus ad solem, et linguis micat ore trisulcis.
Una ingens Periphas et equorum agitator Achillis,
Armiger Automedon, una omnis Scyria pubes
Succedunt tecto, et flammas ad culmina iactant.
Ipse inter primos correpta dura bipenni
Limina perrumpit, postesque a cardine vellit
Aeratos; iamque excisa trabe firma cavavit
Robora et ingentem lato dedit ore fenestram.

466. *Ruinam trahere* dixit Vgl. de rebus ex alto decidentibus, quibus collapsis simul alia cum iis cohaerentia corruunt, ita 631. 8, 192. 9, 712. Similitudinem traxit de trabe primaria, quae si concidit, ruinam trahit aedificii; ita *trahere ruinam* Claud. R. Pr. 3, 379. *ducere* Hor. C. 2, 17, 9. Inde *trahere* est omnino efficere, secum ducere cf. Ov. M. 13, 84 *tantum trahit ille timoris.* M. 1, 219 *traherent cum sera crepuscula noctem.* Hor. C. 3, 5, 15 *exemplum trahens perniciem veniens in aevum.* — *Trahit* praesens, cui antecedit perfectum, non offendit, siquidem praesens historicum rem factam describit; pendet igitur res ex scribentis voluntate cf. Gr. § 455, 2. Cf. 480. 12, 381 *Praecipitem impulit effunditque solo*, 6, 746. 8, 506. 9, 432. G. 3, 377.

469. *Vestibulum* quid sit, vide 6, 273. — *Ante ipsum* est vorn im Vestibulum, cf. 6, 203, sequitur enim *primo in limine.* De voce *ipsum* cf. 6, 191. — *Pyrrhus* seu Neoptolemus Achillis ex Deidamia filius.

470. *Exsultat* ira, quod tamdiu resistunt Troiani. — *luce aena* cf. Hom. Il. 13, 340 *αὐγὴ χαλκείη.* — *luce* — *lucem* de voce repetita cf. 6, 901. *Pl.* coni. *telis galeaque* et 471 *in luco* pro *in lucem.* Iunge in lucem convolvit, petit lucem ut Sil. 12, 9 *serpens splendente die novus emicat.* Ex solis enim ardore capit et vires et virus.

Ad v. 471—75 cf. G. 3, 425—39. Ov. M. 2, 173. Sil. 12, 6. 17, 443. Hom. Il. 22, 93 sq. Legas etiam uberrimam illius serpentis descriptionem, in quem ad Bagradam flumen indicit Reguli exercitus, ap. Sil. 6, 146 sq.

477. *Armiger* (cf. 11, 32) erat „Pyrrhi, nam Achillis auriga fuit" S. — *Scyria pubes* est exercitus Neoptolemi; quem a Scyro (cf. Hom. Il. 19, 325. Od. 11, 505), e domo avi Lycomedis arcessivit ad Troiam. Cf. 7.

478. *Succedunt tecto* cf. Gr. § 293. — Ad fores accedunt, nondum enim possunt intrare et faces iactant i. e. multas iaciunt, ut deturbent eos, qui stant in culmine.

479. In limine supero et infero cardines ianuae immissi sunt apud Romanos. Itaque qui perrumpere cupit, is limina perrumpit, ut cardines evellantur, deinde postes cf. 493. 8, 227 percutit, trabem i. e. partem ianuae excidit et robora firma, quibus compacta est ianua, cavat ut fenestra oriatur ianuae. Sed retardant etiam nunc *claustra.*

480. *perrumpit* — *vellit* — *cavavit* — *dedit.* Cf. 466. Itaque Neoptolemus, qui limina studebat perrumpere et postes evellere, iam perfecit, ut excideret trabem atque ita efficeret prospectum in interiorem aedium partem; sed nondum potest irruere, claustris portarum retentus, quibus effractis tandem et armatis, qui ad fores oppositi erant, cf. 491, versis Graeci domum occupant. — Plin. tradit N. H. 34, 7 „Prisci limina etiam ac valvas ex aere in templis factitavere". — Post addit: „Etiam privata opulentia eo modo usurpata est. Camillo inter crimina obiecit Sp. Carvilius Quaestor, quod aerata ostia haberet in domo."

482. *fenestram* i. e. aperturam, ita 3, 152.

Adparet domus intus, et atria longa patescunt;
Adparent Priami et veterum penetralia regum;
Armatosque vident stantes in limine primo.
At domus interior gemitu miseroque tumultu
Miscetur, penitusque cavae plangoribus aedes
Femineis ululant; ferit aurea sidera clamor.
Tum pavidae tectis matres ingentibus errant,
Amplexaeque tenent postes atque oscula figunt.
Instat vi patria Pyrrhus; nec claustra, neque ipsi
Custodes sufferre valent: labat ariete crebro
Ianua, et emoti procumbunt cardine postes.
Fit via vi; rumpunt aditus, primosque trucidant
Immissi Danai, et late loca milite complent.
Non sic, aggeribus ruptis quum spumeus amnis
Exiit oppositasque evicit gurgite moles,

483. *intus*, *im Innern* cf. 3, 489.

485. *Armati* iidem 449 et 492.

486. *at* cf. 4, 1.

487. *miscetur* cf. 298. — *Cavae aedes* „tecta camerata" S. Cavaedium erat pars domus cameratae (Vitr. 6, 3. Plin. Ep. 2, 17) apud Romanos, de cuius forma et usu Varro LL. 5, 161 M. Camerandi artem Democritus invenisse dicitur.

488. *Ululant* i. e. ululatum reddunt; quod quum in aedibus sonus sit, ipsae videntur sonare. Cf. 4, 667 et Eur. Troad. 29 *πολλοῖς δὲ κωκυτοῖσιν αἰχμαλωτίδων βοᾷ Σκάμανδρος*. Inde *Maenalus argutumque nemus pinusque loquentes semper habet* E. 8, 22 quod semper in Maenalo pastores carmina dicunt 7, 1 cf. A. 11, 38 *maestoque immugit regia luctu.* Cul. 151 *Argutis et cuncta fremunt arbusta cicadis.* Sic Ov. M. 3, 528 *fremunt ululatibus agri* et Lucr. 1, 257 *canunt silvae avibus.* Simile in adiectivis 12, 475. — Ululare autem maxime feminarum est, cf. 4, 667.

489. *Matres* sive matronae, quae thalamo, *γυναικείῳ*, non facile excedebant, nunc errant furibundae per domum.

490. *Amplexaeque tenent postes et oscula figunt*, quasi ultimum Vale dicturae dilectis sedibus. Ov. Met. 13, 412 eadem res describitur: *Dardanidas matres patriorum signa deorum, dum licet, amplexas succensaque templa tenentes trahunt victores ... Graii.* Confer egregiam illam descriptionem luctus, quo Albani urbem suam reliquerunt Liv. 1, 29, et versus pulcherrimos Ariosti 17, 13.

491. *Instare* non addito dativo vel inf. etiam v. 244. — Interea Pyrrhus fores penitus evolvere tentat, idque tandem perficit et cum suis in aedes irruit. — *Vi patria*, i. e. eadem vi, qua Achilles impetum facere solitus erat.

492. *Sufferre valent nec claustra* firmitate sua *nec custodes* (cf. 449) fortitudine, cum sc. Pyrrhum. Obiectum saepius omittitur, si ex antecedentibus facile potest suppleri. praecipue si prioris enuntiati est subiectum ut 1, 12. 60. 532. 3, 14, 165. 5, 154. 6, 735 etc. Vitarunt autem poetae formulas epici carminis gravitati impares quae sunt in pronomine *is* (cf. 4. 479), quare aut plane omittunt, si fieri potest; aut nomen ipsum ponunt, neque pronomine utuntur. Cf. 4, 31. Eodem redit transitivum pro intransitivo; cf. 1, 104 quae rationes specie magis quam re differunt. Sic Accusativus ap. Inf. omissus 3, 201. — *Ariete crebro* i. e. ariete saepius contra fores adacto, pulsu repetito. Quod nisi Pyrrhum potissimum in foribus effringendis occupatum esse voluisset poeta, explicare posses etiam pluribus arietibus valvas esse convulsas, ut Senec. Hipp. 532 *crebraque turre cinxerant urbis latus. Crebrum* enim est, quod intra breve temporis aut loci spatium saepe repetitur. — *Arietis*, instrumenti bellici, usum, ut 12, 706 ex suo tempore intulit cf. 436.

494. In verbis *fit via vi* soni est quaesita similitudo. *Rumpunt aditus.* Sic Liv. 2, 50 *rupere cuneo viam.*

496. Eadem comparatio iam 305; hoc loco per *non sic* instituta rem comparatam rei factae inferiorem esse indicat, ut 5, 144. Claud. R. Pr. 1, 274. — *spumeus* cf. 419.

497. *exiit*, cf. G. 1, 116 *amnis abundans exit; tritt aus.* — *exit* Ld. et ita scribit *tránsit* 5, 274. 10, 785. 817. *it* 9, 418. Cf. Gr. § 173, 3.

Fertur in arva furens cumulo camposque per omnes
Cum stabulis armenta trahit. Vidi ipse furentem
Caede Neoptolemum, geminosque in limine Atridas;
Vidi Hecubam centumque nurus, Priamumque per aras
Sanguine foedantem, quos ipse sacraverat, ignes.
Quinquaginta illi thalami, spes tanta nepotum,
Barbarico postes auro spoliisque superbi,
Procubuere; tenent Danai, qua deficit ignis.
    Forsitan et Priami fuerint quae fata requiras.
Urbis uti captae casum convolsaque vidit
Limina tectorum et medium in penetralibus hostem,
Arma diu senior desueta trementibus aevo
Circumdat nequidquam humeris et inutile ferrum
Cingitur ac densos fertur moriturus in hostes.
Aedibus in mediis nudoque sub aetheris axe

498. *fertur cumulo* cf. 1, 105. — G. 1, 482 *camposque per omnes cum stabulis armenta tulit.* Ov. Met. 8, 553 *Vidi .. Cum gregibus stabula alta trahi.*

499. *Vidi ipse:* infelici mihi ea spectanda fuerunt.

501. *centumque nurus:* Quinquaginta enim filiae Priami, quinquaginta filiorum uxores numerantur; neque tamen secundum Homerum tantus erat numerus, nec qui post scripsere in eo inter se consentiunt. — *Priamum* ap. Eur. Troad. 481 Hecuba ait: *Πρίαμον τοῖσδε δ' εἶδον ὄμμασιν Αὐτὴ κατασφαγέντ' ἐφ' Ἑρκίῳ πυρᾷ.* Apud Ennium Andromacha (cf. Cic. Tusc. 1, 35): *Haec omnia vidi inflammari, Priamo vi vitam evitari, Iovis aram sanguine turpari.* — *per aras*, cf. 5, 102.

502. *foedantem* cf. 539.

503. *quinquaginta thalami*, cf. Hom. Il. 6, 243. *tanta* M. Serv. *ampla* P. rec. *Rb. Ld.*

504. *Barbarico* est Phrygio; sic Phrygia tibia *barbara* dicitur ap. Cat. 64, 265 et ap. Cic. Tusc. 1, 35. 85 *adstante ope barbarica* de opibus Priami dictum est. Offendit tamen, Troianus quod loquitur, sed id et Graeci et Latini poetae sibi indulgent, ut alienos homines ex suo more loquentes faciant. Sic Atossa dicit, Xerxis mater, ap. Aesch. Pers. 475 *οὓς πρόσθε Μαραθὼν βαρβάρων ἀπώλεσεν.* Tamen in promptu est explicare, postes auro et spoliis ornati, quae victores Troiani a barbaris retulerant. Sic victores et victi simul ante oculos ponuntur. — *spoliisque superbi.* Superbire enim etiam res dicuntur, quae indicant domini superbiam cf. 1, 355. Ita res superbae dicuntur I, 639. 3, 2 al. Lucr. 4, 1171 *At lacrimans exclusus amator limina saepe floribus et sertis operit, postesque superbos unguit amaracino et foribus miser oscula figit.* Hor. C. 2, 14, 27 *Mero tinget pavimentum superbo.* Stat. Sil. 3, 3, 34 *rogi superbi.* De ablativo *spoliis* cf. 5, 268. De more qui h. l. tangitur 7, 183.

505. *qua:* sc. via; ita 1, 418. 12, 367.

506—58. Mors Priami.

Priami mortem, iam 501 memoratam, dignam habuit poeta, quam copiose narraret; et quod princeps ab reliquorum turba separandus erat, et quod in hac narratione caussam inveniebat, qua Aeneam sine laudis damno ab arce abstraheret cf. 559. Offendit tamen, quod iam est Priami caedes narrata 501 et quod 506 et 507 male cohaerent, quae vitia removere debebant alterae curae, si fatum permisisset.

506. *Forsitan*, facit transitum ad alia G. 2, 288.

510. In summo rerum periculo Priamus aetatis et virium immemor se armat. — *Desueta* arma cf. 5, 332. — *Circumdat arma humeris*, sic 12, 88 *circumdat loricam humeris*, quum vulgare sit *humeros armis circumdare* cf. 6, 229. Sed consulto vitavit Vgl. vocem *aptare;* neque enim apta erant arma sed oneri. Cf. 12, 88. — *Nequidquam* et *inutile* dicitur, quod armis et ferro se non defendet.

511. *Cingitur* est reflexivum cf. 4, 152. *ferrum* accus. cf. 273. — *Fertur*, neque tamen iam irruit. Est ut dicunt de conatu cf. 6, 468.

512. *Sub aetheris axe nudo* „hoc est sub divo, quod *impluvium* dicitur“ S. de quo vide ad 7, 59. Ita ubicunque aedes describit, Romanas ante oculos

Ingens ara fuit, iuxtaque veterrima laurus,
Incumbens arae atque umbra complexa Penates.
Hic Hecuba et natae nequidquam altaria circum,
Praecipites atra ceu tempestate columbae,
Condensae et divom amplexae simulacra sedebant.
Ipsum autem sumptis Priamum iuvenalibus armis
Ut vidit: Quae mens tam dira, miserrime coniunx,
Impulit his cingi telis? aut quo ruis? inquit.
Non tali auxilio, nec defensoribus istis
Tempus eget; non, si ipse meus nunc adforet Hector —
Huc tandem concede; haec ara tuebitur omnes,
Aut moriere simul. Sic ore effata recepit
Ad sese et sacra longaevum in sede locavit.
Ecce autem elapsus Pyrrhi de caede Polites,
Unus natorum Priami, per tela, per hostes
Porticibus longis fugit et vacua atria lustrat
Saucius. Illum ardens infesto volnere Pyrrhus
Insequitur, iam iamque manu tenet et premit hasta.

habet; ita nominatur *atrium* 1, 725, *cavaedium* 2, 487, *vestibulum* 6, 273, *lacunar* 8, 25 alia. Quales illae Troianorum domus fuissent, ipse Vgl. nesciebat. — Alii alium locum, quo Priamus caesus esset, referebant. Graeci Priamum ad aram Iovis Hercei, quae solebat esse in ipso aedium introitu, occisum referunt, alii eum narrant a Pyrrho captum et ad Achillis tumulum tractum occisumque esse iuxta Sigeum promontorium. Haec tradit Serv. — Cf. 557.

515. *Nequidquam*, neque enim eas ara servavit. De repetito vocabulo cf. 6, 901.

516. *Condensae* sedebant, ut *columbae*, quae, magna tempestate orta, metu captae in terram se praecipitant.

517. *simulacra tenebant.* De hoc supplicantium more cf. 4, 219. Adde 490. Sperant etiam se ita ab iniuriis tutos fore.

518. *Iuvenalis* legitur 5, 475. 8, 163. Apud scriptores reperitur *iuvenilis*.

519. *Mens* non est, quod animus: *Welcher schreckliche Gedanke hat dich dazu gebracht.* Cf. 1, 676. Sic Hor. C. 1, 16, 22 *compesce mentem*, cohibe, neve eloquaris. Sic Ep. 1, 2, 60. Cat. 15, 14. Tib. 4, 3, 7. Cf. 6, 11. — *dirus* cf. 12, 845.

521. *Tali auxilio*, quale tu potes ferre, et *defensoribus istis*, qualis tu es.

522. *Si meus Hector adforet* sc. „subaudis: posset defendere.“ S. Quod facile e praecedente substantivo suppletur, sed a Hecuba irritata omittitur.

526. Polites pedum celeritate insignis cf. Hom. Il. 2, 791. — *Elapsus de caede:* Sic Cic. Att. 1, 16, 6 *Rei publicae statum .. elapsum scito esse de manibus.*

528. *Porticibus longis* abl. loci. — *Lustrat* i. e. percurrit, sc. circumspiciens, ubi sit aliquod sibi refugium. *Lustrare* ita 3, 385. 9, 57. Hor. C. 3, 25, 12 *pede barbaro lustratam* i. e. pererratam *Rhodopen.* Sic *lustrare* i. e. permeare de stellis dicitur: *Stella Veneris cursum anno conficit et latitudinem lustrans signiferi caeli et longitudinem* Cic. ND. 2, 20. — *Vacua atria* sunt vacua hominibus, sic 4, 82. 12, 476. Ita autem rem tibi finge: Porticus, in quibus praeda nulla erat, a Graecis esse neglectas, et modo Pyrrhum, quum Politen persequeretur, illuc abstrahi caedis cupidine. Explicant *vacua* ampla, spatiosa, eamque student firmare explicationem locis 761. 12, 710, quum utroque in loco regio aliqua hominibus vacua significetur; ita *desertus* 3, 4.

529. *Vulnere insequitur*, qui insequitur vulneraturus. Ita *vulnus* effectum pro *telo* efficiente dictum sumunt esse interpretes ut 10, 140 *dirigere vulnus.* Sil. 1, 397 *Adest infesto vulnere Ladmus.* Ov. M. 9, 126 *Vulnere, non pedibus te consequar.* Similiter *laus* pro *virtus* 1, 461. *haerent* pro *admoventur* 442.

530. *iamiamque:* Proxime instat, ut quovis momento videatur esse capturus. — *premit hasta:* Iam in eo est N., ut hastam tergo imponat, quum concidit P. ex vulnere iam ante accepto et ante ora parentium. — *Premere* cf. 1, 324.

Ut tandem ante oculos evasit et ora parentum,
Concidit, ac multo vitam cum sanguine fudit.
Hic Priamus, quamquam in media iam morte tenetur,
Non tamen abstinuit, nec voci iraeque pepercit.
At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis,
Di, si qua est caelo pietas, quae talia curet,
Persolvant grates dignas et praemia reddant
Debita, qui nati coram me cernere letum
Fecisti et patrios foedasti funere voltus.
At non ille, satum quo te mentiris, Achilles
Talis in hoste fuit Priamo, sed iura fidemque
Supplicis erubuit, corpusque exsangue sepulcro
Reddidit Hectoreum meque in mea regna remisit.
Sic fatus senior, telumque inbelle sine ictu
Coniecit, rauco quod protinus aere repulsum,
Et summo clipei nequidquam umbone pependit.
Cui Pyrrhus: Referes ergo haec, et nuntius ibis
Pelidae genitori; illi mea tristia facta
Degeneremque Neoptolemum narrare memento.

533. *in media morte* i. e. in praesenti mortis periculo. *Ld.* affert Cic. Cat. 4, 9 *Habetis consulem ex plurimis periculis et insidiis atque ex media morte reservatum.* Verr. 5, 6 *Tu servos ad supplicium iam traditos ex media morte eripere ac servare ausus es.*

534. *voci iraeque pepercit* cf. 1, 257.

535. *At* aptum increpationi cf. 1, 543. — *pro talibus ausis* cf. 12, 351.

536. *Si qua est caelo pietas* cf. 1, 603. — *curet* cf. Gr. § 418, 1.

539. *Facere* cum particula *ut* iungitur; quando autem, ut h. l., nulla est consilii, sed modo rei effectae cogitatio (neque enim Pyrrhus id quaesivit, ut ante pedes Priami filius caderet), locum habet etiam infinitivus. Sic ap. Varr. R. R. 3, 5 *Arborum desiderium macrescere facit volucres;* Lucr. 3, 101 *Quod faciat nos vivere cum sensu;* 6, 266 *Flumina abundare ut faceret, camposque natare;* Ov. Her. 17, 174 *Illum forma timere facit;* M. 6, 108. — *Foedasti funere vultus*, in his verbis non opus est de adsperso sanguine cogitare; foedatur, polluitur iam, quod spectare cogitur funus; ita *foedare sanguine* 502. Cf. Ov. M. 3, 523. Sic M. 7, 34 dixit *Oculos videndo conscelerare* et Liv. 40, 8 *Aures conscelerare*, quod vident et audiunt scelus.

541. *talis in hoste* cf. Gr. § 334, An. 4. — *Iura*, quae sunt supplici, et quae defendit Ζεὺς ἱκέσιος. — *Fidem*, quam Priamus posuit in Achille, *erubuit*, cum pudore respexit. *Erubuit* etiam, quod a tanto rege rogabatur, et a sene iuvenis cf. Hom. Il. 24, 517 sq.

542. *Erubescere* c. accusativo (cf. 31) ap. Ciceronem legitur Vat. 16, 39, ita tamen, ut accusativus sit longe remotus a verbo, et multa alia verba transitiva intercedant. Saepius posteriores, ut Sen. Ep. 95: *Grammaticus non erubescit soloecismum, si sciens facit; erubescit, si nesciens.* Quare etiam *erubescendum* dicitur id, in quo erubescendum est, Hor. C. 1, 27, 15. Vell. 2, 130. *Causa belli erubescenda est* Flor. 2, 14, 3. *Erubuit preces* Claud. R. P. 1, 68. Cf. Gr. § 295.

543. *Corpus Hectoreum* i. e. Hectoris. Sic ap. Tib. 3, 6, 24 *Cadmea mater* est Cadmi, ap. Ov. M. 10, 3 *Orphea vox* Orphei et 11, 155 *Apollinei cantus* sunt Apollinis. Cf. 584.

544. *Sine ictu*, non ita, ut vulnus faceret, sed clipei aere repulsum in corio, quod clypeo obductum erat, haesit.

546. *et summo* Mss. — *ec summo* *Rb.* sc. quod Donatus ec (sive e) legisse videatur, quod ex Servii verbis non apparet, ut huius scriptionis auctoritas fere sit nulla; *ex summo Ld.* Facile autem hoc loco ut 544 ad participium verbum substantivum *est* supplebis. Cf. 5, 362.

547. *Referes ergo:* De *re* cf. 3, 717. Futurum autem non pro imperativo dicitur, ut solet explicari, sed rem indicat, quae certo fiet, non quae facienda est. Inest autem acerba irrisio.

548. *tristia facta:* inhonesta, turpia.

549. *degenerem Neoptolemum nar-*

Nunc morere. Hoc dicens altaria ad ipsa trementem
Traxit et in multo lapsantem sanguine nati,
Implicuitque comam laeva, dextraque coruscum
Extulit ac lateri capulo tenus abdidit ensem.
Haec finis Priami; fatorum hic exitus illum
Sorte tulit, Troiam incensam et prolapsa videntem
Pergama, tot quondam populis terrisque superbum
Regnatorem Asiae. Iacet ingens litore truncus,
Avolsumque humeris caput, et sine nomine corpus.
At me tum primum saevus circumstetit horror.
Obstipui; subiit cari genitoris imago,
Ut regem aequaevum crudeli volnere vidi
Vitam exhalantem; subiit deserta Creusa
Et direpta domus et parvi casus Iuli.

rare. Supplent ad *degenerem esse* cf. ad 5, 362. Neque tamen omissum hoc loco rectius dicemus verbum substantivum, quam accusativum regi a verbo *narrare.* Sic 96 *promisi ultorem.* 78 *neque me Argolica de gente negabo.* 591 *confessa deam*, ibique alia eiusdem verbi exempla. 1, 390 *socios reduces tibi nuntio.* 10, 151 *violenta pectora Turni edocet.* Apud Ovidium habes Fast. 5, 502 *dissimulantque deos;* apud Lucan. 1, 131 *dedidicit iam pace ducem.* Iam vero etiam apud Ciceronem est *legere*, *audire aliquem* idem quod *audire de aliquo.* Acad. 2, 1, 3 *eorum*, *quos legisset.* — Consulto Neoptolemus nomen suum, quo gloriatur, non pronomen *me* posuit cf. 79.

550. *Ipsa* notat hostis immanitatem et impietatem. — *trementem* „non formidine, sed aetate.“ S.

551. *Lapsare* dicitur is, qui pedibus firmis non utitur, sive est male sobrius (Flor. 2, 10, 3) sive paludibus impeditus (Tac. An. 1, 65) sive lapidosa via irritatus (Sil. 3, 631) sive alia de caussa. Isque usus ex frequentativo recte deducitur. Ante Virgilium vox non videtur reperiri.

552. Patet Priamo galeam, antea (cf. 509) impositam, ad aram attracto excidisse. — *coruscum extulit et abdidit ensem* cf. 8, 168.

554. *Finis* femininum cf. Gr. § 78, An. 1 et 4, 462. — *Exitus tulit* cf. 600. 4, 679 abstulit, eripuit; quamquam locus nondum repertus est, in quo legatur *exitus fert aliquem*, sed potest dici. Dubitatur, utrum ante an post *fatorum* sit interpungendum. Quum non omnia fata Priami h. l. narraverit Aeneas, quum in caesura gravior sit pausa, bene clauditur *H. finis Priami;* et quae sequuntur iungenda sunt *hic exitus illum tulit sorte fatorum.* Sic etiam *Hck.* qui *sors fatorum* legi docet Luc. 9, 1047. Man. 3, 132. Claud. de VI. cons. Hon. 283. Curt. 10, 1, 30. *Wd.* qui *exitus tulit illum* non dici animadvertit, coniecturam proponit admodum splendidam: *Haec finis Priami, fatorum hic exitus; illum sors tetulit.* At forma *tetulit* non est Virgilii, quamquam antiquiorum, et vulgata defenditur: Tam misere ex fato mortuus est, et (interea) videre coactus est incensam Troiam, qui populis terrisque superbus regnator fuerat Asiae.

555. *sorte* „fatali necessitate“ S. Cf. 12, 932.

556. *regnatorem Asiae, superbum populis terrisque;* sic iungenda verba sunt. De v. *superbus* cf. 5, 268.

557. *Iacet ingens litore truncus;* cf. 512, et Manil. 4, 64 *Priamumque in litore truncum, cui nec Troia rogus.* Sen. Troad. 140 *Magnoq e Iovi victima caesus Sigea premis litora truncus.* Iam in Pacuvii tragoedia, ut testatur Servius, in litore proiectus esse dicebatur.

558. *Sine nomine corpus* est quod non potest agnosci. Curt. 6, 9, 28 *velut truncum corpus dempto capite, sine spiritu, sine nomine, aliena terra ludibrium hostis futuros.* — Priami caede conspecta Aeneas Anchisae patris recordatur et ut eum defendat impellitur, quum urbis tuendae iam facultas non sit. Cf. 506.

559—588. Helenam in Vestae templo conspectam Aeneas conatur interficere.

559. *Tum primum:* itaque ad id tempus quamquam mediis in caedis terroribus versatus non timuerat.

561. *Aequaevum* Anchisae, quod maxime movet animum filii. Nova est vox.

563. *direpta domus;* timet ne iam direpta

Respicio et quae sit me circum copia lustro;
Deseruere omnes defessi et corpora saltu
Ad terram misere aut ignibus aegra dedere.
Iamque adeo super unus eram, quum limina Vestae
Servantem et tacitam secreta in sede latentem
Tyndarida adspicio; dant clara incendia lucem
Erranti passimque oculos per cuncta ferenti.
Illa sibi infestos eversa ob Pergama Teucros
Et poenas Danaum et deserti coniugis iras
Praemetuens, Troiae et patriae communis Erinys,
Abdiderat sese atque aris invisa sedebat.
Exarsere ignes animo; subit ira cadentem
Ulcisci patriam et sceleratas sumere poenas.
Scilicet haec Spartam incolumis patriasque Mycenas
Adspiciet? partoque ibit regina triumpho,
Coniugiumque, domumque, patres, natosque videbit,

sit domus, a nullo defensa; neque enim tegitur alia re, quam loco quo sita est. Cf. 300. — *Casus* ut 1, 623.

564. *respicio*. In regis enim casu defixus omisit animadvertere, quae prope agerentur. Nunc quasi ad se ipsum redit et quid in arce facere voluerit, recordatur. Haec autem omnia, quae narrat, vidit de summis aedibus despiciens in impluvium. — *Copia* i. e. multitudo sociorum; neque est *copia* ut *copiae* dictum, neque hoc loco in turba subito collecta aptum est nomen *copiarum*, exercitum et ordinatam significans multitudinem.

564. *Defessi* laboribus, quos pugnando pertulerant, ut vires resistendi iam non superessent; itaque summa desperatione capti aut desiluere aut in ignem se iniecere; et Aeneas interea ne timuit quidem.

567. *Adeo* additur aliis particulis, quarum vim augeat. Ita *iam adeo* 5, 268. 864. 8, 585. 11, 487. *bereits schon. nunc adeo* 9, 156. 11, 314 omninoque in temporis significatione, ut E. 4, 11 *teque adeo decus hoc aevi te consule inibit.* — *sic adeo* 4, 532. *usque adeo* 12, 646. *vix adeo* 6, 498. etiam numeralibus additum est 3, 203. — *Super unus eram* tmesis est, de qua cf. § 11. Eam hoc in verbo etiam Tacitus admittit. H. 1, 20 *vix decumae super portiones erant.*

568. *servantem* cf. 6, 556. — Non audet progredi nec conspici vult nec audiri.

569. *Tyndarida*, Tyndarei filiam, Helenam Aeneas, qui cautus in quamcunque partem oculos vertit, dum ex regia domum suam redit, [non in turri arcis stans, quod sumit *Ld.*] conspicit sedentem in Vestae templo, sanctissimae et castissimae deae, et Graecorum timentem iram et Troianorum. Conspicit autem occultantem se feminam, quum dent clara incendia lucem.

573. Cf. Sen. Agam. 274 *Helena quae Europam et Asiam paribus afflixit malis. Praemetuit* quae iam malo se subtrahit, antequam imminet.

574. *Invisa*, abdita, ut non posset conspici. Vox nova. *Hansel Progr. Sagan* 67 coni. *innisa* et *sacrata.*

575. *Ignis* irae cf. 7, 577. — *subit* c. inf. cf. 317.

576. *Sceleratae poenae* sunt eae, quibus novum scelus committitur; quamquam enim iustum et pium erat patriae intereuntis ab noxia poenas repetere, tamen scelus erat mulierem inermem et cognatam occidere et ante aras. Ita Orestes in Clytaemnestra sceleratas poenas sumpsit. Ita iudicat qui narrat, neque enim scelus tum consideravit, quum videbat Helenam; nam mente erat furiata.

577. *patriasque Mycenas*, cf. 1, 654 *ornatus Argivae Helenae quos illa Mycenis extulerat;* quum sit eius patria Sparta. Sed facilis erat error Vglii, siquidem Graeci poetae scenici Argis faciunt Agamemnonem dominantem et similia peccant et in rebus Pelopidarum omnino urbes Mycenas, Argos, Spartam confundunt.

579. Hunc versum multi iam ab aliena manu illatum esse iudicaverunt, alii alias ob caussas; quare videamus quales eae sint. — *Coniugium* pro *coniugem* dictum esse potest probari cf. 3, 471; neque obest, quod ipse adest iam Troiae Menelaus. — *Patres* sunt parentes. Pater eius Tyndareus, secundum Euripidem in Orestea fabula vel quo tempore Clytaemnestra occiditur, in vivis est; quare etiamsi

Iliadum turba et Phrygiis comitata ministris?
Occiderit ferro Priamus? Troia arserit igni?
Dardanium totiens sudarit sanguine litus?
Non ita. Namque etsi nullum memorabile nomen
Feminea in poena est nec habet victoria laudem,
Exstinxisse nefas tamen et sumpsisse merentis
Laudabor poenas, animumque explesse iuvabit
Ultricis flammae et cineres satiasse meorum.
Talia iactabam et furiata mente ferebar

Leda mater apud Hom. Od. 11, 298 ab Ulysse in inferis conspicitur, *patres* tamen de uno Tyndareo recte dictum est. Cf. 7, 98. — *Natos* habuit Helena ex Menelao filiam Hermionen, quae postea Orestae nupsit, Hom. Od. 4, 12. Aen. 3, 331 et Nicostratum cf. Apollod. 3, 11, 1. Itaque et hoc recte dictum est. — Sed offendit omissa particula *que* ad *patres;* unde in uno codice ortum est *domumque patris* ab eo, qui salebrosam non tulit orationem. Antea delevi versum, quod Helena gaudio non exsultaret, quum coniugem, patrem, natos videret, quos, si cordi fuissent, non reliquisset. Impulerat illa quoque caussa, quod hoc versu omisso reliqua melius cohaererent. Ad triumphum enim pertinet ille captivorum comitatus, qui non admittitur, si post decem annos filia patrem, filios si salutat mater. *Ld.* versum defendit et *Wg.* docetque tria tribus respondere inverso ordine: 1) *Occiderit f. P.* et *Coniugiumq. d. p. n. v.* 2) *Troia a. i.* et *parto i. r. t.* 3) *Dard. t. s. s. l.* et *inc. p. M. a.* Sed haec non recte inter se opponuntur. Melius defenditur si attendimus Aeneam suo sibi haec animo fingere, neque dubitare, quin Menelaus eam sit recepturus. Etiam *Rb.* servat.

580. *Comitata* est passivum cf. 1, 312.

581. *Occiderit* est indignantis cf. 9, 785.

582. *sudarit:* Ita Ennius ap. Nonium: *Terra sudat sanguine.* G. 1, 117 *Tepido sudant humore lacunae.*

584. *Feminea* in poena est in feminae poena, qua femina afficitur. Adiectiva enim in *eus*, quum et forma et significatione proxime ad genitivum accedant (cf. *meus* et *mei*), possunt vices genitivi sustinere et subiectivi, cf. 543 et obiectivi, et ut h. l. ita 8, 287 *laudes Herculeae*, laudes sunt, quibus extollitur Hercules. Omnino autem adiectiva pro genitivis substantivorum sunt nonnunquam cf. Sall. Iug. 41 *metus hostilis (die Furcht vor dem Feinde)*, ut 105. Nubem exemplorum collegit *Voigt* Nugae grammaticae p. 29 sqq. *Halle* Paed. 1844. Cf. Gr. § 371.

585. *Nefas* exstinguitur Helena exstincta, non quasi ipsa Helena sit nefas. — *merentis poenas* i. e. poenas de merente, et est genitivus cf. 2, 229. 7, 307. Cf. Gr. § 237. *Merentis* autem habere accusativum pluralis non audeo, quod *merentis* passivam non assumit significationem, quam *meritus* melius tuetur cf. 3, 118. Neque nudo participio, quod ad nullum refertur obiectum, offendimur; id enim facile intelligitur, ut Ov. M. 8, 116 *cives odere merentem* sc. me, quae mereor odium. *Thilo*, *Neubrdbg.* 70 coni. *decentes! poenas.*

586. *Explesse* perfectum recte, factum enim iuvat, non quod fit. — Verbum regit genitivum cf. 1, 215. — *ultrix flamma* cf. 1, 21. *Wd.:* „*Was soll* animum ultrici flamma explere *heissen?*" *Antw. Seine Seele sättigen durch glühende Rache.*

587. *cineres satiasse meorum:* Mortuorum enim animi cupiunt placari morte eius, qui mortis caussa fuit, et eius sibi deposcunt sanguinem. — *Der Mörder falle ein sühnend Opfer dem Gemordeten. Schill.* Sic apud Sil. 4, 738 de Hannibale dicitur: *patrias satiabis caedibus umbras.* Cf. ad 11, 180.

588. *furiata mente* cf. 407. — *Ferri ira* ut ap. Cic. pr. Cluent 5 *inflammata ferri libidine.*

Versus, qui sunt a 567—88, eiecerunt, ut fama est, Varius et Tucca, constituti illi ab Augusto ad edendam Aeneidem. Quo factum est, ut in multis Mss. et in MP. non sint, neque Servius eos commentetur. Iam vero ea fama si vera tradit, a Virgilio hi versus scripti sunt, et quod ab eo sunt scripti, sunt retinendi. Sed ne fuit quidem caussa ulla, ut eiicerent. Unum enim quod obiicitur est, quod 6, 510 sq. sit de Helena narratio multo diversa. Quod si esset, esset hic locus annumerandus iis, qui ipsi inter se discrepant; (vide quae paulo ante de Palladio monuimus) et si hariolari liceret, locus, qui est in libro VI., emendandus esset, non hic. At ne sunt quidem hi loci inter se contrarii. Potuit enim Helena, ut a Menelao veniam sibi pararet et invitam

Quum mihi se, non ante oculis tam clara, videndam
Obtulit et pura per noctem in luce refulsit
Alma parens, confessa deam qualisque videri
Caelicolis et quanta solet; dextraque prehensum
Continuit roseoque haec insuper addidit ore:
Nate, quis indomitas tantus dolor excitat iras?
Quid furis? aut quonam nostri tibi cura recessit?
Non prius adspicies, ubi fessum aetate parentem
Liqueris Anchisen? superet coniunxne Creusa
Ascaniusque puer? quos omnes undique Graiae
Circum errant acies, et, ni mea cura resistat,
Iam flammae tulerint inimicus et hauserit ensis.
Non tibi Tyndaridis facies invisa Lacaenae
Culpatusve Paris, divom inclementia, divom
Has evertit opes sternitque a culmine Troiam.
Adspice — namque omnem, quae nunc obducta tuenti

se secutam esse raptorem comprobaret, prodere Troianos et Deiphobum; post autem, primo furore finito, postquam Menelaum vidit alio abire, tristem Troiae casum conspiciens et sceleris conscia, quod Menelaum antea fraudaverat et Troiae intereuntis caussa erat, in obscuro anxia latere. Quae timoris caussae si non fuissent, feminae iam timendum erat in illo incensae et direptae urbis terrore. — Aeneam autem in Helenam tantopere irasci, consentaneum est. Laudandus est, quod oppressit ulciscendi cupidinem, non vituperandus quod ea cupido exstitit. — Si autem hi versus tolluntur, qui restant, non cohaerent; neque *quis indomitus tantus dolor excitat iras* ad aliam rem potest referri, quam ad illam de Helena narrationem; neque Venus festinantem ad patriam domum Aenean ut festinaret adhortans efficeret aliud, quam ut operam perderet eumque retardaret. Contra aptissimus est hic Veneris interventus, si versus retinentur. *Wd.* versus a Vglio compositos statimque deletos putat quum iis Aeneam non honestari intellexisset, itaque etiam a Tucca et Vario omissos. *Pl.* eiicit et hos et v. 589—623; eiicit et *Gr.* qui lacunam a poeta relictam esse putat aliquando explendam, eamque postea ab alio suo Marte expletam.

589—634. Venus Aeneam retinet, ut suis succurrat hortatur; Troiam a diis deleri monstrat.

591. *Confessa deam;* cf. 549 et Ov. M. 3, 1 *deus posita fallacis imagine tauri se confessus erat.* 11, 264 *exhibita est Thetis. Confessam amplectitur heros.* 12, 601 *Apollo fassus deum*, alios poetas. — *qualis et quanta* cf. 772.

Dei enim quando hominibus apparent, solent hominis formam assumere et brevitatem cf. 1, 315. — *dextra*, qua Helenam erat occisurus.

593. *Haec insuper addidit ore*, addidit dicta iis, quae facit; i. e. continet et praeterea dicit. Cf. 11, 95 *substitit et gemitu haec addidit alto: ..* 12, 358 *Mucronem .. tinguit atque haec insuper addit;* sequuntur verba ab eo dicta.

594. *Quis indomitas tantus dolor excitat* cf. 6, 561.

595. *Furis*, nam furor est, virum fortem ruere in mulieris interitum. — *Nostri*, nam si Ascanii et Anchisae curam non habet, non habet Veneris, cui illi cari sunt. Cf. 1, 251.

596. *Non* cum futuro pro *nonne*, est acriter quaerentis et quasi exhortantis cf. Cic. Fam. 5, 14 *Tu solus aperta non videbis, qui propter acumen occultissima perspicis? tu non intelliges te querelis quotidianis nihil proficere?* etc. — *Du wirst nicht zusehen? Adspicere* eo consilio, ut cognoscamus, quomodo se res aliqua habeat, quamquam raro legitur etiam ap. alios, ut Liv. 42, 37 *legati, qui de Graeciae statu referrent, Boeotiam et Euboeam adspicere* iussi sunt. Cf. 26, 51. 39, 48 al.

597. *Superat*, in vivis est cf. 3, 339. — *coniuxne* cf. 12, 904.

599. *circum errant, umschwärmen.* — *resistat* — *Tulerint.* De modo cf. 1, 59. — *tulerint*, abstulerint, cf. 554.

600. *quos hauserit ensis* cf. 10, 314.

601. Non quae tibi invisa est Helena, nec qui omnium malorum culpa habetur Paris Troiae paraverunt interitum, sed deorum inclementia.

604. Acuit Venus mortales Aeneae ocu-

Mortales hebetat visus tibi et humida circum
Caligat, nubem eripiam; tu ne qua parentis
Iussa time, neu praeceptis parere recusa —
Hic, ubi disiectas moles avolsaque saxis
Saxa vides mixtoque undantem pulvere fumum,
Neptunus muros magnoque emota tridenti
Fundamenta quatit totamque a sedibus urbem
Eruit. Hic Iuno Scaeas saevissima portas
Prima tenet, sociumque furens a navibus agmen
Ferro accincta vocat.
Iam summas arces Tritonia, respice, Pallas
Insedit nimbo effulgens et Gorgone saeva.
Ipse pater Danais animos viresque secundas
Sufficit, ipse deos in Dardana suscitat arma.
Eripe, nate, fugam finemque impone labori.
Nusquam abero et tutum patrio te limine sistam.
Dixerat et spissis noctis se condidit umbris.
Adparent dirae facies inimicaque Troiae
Numina magna deum.
    Tum vero omne mihi visum considere in ignes

los, ut conspiciat deos immortales, quamquam ei se spectandos non praebuerunt. Idem ap. Homerum Minerva facit in Diomede Il. 5, 127.

605. *Hebetare* et *caligare* voces novae, ut *culpatus*.

606. *Ne qua parentis iussa time*, nam tibi favet; parenti enim parendum est, etiamsi iubeat ingrata; sed videas ipse, laborem tuum, quo Troiam studes iuvare, vanum esse, quum dii in evertenda urbe conspirent. *Ne time* cf. Gr. § 422.

608. Dii ipsi sua manu urbes eruere dicebantur, ut Neptunus Achivorum castra delevit Hom. Il. 12, 27. — De muris a Neptuno deletis etiam 5, 810.

609. *undantem fumum* „quia in modum undarum attollitur; sic 8, 257 *qua plurimus undam fumus agit.*" S. Ita *undat* ignis 12, 673. Aetna G. 1, 472 *vidimus undantem ruptis fornacibus Aetnam.*

612. *Scaeae portae* ad litus ducebant et castra Graecorum. — *Saevissima* dicitur Iuno, quod omnium deorum Troianis erat infestissima. Ita etiam *prima* poteris explicare, ut quae princeps et dux sit deorum in Troia eruenda cf. 1, 24. Sed tamen, quum id iam voci *saevissima* insit, praestat accipere de loco, ut *prima* sit, quae est in urbis introitu. Sic 12, 577 *Discurrunt alii ad portas primosque trucidant* i. e. eos qui sunt in portis.

614. Unus codex explet: *saevasque accendit ad iras.*

615. *Iam* eo res est perducta, ut Minerva, Troianorum dea tutelaris, Troiam ipsa evertat. *respice:* Aeneas enim de arce descendens eam a tergo habet. — *Tritonia* cf. 171.

616. *nimbo effulgens* cf. 12, 416. *nimbo* MPγ. — *limbo* in uno Mor. variam lectionem certatim receperunt *Hr. Rb. Ld. Wd.* sc. ut deam mulierem veste muliebri tectam esse intelligamus! Eaque vestis significatur instita. *Sie glänzt mit dem Saume* sc. *des Kleides.* In re grandi ac terribili imago pusilla. *Wd.* tamen paene redit ad meam et *Wgri* explicationem. — *Gorgone saeva*, Medusae, quae est Gorgonum una cf. 6, 289, caput in scuto Minervae sive aegide affixum movet nimbos cf. 8, 354.

618. *Ipse* Iuppiter urbem vult exstinctam; quare contra niti non vales. — *Vires sufficit*, item 9, 803.

619. *Eripe fugam* sc. e manibus hostium, qui Troianis omnem fugam intercipere cupiunt.

620. *Limine* domus tuae, i. e. tutum ego te domum reducam. — *sistere* ut 3, 117. Ov. M. 3, 635 *terra sistĕre petita.*

621. *Se condidit umbris*, ut oculis se Aeneae subtraheret.

622. *Apparent dirae facies* explicatur per *numina inimica.* Cf. Exc. ad 1, 2. — *dirus* cf. 12, 845.

624. *Tum vero* cf. 105, „quum et dii visi sunt saevientes" S., non dubitat, quin sit abeundum. — *Considere in ignes* ita 9, 145, *in igne* Tac. H. 3, 33 *quum omnia sacra profanaque in igne*

Ilium et ex imo verti Neptunia Troia;
Ac veluti summis antiquam in montibus ornum
Quum ferro accisam crebrisque bipennibus instant
Eruere agricolae certatim; illa usque minatur,
Et tremefacta comam concusso vertice nutat,
Volneribus donec paulatim evicta supremum
Congemuit traxitque iugis avolsa ruinam.
Descendo ac ducente dea flammam inter et hostes
Expedior; dant tela locum, flammaeque recedunt.
Atque ubi iam patriae perventum ad limina sedis
Antiquasque domos, genitor, quem tollere in altos
Optabam primum montes primumque petebam,
Abnegat excisa vitam producere Troia

considerent. Contra *desidere* dicuntur urbes terrae motu; *subsidere* naves mari absorptae.

625. *Neptunia Troia* cf. 3, 3.

626. *ac veluti quum* cf. 4, 402.

627. *accisam* i. e. ex parte incisam; proprium in ea re verbum cf. Caes. B. G. 6, 27 *accidunt arbores, anhauen.* — *Minatur* ruinam. Male *Hr.* minatur periculum caedentibus. — *Instant* c. infin. cf. 1, 423. — *Crebris bipennibus* cf. 492. — *Eruere* ut 5, 449 *radicibus eruta pinus.*

629. *tremefacta comam* cf. 273. — *Coma* de arborum et fruticum fronde usitatissimum apud poetas cf. Hor. C. 4, 7, 1 *Diffugere nives, redeunt iam gramina campis, arboribusque comae.* Item G. 2, 368. 4, 137. — *Nutat* ut 9, 682 et Iuv. 3, 256 *Nutant altae* (arbores) *populoque minantur.* Ita Claud. Id. 1, 32.

631. *traxitque ruinam* cf. 466. In hac comparatione, in qua singula egregia sunt, offendimur, quod cum arbore concidente non hominem aliquem aut turrim, sed totam comparat urbem, latam et innumeris aedificiis constantem.

632. *Descendo* de arce, in qua illud Vestae templum. *discedo* ap. Macr. 3, 8 *Ducente deo* i. e. aliquo, non indicato ut *dabit deus his quoque finem* 1, 199 cf. 3, 715. 6, 749. 7, 498. Atque ita saepe usurpatum est hoc vocabulum a Cicerone in libro, quem scripsit de natura deorum; in quo in primis conferas 2, 6, 16. Itaque illud *deo* satis explicatur. *deo* M2V2γ2 al. *dea* M1. V1. γ1. P. ut genuinum videatur fuisse *dea;* et ipsa Venus promiserat *patrio te limine sistam.* Inferunt ad *deo* probandum S. et Macr. 3, 8 arcanam doctrinam, a multis auctoribus firmatam, qua Venus et femina est et mas. Sic Cypri Veneris erat signum barbatum veste muliebri. Inde Venus dicitur ap. Cat. 68, 50 *duplex.* Quae ut vera sint, miror tamen Schlottmannum de columna regis Mezae 1870 *deo* quod hoc loco legitur de Venere biformi explicandum duxisse. Absurdum enim est Aeneam filium Veneris quum multa de matre narrasset sua, extremo loco illam docere doctrinam, qua mas est Venus. Sed poterat afferre locum vir doctus, ut probaret eam doctrinam caussam fuisse grammaticis, ut h. l. inferrent *deo* pro *dea.*

633. *expedior:* Expediri est e magnis periculis servari; ita ap. Hor. C. 4, 4, 75 *Curae sagaces expediunt per acuta belli.* — *Dant tela locum,* i. e. *recedunt* hostium tela; sic Sil. 1, 465 *praecipiti dant tela viam, dant signa virique.* Ov. F. 4, 800 *pietas Aeneia, innocuum victo cui dedit ignis iter;* Pont. 1, 1, 33 *dicitur ipsa viro* (Aeneae) *flamma dedisse viam.* *Pl.* delet *d. t. l. f. r.*

634—678. Anchises quod domum non est relicturus, suos omnes in mortis retinet periculo.

634. *Atque* cf. 4, 261. — *perventum est,* amat enim hoc in verbo lingua Latina passivum impersonale prae activo: ut h. l.: perveni.

636. Varro Rerum Humanarum narravit, teste Servio, Aeneam, quum ei a Graecis concessum esset, ut et ipse evaderet et quod carum esset auferret, primum abstulisse patrem; post quum Graeci, pietate eius commoti, ut alterum educeret permisissent, extulisse deos penates; iam Graecos iussisse eum efferre quaecunque vellet. Non absonum est haec cum nostro loco comparare; tamen hoc loco primum debebat petere patrem, qui unus consentire debebat de fuga; reliqui omnes facile eius auctoritatem sequebantur.

637. *Abnegat,* non vult, recusat ut 654 et est verbum voluntatis, quare recte sequitur infinitivus et infinitivus praesen-

Exsiliumque pati. Vos o, quibus integer aevi
Sanguis, ait, solidaeque suo stant robore vires,
Vos agitate fugam.
Me si caelicolae voluissent ducere vitam,
Has mihi servassent sedes. Satis una superque
Vidimus excidia et captae superavimus urbi.
Sic o, sic positum adfati discedite corpus.
Ipse manu mortem inveniam; miserebitur hostis,
Exuviasque petet. Facilis iactura sepulcri.

tis, ut G. 3, 456 cf. Gr. § 430. Solum accusativum regit 7, 423. II. C. 1, 35, 22.

638. *Integer aevi*, ita 9, 255. Ov. M. 9, 440. — Hor. C. 1, 22, 1 *integer vitae scelerisque purus*. Stat. Theb. 1, 415 *integer annorum*, cf. 1, 14. Contra ablativus additur ap. Ped. Albin. El. 3, 5 *integer aevo*. Prop. 4, 5, 57 *dum vernat sanguis, dum rugis integer annus*. — *Integer* autem est quisquis nondum attritus est et cui *suo stant robore vires*, *in ihrer ursprünglichen Kraft* (de abl. *robore* cum *stant* iuncto v. 88). Sic Cic. pr. Man. 9. *Quantum illud bellum factum putetis, quod ... renovant agitatae nationes, suscipiunt integrae gentes.* — Aetas hominis vires quasi atterere studet. Id etiam alibi fingitur, ut 5, 416. *Aevum* de aetate cf. 435.

640. *Vos agitate fugam*; ita „Sallustius: *Traditur fugam in Oceani longinqua agitavisse.*" S. Fl. 4, 2, 51 *fugam ... in Parthos ... agitaret.* — Unus codex supplet: *et rebus servate secundis.* Omisit interpolator *vos*, quod est 1, 216, unde sua sumpsit.

641. *Ducere vitam* producere; ut *bellum ducere*. nota formula. Sic *ducere vitam* H. Epod. 17, 63. *aetatem* E. 2, 2, 202. *somnos* Aen. 4, 560.

642. Satis et iam nimium est, quod semel vidi patriae excidium; sc. quum Hercules Laomedontis periurio et ob negatam Hesionam iratus urbem evertit.

643. *Superavimus urbi*, ut Sall. Iug. 70 *res, quae Iugurthae superaverant*, quae restabant. — Cf. 3, 339.

644. Iubet Anchises sibi suos praestare funebre officium, quasi iam mortuo. Simile est ap. Val. Fl. 1, 334. — *Sic, o* etc. „Sensus talis est: praestate vos mihi funebre solatium, hoc est adfamini me, ut dici mortuis solet vale, vale, vale." S. Cf. 3, 67. Ita *affari* 9, 484. — *Positum* dicitur corpus mortuum, ut 4, 681. 11, 30. Ov. F. 5, 480 *positis iusta feruntur avis.* M. 9, 503 *toroque mortua componar, positaeque det oscula frater.* Tamen omnibus in locis iam ex ceteris verbis apparet de mortuo esse sermonem.

645. *Mortem inveniam* explicat Sen. Herc. F. 1245 *Mortis inveniam viam* et *invenire viam* cf. 3, 395. *Ipse manu* est *mit eigner Hand*; sic 321. 3, 372. 5, 241. 499. 7, 143. 621: Itaque videtur dicere Anchises: Ipse me interficiam, hostis autem, qui sua manu necatum videbit senem, miserebitur nec insultabit aut foedabit mortuum, sed exuviis contentus abibit. Facile autem careo sepultura. Alia est explicatio Servii; „mortem ego manu hostis inveniam. Miserebitur vero dixit, affectu eius, qui cupiebat interimi, ut eum hostis quasi miseratus occideret. Sic in nono (495) mater Euryali" S. Quae explicatio apta quidem, est et firmatur dicto simili Ciceronis a Wgo allato Att. 9, 12: „Ne quid optem quidem iam habeo, nisi ut aliqua inimici *misericordia* liberemur." Sed ad *manu* non potest intelligi *hostis*, nec *ipse* habet quo defendatur. Attamen quum Vgl ipse non videatur dicere Anchisen sibi mortem illaturum, certe Aeneas qui patri adversatur, id non videtur intelligere, nihil restat quam *ipse manu inveniam* explicare, ut idem facere sibi proponat, quod fecit Priamus, qui hostem manu sua aggressus invenit mortem. Erat autem Anchises obstinatus mori, quod quae a diis de futuro suorum imperio acceperat, irrita esse omnia sibi intelligere videbatur; quare mutat consilium, simul atque dii in Ascanio summam spem esse ostendunt.

646. *facilis iactura*, item Liv. 5, 39 *facilem esse iacturam seniorum* i. e. non magni esse momenti. Eodem etiam sensu *vilis* dicitur *iactura* Stat. Theb. 1, 649 ut *vile damnum* ap. Tac. A. 2, 85. — Loquitur autem Anchises ut Theodorus ille philosophus, qui regi Lysimacho crucem minitanti, Theodori, inquit, nihil interest, humine an sublime putescat. Sed antiquorum multum intererat sepeliri, quod nisi sepultus apud inferos quiescere nequibat. Cf. 6, 333. 365. — Seneca de remediis fortuitorum c. 5. terribilem illam

Iam pridem invisus divis et inutilis annos
Demoror, ex quo me divom pater atque hominum rex
Fulminis adflavit ventis et contigit igni.
Talia perstabat memorans fixusque manebat.
Nos contra effusi lacrimis coniunxque Creusa
Ascaniusque omnisque domus, ne vertere secum
Cuncta pater fatoque urguenti incumbere vellet.
Abnegat inceptoque et sedibus haeret in isdem.
Rursus in arma feror mortemque miserrimus opto.
Nam quod consilium aut quae iam fortuna dabatur?
Mene efferre pedem, genitor, te posse relicto
Sperasti? tantumque nefas patrio excidit ore?
Si nihil ex tanta superis placet urbe relinqui,
Et sedet hoc animo, perituraeque addere Troiae
Teque tuosque iuvat: patet isti ianua leto,
Iamque aderit multo Priami de sanguine Pyrrhus,
Gnatum ante ora patris, patrem qui obtruncat ad aras.

cogitationem: *insepultus iacebis* refellit his verbis: Quid aliud huic respondeam, quam Virgilianum illud: facilis iactura sepulcri. Cf. Sen. Ep. 92 „Maecenas, nec tumulum, inquit, curo, sepelit natura relictos.“ Sic firmantur verba auctoritate Senecae. *Pl.* 644—46 delet.

647. *invisus divis:* A Iove enim, quod Veneris consuetudine gloriatus erat fulmine petitus, secundum alios occaecatus, secundum Virgilium membris debilitatus est; cf. v. 699. 733. Cf. Hom. Hym. in Ven. 287, quare diis invisum se putat. — *Inutilis* ut ap. Aesch. Prom. 371 *ἀχρεῖον δέμας*, ubi vide Blomf. gloss.

648. *Annos demoror*, nam quum iusto longius vivat, retinet quasi eorum decursum. Cf. 3, 481.

649. *Fulminis afflavit ventis:* Vento enim fulmen ferri putabatur cf. 8, 430. Lucr. 6, 294. *Afflare* autem proprie dicitur et ventus et quod vento fertur cf. Liv. 28, 23 *Conrepti alii flamma sunt, alii ambusti adflatu vaporis.* 30, 6 *Saucii adflatique incendio effugere.* — Quid autem sit afflari fulmine docent Ov. Tr. 1, 9, 22 *fulmina quorum ignibus afflari proxima quaeque solent* et Pont. 3, 6, 17 *Fulminis afflatos interdum vivere telis Vidimus, et refici, non prohibente Iove.*

650. Talia quum memorare pergeret, fixus immotusque mansit.

652. Ne sc. *oramus ne*, quod latet in *effusi lacrimis.*

653. *Cuncta*, nam quum non sint relicturi Anchisen, simul omnes intereant necesse est. — *Fato urguenti incumbere* „simile est, ut currentem incitare, praecipitem impellere“, S. et est exitium quod imminebat ipsum accelerare. Cf. Liv. 3, 16 *Id* (malum) *prope unum maxime inclinatis rebus incubuit.* Cic. de or. 2, 79, 324 *Oportebit impelli primo iudicem leviter, ut iam inclinato reliqua incumbat oratio.*

654. *incepto et sedibus haeret in iisdem* cf. Cic. Cat. 2, 5 *Si et in urbe et in eadem mente permanent.*

657. *mene* „probatae pietatis filium.“ — *nefas excidit:* „Bene excusat patrem dicendo excidit, et ipsam temperat obiurgationem.“ S. — *Sperasti* c. inf. praesentis cf. 4, 305.

660. *sedet animo* cf. 5, 418. — Et si iuvat, si cupis nos omnes simul interire, facile mortem quam optas, i. e. *isti leto*, impetrabis, et brevi omnium tuorum caedem videbis; nam irrumpet Pyrrhus, Priami sanguine foedatus. Nolo tamen tacere iam Servium *isti* per Apocopen dictum accepisse pro *istic*, et adverbium habent *Ritschl*, *Neue*, *Wd.* Simplicissima minime placent, inusitata forma maxime arridet.

662. *de sanguine aderit* i. e. advenerit cf. 442. *Pl:* „Si Ms. praeberet *Iamq. a. m. maculatus s. P.* hoc amplecterer!“

663. *gnatum ante ora patris:* „His rebus terret eum, qui non potest mortem timere — *Obtruncat*, obtruncare consuevit“ S. sc. obtruncat quovis tempore, si fors ita fert. Simile 7, 363 *At non sic Phrygius penetrat Lacedaemona pastor?* i. e. nonne ita solet Phrygius homo tentare virgines? Adde Ov. Met. 4, 23 *Penthea tu venerande bipenniferumque Lycurgum Sacrilegos mactas!*

Hoc erat, alma parens, quod me per tela, per ignes
Eripis, ut mediis hostem in penetralibus utque
Ascanium patremque meum iuxtaque Creusam
Alterum in alterius mactatos sanguine cernam?
Arma, viri, ferte arma; vocat lux ultima victos.
Reddite me Danais; sinite instaurata revisam
Proelia: nunquam omnes hodie moriemur inulti.
    Hinc ferro accingor rursus, clipeoque sinistram
Insertabam aptans meque extra tecta ferebam.
Ecce autem complexa pedes in limine coniunx
Haerebat, parvumque patri tendebat Iulum:
Si periturus abis, et nos rape in omnia tecum;
Sin aliquam expertus sumptis spem ponis in armis,
Hanc primum tutare domum. Cui parvus Iulus,
Cui pater, et coniunx quondam tua dicta relinquor?
    Talia vociferans gemitu tectum omne replebat;
Quum subitum dictuque oritur mirabile monstrum.
Namque manus inter maestorumque ora parentum
Ecce levis summo de vertice visus Iuli
Fundere lumen apex, tactuque innoxia molles

Tuum est mactare sacrilegos, quales fuerunt Pentheus et Lycurgus. Cf. Gr. § 455, C.

665. *Hoc erat quod me eripis* i. e. propterea me eripis, (et praesens significat rem antea factam, nunc durantem cf. Gr. § 455, f.) Simile C. pr. RA. 35 *Quid erat, quod Capitonem primum scire voluerit* i. e. cur voluit? Cf. Gr. § 465, 2. *Pt:* „Scribendum puto *H. e. a. p.? Sic me p. t. p. h. E.*“

669. *Reddite me Danais:* Simile est illud Ov. Met. 13, 78 *redde hostem.*

670. *Nunquam hodie*, ut *Nunquam hodie effugies* Ecl. 3, 49. *Nunquam hodie effugies, quin mea manu moriare* Naevius ap. Macr. 6, 1. *Non committet hodie unquam, iterum ut vapulet* T. Ad. 2, 1, 5.

672. *Aptare arma* saepe cf. 12, 88. — *Insertabam* „cunctationem ostendit hoc verbo eius, qui nec ire ad proelium velit nec domum relinquere; sic et *ferebam* dixit.“ S.

674. „*Patri* melius quam *mihi*“ S. cf. 79. De dativo cf. 688.

675. *in omnia* sc. discrimina. Sic Luc. 10, 461 *quem ducit in omnia secum.* — *Si periturus abis*, etc. est „argutum dilemma i. e. complexio, quae adversarium ab utraque parte concludit“ S.

678. *Cui relinquor?* sc. Non est dubium, quin ego et pater et filius hosti ferocissimo a te relinquamur. — *Quondam tua dicta;* nam quum me deseras, iam tua revera non sum; sic Tib. 3, 1, 23 *haec tibi vir quondam mittit.*

679 — 691. Omine oblato Anchises consilium mutat.

Ut in Ascanio, sic in Servii Tullii pueri capite flamma conspecta futurae regiae potestatis signum est ap. Liv. 1, 39. Idem memorat in Masinissa Sil. 16, 118.

680. *Subito* MPVγ, sed cum libris Fγ2 et Servio scribe *subitum;* adiectivum enim defenditur locis 8, 81. G. 4, 554 et saepissime hoc adiectivum a Virgilio praefertur adverbio cf. 4, 571. 7, 67. 95. 446. 479. Ov. M. 13, 893. Luc. 1, 312 *miles subitus* i. e. raptim coactus. — *dictu mirabile monstrum* cf. 3, 26.

681. *que* cf. 597. — *Inter manus* „hoc est inter amplexus.“ S.

682. *Visus* verbum in ostentis sollemne cf. 270.

683. *Apex* est flamma in apicem acuminata; sic ap. Ov. M. 10, 279. Pont. 4, 9, 54. Fast. 6, 636 *inque coma flammeus arsit apex.* Ita apex et flamma eiusdem rei varia nomina sunt; Noli putare gestasse Ascanium apicem in capite (8, 664). qui arserit; is enim crinem texisset, qui non tegitur secundum v. 685. — *tactu innoxia*, quae tangendo non nocet; cf. G. 3, 416 *mala tactu vipera.* — *mollis* MF al. refer ad *comas;* flamma enim iam habet adiectivum, quod paene idem significat. — *molli* P.

Lambere flamma comas et circum tempora pasci.
Nos pavidi trepidare metu crinemque flagrantem
Excutere et sanctos restinguere fontibus ignes.
At pater Anchises oculos ad sidera laetus
Extulit, et caelo palmas cum voce tetendit:
Iuppiter omnipotens, precibus si flecteris ullis,
Adspice nos; hoc tantum et si pietate meremur,
Da deinde auxilium, pater, atque haec omina firma.
Vix ea fatus erat senior, subitoque fragore
Intonuit laevum, et de caelo lapsa per umbras
Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.
Illam summa super labentem culmina tecti
Cernimus Idaea claram se condere silva,

685. *pavidi metu trepidare:* Nota verborum congeriem. De infinitivo cf. 132.

686. *sanctos* FMPVγ. *sacros* bc., quos violari nefas est. *Sanctum* enim, quod est diis dignum, castum, inviolatum, opponitur *polluto; sacrum* est „quod deorum habetur“ et opponitur *profano;* inde etiam est *verflucht* diis commissum ut 3, 57 *auri sacra fames.* Templa sacrantur, leges sanciuntur. Sanctus Apostolus.

688. *palmas cum* (cf. 72) *voce tetendit.* Verbo *tendere* dativum iungit Cicero pr. Font. 17: *Tendit ad vos virgo Vestalis manus supplices, easdem, quas pro vobis diis immortalibus tendere consuevit.*“ Caes. BG. 7, 48 *Romanis de muro manus tendebant.* Calp. Sic. 3, 36 *A te coeperunt tua iurgia, tu prior illi victas tende manus.* Cf. 5, 451.

690. *Adspicere* de diis humanas res respicientibus. cf. 9, 209. *Schau (gnädig) auf uns herab, und wenn wir so viel durch unsere Frömmigkeit verdienen, gib uns Hülfe und bestätige diese Zeichen. Et* tertio est loco, ut 12, 381, saepius apud poetas alios.

691. „Secundum Romanorum morem petit, ut visa firmentur. Non enim unum augurium vidisse sufficit, nisi confirmetur ex simili; nam si dissimilia sunt posteriora, solvuntur priora“ S. Sic. 8, 79 *propius tua numina firmes.* Sil. 4, 127 *Adsis, o firmesque tuae pater alitis omen.* — *auxilium: augurium* coni. *Pl. Gt.* recepit *Ld.* iam propositum a Valerio Probo.

692—746. Firmato omine urbe omnes excedunt, Creusa perit.

692. *vix — que* cf. 5, 857. — *Fragor* auditur etiam saepius, si globi lucentes apparent.

693. *Intonuit laevum;* felix id omen habebatur apud Romanos cf. 9, 631. G. 4, 7; dextrum apud Graecos. Confer de ea discrepantia disputantem Ciceronem Div. 2, 39, 82. Stella longo sulco tracto ad Idam pergens, indicavit viam, quae esset ineunda. Per singula haec exposuit Serv. cuius rationis ut exemplum proferamus, eius verba addamus: „*Idaea clarum se condere silva;* stellae huius cursus ita significat Troianos conglobatos ad domum Aeneae Idam petere. Quod dicit *multa cum luce*, ostendit claros; quod *signantem vias*, scintillas quasdam dicit relictas, quae ostendunt, remansuros in diversis partibus socios; quod *longo limite*, ostendit errorem, quod *sulcum* dicit, significat longum maris aequor arandum; quod ait *sulfure fumant*, divini ignis odor ostenditur; ex fumo autem mors Anchisae, sicut eius oratio sequens indicat: *cedo equidem*, quasi licet sciam me esse moriturum“ S. Tales explicationes nunc nimis videntur quaesitae, si tamen illam ostentorum doctrinam respicimus, qua vel minima observabantur accuratissime, non absonum est, poetam etiam singula verba summa cura elegisse.

694. *stella facem ducens: Faces* tales in ominibus erant cf. Liv. 43, 13 earumque doctrinam exhibet Plin. N. H. 2, 25. — *De coelo lapsa per umbras:* ita Liv. 41, 21 *Faces eadem nocte plures per caelum lapsae sunt;* videntur enim per caelum volitantes sensim descendere. Inde *de caelo delabi* satis est usitatum. Cf. Cic. ad Q. Fr. 1, 1, 2 *Graeci sic te ita viventem intuebuntur, ut quendam ex annalium memoria, aut etiam de caelo divinum hominem esse in provinciam delapsum putent.* pr. Man. 14, 41 *Pompeium, sicut aliquem non ex hac urbe missum, sed de caelo delapsum intuentur.*

Signantemque vias; tum longo limite sulcus
Dat lucem, et late circum loca sulfure fumant.
Hic vero victus genitor se tollit ad auras,
Adfaturque deos et sanctum sidus adorat.
Iam iam nulla mora est: sequor et, qua ducitis, adsum.
Di patrii, servate domum, servate nepotem.
Vestrum hoc augurium, vestroque in numine Troia est.
Cedo equidem, nec, nate, tibi comes ire recuso.
Dixerat ille; et iam per moenia clarior ignis
Auditur, propiusque aestus incendia volvunt.
Ergo age, care pater, cervici imponere nostrae;
Ipse subibo humeris, nec me labor iste gravabit;
Quo res cunque cadent, unum et commune periclum,
Una salus ambobus erit. Mihi parvus Iulus
Sit comes et longe servet vestigia coniunx.
Vos, famuli, quae dicam animis advertite vestris.
Est urbe egressis tumulus templumque vetustum
Desertae Cereris iuxtaque antiqua cupressus,

698. *dat lucem* i. e. *lucet.* Verbum *dare* cum substantivo iunctum circumscribit verbum, quod in substantivo latet sic *dare cantum* est canere 1, 398. *dare cursum* est currere 10, 870. *dare fugam* fugere 12, 367. *dare lacrimas* lacrimare 4, 370. 9, 292. Ov. Her. 3, 15. *dare amplexus* amplecti 1, 687. 8, 405. *dare funera* occidere 8, 570. 12, 383 (ap. Lucr. 5, 348 *dare cladem*). *dare gemitum* gemere 2, 53. 10, 709. *dare sonum* 10, 640. *sonitum* 5, 139. 9, 667. 10, 488. 11, 458. 12, 524 sonare. Sic *dare clamorem* clamare 3, 566. *dare verba* 10, 639. *dicta* 10, 600. *voces* 11, 535. 840 dicere. Cf. *dare colores* 12, 69. *nidorem* 12, 301. *saltum* 12, 681. *tortus* 5, 276. *ruinam* 2, 310. *dare sonorem* sonare G. 3, 199. *dare ululatum* ululare 11, 190. *dare quietem* quiescere 8, 30. Sic in soluta oratione *dare operam*, *dare responsum* cf. 1, 63. Talia substantiva cum v. *dare* collegit *Lentz* 52 *Kgsb. Kneiphof.* — „Sulfur putabant ignem divinum, *θεῖον*; itaque in sulfureo fumo agnoscit Anchises Iovis fulmen, quo admonitus cedit“ Taubm.

699. *victus (sich besiegt gebend)* cedo equidem cf. 4, 370 *Num lacrimas victus dedit.* — *Se tollit ad auras:* (i. e. surgit egressurus) „verbum augurum, qui visis auspiciis surgebant ex templo, unde est *extemplo*“ S. — *tollit* FMVγ2. *tollere* Pγ1 probat *Rb.*

702. *Servate domum*, *servate nepotem:* atqui me non frustra ea precari docet, quod hoc vestrum est augurium, quo adhuc in vestra esse tutela Troiam ostendistis. Quod h. l. est *in numine*, est alias *sub numine* ut 9, 247.

704. *tibi comes ire recuso.* Sic Stat. Achill. 1, 539 *Nos vocat ille labor, neque enim comes ire recuso.* Tib. 1, 4, 41 *neu comes ire neges.* Idem dativus est 6, 158 *cui fidus Achates it comes.*

707. *Imponere:* Imperativus qui dicitur passivus est medii, nec potest esse imperativus vere passivus. Sic 3, 405 *velare* est vela te. 12, 800 *inflectere.* Ov. Am. 1, 1, 29 *Cingere litorea flaventia tempora myrto Musa.* cf. Gr. § 154, 3. Cf. ad 4, 152.

711. Singulos ire iubet, quo tutior sit fuga. — *Servet*, observet, legat vestigia. Ne nimium augeatur agmen, uxorem patre et filio firmiorem audet ex longinquo sequi iubere, tamen ut possit uti mariti tutela.

713. *est urbe egressis:* De hac structura cf. 1, 21. Cf. Gr. § 280.

714. *Deserta* Ceres est, cuius templum in agro exstructum est, ubi esse solet hominum solitudo; sic *desertus* est 3, 4. 646. 11, 843. Tib. 1, 1, 11 *desertus in agris stipes*, *einsam.* Solebant autem templa Cereris extra urbes exstrui. Cf. Vitr. 1, 7 Fana locantur *Cereri extra urbem loco*, *quo non semper homines nisi per sacrificium necesse habent adire.* — Prudenter eligit locum, quem Graeci non sunt adituri; prudenter etiam circa homines metu perturbatos pluribus utitur verbis, quia scit esse timoris comitem oblivionem; nec minus repetitae sententiae sunt eius, qui loquitur, signa anxietatis.

Religione patrum multos servata per annos:
Hanc ex diverso sedem veniemus in unam.
Tu, genitor, cape sacra manu patriosque Penates;
Me, bello e tanto digressum et caede recenti,
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.
Haec fatus, latos humeros subiectaque colla
Veste super fulvique insternor pelle leonis;
Succedoque oneri. Dextrae se parvus Iulus
Implicuit sequiturque patrem non passibus aequis;
Pone subit coniunx. Ferimur per opaca locorum;
Et me, quem dudum non ulla iniecta movebant
Tela, neque adverso glomerati ex agmine Graii,
Nunc omnes terrent aurae, sonus excitat omnis,
Suspensum et pariter comitique onerique timentem.
Iamque propinquabam portis, omnemque videbar
Evasisse viam; subito quum creber ad aures
Visus adesse pedum sonitus, genitorque per umbram
Prospiciens: Nate, exclamat, fuge, nate, propinquant;
Ardentes clipeos atque aera micantia cerno.
Hic mihi nescio quod trepido male numen amicum

719. *nefas* cf. 169. Eadem enim sententia apud omnes antiquos. Iam Davides, quod bella gessit, templum condere vetatur; et aqua veteres lustrabantur, sive templum ingressuri, sive sacra facturi, sive precaturi. Itaque lavant aut manus, aut caput; corpus etiam totum et vestes; neque Pontifices apud Romanos illotis manibus sacra attrectare fas erat. Saepius tantum adspergebantur aqua, signum potius lustrationis quod erat quam lustratio; ut nunc fit in baptizando. Adhibetur autem aqua fluvialis 4, 635. viva, perennis, limpida. Ut h. l. vivum flumen in re sacra dicitur, sic Liv. 1, 45. — De voce *vivus* cf. 1, 167.

721. *subiecta colla insternor* cf. 273 et 4, 22. *Mollicomis tellus insternitur herbis* Avien. Descr. T. 1082; ad rem Ov. Pont. 1, 1, 33 *quum foret Aeneae cervix subiecta parenti.* — *Latos* ipse dicit Aeneas! Idem improbans *Pl.* coni. *Abluero. Haec fatus humeros s.* c. et violat metrum.

724. *Implicuit* signat pueri timorem. Docet hic versus posse Virgilium uno verbo rem totam sub oculis ita ponere, ut omnia plane intelligamus, ipsamque rem ut acta sit videamus.

725. *per opaca locorum* cf. 1, 422. Vitamus loca lucida, quaerimus opaca.

726. *dudum* (*schon längst nicht mehr*). Tamdiu cum Graecis manum conseruit, ut omni iam timore vacaret, neque eum terrerent immissa tela neque hostes, si conglobati irruebant.

729. *suspensum* cf. 114. — *Pariter* duobus substantivis ad quae pertinet, per *que* iunctis praeponitur, ut 9, 559. G. 1, 455. Ov. M. 13, 538 *et pariter vocem lacrimasque . . . devorat ipse dolor.* Neque tamen is verborum ordo unicus; cf. Ov. M. 13, 522 *et vitam pariter regnumque reliquit.* — *timere alicui.* Cf. Gr. § 285 An. 4.

731. *Evadere viam* est ad finem viae pervenire, victis quae in ea sunt periculis et impedimentis cf. 3, 282 *evadere urbes*, 4, 685 *gradus*, 6, 425 *ripam*, 12, 907 *evadere spatium.* Confer illud *invade viam* 6, 260. Itaque iam putat non amplius sibi instare periculum, quum prope portam sit. Quod autem coniecit Marklandus, *vicem* ex omni parte probabile est. Sed a libris standum est.

732. *Adesse* idem, quod advenisse, appropinquasse saepius cf. 442. Legitur autem *pervenit ad aures* 81. 119. — Nota post multos spondeos 730 per 731 transitum esse ad dactylos 732; quod non sine consilio est factum.

733. *Prospicit*, ut sublatus humeris Aeneae, dum ipse onere praepeditus respicere nequit; quare excusatur Aeneas, si celerius abit, a patre ipso ut servaret excitatus.

734. *cerno*, cf. 647.

735. *male amicum: amicum*, quod

Confusam eripuit mentem. Namque avia cursu
Dum sequor et nota excedo regione viarum,
Heu! misero coniunx fatone erepta Creusa
Substitit, erravitne via seu lassa resedit?
Incertum; nec post oculis est reddita nostris.
Nec prius amissam respexi animumve reflexi,
Quam tumulum antiquae Cereris sedemque sacratam
Venimus. Hic demum collectis omnibus una
Defuit et comites natumque virumque fefellit.
Quem non incusavi amens hominumque deorumque?
Aut quid in eversa vidi crudelius urbe?
Ascanium Anchisenque patrem Teucrosque Penates
Commendo sociis et curva valle recondo;
Ipse urbem repeto et cingor fulgentibus armis.
Stat casus renovare omnes omnemque reverti
Per Troiam et rursus caput obiectare periclis.

ipsum et patrem filiumque servavit, *male*, quod uxorem perdidit. *Male* autem adiectivo vel verbo appositum alieno loco aliquid esse indicat *zur Unzeit;* ita G. 1, 105 *male pinguis arenae* „*schädlich fett*" *Voſs. male salsus* Hor. S. 1, 9, 65 i. e. alieno loco salsus. Ov. M. 7, 741 *male tectus ego*, et M. 8, 509 *male vincetis, sed vincite fratres* ut hoc nostro loco recte explicatur: in meam perniciem, meum damnum. Deinde *male* etiam id indicat, quod non eo modo est, quo debet; quae videtur esse sententia primaria; ita v. 23. 4, 8. Hor. S. 1, 3, 45 *male parvus* filius est, qui est minor, quam volumus; ita C. 1, 17, 25 *male dispar*. S. 1, 3, 31 *male haeret*, ut Ov. M. 3, 730 *iam male haerentes* frondes *alta rapit arbore ventus*. Neque tamen est idem quod *non*. Cf. Ov. F. 3, 102 *Graecia facundum, sed male forte genus*.

736. *confusam eripuit mentem trepido:* Idem tribus verbis dictum cf. 4, 22. — *Avia cursu sequor*, siquidem *sequi viam* non minus probe dicitur, quam *ire viam;* cf. 5, 235. sic *sequi vias* Ov. Pont. 1, 4, 38 *sequi iter* 2, 10, 18.

737. *Excedo regione viarum* i. e. declino a recta via. Ita *regione viae* vel *viarum* pro *recta via*, *Richtung des Weges*, 7, 215. 9, 385. 11, 530 et iam ap. Lucr. 1, 957. et v. 1040. 2, 249 *recta regione viae*. Post ap. Val. Fl. 2, 413.

738. Incertus erat Aeneas, utrum fato an casu erepta esset; si casu, aut errore aut lassitudine poterat factum esse. Id et grammatica postulat, et sententia. Male enim iunxeris *fato erepta, substititne, erravitne, seu* etc. Insanus enim esset Aeneas, qui fato ereptam quaereret; ac, si fato periit, vanum est quaerere, quomodo id factum sit. Ita fatum et error etiam alibi opponuntur cf. 3, 337. 6, 532. — *ne* — *ne* cf. 1, 308. — Itaque caussa non erat pro *fatone*, quod est in Mss., coniicere *fato mi*, quod *Rb* dat, rec. *Ld. Mi* bis legitur ap. Vgl. 6, 104. 123 in arsi, praeterea nusquam; et h. l. eliditur, *Pl.* coni. *H. m. c. fato est e. C.*

740. *Incertum* sc. erat. Hoc vocabulo ad illas priores quaestiones respondetur, neque per grammaticam hi versus ab *incertum* pendent. — *Nec post* etc. „nam umbram eius vidit tantummodo" S.

741. *Animum reflexi* formatum est ad notum illud *animum advertere*.

742. *antiquae Cereris:* Iterum ut v. 714 deae vides tribui epitheton, quod est templo; tamdiu enim colitur, quamdiu templum est.

745. *quem non incusavi amens:* Dolor enim amissae coniugis eum et in homines et in deos impium facit, quod nunc intelligens addit *amens*. Idque ipse confessus auget pietatem suam. Ad formam confer Val. Fl. 2, 454 *deserta durae virgo neci quem non hominum superumque vocabat?* — *deorumque* M. plerique — *deumque* alii, ne esset versus hypermeter. At vitavit poeta eundem sonum iam ter repetitum.

746. *crudelius* „Bene se futurus commendat maritus" (S.) Didoni iam captae amore.

747 — 795. Uxorem quaerenti Aeneae eius simulacrum apparet.

749. Arma enim deposuerat, ubi ad templum venit. Versum delent *Pl. Rb.*

750. *stat* cf. 5, 418.

Principio muros obscuraque limina portae,
Qua gressum extuleram, repeto et vestigia retro
Observata sequor per noctem et lumine lustro.
Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent.
Inde domum, si forte pedem, si forte tulisset,
Me refero. Inruerant Danai et tectum omne tenebant.
Ilicet ignis edax summa ad fastigia vento
Volvitur; exsuperant flammae, furit aestus ad auras:
Procedo et Priami sedes arcemque reviso.
Et iam porticibus vacuis Iunonis asylo
Custodes lecti Phoenix et dirus Ulixes
Praedam adservabant. Huc undique Troia gaza,
Incensis erepta adytis, mensaeque deorum
Crateresque auro solidi, captivaque vestis
Congeritur. Pueri et pavidae longo ordine matres
Stant circum.
Ausus quin etiam voces iactare per umbram
Implevi clamore vias, maestusque Creusam
Nequidquam ingeminans iterumque iterumque vocavi.
Quaerenti et tectis urbis sine fine furenti
Infelix simulacrum atque ipsius umbra Creusae

753. *Retro observata sequor* i. e. „relego, retro sequor mea vestigia.“ S. Idem 9, 392.

755. ANIMOSIMUL MP. animos simul bc. animo s. *Rb. Ld. Wg.* Ex Mss. non licet certum constitui, sed quum uno verbo dent, videntur probare *animos*, *Lebensgeister*.

756. *si forte* cf. 1, 378. „Iteratione auxit dubitationem“ S.

757. Ad *refero* suppletur *exploraturus*, *si*, et ut apud nos potest omitti cf. Cic. Fam. 3, 9 *Te adeunt fere omnes, si quid velis.* Cf. 1, 578. A domo sua, a Danais direpta et incensa, in arcem procedit, ubi quum inter matronas captivas Creusam cognovisset non interesse, iam quo loco reperiret nesciens, pervagatus urbem cum clamore eam quaerit. Etiam id ex humani animi indole fit, quod quum prius tacitus quaesisset, tandem non repertae dolore percussus, sui oblitus est periculi. Ex hac autem narratione intelligimus, Troianos liberos in urbe non superesse neque a Graecis timeri, iam praedam esse collectam; Aeneam igitur cum suis ultimum ex urbe excessisse. Inde etiam apparet, quomodo Aeneas salvus potuerit esse mediis in Graecis, quippe qui nullum in urbe Troianum esse suspicarentur.

761. *porticibus vacuis*, *weite, öde Hallen* cf. 528. — Iunonis autem, propitiae sibi deae, in templo asservant Graeci praedam. Templum autem in arce fingit Iunonis, quod eius erat in Capitolio Romano.

762. *Phoenix*, comes Achillis, de quo Hom. Il. 9, 434—605 legisse non pigebit.

765. *auro* abl. materiae 3, 618. — *captiva vestis: Vestis* singularis est pro collectivo cf. 9, 380. — *Captiva* autem etiam *res* dicitur, non solum *homo captivus* cf. 7, 184. 11, 779. Ov. Am. 1, 14, 45 *captivos mittet Germania crines.* Caes. BC. 2, 5 *captivae naves.* Alii.

766. *Longo ordine*, cf. 6, 482. dicitur de magna multitudine. Cf. *Und in langen Reihen klagend safs der Troerinnen Schaar. Schill.*

768. *voces iactare* ut 1, 102. E. 2, 5. 5, 26.

771. *Tectis* „per tecta.“ S. est ablat. loci; per urbis aedificia. — *sine fine* Mss. plurimi; neque enim desistet, nisi inveniat uxorem. — *sine more* pauci; ortum id, quod alibi, ut 5, 694. 7, 377. iungit poeta *sine more furit.* — *Furere* dicitur is, qui furibundus circumerrat, ut 4, 42; quod plene dicitur 4, 68 *totaque vagatur urbe furens.* Pro *furenti Rb* coni. *ruenti*, quod esset in Palatino.

772. „Per *simulacrum* apotheosin ostendit, quia simulacra deorum sunt, umbrae inferorum“ S. Dii autem hominibus praestant corporis magnitudine cf. 591. Inde et ii, qui dei facti sunt, fiunt maiores cf.

Visa mihi ante oculos et nota maior imago.
Obstipui, steteruntque comae et vox faucibus haesit.
Tum sic adfari, et curas his demere dictis:
Quid tantum insano iuvat indulgere dolori,
O dulcis coniunx? non haec sine numine divom
Eveniunt; nec te comitem portare Creusam
Fas, aut ille sinit superi regnator Olympi.
Longa tibi exsilia et vastum maris aequor arandum.
Et terram Hesperiam venies, ubi Lydius arva
Inter opima virum leni fluit agmine Thybris.
Illic res laetae regnumque et regia coniunx
Parta tibi; lacrimas dilectae pelle Creusae.
Non ego Myrmidonum sedes Dolopumve superbas

Ov. F. 2, 503 ubi Romulus post mortem apparet Proculo *pulcher et humano maior*, et M. 9, 258 *ubi mortales Tirynthius exuit artus, parte sui meliore viget, maiorque videri coepit et augusta fieri gravitate verendus*; et ii, qui dei alicuius numine implentur cf. 6, 49.

774. Idem v. 3, 48.

775. Idem v. 3, 153. 8, 35. Eiicit *Rb.*

776. *insano* „sine ratione" S. cf. 343. — *indulgere* ut 9, 165 *indulgent vino.* — *dolori* M. al.; est enim dolor insanus, quod haec non sine numine divom eveniunt. — *labori* pauci et 6, 135.

778. „Hic versus caret scansione; unde multi et *hinc*, multi *as* syllabam detrahunt. Si tamen vis fide servata scandere, sit conversio ut: *eveniunt nec te hinc comitem asportare.*" S. Apparet eum legisse *e. n. hinc te c. a.* aut *e. n. te comitem hinc a.* Utrumque est in libris Mss. nec non illud, quod proposuit Serv. — Dant alii libri: *nec te comitem asportare.* MP.: *nec te comitem hinc portare.* — Videmus hoc in versu iam antiquissimo tempore aliquid esse additum, quod Virg. non scripsit. Neque enim a poeta metrum ignoratum esse credemus. Iam si conferimus 5, 786. 12, 709, in quibus illato in locum simplicis composito in Mss. aliquot metrum turbatum est, facile perducemur ad eam sententiam, ut poetam putemus scripsisse *portare* simplex (cf. 5, 154), librarios autem, ut auferendi significationem apertius indicarent, dedisse *asportare*, satis apud pedestres scriptores usitatum; accedit quod Med. dat *portare.* Alii videntur alio modo quaesivisse perspicuitatem addito *hinc.*

779. *Fas aut Iuppiter* idem est cf. 3, 251.

780. *Arare* mare legitur 3, 495 *sulcare m.* 5, 158. 10, 197; sulcum enim navis facit in mari. — Ad *exsilia* supplendum est *obeunda* ex v. *arandum* cf. 1, 356.

782. *Thybris*, de voce cf. 8, 31. *Lydius* est Tyrrhenus, Tuscus. Tusci enim ex Lydia in Etruriam immigrasse putabantur, cf. 8, 479. *Tuscus* autem *amnis* Tiberis saepe dicitur cf. 11, 316. — *Leni fluit agmine:* Ita *agmen aquarum* G. 1, 322. Avien. desc. terr. 1293 et Ennius: *quod per amoenam urbem leni fluit agmine flumen.* Lucr. 5, 272 *inde super terras fluit agmine dulci.* Avien. 572 *Eurotas celeri secat agmine terras.* 756 *celeri ruit agmine Ganges.* 1072 *labens agmine amoeno* (fluvius) et 876 *Phasis agmina provolvit.* Sic ap. Claud. IV. cons. Hon. 481 *aquas .. alio deflexerat actu.* Fluvius enim aquas *agere* dicitur cf. Curt. 3, 1, 5 Marsyam fluvium, *maiore vi ac mole agentem undas Lycum appellant.* Ov. F. 1, 404 *parce rivus agebat aquas.* Calp. Sic. 2, 57 *virides qua gemmeus undas fons agit.* Inde ausus est Val. Fl. 3, 91 *Caeruleo veluti quum Iuppiter agmine nubem constituit.*

784. *parta;* Vaticinantis enim est rem futuram ut certam, et quasi factam indicare. — *dilectae:* Habes testimonium ipsius uxoris, se ab Aenea esse amatam; ut v. 777 suum amorem prodidit. — *lacrimas Creusae* de genitivo cf. 412. — „Noli flere, nec enim captiva sum" S. Oratio autem plena affectus: Non erit serva Graecis, quod et ignominiae fuisset ipsi, quod tulisset, cf. 3, 321. et marito, quod non defendisset. Quare addit suae dignitatis conscia: *Dardanis* „laus a maioribus *et Veneris nurus*, laus a cognatione." S. Supplevit aliquis ap. Servium: *et tua coniunx*, ineptum huic loco, ob ea, quae statim sequuntur, et quae sunt v. 783.

Adspiciam, aut Graiis servitum matribus ibo,
Dardanis, et divae Veneris nurus;
Sed me magna deum genetrix his detinet oris.
Iamque vale, et nati serva communis amorem.
Haec ubi dicta dedit, lacrimantem et multa volentem
Dicere deseruit, tenuesque recessit in auras.
Ter conatus ibi collo dare brachia circum;
Ter frustra comprensa manus effugit imago,
Par levibus ventis volucrique simillima somno.
Sic demum socios consumpta nocte reviso.
Atque hic ingentem comitum adfluxisse novorum
Invenio admirans numerum, matresque, virosque,
Collectam exsilio pubem, miserabile volgus.
Undique convenere, animis opibusque parati,
In quascunque velim pelago deducere terras.

786. *non* — *aut* cf. 3, 43. — *servitum ibo* cf. Sil. 2, 567 *At nos Sidoniis famulatum matribus actas Carthago adspiciet victrix.* Claud. R. P. 2, 264 *Servitum Stygio ducor captiva tyranno.*

788. *Magna deum* est Cybele, quae etiam alibi Aeneadum genti propitia est. Cf. 9, 77 sq. Ad hunc locum cf. Paus. 10, 26, 1. ἐπὶ δὲ τῇ Κρεούσῃ λέγουσιν, ὡς ἡ θεῶν μήτηρ καὶ Ἀφροδίτη δουλείας ἀπὸ Ἑλλήνων αὐτὴν ἐρρύσαντο. Cf. 6, 785. — *his oris* „in quibus colitur" S.

Ut iure posset uxorem ducere Aeneas novam (Laviniam), necesse erat priorem esse mortuam certissimis doceri documentis. Deinde ex re erat, ne levitatis incusaretur Aeneas, ab ipsa Creusa eum ad alterum connubium impelli. Id etiam providendum erat, ut in morte Creusae culpa vacaret Aeneas. Haec omnia assecutus est Virgilius. Sed hoc oraculum Creusae omnem rationem rerum sequentium pervertit; neque enim erroribus post tam certum oraculum locus erat, et statim petere Aeneas debebat ostia Tiberina. Poeta autem hoc oraculum, ac si datum non esset, non curat. Nam 3, 7 aguntur quidem auguriis divom, ut patriam relinquant, sed incerti sunt, quo fata ferant. Quare iam in Thracia considunt, eaque ob incolarum crudelitatem relicta, Delum petunt, Apollinem consulturi. Responso accepto, sed male intellecto, Cretam incolunt; tandem pestilentia excitati monentur a Penatibus, Italiam esse sedem futuram. Iam ex eo tempore per varios quidem casus, per tot discrimina rerum tendunt in Latium, sed certi quo fata ferant, ubi sistere detur. Etiam 3, 182 nulla fit Creusae mentio, cuius oraculum tum debebat recordari Aeneas, si unquam poterat oblivisci. Videmus hoc oraculum ad id, quod proxime debebat efficere, bene compositum, cum sequentibus discrepare; et corrigendum erat ita, ut et Creusa certum aliquid de futura sede indicaret, neque tamen ita certum, ut omnis viae error tolleretur. *Wd.* sumit Aeneam tam subito datum oraculum non statim percepisse, praesertim quum ipse commotus esset animo. At tam bene percepit, ut post septem annos narrare posset.

791. *tenues recedit in auras* cf. 5, 740.

792. Iidem versus sunt 6, 700. Cf. G. 4, 500. Versus 792—94 eiicit omnes *LM.* 792. 93 *Wd.*, qui v. 792. 93 huc illatos putat ex libro VI., versum autem 794 hinc in librum VI. *Müller* „insani hominis esse" putat „non modo semel sed ter conari eum amplecti, a quo sit relictus." *Wd.*, qui semel rem factam ferret, ter factam narrare nimium esse censet. At Homerus qui idem iisdem dixit verbis Od. 11, 206 num insanus homo est?

793. *frustra comprensa manus effugit* cf. 4, 22.

794. Somnum alatum pingebant antiqui, inde *volucer*, qui celeriter avolat; non licet somnum pro somnio, ὀνείρῳ, dictum accipere.

796 — 804. Aeneas cum suis in montem Idam cedit.

797. *Invenio admirans*, *ich finde mit Verwunderung* cf. 1. 305.

798. *exsilio*, ut iret in exsilium. — *Pubes* de populo dictum 7, 219. *Pl.* vult *turbam* quod aptius sit ad *v. miserabile.*

800. „Iuxta morem Romanum deduci coloniae dicebantur. Bene ergo de Aenea dixit *deducere*, quod eis civitatem conditurus erat." S.

Iamque iugis summae surgebat Lucifer Idae,
Ducebatque diem; Danaique obsessa tenebant
Limina portarum, nec spes opis ulla dabatur:
Cessi et sublato montes genitore petivi.

801. *Lucifer*, stella Veneri sacra et ipsa Venus dicta, diem ducit ut E. 8, 17 *diem age Lucifer almum*. Ita astra ducunt noctem G. 3, 156.

803. *opis* „ferendi auxilii" (S.) patriae.

804. Recedit in Idae montes, ibi commoraturus, dum Graeci abeant; postea in litore exstruit naves. *montes* M. *montem* P. *Montes* Idae memorantur 636. 3, 6. rec. *Wg. Ld. Rb.*

Napoleon, homo artis militaris peritissimus, hunc librum sermonis elegantia praecipuum multis scatere ineptiis dixisse narratur. Hunc librum demonstare, Virgilium artis militaris rudem fuisse. Ridiculum esse dolum exstructi equi, quo fortissimi Graecorum ita includerentur, ut defendendi locus non fuerit, qui tanta mole fuisset, ut uno die non potuisset urbi inferri; ubi per duo flumina iter erat. Mirum esse, quod Troiani, qui Tenedon ab arce potuissent conspicere, non exploraverint locum, ubi Graecorum esset exercitus. Troianos gaudio elatos et vino deditos non ante mediam noctem isse cubitum. Eo tandem tempore Sinonem potuisse laxare claustra et portas aperire. Sed iam versus Aurorae tempus omnia esse confecta: urbem incensam, quam Graeci exercitu centies mille militum non potuissent obsidione includere; prostratum exercitum, qui per decem annos in campo restitisset; collectam praedam, quod inter turbas fieri non potuisset. Aeneam praeterea interesse omnibus proeliis et ad domum suam saepe redire, ex urbe proficisci et reverti. Haec omnia intra trium horarum spatium facta esse, cum Carthago ab incolis vacua per septendecim dies, Moscovia, ligneis plerumque exstructa aedificiis, per undecim arsisset. Talia Homerum nunquam facturum fuisse, nec narraturum urbis eversionem, quasi captum castellum unum esset. — At tamen excusatur poeta, quod ea erat fama. Neque paucis horis omnia combusta esse tradit; cur enim Graeci incensae urbis portas custodirent. Macr. 5, 2, 4 „Eversionem Troiae cum Sinone et equo ligneo ceterisque omnibus, quae librum secundum faciunt, a Pisandro paene ad verbum transscripsit." Tali modo ubique Macrobius loquitur; nobis iudicare non licet.

P. VIRGILII MARONIS
AENEIDOS
LIBER TERTIUS.

Postquam res Asiae Priamique evertere gentem
Immeritam visum superis, ceciditque superbum
Ilium, et omnis humo fumat Neptunia Troia:
Diversa exsilia et desertas quaerere terras
Auguriis agimur divom classemque sub ipsa

v. 1 — 12. Aeneas cum suis Troiam relinquit.

v. 1. Splendidum exordium, cui quum antiquae illi potentiae opponatur miseria, qua nunc premuntur, flebile simul aliquid inest, gratum legentibus. Casus enim alienos sine ullo dolore intuentibus etiam ipsa misericordia est iucunda. Epitomen huius libri habes ap. Ov. M. 13, 623 sq. — *Res Asiae*, „universus status Asiae“ S. ita 54 r. *Agamemnoniae*. 8, 626 r. *Italae*. Liv. 1, 9. 28 etc. Sall. hist. 1, 7 *res Romana*. Liv. 1, 3 *res Latina*. 21, 2 *rem Carthaginiensium auxit*. *Res* addito populi nomine significat civitatem; ita *res publica* dicitur. *que* cf. 1, 2. — Asiae autem dicit Aeneas satis magniloquus, ut 2, 556 *regnatorem Asiae Priamum*, et bello Troiano dicit *consurgere in arma Europamque Asiamque* 10, 90. Cf. 1, 22. — *Evertere gentem* dici posse probatur ex eo quod dicitur *condere gentem*. Cf. 1, 33.

2. *Immeritam:* Ob unius enim Paridis culpam exstincta est gens, pietate in deos insignis. — *Visum* formula sollemnis de re adversa et tristi, cuius rationem non intelligunt homines, quam tamen ut a deorum voluntate profectam venerantur cf. 2, 428. Hom. Il. 2, 116 οὕτω που Διῒ μέλλει ὑπερμενέϊ φίλον εἶναι. Cf. 12, 503.

3. *humo* „i. e. ab humo“ S. cf. 1, 193. — *Neptunia* nam „moenia Troiae Neptuni fabricata manu“ 9, 145. Sunt igitur divina. — *Fumat* adhuc, quum terrae relinquendae Aeneas consilium capit. Ita ap. Ov. M. 13, 421 (Troes) *fumantia tecta relinquunt.* — *cecidit* — *fumat.* Cf. 1, 156.

4. *Diversa* recte explicat S. qui: „diversas terras, haec est in diversa regione positas.“ Cf. 325. G. 3, 32 *diversus hostis.* Cic. pr. Man. 4 *duobus in locis disiunctissimis maximeque diversis* (Hispania et Ponto). 16 *ex locis tam longinquis tamque diversis.* — *Exsilium* etiam de loco dicitur, quo quis exsul est ap. Tac. A. 13, 55. H. 4, 44. Cf. iudicium, hospitium, al. — *Desertas* Mss. — *diversas* alii, nec satis certum, quid in quoque libro legatur, nec post *Wg.* nec post *Rb.*, sed probabile hoc ex antecedente *diversa* ortum esse. Non autem terras a Dardano *desertas* (ita *S. Wg.*) intelligimus i. e. Italiam, neque enim iam sciunt illas terras petendas esse, sed multo post audiunt, cf. 163; multo minus „novas sedes in desertae patriae vicem in alia patria“ ut *Rb.* explicat, sed desertas ab hominibus, i. e. incultas nec habitatas, cf. 2, 714; quae opponuntur strepitui et tumultui hominum, quo moveri solet urbs magna, qualis Troia fuit; neque vero potuit sperari tantae hominum paucitati cultos agros concessum iri. Cf. *vacuus* 2, 528. *Pl.* coni. *D.* e. *atque extremas q. t.*

5. *auguriis divom:* Ad rem cf. 2, 293. 619. 695. 780. — *agimur* c. inf. cf. 2, 55. — *sub ipsa* cf. 6, 191.

Antandro et Phrygiae molimur montibus Idae,
Incerti, quo fata ferant, ubi sistere detur;
Contrahimusque viros. Vix prima inceperat aestas,
Et pater Anchises dare fatis vela iubebat:
Litora quum patriae lacrimans portusque relinquo
Et campos, ubi Troia fuit. Feror exsul in altum
Cum sociis natoque Penatibus et magnis dis.

6. *Antandro* i. e. eo loco, quo postea Antandrus condita est. Id enim, praecipue hoc in libro, tibi occurret legenti, Virgilium locis, quae Aeneae tempore erant „sine nomine terrae", nomina indere, quae postea inclaruerunt; neque aliter facere potuit, si loca volebat indicare. Praeterea animadvertes per totum carmen Virgilium in locorum situ describendo esse diligentissimum, neque profecto in iis regionibus describendis, quas multi Romani ipsi adierant, erat fingendi locus. *Antandrus* ut ex hoc loco iam apparet, in Idae radice supina ascendebat. Silva ad naves exstruendas etiam postea abundabat. Xen. H. G. 2, 1. Misericordiam autem movet, quod eo ipso loco, quo antea divitiis et opibus affluebant, fugam parare coguntur iussi a diis, non a Graecis compulsi. Hi enim statim eversa Troia ante hiemem in patriam reversi erant; Aeneas anno proximo, ineunte vere, Troiam reliquit. — *Moliri* cf. 2, 108.

7. *Incerti quo f. f.* Haec verba (ut v. 4) et omnes qui h. l. narrantur errores adversantur illi oraculo, quod dat Creusa 2, 780 sq. quem locum conferas. *Ld.* incertum putat Aeneam, quippe cui *Lydius Thybris* incognitus esset! *Pl.* totum versum 7. vult abesse. — *Sistere* intransitivum est 11, 873. G. 1, 479. Lucr. 4, 417. ut *consistere* in prosa oratione cf. 1, 104. — *detur* c. inf. 1, 66.

8. *vix* — *quum* ut 635. 1, 36. Cf. 5, 857.

9. *Fatis vela dare*, fatis ducentibus vela dant i. e. quo ea vela intendant, sequi decernunt, fato se committunt, nescientes, quo ea ducant; ita *ventis vela dare* legitur 4, 546. 8, 708. Ov. M. 1. 132; *profundo vela dare* A. 12, 263. Sed dicitur etiam solum *vela dare* pro *nave abire* cf. 1, 35. Quare *fatis* etiam ablativum habere haud absurdum est. Sc. iubet abire ex fatis, quod fata id postulant. At non opus idem iterum dicere, quod iam dictum est supra: *auguriis divom*.

11. Pluralis *campos* signat antiquae urbis latitudinem. — *Exsul* non est expulsus sed qui extra est, sic qui sponte abest O. M. 15, 61.

12. Socii sunt, qui v. 8 et 2, 796 memorantur. Quod filium nominat, videmus eum esse patrem amantissimum. — „*Dii Penates* sive a penu ducto nomine, est enim omne, quo vescuntur homines, penus, (cf. 1, 704) sive ab eo, quod penitus insident; ex quo etiam Penetrales a poetis vocantur" Cic. ND. 2, 27. sunt tutores familiae et gentis, quae penu alitur vel quae in penetralibus est; non sunt certum deorum genus, sed ex diis alios aliae gentes colunt Penates. Itaque quum Romana gens omnium esset potentissima, Penates eius dicebantur potentes et *magni* 159. 9, 258. Qui tamen essent. ignorabatur; Nigidius et Labeo Deos Penates Aeneae Neptunum et Apollinem tradunt. (Cf. Serv. ad 1, 380. Macr. 3, 4.) „Alii autem, ut Cassius Hemina, dicunt, Deos Penates ex Samothracia appellatos, *θεοὺς μεγάλους, θεοὺς δυνατοὺς, θεοὺς χρηστούς.*" S. l. l. „Nonnulli Penates esse dixerunt, per quos spiramus et corpus habemus et animi rationes possidemus. Eos autem esse Iovem, aethera medium, Iunonem, imum aera cum terra, summum aetheris cacumen Minervam; quos Demarati Corinthii filius, Samothraciis religionibus mystice imbutus, uno templo et sub eodem tecto coniunxit. His addidit Mercurium, sermonum deum." Serv. ad 2, 296. Et apud Livium 3, 17 Dii Capitolini videntur haberi Penates. Neque quales essent dii eorumque simulacra, poterat notum esse, quum eos nec videre populo, neque sacerdotibus narrare aut pingere licebat, teste Dion. Hal. 1, 67. Serv. ad h. l. Ratioque, qua Cicero l. l. et Dionysius de iis disserunt, satis docet, illis temporibus rem fuisse obscuram. Quae nostro tempore, longe ab illis scriptoribus remoto, fingi de iis et coniici posset, docuit Klaussen in libro *Aeneas und die Penaten* inscripto. Nos addamus, quae a scriptoribus traduntur. „Varro hos deos Dardanum ex Samothracia in Phrygiam. de Phrygia Aeneam in Italiam memorat portavisse" Serv. ad 1, 380. E Lavinio noluerunt decedere, Dion. l. l. S. ad h. l. „Imperatores in provincias ituri apud eos primum immolabant." S. ad h. l. „Consules et Praetores, sive Dictator,

Terra procul vastis colitur Mavortia campis,
Thraces arant, acri quondam regnata Lycurgo,
Hospitium antiquum Troiae sociique Penates,
Dum fortuna fuit. Feror huc, et litore curvo
Moenia prima loco, fatis ingressus iniquis,
Aeneadasque meo nomen de nomine fingo.
Sacra Dionaeae matri divisque ferebam
Auspicibus coeptorum operum, superoque nitentem

abeuntes magistratu Lavini sacra Penatibus simul et Vestae faciunt" S. ad 2, 296. Additque: „Quaeritur, utrum Vesta de numero Penatium sit, an comes eorum accipiatur." Cf. 2, 293 et Cic. l. l. — „Varro Deos Penates quaedam sigilla lignea vel marmorea ab Aenea in Italiam dicit esse advecta, cuius rei Virgilius meminit" (S. 1, 380) v. 148 *effigies sacrae Divom Phrygiique Penates.* Sunt etiam velati v. 174. atque ita in picturis antiquis describi dicuntur; et duo numero, ut ex iisdem picturis apparet et testatur Dion. 1. 68, qui Romae in templo Penatium et alibi vidit; is. *εἰσὶν*, inquit, *νεανίαι δύο καθήμενοι, δόρατα διειληφότες, τῆς παλαιᾶς ἔργα τέχνης.* Timaeus, ex ipsis Laviniensibus audisse se affirmat: *κηρύκια σιδηρᾶ καὶ χαλκᾶ, καὶ κέραμον Τρωικὸν εἶναι, τὰ ἐν τοῖς ἀδύτοις τοῖς ἐν Λαουϊνίῳ κείμενα ἱερά.* c. 67. Ut h. l. *Penatibus* et *magnis diis* opponuntur *socii* et *filius*. sic 8, 679 *patres* et *populus*, unde apparet Penates non ipsos magnos dici sed tamen non admodum diversos. Iam Deos Capitolinos dicunt magnos, i. e. Iovem Iunonem Minervam; alii Castorem et Pollucem, Cabiros i. e. potentes. Sed quid quaerimus? *Magnus* non certum genus significat, sic *numina magna* 2. 623. 3, 264 ex sua homo devotione nominat.

13 — 18. Aeneas in Thracia urbem condit.

13. *procul* cf. 10, 835. — *Mavortia* cf. 35. — *Thraces arant* obiecto omisso cf. 2, 492; et loci huic maxime similes sunt 1. 12. 3, 165.

14. Lycurgus rex Bacchum deum eiusque cultores crudelissime persecutus (Inde acer dicitur) ab eo ipso periit cf. Hom. Il. 6, 130 — 140. — *Regnatus* cf. 6, 794. Iam quod Martis et Lycurgi mentionem facit, dirum aliquod exspectare nos iubet.

15. Eorum, inter quos hospitium est, socii sunt etiam Penates.

16. *Feror* i. e. me confero ut 78.

17. Cf. Ammian. 22, 8: „Aenus, qua diris auspiciis coepta moxque relicta ad Ausoniam veterem ductu numinum properavit Aeneas." Aenus Ciconum in terra prope Hebri ostia Aeneae colonia dicitur etiam aliis scriptoribus Latinis, qui non minus de Polymnestoris Thraciae Chersonesi regis crudelitate et Polydori caede narrant. Aenus autem iam memoratur Hom. Il. 4, 520. Erat alia urbs Aenia in Pallene, etiam Aeneadae dicta, quae ab Aenea nomen accepisse putabatur. — *Locare* ita 1, 247. 4, 266. — *m. locare prima* cf. 7, 61. — *Fatis iniquis* „bene quid sit futurum praeoccupat." S.

18. *Aeneadas nomen fingo.* Vocabulum *nomen* eodem est casu, quo nomen proprium; ita accusativus legitur 693. 7, 63. G. 1, 137. Liv. 7, 22 *Quidam Kaesonem, alii Gaium nomen Quinto adiiciunt.* Tac. H. 5. 2 *Solymos conditam urbem Hierosolyma nomen e suo fecisse.* Tac. H. 4, 28 *quod Ubii Romanorum nomen Agrippinenses vocarentur.* Ov. F. 6, 803 *Marcia sacrifico deductum nomen ab Anco.* Cf. Gr. § 284.

19 — 49. Aeneae sacra facturo offertur omen infaustum.

19. *Dionaeae matri* „Veneri, a matre Dione. secundum Homerum" S. Il. 5, 371. Cf. Cic. ND. 3. 23. — *divisque ferebam.* De hoc more, cf. 8. 103.

20. *Auspex* est, qui de re aliqua aves consulit. Iam vero quum in ipsius auspicis voluntate esset, quid aves indicarent: qui alicuius rei auspex erat, idem suasor putabatur; itaque iungit Cic. Att. 2, 7 *Latores et auspices legis curiatae.* Hinc ipsi dii *auspices* dicuntur, si favent hominibus et eorum incepta secundant cf. 4, 45. Ov. F. 1, 615. 4, 850. Hor. C. 1, 7, 27. Facit igitur sacra, in quibus sint auspices, fautores (de qua structura cf. 4, 22). — Taurus Iovi etiam apud Ov. M. 4. 755 immolatur, quamquam Serv.: „contra rationem Iovi taurum sacrificat adeo, ut hinc putetur subsecutum esse prodigium. Ubique enim Iovi iuvencum legimus immolatum". Idem docet Macr. 3, 10. qui ad h. l. monet „Committitur ergo (apud Virgilium) res non quidem impianda, insolita tamen; et committitur non

Caelicolum regi mactabam in litore taurum.
Forte fuit iuxta tumulus, quo cornea summo
Virgulta et densis hastilibus horrida myrtus.
Accessi, viridemque ab humo convellere silvam
Conatus, ramis tegerem ut frondentibus aras,
Horrendum et dictu video mirabile monstrum.
Nam, quae prima solo ruptis radicibus arbos
Vellitur, huic atro liquuntur sanguine guttae
Et terram tabo maculant. Mihi frigidus horror
Membra quatit, gelidusque coit formidine sanguis.
Rursus et alterius lentum convellere vimen
Insequor et caussas penitus tentare latentes:
Ater et alterius sequitur de cortice sanguis.
Multa movens animo Nymphas venerabar agrestes,
Gradivumque patrem, Geticis qui praesidet arvis,
Rite secundarent visus omenque levarent.

ignorantia, sed ut locum monstro faceret secuturo.“ Sed vanum hoc, siquidem vocabula *taurus* et *iuvencus* de iisdem belluis leguntur 6, 243 et 253. — *Nitens* autem videtur esse non colore, sed pinguedine; ita saepius *nitere;* et ap. Hom. Il. 2, 402 *βοῦς πίων* Iovi sacrificatur.

22. Tumulus ortus est arena, quae ventis corpori Polydori iniecta est, neque enim is est iusto funere sepultus, sed iacet, ubi telis obrutus concidit. Ex iis autem telis iam facta sunt viridantia virgulta.

23. Ex myrto et corno iacula facta sunt cf. G. 2, 448 *At myrtus validis hastilibus et bona bello cornus.* — Litus autem amat myrtus cf. G. 2, 112. 4. 124; hinc *litorea* dicitur Ov. Am. 1, 1, 29.

24. *Accessi* „non ad cornum, sed ad myrtum, quae inter *verbenas* est“ S. cf. 12, 120.

25. Frondibus, corollis et sertis in sacris utebantur cf. 2, 249. — Myrtus autem Veneri iucunda et sacra cf. 5, 72.

26. *Dictu mirabile monstrum* idem 2, 680. „Bene *monstrum*, nam statim quid esset apparuit“ S. Sic 2, 171. 7, 81. Cf. Festum p. 138 M.: „Monstrum ut Aelius Stilo interpretatur a *monendo* dictum est velut *monestrum*. Item Sinnius Capito quod monstret futurum et moneat voluntatem deorum.“

28. Simili modo e plantis, in quas homines mutati sunt, cruor manat ap. Ov. M. 8, 762. 9, 344. „Tabo, corrupto sanguine. (cf. 626. 8, 197. 487. 9, 472.) Et est nomen casus septimi tantum, ut sunt *sponte*, *natu;* quod si velis declinare, *haec tabes*, *huius tabis* dicis.“ S. Sed *tabes* est morbus cf. 6, 442. *guttae atro tabo* cf. 618.

30. Horroris et pavoris signa Vgl. haec habet: quod quis *obstupescit* (cf. 48); quod *solvuntur frigore membra* (1, 92); vel calor ossa relinquit (3, 308); frigidus horror membra quatit; sanguis derigescit (3, 259. 308); *sudor fluit* (7, 459); *stant comae* (2, 774. 3, 48. 4, 280. 12, 868); quod *vox deficit*, faucibus haesit, (locis iam laudatis) et 4, 279, obmutuit amens, quod quis *longo post tempore fatur* (3, 309); quod quis labitur (3, 309). *Pl.* iungit *Insequor*, *alterius* et quae media inter ea sunt, eiicit.

33. „*Multa movens animo*, non dicit quae, sed ex sequentibus intelligimus. Cogitabam inquit, ne forte sanguis esset e Nymphis. Item cogitabam, ne forte ex terra Martis iure sanguis efflueret. Nam quod dicit, haec se veneratum esse numina, illas constat praecessisse cogitationes“ S.

34. Ob dirum omen veneratur ex more numina, quae regioni praesunt.

35. Gradivus est Mars. Cf. 10, 542. Et Marti Thracia sacra erat cf. 13. — *Geticis* pro Thraciis; Getae ultra Danubium habitabant, Thraces citra. Poetae enim Romani in populis remotioribus plura sibi licere putabant; ita Thraces, Getae, Sarmatae, Scythae — Parthi, Persae, Medi, Hyrcani etc. miscebantur; nam vix singuli doctiores has gentes recte discernebant. Cf. 1, 235. 7, 47.

36. *Rite* etiam in diis dicitur cf. 10, 254. Hor. C. S. 13. cf. 369. — *Secundare* proprium in hac re cf. 7, 259. Sil. 8. 125 *Ut visa secundent oro caelicolas.* — „*Visus* pro *visa* posuit.“ S. Cf. 7, 102. — *Omen levare* est levius reddere, tollere, removere; ut Hor. C. 2. 17,

Tertia sed postquam maiore hastilia nisu
Adgredior genibusque adversae obluctor arenae —
Eloquar, an sileam? — gemitus lacrimabilis imo
Auditur tumulo, et vox reddita fertur ad aures:
Quid miserum, Aenea, laceras? iam parce sepulto;
Parce pias scelerare manus. Non me tibi Troia
Externum tulit aut cruor hic de stipite manat.
Heu! fuge crudeles terras, fuge litus avarum.
Nam Polydorus ego. Hic confixum ferrea texit
Telorum seges et iaculis increvit acutis.
Tum vero ancipiti mentem formidine pressus
Obstipui, steteruntque comae, et vox faucibus haesit.
Hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno
Infelix Priamus furtim mandarat alendum

27 *Me truncus illapsus cerebro sustulerat, nisi Faunus ictum dextra levasset.* Cf. 2, 146.

38. *Obluctor*, *lacrimabilis* voces novae, *tabum*, *increscere* poeticae.

39. *Eloquar an.* Narranti res tam mira videtur, ut vereatur eam eloqui, ne vanus videatur aut superstitiosus.

40. *Reddimus* vocem alicui quem audire volumus.

42. *Parco* cum infinitivo iungitur iam apud Cat. Epith. 146. *Nil metuunt iurare, nihil promittere parcunt.* — *Parce* c. inf. est pro *noli* et circumscribit imperativum prohibitivum E. 3, 93. — Ita usurpatum etiam *fuge*, *mitte*, *absiste moveri* A. 6, 399. 8, 403. *ne quaere doceri* 6, 614. Cf. Gr. § 422. — *Scelerantur* i. e. scelere polluuntur manus, quae saeviunt in consanguineum. Sic Ov. M. 7, 34 *oculos videndo conscelero*, Liv. 40, 8 *aures conscelerare* dixit, quod vident et audiunt scelus „*Scelerare* polluere et est sermo Plautinus (i. e. vetus), quo hodie non utimur.“ S.

43. *non — aut.* *Non* utrique enuntiato propositum ad utrumque pertinet, ut solent Latini ea, quae duorum esse volunt enuntiatorum, in principio collocare. 10, 529 *Non hic victoria Teucrum Vertitur, aut anima una dabit discrimina tanta.* Cf. 2, 779. 786. Itaque *aut* non opponitur negationi, sed subiungitur; quare locum habet etiam post repetitam negationem, ut *neque — neque — aut* est 4, 338. 501. 11, 802. 12, 135. Hor. Sat. 1, 6, 68. 9, 31. 2, 1, 15. 2, 22. C. 3, 12, 2. 23, 7. C. 1, 4, 3 *nec — aut*, *nec*, ubi *aut* subiunctum est priori. Similis usus 1, 413.

44. *Litus avarum* est, in quo avari sunt cf. 1, 355.

46. „*Seges*, multitudo. Plautus Aularia (1, 1, 6): *stimulorum seges*“ S. Hoc loco aptissimum, quod et iaciuntur hastilia et increscunt. — „*Increvit*, inviruit. Traxit autem hoc de historia Romana. Nam Romulus, captato augurio, hastam de Aventino monte in Palatinum iecit; quae fixa fronduit et arborem fecit. Vituperabile enim est poetam aliquid fingere, quod penitus a veritate discedat.“ S. — Nota, quantopere poeta nisus sit, ut et decus narrationi conciliaret et gravitatem; inde etiam illa variatio in vocabulis: virgulta, hastilia, silva, ramus, arbor, vimen, cortex, stipes, seges telorum, iaculum cf. simile 2, 230. 7, 109.

47. *Ancipiti* i. e. orta et ex sanguine et ex voce.

48. Idem versus 2, 774. 12, 868. Cf. 30. Bothius correxit *Obstipui. Hunc auri q. c. p. m.*, omisso nomine hominis! Quid non tentatur criticorum acumine!

49 — 68. Polydori mors et funus.

49. *Polydorum*, filium parvulum, Priamus Polymnestori, Thraciae regi et genero suo per filiam Ilionam, (cf. 1, 654) educandum tradidit, addiditque magnum auri pondus; cuius cupiditate incensus rex Troia a Graecis capta Polydorum occidit. Secundum Virgilium iaculis confixit, secundum Eurip. Hec. init. et Ov. M. 13, 429. 438. 527 — 575 corpus Polydori in mare proiecit. — Huc pertinet illud Plinii: „Oppidum Aenos liberum, cum Polydori tumulo“ 4, 11 et Solini: „Polydori tumulum ostendit Aenus“ 10, 11. — Multum ab hac recentiore fabula recedit Homerus, qui Il. 20, 408 sq. Polydorum ab Achille ante Troiam dicit esse interfectum.

50. *Infelix* est, quod id, quod voluerat, consecutus non est. — *furtim* „ne Graeci scirent“ S.

Threicio regi, quum iam diffideret armis
Dardaniae cingique urbem obsidione videret.
Ille, ut opes fractae Teucrum, et Fortuna recessit,
Res Agamemnonias victriciaque arma secutus
Fas omne abrumpit, Polydorum obtruncat et auro
Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis,
Auri sacra fames! Postquam pavor ossa reliquit,
Delectos populi ad proceres primumque parentem
Monstra deum refero et quae sit sententia posco.
Omnibus idem animus scelerata excedere terra,
Linqui pollutum hospitium et dare classibus austros.
Ergo instauramus Polydoro funus, et ingens
Adgeritur tumulo tellus; stant Manibus arae,
Caeruleis maestae vittis atraque cupresso,

52. Obsidione Troia non cincta est. sed Vgl. rem ad suum tempus conformavit. Ap. Eur. l. l. est: *ἐπεὶ Φρυγῶν πόλιν Κίνδυνος ἔσχε δορὶ πεσεῖν Ἑλληνικῶ.* — *Dardania* cf. 2, 281.

54. *secutus:* cf. Caes. BC. 1, 60 *Caesaris amicitiam sequuntur.*

55. „*Fas omne* et cognationis et hospitii“ S. et quod opes rapit et caesum non sepelit, quibus factis laedit deos.

56. *Quid cogis* ut 4, 412. Cic. Rep. 1, 2, 3 *ille, cives qui id cogit omnes.* Cf. Gr. § 301.

57. *Fames* de magna alicuius rei cupiditate; nos potius *Durst.* Neque ita non Romani. Sic: *quem tenet argenti sitis importuna famesque* Hor. Ep. 1, 18, 23. *Neque expletur unquam nec satiatur cupiditatis sitis* Cic. Par. 1, 1, 7. — *sacra*, „exsecrabilis.“ S., diis damnata cf. 2, 686. „Sane sciendum latenter Aenean hoc agere, ut Troianos Didoni ex infelicitatis similitudine commendet: nam et eius marito frater auri caussa intulit necem“ S.

58. De ratione consulendi proceres cf. 5, 758. Ad senatum autem ap. Rom. de prodigiis referebatur. — *primum* „ante proceres“ S. cf. 2, 263.

60. Ex v. *animus est* i. e. voluntas est, facile iubendi verbumerues; variat autem Vgl. post verbum *iubere* infinitivo activo et passivo, ut 5, 773. 11, 84. E. 6, 85. Liv. cf. Fbr. 21, 44. *Pl.* coni. *Linquere* quod est in Mss. malis.

61. *Dare classibus austros* i. e. ventos ad naves admittere, ut impellant; i. e. navigare.

62. *instaurare* cf. 4, 63. — Qui ritus fuerit sacrorum, quae inferis ferebantur, intelliges, si hunc locum comparaveris cum 4, 684. 5, 45 sq. 73 sq. 6, 212 sq. 884 sq. 11, 29—40. 58—99. 134—212. Ecl. 5, 67. et quae singulis locis singula proponuntur composueris.

63. *Aggeritur tumulo tellus.* Erat enim iam tumulus fortuitus cf. 22, sed nunc rite exstruitur sepulcrum. — *Arae* duae Manibus eriguntur cf. 305. E. 5, 67. Is numerus usitatus in rebus Manibus sacris cf. 5, 77. 96. 11, 72.

64. *Caeruleae* vittae, ut in funere. Nam quum arae vittis et frondibus cingi solerent, in re tristi color etiam tristis adhibebatur earum rerum. Nam „Cato ait deposita veste purpurea, feminas usas caerulea, quum lugerent. Vittae autem caeruleae in acerbo funere praecipue filiorum familias adhiberi solebant“ S. — *Maestae arae*, quasi ipsae moveantur ea quam signant tristitia; cf. 11, 35 *maestus crinis.* Cic. pr. Mur. 41, 88 *lugens imago patris.* Ov. F. 4, 854 *maestas Acca soluta comas.* Prop. 3, 4, 13 *ac maestam teneris vestem pendere lacertis.* 4, 11, 9 *Sic maestae cecinere tubae.* — „*Cupressus* natu morosa, fructu supervacua, baccis torva, folio amara, odore violenta, ac ne umbra quidem gratiosa, materie rara ut paene fruticosi generis, Diti sacra et ideo funebri signo ad domos posita“ Plin. N. H. 16, 33, 60. sc. ne sacerdos vel alius quis, qui rem divinam facturus erat, introiret et funere pollueretur. „Arbor ideo mortuis consecratur, quod caesa semel nescit renasci“ S. ad v. 680. Ad eundem usum pauperioribus erat picea cf. 6, 180. Inde Lucan. 3, 442 *Et non plebeios luctus testata cupressus.* — Sed adhibebatur etiam ut h. l. in aris; cf. Ov. Trist. 3, 13, 21 *Funeris ara mihi ferali cincta cupresso Convenit;* et si cadaver comburebatur, in ipso rogo cf. 6, 216; et Varro pyras cupresso circumdari dicit, propter gravem

Et circum Iliades, crinem de more solutae.
Inferimus tepido spumantia cymbia lacte
Sanguinis et sacri pateras animamque sepulcro
Condimus et magna supremum voce ciemus.
Inde, ubi prima fides pelago placataque venti
Dant maria et lenis crepitans vocat auster in altum,
Deducunt socii naves et litora complent.
Provehimur portu, terraeque urbesque recedunt.
Sacra mari colitur medio gratissima tellus
Nereidum matri et Neptuno Aegaeo,
Quam pius Arquitenens oras et litora circum

ustrinae odorem. — *Atra* dicitur cupressus, ut omnia tristia. Cf. 9, 719.

65. *de more* cf. 369. — Iliades, Troianae crinem solvunt, ut solebant Romanae in luctu. Cf. 11, 35.

66. *Inferimus;* verbum proprium; inde *inferiae*. — *tepido lacte:* „statim mulcto. — *Cymbia* pocula in modum cymbae facta. — *Sanguinis sacri*, de victimis sumpti“ S. Manibus libatur lacte, vino, oleo Ecl. 5, 66; lacte, vino, sanguine, binis carchesiis A. 5, 77; hoc loco lacte et sanguine, ap. Tib. 3, 2, 19 lac et vinum memoratur. — *Spumantia cymbia lacte* ap. Nemes. E. 1, 68. Accedunt saepe flores cf. 5, 79.

67. *Sepulcro animum condimus* explicare licet: sepulcro facto efficimus, ut anima in Orcum transire ibique quiescere possit; ex vulgata illa opinione, qua animae, quarum corpora insepulta erant, ante Acherontem vagabantur cf. 6, 326. Sed propius ad verba accedit alia explicatio: sepulcro includimus animam; quae firmatur, si confers: 4, 34 *Manes sepulti*, 427 *cinerem Manesve revelli*, et Tib. 1, 2, 45 *Manes sepulcris elicit*, Ov. M. 7, 206 *Manes exire sepulcris iubeo*, Fast. 5, 451 *Romulus ut tumulo fraternas condidit umbras*. Adde illam formulam precantium: *Sit tibi terra levis*. Nam antiqui animas aut sepulcro esse inclusas putabant aut Orco: prior propria Romanis fuisse, altera a Graecis tradita videtur opinio. — *Voce ciere* i. e. vocare, ita ap. Lucr. 4, 580. — Ter vocabatur *vale*, *have*, ubi sepulcrum relinquebatur; inde etiam *dicere novissima verba* 6, 231. „*Ciemus* est hoc loco, quod dicimus more sollemni *Vale: nos te ordine, quo natura permiserit, cuncti sequemur.*“ S. et ad 2, 644.

69 — 83. Delum perveniunt ad regem Anium.

69. *Ubi prima fides* i. e. ubi primum fides est cf. 4, 118. 7, 542. 8, 407. *Pl.* pro *pelago* scribit *caelo*.

70. *Placata dant* est placant cf. ad 1, 63. Placant autem venti mare, non nisi absunt. Ita Graeci et Latini poetae saepius ab aliqua re aliquid effici fingunt, quod modo fit rei defectu. Cf. Soph. Ai. 674 *ἄημα πνευμάτων ἐκοίμισε στένοντα πόντον.* 5, 763 *Placidi straverunt aequora venti*. Ecl. 2, 26 *Quum placidum ventis staret mare*. cf. A. 1, 66. 5, 302. 8, 261. 509. 542. G. 4, 484. Hor. C. 1, 3, 69. C. S. 9 *Sol, diem qui promis et celas*.

70. *Lenis crepitans vocat auster;* „duo epitheta posuit vitiose. Fecit autem hoc prope in decem versibus.“ S. Sed non sunt vitiosa, quum non eodem modo iungantur, et h. l. facile vertes: *der weiche Süd ruft säuselnd*, et adiectivum ad substantivum, participium ad praedicatum pertinet. Ita G. 1, 449 *Tum multa in tectis crepitans salit* *h o r r i d a* *g r a n d o*. A. 5, 764 *C r e b e r* *adspirans rursus vocat* *a u s t e r* *in altum*. 11, 832 *Immensus surgens ferit aurea sidera clamor*. 1, 102 *stridens Aquilone procella velum adversa ferit*. *Pl.* pro *lenis* scr. *velis*.

71. *deducunt naves* cf. 1, 573.

73. *tellus* cf. 1, 34.

74. *Mater Nereidum* Doris est, Nerei coniux. — Neptunus in mari Aegaeo habitare creditus est. — De hiatu § 6. — Delos insula antea ventis agitata et in mari vagata, quum Latonam profugam recepisset, ut Apollinem et Dianam gigneret, propter hoc beneficium fixa est. Quod Virgilius Apollini tribuit, Seneca Dianae factum memorat Agam. 367 sq.

75. *Pius* est in patriam. — *Arquitenens* est MPγ. prob. *Rb.* *arcitenens* prob. *Wg.* „Hoc epitheto usus est Naevius belli Punici libro secundo ... et Hostius libro secundo belli Histrici“ Macr. 6, 5 et Ovidius.

Errantem Mycono e celsa Gyaroque revinxit
Immotamque coli dedit et contemnere ventos.
Huc feror; haec fessos tuto placidissima portu
Accipit. Egressi veneramur Apollinis urbem.
Rex Anius, rex idem hominum Phoebique sacerdos,
Vittis et sacra redimitus tempora lauro
Occurrit; veterem Anchisen adgnoscit amicum.
Iungimus hospitio dextras, et tecta subimus.
Templa dei saxo venerabar structa vetusto:
Da propriam, Thymbraee, domum; da moenia fessis

76. *Myconoe celsa Gyaroque* MPγbc unde *Myconc celsa* al. *Mycono celsa* al. Mss. quod recepit *Ld.* Sed eundem ordinem omnes servant, nec caussa erat, quod transponerentur verba: *Gyaro celsa Myconoque*, ut in Edd. alqt. legitur. Quamquam enim ap. Ovidium M. 7, 463 Myconus humilis appellatur et revera est, quod Tournefort testatur; Gyaros autem (Calairo) sterilis et saxosissima fere Cycladum: tamen quaevis insula alta dici potest, et in Mycono erat mons Dimastus Plin. N. H. 4, 12, 22. *E* autem recte dixit, quod catenis e Mycono et G. aptis Delos ligatur.

77. Res primaria participio continetur, cf. 2, 169. — *Ventos*, quibus antea agitabatur.

79. *Pl.* coni. *egressique intramus*, quod est de eadem re ap. Ov. M. 13, 630 Aeneas *intrat* Apollineam sociis comitantibus urbem.

80. *Idem — que*, ita *idem — et* 9, 327. Iunge autem: *A. idem rex Phoebique sacerdos.* — *rex:* „Maiorum enim haec erat consuetudo, ut rex etiam esset sacerdos [cf. Liv. 2, 2] vel pontifex. Unde hodieque imperatores pontifices dicimus" S. Neque absonum est, hoc loco multisque aliis, quibus rex Aeneas sacra curat, Virgilium ex antiquis temporibus comprobare voluisse Augustum pontificem maximum fieri debere. De Anio idem narrat Ov. M. 13, 631: (Aeneas) *intrat Apollineam sociis comitantibus urbem. Hunc Anius, quo rege homines, antistite Phoebus Rite colebantur, temploque domoque recepit* — Vittis et lauro redimitus est, ut sacerdos Apollinis cf. Ov. l. l. v. 643. Aeneae ad Anium adventum memorat etiam Dion. Hal. 1, 50. De infula sacerdotum cf. 10, 538.

82. „Anius, ad quem Anchises ante Troicum bellum consultum venerat, an Salaminam peteret, comes Priamo, unde et agnoscitur" Serv. in alqt.

83. „Licet Probus quaerat, quid sit iungimus hospitio dextras, tamen septimus casus est i. e. iure hospitalitatis: nam ad hospitium non potest intelligi, quia iam amicus fuit" S. Ablativum probat 8, 169 *iuncta est mihi foedere dextra.* Idem legitur 11, 165.

84 — 120. Oraculo ab Apolline accepto Anchises Cretam peti iubet.

84. *saxo vetusto* cf. 8, 478. Si templum vetustum est, etiam saxa, quibus struuntur. Ita facillime et rectissime verba explicabis. Sed tamen iam antiqui ut Servius quaesiverunt, cur ob eam rem laudaretur; et reperiebant, Delum ita religiose cultam esse, ut ne a barbaris quidem esset violata et vexata; deinde etiam quum omnes eius regionis insulae crebro terrae motu concuterentur, hanc insulam intactam fuisse; certe rarissime esse commotam, quod si quando factum esset, fuisse signum magnae calamitatis. Cf. Macrob. 3, 6. et Thuc. 2. 8 *Δῆλος ἐκινήθη πρότερον οὔπω σεισθεῖσα, ἀφ' οὗ Ἕλληνες μέμνηνται*, et Her. 6, 98 eam bello Persico primum esse motam tradit habitumque id prodigium. Deinde ex Plin. NH. 4, 12, 22 apparet, etiam postea insulam contremuisse. Sed utut hoc est, Vgl. ex Aeneae tempore recte dixit.

85. Quod signum omne inceptae orationis omissum est cf. 4. 416. Quod etiamsi satis usitatum est, tamen in hoc libro singula nonnunquam non arcte coniuncta esse concedes, si reputaveris. quomodo v. 13, 19. 49. 69. 73. 78. 80. 83, 84 etc. cum prioribus cohaereant. Omnino autem poeta in hoc libro, in quo minus quam in aliis ad certum aliquem finem omnia componere cogebatur, sed varias narrationes et addere et omittere poterat nullo totius libri damno, nonnunquam incertus haesitabat. Inde factum est. ut in alio loco deesse aliquid, in alio abundare videretur; versusque aliquot exstarent, qui non possunt ita explicari, ut ab omni parte satisfaciant. Quare propensi erant antiquiores adiungere versus, suaque im-

Et genus et mansuram urbem; serva altera Troiae
Pergama, reliquias Danaum atque immitis Achilli.
Quem sequimur? quove ire iubes? ubi ponere sedes?
Da, pater, augurium atque animis inlabere nostris.
  Vix ea fatus eram: tremere omnia visa repente,
Liminaque laurusque dei, totusque moveri
Mons circum, et mugire adytis cortina reclusis.
Submissi petimus terram, et vox fertur ad aures:
Dardanidae duri, quae vos a stirpe parentum
Prima tulit tellus, eadem vos ubere laeto
Accipiet reduces. Antiquam exquirite matrem.

miscere summi poetae carminibus gaudebant, recentiores delere, suamque sagacitatem et acumen comprobare. Saneque lubricum est saepius ea in re iudicium, ut nisi praeoccupata duceris opinione, interdum dubius sis, utrum a Virgilio, an ab alio aliquo verba profecta esse videantur. — *Da* „dic, indica" S. cf. 460. 6, 66. Scilicet, quum quod deus oraculo promittit, eveniat necesse sit, ipse dare videtur. — „*Thymbraeus* Apollo dicitur ab agro Troiae vicino, pleno Thymbrae [quae Satureia dicitur, et bene Deli positus Thymbraeum appellat, quem in Troia assueverat colere in agro] in quo eius et nemus est et templum, ubi a Paride Achilles occisus est." S. Erat etiam eius nominis urbs, mons et fluvius. — *Propriam*, perpetuam cf. 1, 73. — *Fessis*, et errore et bello.

88. *Quem sequimur?* Nondum explicatum est. De indicativo cf. Gr. § 421, An. 9 i. e. quem sequi nos iubes? Sed, ut possit indicativus defendi, ut apud poetas *sequi locum* recte dicatur pro *petere locum*, tamen *quem* satis est incertum, neque potuit *locum* omitti. Aptius iungitur: Pater. (quem sequimur, quo ire iubes, ubi ponere sedes) da augurium. Sed probandum est *ve* in priore interrogationis parte esse, aut *quove* dici pro *quocunque*. Prius non absurdum esse probatur ex iis, quae ad 10, 313 sunt notata. At non exstat. Male intelligunt *quem* sc. *deum*, deum enim eiusque consilia secuturi sunt. In ea re non dubii sunt. „Apollo exsulantibus sedem solebat ostendere" S.

89. *Pater* „religionis nomen est" S. et saepe datur diis cf. 1, 155. — *Animis illabere nostris* „quia Apollinis responsa semper obscura sunt, vera tamen. Unde cum intelligentia oraculum postulat" S. „Deli ara est Apollinis Γενήτορος (Genitivi) in qua nullum animal sacrificatur, quam Pythagoram velut inviolatam adoravisse produnt" Cloatius Verus ap. Macr. 3, 6.

90. *Omnia* explicatur verbis sequentibus. — *vix..: visa* cf. 5, 857.

91. Laurus Apollini sacra erat. Fabulam de lauro legas ap. Ov. M. 1, 452.

92. *mons circum* „Cynthus; unde Cynthius Apollo" S. — *Cortina* „locus unde oraculum datur" S. — „*Adytum* est locus templi secretior, ad quem nulli est aditus nisi sacerdoti" S. ad 2, 115. Ex adytis igitur oracula et deorum responsa eduntur; sic l. l. 6, 98. 7, 269. Hor. C. 1, 16, 5. — *reclusis*. Ad rem cf. 6, 81. — *Mugire* proprium verbum de bove, inde de sono subterraneo, ut 4, 490, proprium etiam de obscuro oraculorum sono ut 6, 99. — Advenientem deum omnia in templo suo movere, si quidem homines numen non celat suum, vulgata erat opinio. Cf. 6, 256. Ov. M. 9, 781 *Visa dea est movisse suas et moverat aras, et templi tremuere fores.* Et huic loco simillimus 15, 634: *Et locus et laurus et quas habet illa pharetrae intremuere simul, cortinaque reddidit imo hanc adyto vocem, pavefactaque pectora movit.*

93. *submissi petimus terram. Submitti* dicuntur procumbentes. Cf. Lucr. 1, 93 *Muta metu terram genibus submissa petebat.* — De structura 4, 22.

94. „Obscura quidem, sed vera sunt omnia. Nam dicendo *Dardanidae* ostendit Italiam, unde Dardanus fuit." S. — *duri*, cf. 9. 603.

95. *prima tellus* „Italia unde Dardanus venit. Teucer enim de Creta post venit." S. — *ubere laeto*, cf. 1, 531. In *ubere* et *matrem* eadem subest imago.

96. *matrem.* Notat in hac voce Servius illud Bruti factum, qui matrem osculari iussus, patriam terram est osculatus et dei dicitur attigisse sententiam. — „*Exquirite* dicendo ostendit difficultatem" S. — *reduces:* Itaque tamquam peregrinati

Hic domus Aeneae cunctis dominabitur oris
Et nati natorum et qui nascentur ab illis.
Haec Phoebus; mixtoque ingens exorta tumultu
Laetitia, et cuncti, quae sint ea moenia, quaerunt,
Quo Phoebus vocet errantes iubeatque reverti.
Tum genitor, veterum volvens monumenta virorum,
Audite, o proceres, ait, et spes discite vestras:
Creta Iovis magni medio iacet insula ponto,
Mons Idaeus ubi et gentis cunabula nostrae;
Centum urbes habitant magnas, uberrima regna;
Maximus unde pater, si rite audita recordor,
Teucrus Rhoeteas primum est advectus ad oras,
Optavitque locum regno. Nondum Ilium et arces
Pergameae steterant; habitabant vallibus imis.
Hinc mater cultrix Cybelae Corybantiaque aera
Idaeumque nemus; hinc fida silentia sacris,

et in exsilium pulsi, nunc in patriam et in terram fato concessam redeunt. Habes fata magna et aeterna populi Romani. Romanorum enim maiores, Dardanus eiusque socii, in deorum erant tutela, iisque iam terrarum imperium destinatum erat. Sed falsi sunt, quod aliena ex terra (Troia) imperium sibi quaerebant; sed Troiae interitu a diis moniti antiquam repetunt patriam.

97. Cf. Hom. Il. 20, 307 *Νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο βίη Τρώεσσιν ἀνάξει, καὶ παίδων παῖδες, τοί κεν μετόπισθε γένωνται.* Haec ut de Romanis dicta auxit Virgilius.

100. *Laetitia* „propter promissam imperii aeternitatem, *tumultu*, quia dixit: *exquirite*“ S.

102. *Monumenta virorum*, „historias“ S. Cic. de or. 1, 46 *Monumenta rerum gestarum et vetustatis exempla oratori nota esse debent.* Est enim a *monendo*. — *Volvere* est volvendo aperire ut 376. 1, 22.

103. *Spes vestras* i. e. quae potestis sperare; nam „quasi senex loquitur, aut quia scit, se esse moriturum.“ S.

104. Cf. Odyss. 19, 172 *Κρήτη τις γαῖ' ἐστί, μέσῳ ἐνὶ οἴνοπι πόντῳ* etc. — *Iovis magni* non sine consilio additum est, quum ubique Troiani ab Iove O. M. originem se ducere gloriarentur. „Dardanus Iovis filius et Electrae, profectus de Corytho, civitate Tusciae, primus venit ad Troiam, et illic parva aedificia collocavit. Post eius obitum Teucer venit ex Creta et invenit Dardani socios habitantes in vallibus, qui constituit arces et moenia.“ S. Itaque non omnino falsus Anchises est et argumentatur ex nominum et rituum similitudine.

106. Ap. Il. Il. 2, 649 Creta est *ἑκατόμπολις*.

107. *Maximus*, qui est primus gentis, ut *maiores* dicuntur. „Fallitur, nam antiquior est Dardanus. *Si rite audita recordor:* Bene dubitatione excusat errorem“ S.

108. Rhoeteum et Sigeum duo sunt Troadis promontoria.

109. *Optavit* „elegit ut 1, 425.“ S. — *Nondum Ilium etc.:* Idem fere iisdem verbis de Dardano ap. Hom. Il. 20, 216.

110. *habitabant:* „hi sunt, qui cum Dardano venerant“ S.

111. „*Mater cultrix Cybeli*, montis Phrygiae, in quo colitur, a quo Cybele dicta est. Nonnulli *cultrix Cybele* (sic teste *Rb.* FMP.) legunt, ut sit quasi *Cybeleia*“ S. (Cf. 1, 686.) *Cybele* autem etiam pro *Cybelae* scriptum potest haberi, et *Cybeles* in libris esse traditur, ut etiam illud *Cybeli*, vel *Cibili*, *Cibeli*, similia. — Recentiores editores receperunt latinam formam *Cybelae*. *Rb. Cybeli* ex Servio, qui quam dubius sit ipse verbis suis declarat. — Ex Creta Troianos ortos ostendit, quod eadem ibi sint sacra. In Phrygia enim et Cretae est Ida mons et Idaea mater, magna mater deum, Cybele, Dindymene, Rhea eodem fere modo colebatur, et veteres ipsi dubitant, utra in terra is cultus primus fuerit. Cf. Diod. 5, 64 Prae aliis vide Strabonem 10, 3. — „Corybantes, ministri matris deum“ S. qui in sacris saltabant aera i. e. cymbala concutientes. Cf. Hor. C. 1, 16, 8. *acuta geminant Corybantes aera.*

112. *Hinc fida silentia sacris*, „hinc, inquit, inventum est, servare sacris fidele silentium.“ S. Item *fidele silentium* ap. Hor. C. 3, 2, 25. In mysteriis enim,

Et iuncti currum dominae subiere leones.
Ergo agite et, divom ducunt qua iussa, sequamur;
Placemus ventos et Gnosia regna petamus.
Nec longo distant cursu; modo Iuppiter adsit,
Tertia lux classem Cretaeis sistet in oris.
Sic fatus meritos aris mactavit honores,
Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcher Apollo,
Nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus album.
Fama volat pulsum regnis cessisse paternis
Idomenea ducem, desertaque litora Cretae,
Hoste vacare domos sedesque adstare relictas.
Linquimus Ortygiae portus, pelagoque volamus,
Bacchatamque iugis Naxon, viridemque Donusam,

quae erant Cybelae, Cereris, Bacchi ne quid edicerent et evulgarent, initiati iure iurando tenebantur.

113. Leonibus invecta depingitur Cybele ut Pl. XII. 35. 10. 36 et *domina* dicitur ut Val. Fl. 3. 23. Hoc autem loco licet intelligere dominam leonum.

115. *Placemus ventos* cf. 2, 116. Placatur deus sacris oblatis, cf. Hor. C. 1, 36. 2. 2, 14, 6. 3, 23, 3 al. — *Gnosus*, urbs Cretae, antiquissimo tempore clara, Minois regia.

116. Distabat Creta a Delo fere XXX mill. Germ.

118. *honores* cf. 1, 49. — *Meritos* passive dicitur ut 264. 4, 696. 5, 70. Liv. 8, 7 *ignarus, laus an poena merita esset.* Cic. de or. 2, 50. 203 *illam iracundiam non iniustam, sed meritam ac debitam fuisse.* Cf. 2, 422. — „*meritos* unicuique aptos. Ratio enim victimarum fuit pro qualitate numinum. Nam aut hae immolantur, quae obsunt eorum muneribus, ut porcus Cereri, quia obest frugibus, hircus Libero, quia vitibus nocet. Aut certe ad similitudinem, ut inferis nigras (atras, furvas cf. 5, 97. 6, 153. 243. 249) pecudes, superis albas (nitentes, candentes cf. 20. 5, 236) immolent; item tempestati atras, candidas serenitati.“ S.

119. Tauris secundum Macr. 3. 10 Neptuno (sic H. Il. 11, 728. Ov. M. 15, 695 nigris. (H. Od. 3, 6 ταύρους παμμέλανας) candenti Aen. 5, 236), Apollini, Marti immolatur. Apollini et Neptuno fiunt sacra, vel quod sunt Troiae dii tutelares, vel quod Apollo oraculum dedit prosperum; Neptunum sibi propitium reddere cupiunt mare ingressuri.

120. *pecudem*, agnam cf. 5, 772. — *felicibus* cf. 1, 330.

121 — 131. A Delo Cretam proficiscuntur.

121. *fama volat* cf. 10, 510; — quod regit infinitivum cf. 5, 638. — *pulsum regnis cessisse paternis*: „Non dicit quare. Sed talis historia est: Idomeneus, Cretensium rex, quum post eversam Troiam reverteretur, in tempestate devovit diis sacrificaturum se de re, quae ei primum occurrisset. Contigit, ut filius eius primus occurreret: quem quum, ut alii dicunt, immolasset; ut alii, immolare voluisset: a civibus pulsus regno Sallentinum, Calabriae promontorium, tenuit, iuxta quod condidit civitatem (cf. 400). Relatio ergo historiae ad iniiciendum Troianis eundi desiderium pertinet: et re vera aliter ad hostis provinciam ire non poterant.“ S. — *pulsum cessisse* cf. 2, 169. — *Regnis* pluralis pro regno, ut nos *seine Staaten* ad maiorem potentiam significandam. Sed tamen etiam proprie dictum est; *regnum* enim paene quodvis constat provinciis, quae antea *regna* fuerunt minora. Cf. 7, 98.

123. *domos* M. bc. rec. *Wg.* *domum* FPγ. rec. *Rb.* *adstare* ut 677. 1, 152. 7, 181. 9, 677 pro esse in hominibus vel rebus, quae stare possunt dici. Sic Avienus descr. terr. 375 *Templa Iovis adstant nixa columnis.* Adde v. 633. 658. 785. 824.

124. *Ortygia* Delus antiquitus dicta est.

125. *Naxos*, Cycladum fertilissima, unde Sicilia parva dicta, vitium cultura ex eoque Bacchi cultu clara; ibi Ariadnen invenit, ibi Dryos mons eius habetur sedes. — *Bacchari* dicitur locus, in quo homines bacchantur; ita G. 2, 487 *virginibus bacchata Lacaenis Taygeta.* Stat. Theb. 4, 371 *bacchate Cithaeron.* — Claud. R. P. 1, 207 *Ululatibus Ide bacchatur.*

Olearon, niveamque Paron, sparsasque per aequor
Cycladas, et crebris legimus freta concita terris.
Nauticus exoritur vario certamine clamor;
Hortantur socii, Cretam proavosque petamus.
Prosequitur surgens a puppi ventus euntes,
Et tandem antiquis Curetum adlabimur oris.
Ergo avidus muros optatae molior urbis,
Pergameamque voco et laetam cognomine gentem
Hortor amare focos, [arcemque attollere tectis.
Iamque fere sicco subductae litore puppes,
Connubiis arvisque novis operata iuventus,]
Iura domosque dabam; subito quum tabida membris,
Corrupto caeli tractu, miserandaque venit
Arboribusque satisque lues et letifer annus.
Linquebant dulces animas, aut aegra trahebant

Val. Fl. 3, 21 *Dindyma bacchata.* — *Iugis*, in montibus, locum signat, quo Naxos bacchabatur. — *Viridem Donusam* „a colore marmoris" S. ut *nivea* Paros ob marmor candidum.

126. Olearos sive Oliaros a Paro orientem versus. „Non adiecit epitheton, caussa varietatis." S.

127. „*Legimus*, pervehimur ut 2, 208." S. *Crebris vada concita terris* FMPγbc. al. et Serv. qui: „Naturale est, ut concitatiora sint maria vicinitate terrarum" S. Quare ea inter Cycladas navigatio habebatur periculosa; cf. Val. Fl. 2, 622 *Parium infame fragosis vadis.* — *consita* P. ut *Wg.* testatur; Moretanus. ut *Rb.* refert, qui in P. *concita* invenit.

128. Laetum nautae clamorem certatim tollunt ob felicem navigationem, seque inter se adhortantur ad properandum. Versus 128. 129 falso loco positos esse, in eo consentiunt *Pl. Wg. Rb. Ld.* et esse post v. 123 ponendos; in eo dissentiunt quod *Wg.* etiam v. 130 ante v. 124 ponit. Apud eum sequuntur v. 123. 128—30. 124—27. 131, ap. illos 123. 128. 29. 24—27. 30. 31. Si nostra explicatio placet, si sana est omnino, omittenda est versuum transpositio, qua sententia pervertitur.

131. „*Tandem* ad desiderium pertinet navigantium" S. Cf. 205. 278. 5, 34. — *allabimur* ut 6, 2. 8, 108. 10, 269 leni vento, et „ostendit prosperam navigationem fuisse. — Curetes sunt primi cultores Cretae" S.

132—146. In insula Creta laborant pestilentia.

133. *laetam* „propter Pergama restituta" S.

134. *hortor* cf. 2, 33. — *arcemque attollere tectis: Tectis* est aut ablativus, caussam indicans efficientem, nam quo altiora tecta sunt, eo altior arx; ita 2, 185 *roboribus textis educitur equus* et 4, 505 *taedis erigitur pyra*, nam taedis fit pyra, ut roboribus equus. Aut est abl. materiae cf. 618. Praestat tamen hoc loco *tectis* accipere dativum; arx enim exstruitur ad domus (tecta) tutandas, quae infra sunt. — *Amare focos*, ut simile Tac. H. 4, 74: *Proinde pacem et urbem, quam victi victoresque eodem iure obtinemus, amate, colite.*

136. *operata.* Est *operari alicui rei* idem quod dare operam, ut Ov. Am. 2, 7, 23 *ancilla operata capillis ornandis*, et scriptores posteriores.

Recte haesit *Wg.* in voce *fere*, quod vacare omni sensu videtur et coniecit: *Iam Berecyntheo.* Sed offendit etiam illud, quod postquam novae urbis mentio facta est, naves subductas esse memorat, quod factum est, ut primum advenerunt. At *Wg.* in ed. minore 1861 *fere* defendit loco 5, 585, puppesque non prius subductas esse docet, „quod ante perficienda erant potiora." *Gr. Pl.* eiic. *arcem — iuventus.* Haeserat in his versibus et coniecturis emendare studuit *Wg.*, haesi et ego. Defendit nunc *Wg.*, defendit *Fd. Ih. Ld.*

137. *Iura domosque dabam* cf. 1, 507. Romani scriptores, quando urbem conditam aut devictam indicant, iuris dati mentionem faciunt; ita *iura dare* est imperare Hor. C. 3, 3, 42. Ov. F. 4, 93. Stat. Silv. 5, 3, 186. — *Tabida lues*, cf. 1, 202.

138. *Venire* alicui mala et calamitates etiam alibi dicuntur. Cf. Prop. 2, 18, 2 *scis mihi multa venire mala.*

140. *Linquebant animas* non minus

Corpora; tum steriles exurere Sirius agros;
Arebant herbae, et victum seges aegra negabat.
Rursus ad oraclum Ortygiae Phoebumque remenso
Hortatur pater ire mari, veniamque precari,
Quam fessis finem rebus ferat, unde laborum
Tentare auxilium iubeat, quo vertere cursus.
    Nox erat, et terris animalia somnus habebat:
Effigies sacrae divom Phrygiique Penates,
Quos mecum a Troia mediisque ex ignibus urbis
Extuleram, visi ante oculos adstare iacentis
In somnis, multo manifesti lumine, qua se
Plena per insertas fundebat luna fenestras;
Tum sic adfari et curas his demere dictis:
Quod tibi delato Ortygiam dicturus Apollo est,
Hic canit, et tua nos en ultro ad limina mittit.
Nos te, Dardania incensa, tuaque arma secuti,
Nos tumidum sub te permensi classibus aequor,
Idem venturos tollemus in astra nepotes,
Imperiumque urbi dabimus. Tu moenia magnis
Magna para, longumque fugae ne linque laborem.

recte dictum est, quam *anima eos linquebat.* Sic dicit Terentius *Animam relinquam potius, quam illam deseram* Ad. 3, 5, 52. Simile illud Lucr. 5, 987 *Dulcia linquebant labentis lumina vitae.*

141. *steriles agros exurere* cf. 4, 22. — *Sirius* cf. 10, 273. — *Exurere* infinitivus historicus, cf. 2, 132. — Pestilentiam descripserunt Thuc. 2, 47. Lucr. 4, 1143. V. G. 3, 478. Ov. M. 7, 520.

143. *Remenso* est passivum cf. 2, 422.

144. *Veniamque precari* cf. 1, 519. Nam ex pestilentia et diversum ab eo, quem Apollo indicaverit, locum se insedisse et iratum sibi deum putant. Ab Apolline enim omnis pestilentia oritur cf. Hom. Il. 1, 43.

145. *Quam finem* cf. 2, 554. — *Fessae res* sunt afflictae. Sic *fessis rebus succurrere* 11, 335. Ita *res egenae* ut *in rebus egenis* 6, 91. 10, 367. Plaut. Capt. 2, 3, 45. Poen. 1, 1, 1. *Res trepidae:* Hor. C. 3, 2, 5 *vitam trepidis agat in rebus.* Tib. 2, 3, 21 *trepidis petere oracula rebus.* Liv. 4, 17 *Senatus ut in trepidis rebus dictatorem dici Mam. Aemilium iussit.* — *Res mersae:* Ov. M. 1, 380 *mersis fer opem rebus.* Trist. 1, 4, 35 *rebus succurrite lapsis* cf. *Res dura* 1, 563; et quae apud optimum quemque: *rebus secundis, prosperis, integris, adversis.* Atque in his formulis omnibus Romanos videmus concretis indicare malle, quae nos abstractis solemus. Cf. Gr. § 373, An. 2.

147—191. A Penatibus monitus Aeneas Cretam cum suis relinquit.

148. *Effigies divom Phrygiique* (explicativum est) *Penates* „ἓν διὰ δυοῖν“ S. Cf. 12. — *visi in somnis* cf. 2, 271.

150. *adstare* cf. Ov. Fast. 3, 639 *Nox erat, ante torum visum est adstare sororis Dido.*

151. Cf. Val. Fl. 1, 105 *visi manifesto in lumine.* Spitta coni. *insomnis* Pl. coni. *in stratis (!)*

152. *Per insertas* (parieti) *fenestras.* cf. Lucr. 2, 114 *Contemplator enim, quum Solis lumina cunque Insertim fundunt radios per opaca domorum.*

153. Idem v. 2, 775. S. in aliquo: „Hic versus in multis non invenitur, qui tamen admodum necessarius est.“ Sed inest in Mss. „An integrum 153 Vgl. in schedis induxerat, alium postea in eius locum substiturus“ (!) *Rb.*

155. Versus decem accentuum cf. 2, 701. — *ad limina* sc. cubiculi tui, namque in domo ad aram asservabantur eae effigies sacrae. — *ultro* cf. 12, 3.

157. *classibus* cf. 7, 98.

158. *Nepotes* „significat C. Iulium Caesarem, qui primus inter deos relatus est“ S. et Augustum, quem inter eos relatum iri erat certissimum. Cf. 6, 792.

159. *urbi* „Romae κατ' ἐξοχήν“ S. — *magnis* „i. e. nepotibus.“ S.

160. *Para:* Consulto posuit verbum ambiguum, non *condere;* neque enim

Mutandae sedes. Non haec tibi litora suasit
Delius aut Cretae iussit considere Apollo.
Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt,
Terra antiqua, potens armis atque ubere glebae;
Oenotri coluere viri; nunc fama minores
Italiam dixisse ducis de nomine gentem:
Hae nobis propriae sedes; hinc Dardanus ortus,
Iasiusque pater, genus a quo principe nostrum.
Surge age, et haec laetus longaevo dicta parenti
Haud dubitanda refer: Corythum terrasque requirat
Ausonias; Dictaea negat tibi Iuppiter arva.
Talibus attonitus visis ac voce deorum —
Nec sopor illud erat, sed coram adgnoscere voltus
Velatasque comas praesentiaque ora videbar;
Tum gelidus toto manabat corpore sudor —
Corripio e stratis corpus, tendoque supinas

Romam condidit Aeneas, neque Lavinium erat magnum. — *que* — *ne* pro *neve* ita 6, 465. Tib. 1, 6, 20.

161. *Suasit Delius aut iussit Apollo* cf. 8, 168.

163. Idem versus 1, 530.

167. *propriae* sedes cf. 1, 73. „Dardanus et Iasius fratres fuerunt Electrae filii: sed Dardanus de Iove, Iasius de Corito procreatus est, a cuius nomine et mons et oppidum nomen accepit.“ S. — Dardanus Troadem, Iasius Samothracen obtinuit, quem honoris caussa patrem nuncupat poeta. Sed in eo iure haereas, quod Iasium eo honore afficiat, non Dardanum, gentis auctorem; deinde *a quo* ad Iasium videtur referendum. Cf. ad 1, 235 et S.: „*a quo*, a Dardano, non ab Iasio: nam anteriori respondit.“ Is igitur sumit dicendi modum esse negligentiorem, ut ad *Iasius* a poeta praeter necessitatem additum sit nomen *pater*.

170. *Corythus* et nomen patris Dardani et Cortonae, cf. 9, 10. 10, 719 florentis Etruriae urbis, ex qua in Asiam profectus dicebatur.

171. *Dictaea* arva i. e. Cretae. „Dictaeus enim mons Cretae est dictus a Dicte Nympha, quae illic colitur“ S.

173. Quid sit sopor cf. ad 2, 253. — „*Nec sopor illud erat* soluta elocutio.“ S. Pronomen *illud* non ad substantivi genus, quod praedicati est loco, accomodatur. Ita nos fere semper, Graeci nonnunquam, rarissime Romani. Cf. Viger. p. 178. Exempla sunt ap. Ov. M. 2, 263 *Siccae est campus arenae, quod modo pontus erat.* Her. 2, 56 *Debuit hoc meriti summa fuisse mei.* 3, 8 *Quamvis hoc quoque culpa tua est.* Sed in his, ut in Livii loco 2, 38 *Si hoc profectio, non fuga est*, *haec* pro *hoc* alii substituunt; nec mirum si omnes loci mutati sunt, qui poterant mutari. Adde Curt. 9, 10, 28 *Sive illud triumphus fuit*, et ipsum Ciceronem Fin. 5, 9 *ut aliud equo sit natura, aliud bovi, aliud homini.* Cic. pr. Planc. 33, 80 *Quid est pietas, nisi voluntas grata in parentes.* Cf. Gr. § 212, 2.

174. *velatas comas* sc. vittis, quas deorum simulacra gerere solebant cf. 2, 296. — *praesentia (leibhaftig)* cf. Plaut. Most. 5, 1, 27 *adsum praesens praesenti tibi*; ut supra dixit *manifesto in lumine.*

175. *Sudor* corporis signum rei visae certum habetur cf. 7, 458.

176. *Tendoque manus cum voce* i. e. et vocem cf. ad 2, 72. — *Supinas:* cf. 4, 205. Hor. C. 3, 23, 1. Ita fingi in artificum operibus saepe videmus imprecantes. Antiqui enim si precabantur, ad deos, a quibus auxilium exspectabant, manus protendebant supinas, ut quae peterent, quasi accipere viderentur. Inde dicitur *pandere palmas* Lucr. 5, 1199. Si aderat simulacrum dei, id ipsum amplectebantur, nec minus aras cf. 4, 219. 6, 124; si non, ad eum locum, in quo deum esse credebant, manus tendebant: itaque ad caelum, si superos adorabant; si marinos, ad mare (cf. 5, 233); si inferos, ad terram manus vertebant; (Macr. Sat. 3, 9) sive terram manu attingebant cf. Hom. Il. 9, 568. 14, 272, sive pede terram percutiebant cf. Cic. Tusc. 2, 25, 60. Manus autem nexae, quibus nos precamur, apud antiquos iam signum erat animi submissi et obedientis. Sic Tigranes, rex Armeniorum sibi adstare

Ad caelum cum voce manus, et munera libo
Intemerata focis. Perfecto laetus honore
Anchisen facio certum, remque ordine pando.
Adgnovit prolem ambiguam geminosque parentes,
Seque novo veterum deceptum errore locorum.
Tum memorat: Nate, Iliacis exercite fatis,
Sola mihi tales casus Cassandra canebat;
Nunc repeto haec generi portendere debita nostro,
Et saepe Hesperiam, saepe Itala regna vocare.
Sed quis ad Hesperiae venturos litora Teucros
Crederet? aut quem tum vates Cassandra moveret?
Cedamus Phoebo, et moniti meliora sequamur.
Sic ait; et cuncti dicto paremus ovantes.
Hanc quoque deserimus sedem, paucisque relictis
Vela damus, vastumque cava trabe currimus aequor.

iussit quatuor reges nexis manibus. Plut. Lucull. 21.

177. *Munera libo*; intemerata „rite perfecta, ut ratio exigit sacrificii“ S. Sacrum facit, ut gratias agat ultro oblati oraculi, ita 7, 133. 8, 542. 9, 23. Quod quum etiam per somnia dari putabant, post visa in somnis sacra ferunt, sive ea fausti, sive infausti erant ominis. Cf. 5, 743. 8, 70. Ov. M. 9, 701. Tib. 3, 4, 10 *Hominum genus omina noctis Farre pio placant et saliente sale.* Plaut. Amph. 2, 2, 108 *Postquam experrecta est, prodigiali Iovi Aut mola salsa hodie aut ture conprecatum oportuit.* Xen. Conv. 4, 33. Sacra post insomnia 4, 9. Tib. 1, 5, 13. Soph. El. 634.

178. *Focis* „non aris, quia privatum sacrificium sequitur, nam Penatibus sacrificat“ et „focus ara deorum Penatium“ S. *honore* cf. 1, 49.

179. *Facio certum:* in soluta oratione *certiorem.* — *Ordine pandere* idem est quod *ordine referre* Ov. M. 5, 335. — *pando* cf. 7, 641.

180. *Agnovit* duplici structura et cum accusativo et infinitivo cum acc. Eam figuram, qua ad unum verbum simul diverso modo varia iunguntur, *συνοικείωσιν* vocat Quintil. 9, 3, 64. Hoc patet, utraque structura concessa sit necesse esse; cf. v. 235. G. 1, 25 *urbisne invisere Caesar terrarumque velis curam.* A. 5, 748. Lucr. 3, 5. Liv. 1, 6. Sall. Cat. 5, 9 ibique Kritzii notam. Cf. 1, 78. — *prolem ambiguam*, quod a Dardano et a Teucro duxit originem.

181. *Vetera loca* sunt antiquitus culta. — *Novae* res quum sint inauditae, adhuc incognitae, saepius animum percellunt, cf. 240 *nova bella.* 591 *nova forma viri.* Ecl. 3, 86 *nova carmina.* Itaque ipse miratur, quomodo potuerit errare. Vim autem aliquam quaesivit Vgl. ex oppositis *veterum*, ut alibi adiectivum aliquod, quod non magni per se momenti est, ponitur, quo contrarium extollatur. Cf. 716 *omnibus unus.* Soph. O. R. 1 *ὦ τέκνα Κάδμου τοῦ πάλαι νέα τροφή.* Simile illud Ciceronis *Speremus, quae volumus, sed, quod acciderit, feramus.* pr. Sest. 68. pr. Man. 1. *Pl.* noluit *novo.* posuit *suo(!)*

182. *Iliacis exercite fatis:* Idem 5, 705. Re exercentur homines, qua exagitantur et fatigantur cf. 4, 622 *stirpem exercete odiis.* 5, 779 *exercita curis.* 1, 431 *exercet labor.* G. 4, 452 *Te exercent numinis irae.* Ov. M. 2, 287 *Toto exerceor anno.* 7, 634 *Curis exercita corpora somnus occupat.*

183. De Cassandra 2, 246. — „*Casus Cassandra canebat* haec compositio iam vitiosa est, quae maioribus placuit, ut (82) *Anchisen agnovit amicum;* et (5, 866) *sale saxa sonabant.*“ S. Habes hariolationes grammaticorum cf. 2, 27.

184. *Repeto portendere* praesens eodem modo quo cum *memini* iungitur. — De omisso accusativo subiecti cf. v. 201.

186. *venturos* cf. Gr. § 177.

187. *Crederet. Wer hätte geglaubt?* 6, 537. 7, 808. 9, 7 cf. Gr. § 421, 5.

188. *Meliora* et ad *moniti* et ad *sequamur* pertinet. Cf. 12, 217.

189. *ovantes:* laeti cf. 10, 690.

190. *Paucis relictis* addit, quod fuit urbs Cretae Pergamum.

191. *Vela damus* cf. 1, 35. — *cava nave* „navium periphrasis optima“ S. — *Currere aequor* cf. 5, 235.

Postquam altum tenuere rates, nec iam amplius ullae
Adparent terrae, caelum undique et undique pontus:
Tum mihi caeruleus supra caput adstitit imber,
Noctem hiememque ferens, et inhorruit unda tenebris.
Continuo venti volvunt mare, magnaque surgunt
Aequora; dispersi iactamur gurgite vasto.
Involvere diem nimbi, et nox humida caelum
Abstulit; ingeminant abruptis nubibus ignes.
Excutimur cursu, et caecis erramus in undis.
Ipse diem noctemque negat discernere caelo,
Nec meminisse viae media Palinurus in unda.
Tres adeo incertos caeca caligine soles
Erramus pelago, totidem sine sidere noctes.
Quarto terra die primum se attollere tandem
Visa, aperire procul montes ac volvere fumum.

192—218. Aeneadae tempestate ad Strophades adiguntur, sedes Harpyiarum.

Similes tempestates descriptae sunt 1, 82. 5, 9. Cf. Odyss. 14, 301 *Ἀλλ' ὅτε δὴ Κρήτην μὲν ἐλείπομεν, οὐδέ τις ἄλλη Φαίνετο γαιάων, ἀλλ' οὐρανὸς ἠδὲ θάλασσα, Δὴ τότε κυανέην νεφέλην ἔστησε Κρονίων Νηὸς ὕπερ γλαφυρῆς, ἤχλυσε δὲ πόντος ὑπ' αὐτῆς;* ita 5, 313. 12, 405. Simpliciorem esse vides Homerum. — *Altum tenere* proprium est, ut *portum tenere* 1, 400.

195. *inhorruit unda tenebris.* Nec simplicius, nec fortius potuit describere maris motus, ingruente tempestate. Sic Cic. de Rep. 1, 40, 63 *mare horrescere* dicit, et Pacuv. ap. Cic. Div. 1, 14, 24 *Interea prope iam occidente sole inhorrescit mare Tenebrae conduplicantur.* Scilicet *horrere* omnia dicuntur aspera superficie, nec laevia aut nitentia; ita *unda horret* vento agitata; *horrent arma* 1, 4; *horrescit telis exercitus* cf. 7, 526; *horrent comae*, si eriguntur; *horrent segetes.* — Inde ex ea, quae est ad 2, 31 exposita ratione, est etiam *timere*, assumpto accusativo 10, 880 vel infinitivo 2, 12, et *horrendus* idem significat, quod terribilis et venerabilis cf. 6, 10. — Est tamen id memoratu dignum, ipsum participium *horrens* activa vi dictum videri, sc. movens horrorem (cf. nostrum *erschrecken*); ita *horrens umbra* 1, 165. 311, et licet ita explicare 1, 4. 10, 237; sic adiectivum *horridus* nonnunquam est vi activa *schrecklich*, ut 4, 378.

199. *ingeminant* cf. 1, 104. — *abruptis nubibus* cf. 2, 416.

200. *caecae* cf. 1, 536.

201. De omisso accusativo cf. 2, 3.

202. *nec meminisse:* Ex priore verbo negante eruendum est verbum affirmandi cf. Gr. § 428, 3. Sic Ter. Phorm. 2. 3. 5 *Negat Phanium esse hanc sibi cognatum Demipho. neque eius patrem se scire qui fuerit.* C. Fin. 2. 21. Off. 3. 2. S. Iug. 107.

203. *Adeo* iungitur etiam numeralibus; ita 7, 629: *quinque adeo urbes.* 12, 548 *totae adeo acies.* G. 1. 287 *multa adeo nocte.* Plaut. Stich. 1, 3, 59 *quot adeo coenae* Val. Flacc. 4, 63 *nullumne malorum finem adeo poenaeque dabis?* quae dat HandTurs. p. 147. Adde 2, 567. — *Soles* dixit, quasi quovis die novus sol sit, unde etiam alii poetae *sol* pro *dies* dixerunt. Iam *incerti caeca caligine* sunt obscuri, per quos fit navigatio incerta propter caliginem. Et Servius recte monet: „Bene *incertos*, quia quantavis sit obscuritas, tamen noctis est manifesta discretio. Unde superflua quaestio est eorum, qui dicunt, tres dies quomodo transisse scierunt. si noctem a die discernere non poterant. Ita 6, 270 *incerta luna.* Ov. Met. 2. 808 *Liquitur ut glacies incerto saucia sole.*

204. Tempestas orta est circa Maleae promontorium, naufragiis infame, cf. 5, 193. Id intellexit ille, qui in aliorum usum, si qui forte non intelligerent, adiecit: *Hinc Pelopis gentes male aequi sonantia* (lege Maleaeque sonantia) *saxa Circumstant, pariterque undae terraeque minantur. Pulsamur saevis et circumsistimur undis,* quos versus servavit Servius.

205. „Quotiens enim propinquamus litoribus, et exsurgere terra videtur et fumum emittere.“ S. cf. 275 et H. Od. 10, 99. — *volvens fumum:* Inde *volumina fumi* dixit Ov. M. 13, 601.

Vela cadunt, remis insurgimus; haud mora, nautae
Adnixi torquent spumas et caerula verrunt.
Servatum ex undis Strophadum me litora primum
Accipiunt. Strophades Graio stant nomine dictae
Insulae Ionio in magno, quas dira Celaeno
Harpyiaeque colunt aliae, Phineia postquam
Clausa domus, mensasque metu liquere priores.
Tristius haud illis monstrum nec saevior ulla
Pestis et ira deum Stygiis sese extulit undis.
Virginei volucrum voltus, foedissima ventris
Proluvies uncaeque manus et pallida semper
Ora fame.
Huc ubi delati portus intravimus, ecce
Laeta boum passim campis armenta videmus
Caprigenumque pecus nullo custode per herbas.
Inruimus ferro et divos ipsumque vocamus

207. *Vela cadunt*, demittuntur, ut ap. Ov. Fast. 3, 585. Cf. 2, 442. — *Remis insurgimus* cf. 5, 189. — Prope litus non velorum, sed remorum usus erat, ne fieret naufragium. — *Haud mora* cf. 10, 153.

208. *Spumas*, ut 1, 35. Intentis viribus remigant. — *Caerula verrunt*, mare caeruleum, idem ap. Cat. Epith. 7. *Caerula* de caelo dixit Lucr. 6, 95. 481. — *verrunt* cf. 290. Idem v. 4, 583.

209. *Strophades.* Phineum, Thraciae (aut Arcadiae) regem, quum vates aut suos filios caecasset, aut deorum arcana hominibus prodidisset, occaecavit Iuppiter eique immisit Harpyias, Thaumantis et Electrae [quae est Oceani vel Ponti] filias, quae cibos coenanti eriperent et foedarent. Tandem quum Argonautae ad eum venissent, Boreae filii Zetes et Calais ex eius domo depulerunt easque persecuti sunt, usque dum ab Iride ut desisterent persequi moniti, οἱ δ' εἴξαντες ὑπέστρεφον ἄψ ἐπὶ νῆα σεύεσθαι. Στροφάδας δὲ μετακλείουσ' ἄνθρωποι νήσους τοῖό γ' ἕκητι, πάρος Πλωτὰς καλέοντες. Cf. Apoll. Argon. 2, 178—300. Sunt ad Elidis litus, nunc *Strivali.* Pl. NH. 4, 19 *Ante Zacynthum XXXV M. pass. in Eurum ventum Strophades duae, ab aliis Plotae dictae.* Harpyiae, *θύελλαι*, ap. Hom. ventorum numina sunt, a quibus qui evanuerant, abrepti esse dicebantur.

210. *Accipiunt* M. *excipiunt* FGPγbc et rec. *Rb. Ld.;* sed *excipere*, quod recte explicat *recipere in tutelam*, aptum non est h. l. de Strophadibus, quae novum malum inferunt.

211. Celaeno, Aello, Ocypete nomina sunt Harpyiarum. — De hiatu cf. § 6.

213. *clausa* — *liquere:* Nota subiecta mutata esse et transiri de activo in passivum et reverti. Cf. 60. — *metu* Argonautarum.

215. *pestis* cf. 5, 683. — *Ira deum* ut Val. Fl. 1, 683 *ira deum et Calabri populator Sirius agri.* — Ex inferis omnia veniunt noxia hominibus.

216. Nominativus non addito verbo, ut 2, 170. — *Virginei volucrum voltus* satis breviter id dictum.

219—246. Troiani coenantes ab Harpyiis infestantur.

220. *boum armenta:* Recte apposuit genitivum, nam et equorum dicuntur armenta, ut 540. (cf. Plin. Ep. 2, 17 *multa ibi equorum boumque armenta*) et cervorum ut 1, 185.

221. *Caprigenumque pecus* „satis nove et affectate" S. Ita Cic. Progn. fr. 6. p. 556. Or. *caprigeni pecoris custos.* Iam Pacuvius et Attius ita locuti esse dicuntur. Nihilo tamen minus illud *affectate* recte dictum est. — *per herbas* M. al. — *per herbam* P. Serv. — Cf. 5, 102. — *Custode* opus non est, quod diis sacra sunt, quare nemo ea attingit.

222. *Vocare in partem* rei alicuius saepius dicitur ut Cic. Caecin. 4 *in partem hereditatis mulieres vocatae sunt.* Tac. A. 1, 11 *in partem curarum vocatus.* Proxime, quod attinet et ad verba et ad rem, accedit Liv. 5, 21 *Veientes ignari, iam in partem praedae suae vocatos deos.* „Nam Romani moris fuit, ut bella gesturi de parte praedae aliquid numinibus pollicerentur." S.

In partem praedamque Iovem; tum litore curvo
Exstruimusque toros dapibusque epulamur opimis.
At subitae horrifico lapsu de montibus adsunt
Harpyiae et magnis quatiunt clangoribus alas,
Diripiuntque dapes contactuque omnia foedant
Immundo; tum vox taetrum dira inter odorem.
Rursum in secessu longo sub rupe cavata
Arboribus clausi circum atque horrentibus umbris,
Instruimus mensas arisque reponimus ignem.
Rursum ex diverso caeli caecisque latebris
Turba sonans praedam pedibus circumvolat uncis,
Polluit ore dapes. Sociis tunc, arma capessant,
Edico, et dira bellum cum gente gerendum.
Haud secus ac iussi faciunt tectosque per herbam
Disponunt enses et scuta latentia condunt.
Ergo ubi delapsae sonitum per curva dedere
Litora, dat signum specula Misenus ab alta
Aere cavo. Invadunt socii et nova proelia tentant
Obscenas pelagi ferro foedare volucres.
Sed neque vim plumis ullam nec volnera tergo
Accipiunt celerique fuga sub sidera lapsae
Semiesam praedam et vestigia foeda relinquunt.
Una in praecelsa consedit rupe Celaeno,
Infelix vates, rumpitque hanc pectore vocem:
Bellum etiam pro caede boum stratisque iuvencis,

223. *in partem praedamque* „in partem praedae“ S. Est Hendiadys cf. 1, 61.

224. *dapibusque epulamur:* „*Dapes* deorum sunt; *epulae* hominum. Bene ergo utrumque posuit: nam et sacrificiis et conviviis operam tribuunt.“ S. *Epulari re* primus dixit Vgl. Dapes igitur sunt epulae sacrificiis habitis ut 8, 175 — 183.

225. *subitae* cf. 2, 680. — *adsunt*, advolant cf. 2, 442. — *lapsu* cf. 2, 225.

226. *Pl.* eiicit et — *alas*.

228. *Vox dira* nominativus cf. 2, 170.

230. *Clausum* MPγ alii boni. quae scriptura allata est ex 1, 311: totumque versum inde huc translatum existimant *Rb. Ld. Clausi* nec *Wg.* nec *Rb.* dicit ubi legatur. Itaque incerti haeremus, non satis instructi ad iudicandum. Malim tamen versum abesse.

231. *Aris*, in quibus sacrificant diis, quos in praedam vocaverant; neque enim opus erat, quod aras etiam v. 224 commemoraret. — *Reponimus*, iterum damus, reficimus. Quum alio loco dapes struerent, etiam ibi novae arae struendae iterumque incendendae erant.

232. *ex diverso caeli* cf. 1, 422.

235. *Edico* ut verbum mandandi, curandi, permittendi etiam part. fut. adsciscit. De variata structura cf. 180. *dirus* cf. 12, 845.

237. *scuta latentia condunt* cf. 4, 22.

239. Misenus erat tubicen cf. 6, 164.

240. *Nova proelia* cf. 181. „Mira, nam novum bellum non est, cuius exstat exemplum“ S. *Foedare* infinitivi accusativus appositus est verbis *nova proelia;* ut haec ipsa a verbo *tentant* pendent. Cf. 2, 61. et G. 4, 554 *Hi vero subitum ac dictu mirabile monstrum adspiciunt, toto stridere apes utero.* — *Foedare* est vulnerare. Cf. 2, 55.

241. *Pelagi volucres* sunt, quod sunt neptes Ponti cf. 209. aut quod sunt in insula. *obscenus* cf. 12, 876.

244. *semiesam* cf. 4, 686.

246. *Infelix vates* est, qui infelicia praedicit cf. 6, 715. *rumpit vocem* cf. 2, 129.

247 — 257. Celaeno dat infelix vaticinium.

247. Ut in libro secundo fabulam illam de equo Troiano, subabsurdam, quae tamen pro illius temporis statu, quo ea narratio invalescebat, non videbatur esse inepta, aptatam aequalibus a Virgilio at-

Laomedontiadae, bellumne inferre paratis,
Et patrio Harpyias insontes pellere regno?
Accipite ergo animis atque haec mea figite dicta,
Quae Phoebo pater omnipotens, mihi Phoebus Apollo
Praedixit, vobis Furiarum ego maxima pando:
Italiam cursu petitis, ventisque vocatis
Ibitis Italiam, portusque intrare licebit;
Sed non ante datam cingetis moenibus urbem,
Quam vos dira fames nostraeque iniuria caedis
Ambesas subigat malis absumere mensas.
Dixit, et in silvam pennis ablata refugit.
At sociis subita gelidus formidine sanguis
Deriguit; cecidere animi, nec iam amplius armis,
Sed votis precibusque iubent exposcere pacem,

que ita institutam esse vidimus, ut probabilis quantum posset videretur: sic hoc loco illud oraculum, quo Aeneadae suam terram tenere dicti sunt, si fame ipsas mensas cogerentur consumere, tot rebus poeta circumstruxit, et tot nova adstruxit, ut lusus ille paene puerilis, qui inest, plane tegeretur. Quod contra ius fasque boves in suas epulas Troiani necaverant, recte famis poena puniuntur. Habuitque illud malum satis terroris, ut premerentur Troiani timore cf. 365. Sed *fata viam invenerunt*, et Troianorum pietate commoti laetum dii dederunt exitum 7, 116. Ita satis prudenter hoc oraculum, quod in Aeneae historia omittere non debebat, innexuit carmini suo. Quare poetae non debemus obiicere, quod recepit narrationes quae creditae erant, sed laudem tribuere, quod tanta id fecit arte.

248. Laomedon periurio infamis, quo et Neptunum atque Apollinem, qui in muro Troiae condendo operam suam praestiterant, mercede fraudavit, et Herculi, qui monstrum ab illis diis iratis immissum occiderat, Hesionam promissam eripuit. Cf. 5, 811. Hom. Il. 21, 442. Ov. M. 11, 194. Inde *Laomedontiadae* mansit Troianis infame nomen, quo ab hostibus insigniuntur, ut 4, 542. G. 1, 502. Adde quae ad 1, 235. — Sine ignominia 7, 105 est *Laomedontia pubes* et 8, 18 *Laomedontius heros*.

249. *patrio regno* „Neptunio." S. quod sunt in insula. Cf. 209.

250. Idem versus 10, 104. — *Animis* et ad *accipere* et ad *figere* trahitur; quamquam solum *figere* pro *figere animo* dicitur ap. Iuven. 5, 12.

251. Fatum est supra omnes deos (Inde *prima deum fas* Auson. Idyll. 12. Cf. Ov. M. 9, 428 Iuppiter ad deos haec dicit: *Tantumne sibi quis posse videtur, fata quoque ut superet?* deinde addit 433 *Me quoque fata regunt; quae si mutare valerem*, etc. cf. 1, 4), unus Iuppiter scit, quid fato sit constitutum, idque exsequitur. cf. 375 sq., atque in eo est eius potestas et auctoritas. Praevidendi futuri facultatem is dedit filio amato Apollini, hinc Διὸς προφήτης ἐστὶ Λοξίας πατρὸς Aesch. Eum. 19. Cf. Cic. Tusc. 1, 47, 114. Is dat, cui vult, ut dedit Cassandrae. Cf. 2, 246.

251. *Quae Phoebo* etc. „tribuit auctoritatem, ne possint a se dicta contemni." S.

252. *Furiarum maxima* cf. 6, 605. *pando* cf. 7, 641.

253. *ventis vocatis* cf. 8, 707.

255. *Data iam* est, quod est fatis concessa.

256. *quam vos dira fames:* Ut Varro in secundo divinarum dixit, oraculum hoc a Dodonaeo Iove apud Epirum acceperunt." S. Quam ob caussam hoc immutaverit poeta, dictum est ad 247. — *nostrae caedis* i. e. caedis nobis intentatae.

257. *Subigo* c. inf. 6, 567. 7, 214. 8, 112. Sall. Iug. 31. Cf. 2, 33.

258—267. Preces Troianorum.

258. *Ablata refugit* cf. 2, 169. *refugit* „non metu; nec enim minantibus convenit, sed ne posset placari." S.

259. Cf. 30.

261. Antea, quum feras habebant, armis sibi parare studebant pacem; cf. notam illam formulam: *den Frieden erobern*. Nunc precibus utuntur. *Pax* autem sive *venia* deorum petitur, si ut propitii sint orantur, ut bellum gerere dii dicuntur contra homines irati. Cf. 1, 48 et Ov. Am. 1, 2, 21 *Nil opus est bello* (cum deo Amore), *pacem veniamque rogamus*. Sic est *deorum pacem exorare* 370. Cf. Liv. 1, 16 *Pacem* (Quirini)

Sive deae, seu sint dirae obscenaeque volucres.
Et pater Anchises passis de litore palmis
Numina magna vocat meritosque indicit honores.
Di, prohibete minas; di, talem avertite casum,
Et placidi servate pios. Tum litore funem
Deripere excussosque iubet laxare rudentes.
Tendunt vela Noti; fugimus spumantibus undis,
Qua cursum ventusque gubernatorque vocabat.
Iam medio adparet fluctu nemorosa Zacynthos,
Dulichiumque, Sameque, et Neritos ardua saxis,
Effugimus scopulos Ithacae, Laertia regna,
Et terram altricem saevi exsecramur Ulixi.

precibus exposcunt, ut volens propitius suam semper sospitet progeniem. Nam contra deos praeter preces et vota nihil valere persuasum iis erat. *Pax* vocem significare benignam dei voluntatem docet 10, 31 *si sine pace tua* (Iovis) *atque invito numine Troes Italiam petiere.* Cf. 4, 50. Vocabula *pax* et *venia* ea in re idem significare intelligimus, si hos locos cum iis conferimus, qui ad 1, 519 prolati sunt, et iuncta videmus ea in re esse ut Ov. l. l. G. 4, 534. Liv. 39, 10 *Pacem veniamque precata deorum dearumque.* Cic. Font. 9, 20 *A diis immortalibus pacem ac veniam petunt.* Rab. 2, 9 *A diis ... pacem ac veniam peto.* — *iubent.* De structurae cf. 2, 3.

262. *dirae* cf. 12, 845. *obscenae* cf. 12, 876. („Languere admodum sentio versum" *Rb.*)

263. *passis de litore palmis.* Cf. 176.

264. *Numina magna*, et potentiora, quam Harpyiae videbantur. Cf. 8, 679. — *Vocat*, advocat cf. 1, 734. — *meritos honores* cf. 118. — *Indicit* sacra, cf. 1, 632. — Eos honores alio loco reddituri sunt Troiani.

267. *excussos laxare rudentes* cf. 4, 22. *deripere* cf. 1, 411. *diripere Ld.*

268—277. Troiani Actium pergunt.

268. *fugimus* MP1. *ferimur* PGγ, et receptum in editis, ut videtur, quod v. 272 *effugimus* legitur; receptum etiam propterea, quod hoc loco de profectione, non de fuga sermo esse videbatur. Sed eiusdem vocabuli repetitio non offendit cf. 6, 901; *fuga* autem et *fugere* saepissime celerem motum indicant cf. 317; et celeriter ferri Troianos intelligimus, quod tendunt vela venti, spumant undae et iam apparet insula longe remota.

269. *ventus gubernatorque vocabat* M. al. cf. 1, 16. — *vocabant* P. alii, ut videtur ex Servii praecepto, qui, „Honestius, inquit, hac locutione per pluralem utimur numerum, licet possit et singularis esse."

270. Cf. Od. 9, 24 *Δουλίχιόν τε Σάμη τε καὶ ὑλήεσσα Ζάκυνθος.*

271. *Dulichium* cf. Hom. Il. 2, 625 *Οἳ δ' ἐκ Δουλιχίοιο, Ἐχινάων θ' ἱεράων νήσων, αἳ ναίουσι πέρην ἁλός, Ἤλιδος ἄντα.* et Strab. 10, 2: *Ἐχινάδες· ὧν τό, τε Δουλίχιόν ἐστι (καλοῦσι δὲ νῦν Δολίχαν) καὶ αἱ Ὀξεῖαι καλούμεναι, ἃς ὁ ποιήτης* (Homerus) *θοὰς εἶπε· καὶ ἡ μὲν Δολίχα κεῖται κατὰ Οἰνιάδας* (oppidum) *καὶ τὴν ἐκβολὴν τοῦ Ἀχελώου, διέχουσα Ἀράξου, τῆς τῶν Ἠλείων ἄκρας, σταδίους ἑκατόν.* *Same* et Samos apud Homerum est Cephallenia cf. Strabo: *Τετραπόλεως γὰρ οὔσης τῆς νήσου, μία τῶν τεττάρων ἐστὶν ἡ καὶ Σάμος καὶ Σάμη καλουμένη καθ' ἑκάτερον τοὔνομα ὁμωνυμοῦσα τῇ νήσῳ* (Cephalleniae). Addit Strabo post de urbe: *ἡ νῦν μὲν οὐκέτ' ἐστὶν, ἴχνη δ' αὐτῆς δείκνυται κατὰ μέσον τὸν πρὸς Ἰθάκῃ πορθμόν.* „Same diruta a Romanis, adhuc tamen oppida tria habet" (Cephallenia) Plin. 4, 19. et ap. Liv. 37. 42 Same est Cephallenia. — *Neritos* mons erat Ithacae. cf. Hom. Od. 9, 22. et Plin., qui l. l. „Ithaca, in qua mons Neritus." Inde ap. Ov. M. 13. 712 *Neritiasque domos, regnum fallacis Ulixi.*

272. *scopulos Ithacae:* Ithaca montosa et scopulosa est, ut notissimum est Homeri carmina legentibus. — Laertis, Ulixi patris, cur hoc loco fiat mentio non patet; totusque versus post Neritum dictum, quo Ithaca satis indicatur et ante pulchrum versum qui sequitur admodum languet; nec videtur eum legisse Ovidius Virgilii vestigia presse qui sequitur. Quid, si additus est ad explicandum versum sequentem? Retinent ceteri et *Pl.*, neque offensi sunt ullo modo.

273. *terram altricem Ulixi.* Sic dicitur *altrix Apulia* (Horatii) Hor. C. 3, 4, 10 siquidem dicitur; certatim enim in-

Mox et Leucatae nimbosa cacumina montis,
Et formidatus nautis aperitur Apollo.
Hunc petimus fessi et parvae succedimus urbi:
Ancora de prora iacitur, stant litore puppes.
Ergo insperata tandem tellure potiti
Lustramurque Iovi votisque incendimus aras
Actiaque Iliacis celebramus litora ludis.
Exercent patrias oleo labente palaestras
Nudati socii; iuvat evasisse tot urbes
Argolicas mediosque fugam tenuisse per hostes.
Interea magnum sol circumvolvitur annum,
Et glacialis hiemps aquilonibus asperat undas.
Aere cavo clipeum, magni gestamen Abantis,

terpretes nomen *Apuliae* mutaverunt et coniecturis oneraverunt. Ida altrix Hermaphroditi Ov. M. 4, 293, et *altrix casti Collatia Bruti* Sil. 8, 361. Cf. *alumnus* 6, 878. — *Exsecramur* praeternavigantes. Itaque et hoc loco Ulixi in evertenda Troia maximae partes dantur. Cf. Hom. Od. 1, 2.

274. Leucate promontorium insulae Leucadiae: Strabo 10, c. 2 *ἔχει δὲ τὸ τοῦ Λευκάτα Ἀπόλλωνος ἱερὸν.* Sed hoc loco intelligitur templum Apollinis Actiaci, atque ita sunt hi versus intelligendi: Post Ithacam, Leucate apparet, post eam Actium, Apollinis sedes. Templum enim Apollinis in memoriam victoriae, quam de Antonio et Cleopatra reportaverat Augustus condidit Suet. Aug. 96. Erat in ore sinus Ambracii in colle exstructum.

275. *Aperitur* e navigantium more dictum ut *abscondere* 291. *Aperiri* ap. geographos est ostendi, conspici. Cf. Avien. d. t. v. 210. 248 *Bosporus illic Cimmerius fauces aperit.* 553 *Graiae confinia terrae incipiunt aperire latus.* — *Apollo:* Deo ipsi tribuitur, quod est templi, ut 552 et 2, 742. Cf. 2, 312.

277. Idem versus 6, 902. *Stare* in portu aut litore dicuntur naves, ut 403: saepius ap. Livium cf. 21, 51. 22, 19 etc. Versus tamen h. l. otiosus.

278 — 293. Ludis Actii actis Buthrotum pergunt.

278. *Insperata* ob pericula, quibus obiecti erant, cum per Gaecas insulas navigabant; quod docet v. 282.

279. *Lustramur Iovi;* nam antequam sacra facerent, homines lustrari debebant. Hoc loco lustrantur Iovi, quem illo piaculo, in Harpyiarum insula commisso, prae aliis offenderant, quare is mala eis praedici iusserat 251. Cf. Grat. Cyneg. 481 *tota iuventus lustraturque deae.* — *votis*, quae fecerat 264. Itaque hoc lustro et diras a se avertere student et gratias agere deo quod Graeca maria salvi pervaserunt. — *aras incendere*, cf. 1, 704.

280. „*Actia litora celebramus* etc., propter Augustum hoc dicit, qui illic ludos statuit agonales." S. devicto Antonio. Et fecerat quinquennales teste Suet. Aug. 18. et Strabone; qui locum ac ludum describit: *Ἦγετο δὲ καὶ πρότερον τὰ Ἄκτια τῷ θεῷ στεφανίτης ἄγων ὑπὸ τῶν περιοίκων, νῦν δὲ ἐντιμιώτερον ἐποίησεν ὁ Καῖσαρ.* Strab. 7, c. 7. p. 325. Itaque Augustus fingitur antiquissimum suae gentis ludum restituisse, is, qui quod sacra omnia restituit, magnam est laudem assecutus. — *Actius* pro *Actiaeus* ut 8, 675. Cf. 1, 686.

281. *Exercent palaestras* „artem gymnicam". Pluralis autem signat singula artis specimina, ut saepius. — Nudi et oleo peruncti luctabantur.

282. *iuvat evasisse* cf. Gr. § 468, 3.

283. *Fugam tenuisse*, ut 686 *cursum tenere.*

284. *Sol circumvolvitur annum.* Aut verbum *circumvolvere*, quod ipsum rarissimum est h. l. deponentis forma positum est, ut alia sunt verba activa, quae nonnunquam deponentia reperiuntur. Apud Virgilium *bellantur* 11, 660. *nutritor* G. 2, 425. Aut legendum divisis syllabis *circum volvitur. Annus* (unde est *annulus*) autem est circulus, quem sol percurrit; (ut docet Varr. L. L. 6, 8. ed. Müll. A. 6, 797. G. 2, 402.) *Magnus* dicitur annus pro computantis ratione, ut 1, 269. Ov. M. 1, 273 *longique labor perit irritus anni;* neque opus est, h. l. discernere inter annum lunarem et solstitialem.

286. *Aere cavo clipeum* cf. 618. — *Gestamen*, ut *gestamina tanta* ap. Ov. M. 13, 116 sunt Achillis arma. — Quem Abantem sibi finxerit Virgilius, num ab

Postibus adversis figo, et rem carmine signo:
AENEAS HAEC DE DANAIS VICTORIBUS ARMA.
Linquere tum portus iubeo et considere transtris.
Certatim socii feriunt mare et aequora verrunt.
Protinus aerias Phaeacum abscondimus arces,
Litoraque Epiri legimus portuque subimus
Chaonio et celsam Buthroti accedimus urbem.
  Hic incredibilis rerum fama occupat aures,
Priamiden Helenum Graias regnare per urbes,
Coniugio Aeacidae Pyrrhi sceptrisque potitum,
Et patrio Andromachen iterum cessisse marito.
Obstipui, miroque incensum pectus amore
Compellare virum et casus cognoscere tantos.
Progredior portu, classes et litora linquens,
Sollemnes quum forte dapes et tristia dona

aliis poetis nomen acceperit, incertum. Abas quidam erat clipei inventor, cuius clipeus Argis servabatur; et ap. Ov. M. 15, 163 Argos dicitur Abanteum.

287. *Carmen* quid sit 6, 74.

288. Solebant Romani spolia in foribus templorum suspendere, inscriptis nominibus et eius qui detraxerat, et eius cui detracta erant cf. 5, 360. 9, 408. Liv. 22, 57. 24, 21. Neque minus in domibus privatis. Cf. 7, 183.

289. *Iubeo linquere portus* cf. 2, 3.

290. *Aequora verrunt* remiges. *verrunt* venti. Sic *verrere* 208. 4, 583. 5, 141. 778. 6, 320.

291. *protinus* cf. 416. — *aerias arces;* „i. e. altas," S. cf. 8, 221. — *Arces* sunt montes cf. 2, 322. — *Phaeacum* „Corcyram insulam dicit, ubi regnavit Alcinous." S. qui satis ex Homero notus est. — *Abscondimus* „nauticus sermo est; sane mira usus est celeritate, ut ante absconditam, quam visam insulam diceret." S. *Abscondere* ipsam terram dicuntur ii, quibus euntibus absconditur recedendo. Claud. RP. 3, 140 *Sicaniam quaerit, quum necdum absconderit Iden.* Cf. Plat. Prot. 338. A φεύγειν εἰς τὸ πέλαγος, ἀποκρύψαντα γῆν. — Sic ap. Val. Fl. 2, 7 Nautae *mergunt templa Dianae.*

292. *legimus litora:* praetervehimur. Ita saepissime apud Livium [cf. Fabri ad 21, 51.] alios ut Ov. M. 15, 709. F. 4, 289. 292. Aliud est *legere mare* 317. — *portu* P. *portus Chaonio* M. *Portu* est abl. loci ut 135 *subductae litore puppes.* 4, 373 *eiectum litore.*

293. *urbem Buthroti*, cf. 5, 52. Circa Buthrotum *Chaones* habitabant.

294 — 355. Aeneas Andromacham et Helenum invenit.

Helenum, Priami filium, *οἰωνοπόλων ὄχ' ἄριστον*, (Il. 6, 76) ab Achivis captum, et Andromacham, Hectoris uxorem, a Neoptolemo abductam esse Graeci tradidere. Is ex patrio Thessaliae regno pulsus (quod nescit Homerus Od. 3, 188) in Epirum concessit, novumque regnum condidit; postea Hermionen, Menelai et Helenae filiam, in matrimonium ducturus ab Oreste ad ipsas aras occisus est, superstite Molosso ex Andromacha filio. Ex his poeta suum contexuit phantasma et pulcherrimam huius libri partem. Iam num potuere brevius et venustius narrari quae sunt v. 295 — 97?

297. *cessisse* cf. 333. „*Cessisse* de iure est, cedi enim hereditas dicitur." S.

298. *amor* c. infin. cf. 5, 638.

300. *linquens:* „Notandum sane, finitum esse versum *participio*, quod rarum apud Latinos est, apud Graecos vitiosissimum." S. Significat *participium praesentis*, quod gravi admodum sono incidit, qui repugnat sententiae levitati; nam adiungit aliquid secundarium, laxe adiunctum prioribus. Itaque male positum est in fine versus, si claudit enuntiatum, quo in loco etiam vitavit prosa oratio; non offendet, si est medio in enuntiato, quod per sequentem versum extenditur. Haec autem dicta sunt modo de nominativo; alii enim casus, quum arctius sint ceteris verbis adiuncti, non offendunt extremo loco positi cf. A. 1, 324. 2, 111. 144. 149. 570. 729. 3, 313. 425.

301. Sollemnes „anniversarias." S. — *Dapes*, 224, diis Manibus offeruntur cf. 6, 225.

Ante urbem in luco falsi Simoentis ad undam
Libabat cineri Andromache, Manesque vocabat
Hectoreum ad tumulum, viridi quem caespite inanem,
Et geminas, caussam lacrimis, sacraverat aras.
Ut me conspexit venientem et Troia circum
Arma amens vidit, magnis exterrita monstris
Deriguit visu in medio, calor ossa reliquit,
Labitur et longo vix tandem tempore fatur:
Verane te facies, verus mihi nuntius adfers,
Nate dea? vivisne? aut, si lux alma recessit,
Hector ubi est? Dixit, lacrimasque effudit et omnem
Implevit clamore locum. Vix pauca furenti
Subiicio, et raris turbatus vocibus hisco:
Vivo equidem vitamque extrema per omnia duco,
Ne dubita, nam vera vides.
Heu! quis te casus deiectam coniuge tanto
Excipit? aut quae digna satis fortuna revisit?
Hectoris Andromache Pyrrhin connubia servas?

302. *Lucum* nunquam ponit sine religione. — *falsi* „simulati." S. Coloni enim antiquae patriae nomina novis terris dare solebant, (cf. 349) et Aeneas urbem, quam condit Cretae *Pergamum*, quam in Latio *Troiam* dixit. Andromacha autem per omnes fortunae vicissitudines Hectoris retinet amorem, eiusque Manibus hoc loco sacrificat.

303. *Libabat* cf. 66. — *Tumulum inanem* „cenotaphion." S. *Pl.* scrib. *L. cineri Hectoreo M. v. Andromache ad t.*

304. *Hectoreum tumulum* cf. 2, 584.

305. De geminis aris cf. 63.

307. *monstris: Sie sieht Geister.* Videt Aeneam, videt comites Troianos, quos femina, cuius in mortuo sunt fixae cogitationes, non homines putat esse sed hominum animas. Igitur in medio visu deriguit, post resuscitata dubitat, num vere vivat Aeneas; quod si vivit, statim erumpente amore mariti quaerit Hector ubi est. Nam si Aeneae licuit in vitam redire, quem exstinctum putaverat, cur non Hectori licebit.

308. Cf. 30.

309. *Labitur etc.* Simile ap. Hom. Od. 4, 706 sq, — *longo tempore, in langer Zeit kaum, d. h. nach l. Z. k.* Ita ablativus temporis saepe: *Mors Sext. Roscii quatriduo, quo is occisus est, Chrysogono nuntiatur.* Cic. RA. 37, 105. *Longo intervallo modo primum animadverti paulo te hilariorem.* Brut. 5. Cf. Gr. § 322.

310. *Te affers* cf. 1, 314. *Vera facies* cf. 5, 722.

311. *lux alma* cf. 1, 306.

312. *Hector ubi est:* „Si umbrae videntur in sacris dandis, cur non eorum magis, quibus sacrificatur?" S.

313. *furenti* „impatienter dolenti." S. Furor enim omnis est vehementior animi affectus, qui vincit rationem. Sic Cic. de or. 2, 46, 193 *furere luctu filii videbatur.* Cf. 4, 298.

314. *Subiicio;* respondeo, etiam ap. Ciceronem; sed tamen dolore praepeditus voce utor saepius interrupta.

315. *Vivo equidem* „ac si diceret, si tamen vita est infeliciter vivere." S. et per omnia pericula et discrimina vitam servavi.

317. Iis, quae Buthroti appulsus audierat, fidem non habuit, tamen egressus, ut quae vera essent, exquireret, invenit Andromacham; quare aliqua certe vera esse intellexit; quaerit igitur hoc primum, essetne Pyrrhi, a quo fuerat abducta. Quo nomine audito Andromacham pudor occupat. — *Deiectam coniuge tanto*, dictum est ut *deiici de gradu, honore.* — *Excipit* „Signate locutus est, quia *deiectam* dixerat, excipiuntur enim, quae cadunt." S. Cf. 1, 276.

318. *Digna* te tuoque genere et virtute. — *Fortuna revisit* cf. 11, 425.

319. *Hectoris Andromache.* De hoc genitivo possessivo cf. Gr. § 257 An. 2. *Andromachen*, quod est in libris aliquot, et iam Servii aetate erat. (Is enim: „Si *Andromache*, sequentibus iunge; si *Andromachen*, superioribus.") quum ad *revisit* sit retrahendum et incidendum sit post hoc vocabulum, multo est inferius altero quod recepimus. Apparet enim duo

Deiecit voltum et demissa voce locuta est:
O felix una ante alias Priameia virgo,
Hostilem ad tumulum Troiae sub moenibus altis
Iussa mori, quae sortitus non pertulit ullos,
Nec victoris heri tetigit captiva cubile!
Nos, patria incensa diversa per aequora vectae,
Stirpis Achilleae fastus iuvenemque superbum,
Servitio enixae, tulimus; qui deinde, secutus
Ledaeam Hermionen Lacedaemoniosque hymenaeos,
Me famulo famulamque Heleno transmisit habendam.
Ast illum ereptae magno inflammatus amore
Coniugis et scelerum Furiis agitatus Orestes

nomina *Hectoris* et *Pyrrhi* eodem enuntiato esse comprehendenda. *Rb.* post *Andromache* posuit signum interrogandi quod post *revisit* omiserat. *Ld.* recipit *Andromachen?* Additque *Revisit? H. A. P.* c. s. *würde die Frage einen starken Vorwurf gegen die Andromache enthalten, und nichts von dem Zartgefühle verrathen, das V. dem Aeneas doch sonst überall an den Tag legen lässt* Si *Andromachen* legis recte explicatur *satis digna;* certe, quae fuerat Hectoris uxor, non poterat nubere nisi pari, qualis haberi poterat Pyrrhus. *Ist das aber zarter gefühlt? Pl.* coni. *H. Andromachen P. c. servam.* — *Connubia* honeste dixit Aeneas, neque rem ipsam prae pudore in tali femina proferre conatur. Cf. 1, 72.

320. Femina pudica suum dedecus modo per ambages et tecte indicat. — *Demissa vox* opposita sublatae et elatae signat verecundiam et timorem. Sic: *defensor suppliciter demisseque responderat* Cic. Flacc. 10, 21. et similia saepius. *Pl.* ad h. v. adiungit v. 348 mutatque in *Singultim et lacrimas* etc.

321. *O felix:* „Bene et virginitatem laudat et mortem, ut ostendat se invitam pertulisse Pyrrhi connubia.“ S. cf. 2, 785. — Priami filia, Polyxena, cuius amore captus Achilles in insidias inciderat, ab eius umbra in praedae partem petita ad sepulcrum immolata est. Cf. Eurip. Hecubam et Ov. M. 13, 442.

322. *sub moenibus altis:* Troianae enim reginae tam usitatum est altos Troiae muros cogitare, ut memoret etiam in re, quae post dirutam Troiam facta est. — „Duplex felicitas, quod et virgo et in patria meruerit interire.“ S. — *hostilis tumulus* ut 304.

323. *sortitus:* Graeci victores inter reliquam praedam distribuerant etiam mulieres sorte, quasi pecora. — *felix quae pertulit — tetigit* cf. 2, 346.

324. *victoris heri* cf. 1, 21. — Sic Val. Fl. 2, 345 *dominae sanctum tetigisse cubile.*

326. „*Stirpis Achilleae* cum magno dolore dictum, quia ab Achille Hector occisus est“ S.

327. *enixae:* Molossum enim filium Andromacha pepererat Neoptolemo. „Bene plurali utitur numero ad excusandam pudorem.“ S.

328. *Hermione* enim Menelai erat filia et Helenae, cuius mater *Leda*. *Lacedaemone* autem regnabat Menelaus.

329. *Me famulo famulamque* i. e. et quidem famulam; cf. *que* explicativum ad 1, 2. — Sic Mss. fere omnes et M. F. — *me famulam famuloque* P. et minores. — Heinsius *coniecit me famulo famulam Heleno*, ut illud *que* tolleret; probatusque est a multis. Sed ita si iuncta sunt verba, versus non constat cf. § 6. — Ut leguntur verba in Mss. opt. sunt aptissima. Scilicet miseram suam conditionem describit primum, quod *a domino ad famulum* deinde quod ei ipsi *famulo famula* tradita est. Itaque victoris iniquitate servi serva facta est. Rei indignitate commota dicit etiam *transmisit habendam* i. e. „herili voluntate non lege coniugii, unde et *habendam* dixit.“ S. *Pl.* coni. *Me famulo subolemque H.!*

330. *ereptae coniugis:* Recte perfecti participium positum est; iamdudum enim Oresti Hermione erat desponsa, antequam nupsit Neoptolemo cf. 5, 113. *flammatus Rb.* quod in uno γ. est, sed correctum in *inflammatus!*

331. *Scelerum furiis agitatus* i. e. ob scelera; scelus est caedes matris Clytaemnestrae, quam ut patrem ulcisceretur occiderat. Ita *agitari* ea in re saepius, ut ap. Cic. legimus pr. RA. 24, 66 „Videtisne quos nobis poetae tradidérunt patris ulciscendi caussa supplicium de matre sumpsisse, quum praesertim deorum immortalium iussu atque oraculis id fecisse dicantur, tamen ut eos *agitent* furiae

Excipit incautum patriasque obtruncat ad aras.
Morte Neoptolemi regnorum reddita cessit
Pars Heleno, qui Chaonios cognomine campos
Chaoniamque omnem Troiano a Chaone dixit,
Pergamaque Iliacamque iugis hanc addidit arcem.
Sed tibi qui cursum venti, quae fata dedere?
Aut quisnam ignarum nostris deus adpulit oris?
Quid puer Ascanius? Superatne et vescitur aura?
Quem tibi iam Troia
Ecqua tamen puero est amissae cura parentis;
Ecquid in antiquam virtutem animosque viriles
Et pater Aeneas et avunculus excitat Hector?

neque consistere usquam patiantur, quod ne pii quidem sine scelere esse potuerunt?" et 67 „Nolite putare, eos, qui aliquid impie sceleráteque commiserint, *agitari* et perterreri Furiarum taedis ardentibus; sua quemque fraus et suus terror maxime vexat, suum quemque scelus *agitat* amentiaque afficit, suae malae cogitationes conscientiaeque animi terrent."

332. *excipit;* „dolo interficit." S. Cf. 6, 173. 9, 763. 11, 684 et *excipere insidiis* E. 3, 18. Deductum est verbum de venatione *abfangen.* — *patrias ad aras:* „Nam Pyrrhus, ut in historia legimus, occiso patre in templo Apollinis Thymbraei, reversus ad patriam, in numinis insultationem, in templo eius Delphico aras patri constituit, et illic ei coepit sacrificare." S. Nescio unde haec Servius hauserit. Delphis ab Oreste occisum Neoptolemum esse referunt omnes. Simile quod Virgilius de Andromacha tradit Euripides Androm. 1247 sq. Postquam enim fama de Neoptolemi morte Phthiam pervenit, Thetis haec praecipit: *γυναῖκα αἰχμάλωτον, Ἀνδρομάχην λέγω, Μολοσσίαν γῆν χρὴ κατοικῆσαι, Ἑλένῳ συναλλαχθεῖσαν εὐναίοις γάμοις.*

333. *reddita*, quasi debita cf. 2, 260. *Pl.* pro *reddita* scribit *tertia.*

334. „Molossia, pars Epiri, quam Helenus postea a fratre Chaone, quem in venatu per ignorantiam dicitur occidisse, Chaoniam nominavit, quasi ad solatium fratris exstincti." S. — Versus difficilis propterea, quod *Chaonius* praeter necessitatem repetitur. — *Pars* imperii sc. in Molossiam, quae ei cessit per privignum Molossum, Andromachae et Neoptolemi filium, cuius tutor erat a patre constitutus. Cf. Paus. 2, 23. 6.

336. „*Pergama* legendum, non ut plerique *Pergameam* (sic *Pergameamque* M.) qui per imperitiam etiam contra metrum sentiunt." S.

337. 338. Cf. 2, 738.

339. Mater quae filium Astyanactem crudeliter caesum amiserat, facile reminiscitur Ascanii aequaevi. — *Superatne* „vivit, sane nove dictum est, et caret exemplo, ut pauca in Virgilio." S. *Superare* est idem quod superesse ut 2, 597. 5, 713. E. 9. 27 *superet modo Mantua nobis.* In prosa ut ap. Caes. BG. 6, 19 *uter eorum vita superavit, ad eum pars utriusque pervenit*, adiicitur *vita* et ita activam apertius retinet significationem, quae nunquam plane obscurata videtur esse. — *Vescitur aura* ut 1, 546. Lucr. 5, 855 *vesci vitalibus auris.*

340. *quem tibi iam Troia* Fγ. *quae* MP. teste Rb. „hemistichium, nec in sensu plenum." S. Multa sunt in libris conamina ad explendum versum, omnia ita infelicia, ut memoratu digna non sint. Et incassum sudamus in versu explicando. Quaeritur tamen, unde sint haec verba, sensu carentia. Ab aliena manu haec illata esse, quis crederet? Superest, ut Vgl., quum statim apte versum concludere non potuerit, imperfectum reliquisse videatur. Ea verba alii nimis religiose servaverunt, etsi sine ullo damno abesse potuerant. Cf. infra.

341. Creusam mortuam esse Andromacha poterat iam Troiae comperire ex aliis captivis. Itaque ea in re nulla est difficultas.

342. *antiquam* i. e. maiorum *virtutem* et ad *animos viriles* cf. 9. 311 ubi idem Ascanius *ante annos animumque gerens curamque virilem.* *Pl.* delet v. 339 — 43 a *Quid puer* — *Hector.*

343. Avunculus erat Hector, si quidem Creusa Ascanii mater, soror erat Hectoris cf. Apoll. 3, 12, 5.

Restant tamen satis magnae difficultates. Offendit illud *tamen* v. 341. Quod explicant, ut dicant priore versu quaerere voluisse Andromacham, num Creusa viveret, sed ex signis tristibus Aeneae statim intellexisse, eam esse mor-

Talia fundebat lacrimans longosque ciebat
Incassum fletus, quum sese a moenibus heros
Priamides multis Helenus comitantibus affert,
Adgnoscitque suos laetusque ad limina ducit,
Et multum lacrimas verba inter singula fundit.
Procedo, et parvam Troiam simulataque magnis
Pergama et arentem Xanthi cognomine rivum
Adgnosco, Scaeaeque amplector limina portae.
Nec non et Teucri socia simul urbe fruuntur.
Illos porticibus rex accipiebat in amplis.
Aulai medio libabant pocula Bacchi,
Impositis auro dapibus, paterasque tenebant.

tuam. Itaque omissa illa quaestione, statim quaesisse de amore, quo filius matrem mortuam prosequeretur. Sed talis aposiopesis admittitur in fabula, in qua agentes videmus histriones, non in carmine epico, quod legendum, non spectandum est. Neque facile quis ex illis verbis: *quae* aut *quem tibi iam Troia* possit coniicere, de Creusa quaesitum iri. Neque Andromacha statim ex signis illis, quae qualia esse debeant, non intelligere nos fatemur, ab Aenea datis, morte Creusae cognita, ea quaerere pergere poterit, sed statim quaeret, quomodo Creusa interierit, aut in eiulatum erumpet. Ex his apparet, ut ille versus 340 probetur, necesse esse aliam sententiam esse suppressam. Sed iure etiam offendimur, quod plura de Ascanio interrogat, antequam eum vivere comperit. Deinde *ecquis* pronomine interrogasse videntur Romani, quando negatum iri exspectabant. Iam Servius haesit in illo *superat* v. 339: quod sumptum videtur ex 2, 597; ut *vescitur aura* ex 1, 546; v. 343 legitur 12, 444. — Iam quum v. 339—343 sententias inesse videamus non ineptas quidem, sed male iunctas, poetam fatebimur hos versus non satis excoluisse, quod iam docetur versu imperfecto, cf. v. 85. aut quum ipse finisset verbis: *quid puer Ascanius*, alium aliqua addidisse, et adscripsisse sua conamina. Timidi tamen proferimus hanc sententiam. Fortiores erant *Pl.* et *Gr.*, qui tollunt, .. audacior *Rb.*, qui versus iam ita disponit: Post v. 340 lacunam posuit (recte quidem, quam reliquit poeta) deinde sequuntur 341—43. 348. 344—47. 349. Antea versum 348 eiecerat in ed. pleniore. *Ld.* nihil mutat hoc loco, sed ad 6, 167 v. 340 delendum censet.

344. *talia* verba *fundebat* cf. 5, 482. — *Ciebat fletus* ut 6, 468 *ciebat lacrimas.*

346. Helenus audito Aeneae adventu ex urbe cum suis accurrit. Verba autem ei non dedit Virgilius, ne post Andromachae dicta languerent.

348. „Ordo est: lacrimas multum fudit inter verba singula.“ S. — *fudit* etiam Mss. multi. *Lacrimas fundere* est lacrimare; itaque adverbium *multum* poterat apponi, quamquam nimis auget; lacrimat autem affectus laetitia, ut non ineptus sit versus antecedenti, etsi *Rb.* lacrimas et laetitiam non potest inter se conciliare. Affert *Wg.* L. 28, 17 *gaudio lacrimantes*, at opus non est.

349. *Simulata*, adumbrata, in eius imaginem composita; sic 4, 512. Cic. ND. 2, 35, 88. Sic Troia Pergama, Xanthus, Scaea porta memoriam revocant patriae.

350. *arentem rivum:* Tenuia sunt omnia, si cum vero loco comparas.

351. *Amplector*, quasi redux in patriam; nam qui post longum tempus in patriam redibant, limina solebant amplecti. Cf. Val. Fl. 1, 676. Sen. Agam. 390. — „Varro Epiri se fuisse dicit et omnia loca iisdem dici nominibus, quae poeta commemorat se vidisse; unde apparet, haec non esse fabulosa.“ S.

352. *nec non et* cf. 5, 100. — *Fruuntur*, quod gaudent se in amicam urbem receptos esse.

354. *aulai medio* Mss. optimi — *aulai in medio* alii. Sic refero ex *Hn.*; ex *Rb.* nihil extrico. — Ut *aulai* sic 6, 747 *aurai*, 7, 464 *aquai*, 9, 26 *pictai vestis.* Et aulai Vglium legi testatur Quint. 1, 7, 18 cf. Gr. § 73 An. 3. Et Probo grammatico teste quater hac genitivi forma usus est Virgilius. Saepius Lucretius. — *Aulae medio* pro: in media aula cf. 1, 422. — *Pocula Bacchi libabant.* Sic *l. carchesia* 5, 77.

355. Dapes, non solum pocula diis ponebantur in epulis cf. Liv. 39, 43 *Inter pocula atque epulas, ubi libare diis dapes, ubi bene precari mos esset.* — *Paterasque tenebant* iungas cum *libabant*

Iamque dies alterque dies processit et aurae
Vela vocant tumidoque inflatur carbasus austro,
His vatem adgredior dictis ac talia quaeso:
Troiugena, interpres divom, qui numina Phoebi,
Qui tripodas, Clarii laurus, qui sidera sentis
Et volucrum linguas et praepetis omina pennae,
Fare age — namque omnem cursum mihi prospera dixit
Religio, et cuncti suaserunt numine divi
Italiam petere et terras tentare repostas;
Sola novum dictuque nefas Harpyia Celaeno
Prodigium canit, et tristes denuntiat iras
Obscenamque famem — Quae prima pericula vito?

et explica: libabant pateras tenentes. Cf. ad 8, 125. Ubi quum exemplis comprobatum videris, saepe a poeta adiungi enuntiatum per copulam, id, quod secundarium erat et dicendum participio; haerebis tamen hoc loco, quod *pocula* et *pateras* iuncta vides, quae res signant diversas. Pateris libari satis notum cf. 1, 729 etiam aureis. Quae si nimia videntur pro Heleni tenuitate, animadvertas ipsum esse Pyrrhi heredem, ac poetam etiam Latino regi in libro septimo ingentes opes, ingentia palatia tribuere. Hi igitur versus quamquam languent, quum satis testimoniis firmentur, non licet ab alieno adiectos habere. *Pl.* ei. 352—56.

356—462. Heleni vaticinia.

357. *Aurae vela vocant*, ut 70 *vocat auster in altum;* i. e. ventus secundus est et excitat nautas ad navigandum. Contra 4, 417 *vocat iam carbasus auras* i. e. omnia ad navigationem parata sunt. — *Carbasus* „genus lini est cf. 11, 775, quod abusive plerumque pro velo ponitur [ap. poetas]. In numero singulari *haec carbasus* dicimus, in plurali *haec carbasa*.“ S. Cf. 9, 618.

358. *aggredior dictis* cf. 4, 92.

359. *interpres divom* cf. 10, 175.

360. *Sentire* est et sensibus percipere et sensibus percepta animo concipere, atque inde cognoscere et intelligere. Itaque intelligit *numina* dei, sive quae sit dei voluntas, et quomodo tripode et lauro indicetur; scit etiam astrologiam et artem auspiciorum. — Cf. Tib. 2, 5, 13 *Praesentit haruspex, lubrica signavit quum deus exta notis.* Sil. 4, 120 *huic superos sentire monentes ars fuit.* — „*Tripodes* mensae fuerunt in templo Apollinis Delphici, quibus superimpositae Phoebades vaticinabantur.“ S. — *laurus* M1. al. — *lauros* M2. al. Cf. Gr. § 88 An. — „*Clarium* oppidum est in finibus Colophoniorum.“ S. sive Claros Ov. M. 1, 515. *Κλάρος* Paus. 7, 3, 1. Thuc. 3, 33. Memoratur tantum *ἄλσος τοῦ Κλαρίου Ἀπόλλωνος, ἐν ᾧ καὶ μαντεῖον ἦν ποτε παλαιόν* ap. Strab. 14, 1. Cui auctori opponitur auctor non minus gravis Tacitus, apud quem: Germanicus *appellit Colophona, ut Clarii Apollinis oraculo uteretur* A. 2, 54, unde Tiberii etiam tempore clarum fuisse illud oraculum videatur. „Quaeritur, utrum Clarii geminandum sit *i*; et sciendum aliter non procedere.“ S. *Claros* enim primam syllabam habet brevem. Sic 4, 640 *Dardaniique rogum capitis*, 5, 620 *Tmarii coniux Dorycli.* Forma *ii* est in adiectivis cf. 702. De astrologia cf. 10, 176.

361. Duo erant avium genera, unde futurum cognoscebatur, *oscines* et *praepetes*. „Oscines ore futura praedicunt, praepetes volatu significant. Sed *praepetes* aut superiora tenent, et praepetes vocantur, aut inferiora et dicuntur inferae.“ S. Cf. Gell. 6, 6. — *Pennae* sunt avium Sil. 4, 121 *Ars fuit penna monstrare futura magistra.* Prop. 3, 8, 11 *Tuque o cara mihi felicibus edita pennis.* A parte totum cf. 468.

362. *omnem* M. S. prob. *Hn. Wg. omnis Py.* rec. *Rb.*

363. *numine* „oraculo.“ S. cf. 1, 8.

364. *repostas*, remotas, sic 6, 59.

367. *Obscena fames* dicitur, „quae homines ad obscena compellit.“ S. cf. 1, 202. — *Quae prima pericula vito* „Duo petit, quemadmodum aut periculis careat, aut quibus consiliis par esse laboribus possit.“ S. — Directe autem, ut dicitur, interrogat, neque *vito* indicativus pendet a *fare age* nimis iam remoto, quam ut poeta haec cum verbo *vito* iungere voluerit. — Recteque dixit quae prima pericula vito, *welche Gefahren vermeide ich vor allen?* i. e. quae prima pericula sunt quae *vito;* nam quae iubentur facturus est. Cf. 6, 781.

Quidve sequens tantos possim superare labores?
Hic Helenus caesis primum de more iuvencis
Exorat pacem divom vittasque resolvit
Sacrati capitis meque ad tua limina, Phoebe,
Ipse manu multo suspensum numine ducit,
Atque haec deinde canit divino ex ore sacerdos:
Nate dea, nam te maioribus ire per altum
Auspiciis manifesta fides; — sic fata deum rex
Sortitur volvitque vices; is vertitur ordo —
Pauca tibi e multis, quo tutior hospita lustres
Aequora et Ausonio possis considere portu,
Expediam dictis; prohibent nam cetera Parcae
Scire Helenum farique vetat Saturnia Iuno.

368. *Quid sequens* i. e. quid observans, curans, ut saepius apud Ciceronem ut de or. 2, 50, 204 *Trademus, quae nos sequi in dicendo, quaeque maxime spectare solemus.* Itaque est: *was beachtend könnte ich wohl.* — *tantos* „quantos Harpyia praedixerat." S.

369. Dicitur *de more* v. 65. 4, 57. 5, 96. 6, 39. 8, 544. 11, 35. *ex more* 5, 244. 8, 186. *in morem* 5, 556. 8, 282, ubique in rebus sacris. Saepe legitur iisdem in rebus *ordine* 548. *rite* 546. 4, 638. 5, 77. al. Macr. 3, 8: „Festus de verborum significationibus l. XIII: Mos est, inquit, institutum patrium, pertinens ad religiones ceremoniasque maiorum." et idem s. v. „Ritus est mos comprobatus in administrandis sacrificiis." Aeneam eiusque sodales ea, quae apud Romanos in rebus sacris erant recepta, observantes Vgl. facit, tamquam prisco more instituta, scilicet ut laudaret Romanorum in rebus sacris religionem et observantiam, qua maxime excellebant et excellere se gloriabantur. Neque ullus populus rituum fuit observantior. Aperte ob eam diligentiam laudat v. 408. Voluit autem poeta sine dubio ritus illos antiquos, suo tempore sensim obsoletos, ipsa antiquitate commendare. Simulque cum illis redituram sperabat pristinam Romanorum castimoniam et morum integritatem. Idem studebat efficere Augustus; idque ob studium saepius laudatus est. Sic Horatius omnium malorum, quibus Romani premebantur, fontem esse et religionis contemptum et morum dixit corruptelam. C. 3, 6. Sed vani erant conatus rebus externis et fragilibus corruentem stabilire cultum deorum, quum ii ipsi, qui fulcire cupiebant, ruinae timentes stragem, hoc uno ducebantur timore, non quod ipsi fidem habebant illi de diis doctrinae. Quid quod ipse Augustus se deum coli passus est; qua re non potuit augere deorum reverentiam.

370. *pacem divom.* Cf. 261. *exorat,* i. e. exorare studet. Cf. 6, 468. — Iam deo impletus *resolvit vittas*, quibus revinctus erat ob munus sacerdotale. Idem facit Cassandra vaticinatura ap. Sen. Agam. 692. Cf. 6, 48.

371. *Phoebe;* de vocativo cf. 2, 56.

372. *ipse manu* cf. 2, 645. — *suspensum* cf. 2, 114. — *multo numine*, dei praesentis maiestate et potentia. Cf. 9, 337.

373. *divino* cf. 5, 47.

374. *Nam* praepositum cf. 1, 65. — Hoc enuntiatum caussam continet, quod pauca tantum dicenda sint de erroribus, ut sint faciliores. *Maioribus* enim Helenus fatis inquit uteris, quam quae ulla vi vel ullius dei potentia possint infringi. quare noli terreri novis oraculis, quale est Harpyiarum. Sed quomodo illa vincantur, et quae alia tibi instent toleranda (cf. 712) et scire et dicere me (380) vetat Iuno.

376. *volvit vices.* Ita constituit Iuppiter ordinem fatorum, quo tibi aperiantur. Cf. 102.

377. De plurali neutrius *hospita* et feminino *hospita* a masculino *hospes* derivandis cf. Gr. § 109. An. 1. — *Hospita aequora* sunt ignota, *fremde Meere.* Sic *hospes* ap. Cic. pr. C. Rab. 10, 28 *Adeone hospes huiusce urbis, adeone ignarus es disciplinae consuetudinisque nostrae?* et Ov. F. 1, 340 *hospita navis* est peregrina. *Pl.* pro *hospita* coni. *aspera.*

379. *expediam dictis* cf. 460.

380. Quaeritur uter scire prohibeatur, Aeneas an Helenus? Nam et solus infinitivus activi sequitur post verbum *prohibere* ut 6, 606. 808. (cf. 2, 3.) Ov. M. 7, 717 *prohibebant credere mores;* et accusativus c. inf. ut Ov. F. 2, 505 *Pro-*

Principio Italiam, quam tu iam rere propinquam,
Vicinosque, ignare, paras invadere portus,
Longa procul longis via dividit invia terris.
Ante et Trinacria lentandus remus in unda,
Et salis Ausonii lustrandum navibus aequor,
Infernique lacus, Aeaeaeque insula Circae,
Quam tuta possis urbem componere terra.
Signa tibi dicam; tu condita mente teneto;
Quum tibi sollicito secreti ad fluminis undam
Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus
Triginta capitum fetus enixa iacebit,
Alba, solo recubans, albi circum ubera nati:
Is locus urbis erit, requies ea certa laborum.
Nec tu mensarum morsus horresce futuros;
Fata viam invenient aderitque vocatus Apollo.
Has autem terras Italique hanc litoris oram,

hibe lugere Quirites; libri autem Mss. alii post *scire*, alii post *Helenum* distinguunt. Prior ratio firmari potest ex illo dicto, quo *non tantum prodere vati, quantum scire licet* Luc. 5, 176; ita ut haec sit sententia: Parcae prohibent te scire et me eloqui. Sed Vgl. *que* particulam semper annectit primae voci; excipiuntur tantummodo et ii loci, in quibus prima est vox praepositio ut 2, 227 *sub pedibusque deae*, et ii loci, in quibus adiuncta est coniunctioni, ut *namque* cf. 5, 733. Alii loci omnes, in quibus *que* alieno loco positum esse dicitur, facile removentur meliore distinguendi ratione ut 6, 396. 8, 93. 354. 9, 766. G. 4, 22. Quare hoc etiam loco illud *scire* ad Helenum referre cogimur. Dii enim saepius etiam vatibus futura abscondunt cf. Hom. Il. 19, 418. Sil. 1, 138 *Venientia fata scire ultra vetuit Iuno, fibraeque repente conticuere* etc. Inde quod nescit, non potest eloqui Helenus; itaque *fari vetat* consequens est illius *prohibent scire*, quod per *que* indicatur cf. 1, 2. Quare *que* coniunctio est aptissima. Iuno autem fatorum ignorantia utitur pro tormento.

381. Eam Italiam (quam petere iussus es) quam tu iam reris propinquam, longa via dividit longis terris interiectis. Nam Aeneas qui navi iter facit, a Tiberis ostiis per totam Italiam longo tractu porrectam disiungebatur.

382. *vicinosque*, cf. 12, 944.

383. *Via invia terris* „Aeneae scilicet.“ S. *Via terris* ut 507 *cursus undis.* — *Dividit (trennt),* ut 12, 43 *quem patria Ardea longe dividit.* Simile 7, 225 *quem extrema refuso submovet Oceano.* Claud. in Ruf. 2, 302 *dum nos longissima terra dividat.* Pl coni. P. *Italiam quod — propinquam, Vicinosque — portus, L. p. l. v. dividit intervallis.*

384. *Lentandus* signat vim undarum, quibus remus curvatur. Cat. Epith. 183 *Qui fugit lentos incurvans gurgite remos.* Sen. Agam. 435 *Properat iuventus omnis adductos simul lentare remos.* Apollon. 2, 593 ἐπεγνάμπτοντο δὲ κῶπαι ἠΰτε καμπύλα τόξα βιαζομένων ἡρώων.

385. *salis Ausonii aequor* cf. 1, 35. — *Lustrandum* cf. 2, 528 i. e. pernavigandum, non modo obeundum.

386. *Infernos lacus* „Lucrinum et Avernum dicit, inter quos est spelunca, per quam ad inferos descendebatur.“ S. cf. 6, 237. — *Insula Circae*, „qui nunc Circeius mons a Circe dicitur, aliquando, ut Varro dicit, insula fuit, nondum siccatis paludibus, quae eam dividebant a continenti.“ S. — De Circe cf. 7, 10.

387. *Urbem componere* ut ap. Ov. F. 1, 708 *templum componere; ponere urbem* 399.

389. Hoc oraculum Romanis satis notum magna arte intexuit et verborum ornavit dignitate. De re cf. 8, 82.

390. „Cur potissimum sus apta ad tale prodigium? Quia ut ait Cic. ND. 2, 64 sue nihil genuit natura fecundius“ *Hg.*

394. Res narratur 7, 116.

395. *Fata viam invenient* idem 10, 113, cf. Luc. 1, 33 *Quod si non aliam venturo fata Neroni invenere viam.* Claud. B. Gild. 320 *Inveniet virtute viam* cf. 10, 864.

396. *Italum litus* cf. 1. 686. — *litoris oram*, ita G. 2, 44. Val. 4, 613. *litoris acta* Avien. D. O. T. 142. 682. 1056.

Proxima quae nostri perfunditur aequoris aestu,
Effuge; cuncta malis habitantur moenia Graiis.
Hic et Narycii posuerunt moenia Locri,
Et Sallentinos obsedit milite campos
Lyctius Idomeneus; hic illa ducis Meliboei
Parva Philoctetae subnixa Petelia muro.
Quin, ubi transmissae steterint trans aequora classes,
Et positis aris iam vota in litore solves,
Purpureo velare comas adopertus amictu,
Ne qua inter sanctos ignes in honore deorum
Hostilis facies occurrat et omina turbet.
Hunc socii morem sacrorum, hunc ipse teneto;
Hac casti maneant in religione nepotes.
Ast ubi digressum Siculae te admoverit orae
Ventus et angusti rarescent claustra Pelori,
Laeva tibi tellus et longo laeva petantur
Aequora circuitu; dextrum fuge litus et undas.
Haec loca, vi quondam et vasta convolsa ruina —

398. *Graiis:* De dativo cf. 1, 440.

399. *Νάρυξ πόλις Λοκρίδος*, inde etiam Aiax Oilei dicitur *Narycius heros* Ov. M. 14, 468. Locri autem Troia reduces quum ad Caphareum (cf. 1, 41) promontorium Aiacem ducem amisissent, Locros in Italia condidisse dicebantur Epizephyrios.

401. *Lyctus* urbs Cretae memoratur a Plinio 4, 20 aliisque geographis. Inde *Lyctius* dicitur *Idomeneus*, quod Lycti fuerat rex cf. Hom. Il. 2, 647. et ap. Ov. M. 7, 490 *Lyctia classis* classis est Minois. De Idomeneo cf. 121.

402. *Philoctetes*, qui Herculis sagittis interfecit Paridem, Meliboeae aliarumque urbium rex est ap. Hom. Il. 2, 716 sq. — *Petelia Philoctetae* cf. 319. — *subnixa* (cf. 4, 217) *muro:* Substructis enim muris firmata erat, ut alia Italiae oppida. *Π. μητρόπολις νομίζεται τῶν Λευκανῶν καὶ συνοικεῖται μέχρι νῦν ἱκανῶς. κτίσμα δ' ἐστὶ Φιλοκτήτου, φυγόντος τὴν Μελίβοιαν κατὰ στάσιν, ἐρυμνὴ δ' ἐστίν.* Strab. 6, 1 p. 4. T. Haec oppida Helenus non ordine, quo sita sunt, enumerat.

403. Ubi *transmissae* (cf. 4, 152 et 154) trans aequora classes *steterint* litore. Cf. 277.

404. *vota solves:* Potuit enim exspectare Helenus, Aeneam quando liceret in Italiam appulsa classe diis sacra facturum, qualia vovere solebant mare ingredientes.

405. *Ld.:* „*Die Purpurfarbe schützte, wie man im Alterthum glaubte, gegen Zauber.*" — *Velare* i. e. vela te cf. 2, 707. Fertur Aeneae in Italia sacrificanti obtulisse se Diomedes et reddidisse Palladium. Romani autem sacra et bona omina turbari putabant, si quis impurus aut hostis interveniebat, quo viso sacrificantis animus a sacro poterat averti; quod si fiebat, erat piaculum. Inde est illud: *absint profani;* deinde ut certe nihil viderent quod a latere se offerret, capite velato sacra fecerunt, quem morem Romanum Vgl. temporibus tribuit antiquissimis. Varro L. L. V, 130 „Romano ritu sacrificium feminae quum faciunt, capita velant." Idem praeceptum Ovidius M. 1, 381 ab Apolline Deucalioni datum fingit incautior, nam „Graeco ritu capite aperto res divina fit." Macr. 1, 8.

409. *Casti maneant nepotes* cf. 369. De voce *castus* 6, 661.

410. Ubi digressus ab Italiae litore ad Siculum fretum adveneris, sinistram versus oram deflecte et circum Siciliam naviga, ne tibi ex Scylla et Charybdi sit periculum.

411. Pelorum promontorium Siciliae ad fretum haud procul ab urbe Messana. — *angustum* „quia a continenti i. e. a Columna usque ad Pharon tribus millibus distat." S. *Angustum* autem et fretum et promontorium recte dicitur cf. Caes. BG. 4, 23 *adeo angustis montibus mare continebatur.* — *Rarescent* „ideo, quia venientibus de Ionio propter curvaturam litorum clausae videntur angustiae, quae paulatim propinquantibus aperiri videntur." S. De voce *rarus* cf. 4, 131.

413. *Dextrum litus* et dextras *undas fuge.* Cf. 4, 588.

414. *ruina* cf. 1, 129.

Tantum aevi longinqua valet mutare vetustas —
Dissiluisse ferunt, quum protinus utraque tellus
Una foret, venit medio vi pontus et undis
Hesperium Siculo latus abscidit, arvaque et urbes
Litore diductas angusto interluit aestu.
Dextrum Scylla latus, laevum implacata Charybdis
Obsidet, atque imo barathri ter gurgite vastos
Sorbet in abruptum fluctus, rursusque sub auras
Erigit alternos et sidera verberat unda.
At Scyllam caecis cohibet spelunca latebris,
Ora exsertantem et naves in saxa trahentem.
Prima hominis facies, et pulchro pectore virgo
Pube tenus, postrema immani corpore pistrix,
Delphinum caudas utero commissa luporum.
Praestat Trinacrii metas lustrare Pachyni
Cessantem longos et circumflectere cursus,

415. *Gr.* hunc v. eiicit. quod non temporis longinquitate, sed impetu subito terrae diremptae sint, versumque ab interpolatore (qui scilicet v. 416 non legisset!) formatum e versu Claudiani in Eutr. 2, 244 *Sed quid non longa valebit permutare dies!* Interpolator igitur non potest non esse imitator! Noluit dicere Vgl. aliud quam intra longa tempora mutatas esse res, quae nunc mutari potuisse vix videantur.

416. *Protinus* „*continue*, et modo adverbium loci est, alibi temporis" S. ut 291, et 7, 601. 8, 157. 459. 9, 337. 10, 340. 561. Caes. BG. 5, 17 *Ex hac fuga protinus discesserunt.* 7, 68 *Fugato equitatu protinus Alesiam iter facere coepit.* — Locum indicat ap. Plin. Ep. 5, 6 *Triclinium xystum et protinus pratum multumque ruris videt fenestris.* Tac. G. 43 *Protinus deinde ab Oceano Rugii.* Sic h. l. iunge *protinus una foret utraque terra*, i. e. una et continens terra.

417. *Medio* „in medium, ut *it clamor caelo.*" S.

419. *diductas* γP. *deductas* M. al. cf. 1, 211. — „*Litore diductas* idem ac mari, quod intervenerat, diductas; nam ubi litus, ibi mare." *Hn.* — *angusto aestu*, aqua in freti angustiis aestuante. — Italiam et Siciliam antea coniunctas, postea aliquando diremptas esse, veteres memorant Sall. fragm. ap. Serv. Iust. 4, 1. Val. Fl. 1, 589. Claud. RP. 1, 442.

420. *Scylla* in Italia est (Sciglio) *Charybdis* in Sicilia." (Galofaro) S. *implacata* cf. 7, 11. Charybdin descripsit iam Hom. Od. 12, 101 sq.; idem ter per diei spatium extolli fluctus et absorberi dicit, et Sall. ap. Serv. refert: Forte illata naufragia sorbens gurgitibus occultis milia sexaginta Tauromenitana ad litora trahit. — Qualis nunc sit is locus geographi docent recentiores.

422. *sub auras* i. e. sursum, nihil aliud. Sic 576. 4, 494. 8, 24. *ad auras* 2, 699. 6, 554. 561.

423. *Sidera verberat unda* grandis sane est imago. Cf. Ov. M. 11, 497 *Fluctibus erigitur caelumque aequare videtur Pontus et inductas adspergine tingucre* [al. *tangere*] *nubes.* Ov. Tr. 1, 2, 19 *Quanti montes volvuntur aquarum! Iam iam tacturos sidera summa putes.* Sen. Agam. 471 *In astra pontus tollitur.* et Schill.: *Zum Himmel spritzet der dampfende Gischt.*

424. De Scylla cf. Hom. Od. 12, 85 sq. 234 sq. Ov. M. 13, 732. Scyllam „Sallustius saxum esse dicit, simile formae celebratae procul visentibus. Et saxorum asperitas illic imitatur latratus canum." S. Scylla h. l. ut ap. Homerum fingitur iacens in spelunca in mare proiecto capite et ore, quo praedam capiat. Superior pars est *virgo*, in medio corpore sub utero sunt *lupi* sive *canes* 432, postrema pars *pistrix*, quae excurrit *in caudas delphinum.* Cf. Ecl. 6, 75. Tib. 3, 4, 89 *Scylla virgineam canibus succincta figuram.* — *commissa caudas* acc. gr. cf. 2, 273. — *Committere* est coniungere, adiungere.

429. *Pachynum* nunc Passaro.

430. *Cessantem* et *longos* opponitur voci *semel* — *Circumflectere cursus*, qui fiunt longi circumflectendo. Idem 5, 131

Quam semel informem vasto vidisse sub antro
Scyllam et caeruleis canibus resonantia saxa.
Praeterea, si qua est Heleno prudentia, vati
Si qua fides, animum si veris implet Apollo,
Unum illud tibi, nate dea, proque omnibus unum
Praedicam et repetens iterumque iterumque monebo:
Iunonis magnae primum prece numen adora;
Iunoni cane vota libens, dominamque potentem
Supplicibus supera donis: sic denique victor
Trinacria fines Italos mittere relicta.
Huc ubi delatus Cumaeam accesseris urbem
Divinosque lacus et Averna sonantia silvis,
Insanam vatem adspicies, quae rupe sub ima
Fata canit foliisque notas et nomina mandat.
Quaecunque in foliis descripsit carmina virgo,
Digerit in numerum atque antro seclusa relinquit.

431. *Informem*, quod alibi *deformem*, ut apud nos *ungestaltet* pro *mifsgestaltet*. Sic 648 *monstrum horrendum, informe, ingens*. E. 2, 25 *Nec sum adeo informis*. — *vidisse*. Infinitivum rei perfectae saepius praeferebant poetae Romani praesenti ex forma metro aptiorem, si praeteriti etiam aptior erat cogitatio. Cf. Gr. § 468, 3.

433. *Prudentia* sive *providentia* est per quam futurum aliquid videtur, antequam factum est cf. Cic. Inv. 2, 53, 160. et ND. 2, 22, 58. Quare non opus est ut discerpamus verba et *prudentiam Heleno*, *fidem vati* attribui dicamus. — Magno apparatu orditur praeceptum et saepius repetit, ut omnium maximum et gravissimum cf. 1, 547. Quare etiam nomen Heleno dixit pro pronomine cf. 2, 79.

435. *pro* M. al. — *prae* al. Praestat *pro*, quod indicat omnia reliqua nihil prodesse, si hoc negligatur; *prae* modo hoc praeceptum reliquis rebus esse superius.

437. *Numen adora* cf. 1, 48.

438. *cane vota libens: Canebantur* etiam vota, quum sollemnibus et conceptis formulis dicerentur, cf. 445.

439. *Supplicibus supera donis* i. e. flecte eius animum ut 8, 61 *Iunoni fer rite preces, iramque minasque supplicibus supera donis*. Cf. Ov. M. 14, 581 *Iamque deos omnes, ipsamque Aeneia virtus Iunonem veteres finire coegerat iras*. Ea enim est precum vis, secundum Romanos, ut cogant deos, si recte fiunt. — Ad verba simile est ap. Sall. Iug. 9 *Iugurtham beneficiis vincere aggressus est*. Curt. 6, 8, 7 *etiamsi ipse vel poenitentia vel beneficio tuo victus quiescere volet*. Ov. M. 1, 377 *numina deorum victa precibus*. — *victor* cf. 2, 329.

441. *Cumaea urbs*, ut ap. Livium, Florum, alios scriptores *urbs Romana*.

442. *divinosque lacus*, „consecratos Avernum et Lucrinum. Avernus autem in plurali numero haec Averna facit: ut *Tartarus Tartara*. Unde est *Averna sonantia silvis*. Sane hic lacus ante silvarum densitate sic ambiebatur, ut exhalans inde per angustias aquae sulfureae odor gravissimus supervolantes aves necaret. Unde et Avernus dictus est quasi *ἄορνος*: quam rem Augustus Caesar intelligens, deiectis silvis, ex pestilentibus amoena reddidit loca.“ S. Narratio de avibus sulfure necatis a multis tradita scriptoribus reiecta est a Strabone. — *Silvis* igitur quod est *in silvis*, non est supervacuum.

443. *insanam* cf. 6, 47.

444. *Notas et nomina mandat foliis* i. e. carmina sua et vaticinia foliis inscribit antiquo more. „In foliis autem palmarum Sibyllam scribere solere testatur Varro.“ S. Unde Iuven. 8, 126 *folium recitare Sibyllae* est recitare oraculum Sibyllae. Ceterum hoc enuntiatum per *que* adiunctum secundarium est: *Fata canit, mandans etc.* Cf. 8, 125. Recte autem in vaticinio utitur generaliore et antiquiore vocabulo *notis*, non *litteris*. Sic poetae alibi ut G. 3, 158 *Continuoque notas et nomina gentis inurunt*. Hor. C. 4, 8, 13 *incisa notis marmora publicis*. Ov. Trist. 3, 3, 2 *Grandibus in tumuli marmore caede notis: Hic ego qui iaceo etc.* Cf. 1, 177.

445. *carmina* cf. 6, 74.

446. *digerit* „ordinat, disponit.“ S. cf. 2, 182.

Illa manent immota locis neque ab ordine cedunt.
Verum eadem, verso tenuis quum cardine ventus
Impulit et teneras turbavit ianua frondes,
Nunquam deinde cavo volitantia prendere saxo
Nec revocare situs aut iungere carmina curat.
Inconsulti abeunt sedemque odere Sibyllae.
Hic tibi ne qua morae fuerint dispendia tanti,
Quamvis increpitent socii et vi cursus in altum
Vela vocet possisque sinus implere secundos,
Quin adeas vatem precibusque oracula poscas.
Ipsa canat vocemque volens atque ora resolvat.
Illa tibi Italiae populos venturaque bella
Et quo quemque modo fugiasque ferasque laborem,
Expediet, cursusque dabit venerata secundos.
Haec sunt, quae nostra liceat te voce moneri.
Vade age et ingentem factis fer ad aethera Troiam.
  Quae postquam vates sic ore effatus amico est,
Dona dehinc auro gravia sectoque elephanto

452. *Inconsulti* sunt h. l.. quibus consilium datum non est. quum *inconsultus* plerumque dicatur is, qui consilio non utitur. *Consulere deum* sollemnis est vox in oraculis petendis cf. Nep. Milt. 1. — Iam tandem nomen virginis ponit Sibyllae. „Sibylla appellativum est nomen: adeo, ut Varro, quot Sibyllae fuerint, scripserit. Sibylla autem dicitur omnis puella, cuius pectus numen recipit: nam Aeoli *σίους* dicunt deos, *βουλή* autem est sententia: ergo *σιβύλλας* quasi *σίου βουλὰς* dixerunt.“ S. Weberus deducit a *sibus* = callidus. Sibylla in antro disponit folia, in quibus notas i. e. litteras inscribit, quae folia quando vento miscentur et turbantur, non iterum ordinat, ut qui oraculum petierint, inconsulti abeant et oderint Sibyllam, a qua sibi delusi videntur esse.

454. *increpitent*, excitent cf. 1, 738.

455. *vi cursus:* Quamvis ipse *cursus*, quum ad eius finem paene perventum sit, *vela vocet in altum*, ut in altum veharis, i. e. quamvis ad celerandum te invitet, ut tu ipse cupias celerare. Inde fit sententia haec: Quamvis socii tui et tu ipse nolis tardari, et venti secundi sint, tamen etc. *Wk.* coni.: *vi rursus i. a. v. vocent*, quod nimis planum est. — *Sinus* velorum saepe memorantur ut 5, 16. 831 alibi. Oriuntur, si inflantur vela.

456. *poscas.* M. *poscas Ipsa canat*, Edd. alqt. Praestat prius, quod duas res uno in enuntiato comprehendere est contra rationem orationis, ita ut h. l. aliquid absurdi videatur exsistere. Illi enim festinationi sociorum opponitur aditus Sibyllae et oraculi postulatio, non ratio qua dat oraculum Sibylla. — *Ipsa canat* est optantis sive iubentis Heleni.

457. *Volens* vox sollemnis in precationibus ut: Mars pater te precor quaesoque uti sies volens propitius mihi domo familiaeque nostrae. Adde Liv. 1, 16. qui locus est allatus ad 261. Cf. Serv. ad 1, 733: „*Velis* secundum Etruscam disciplinam locutus est; sic enim dicunt: *volens propitiusque sis.*“ — *Vocem et ora resolvat* cf. 1, 356. *Ora resolvere* dixit etiam Ov. F. 1, 255 *nostra ora resolvo.* M. 15, 125 *resolvit ora sono.*

460. *Expediet*, exponet, enarrabit; ut saepius ap. Vgl. sic 11, 315. G. 4, 286. *expedire dictis* 379. 6, 759. — Sic simplex *expedire* est etiam ap. Cic. ND. 1, 4, 7. Sall. Iug. 5. Tac. An. 4, 1. — *Venerata* cf. 2, 422. — *Cursus dabit* cf. 85.

462. *vade age:* Ita 4, 223. 5, 548. — — *Ingens Troia* dici potest ob magnitudinem, ut Ov. M. 13, 169. 505. Cf. v. 11 et adde quae Seneca Troad. 22: *Stat avidus irae victor et lentum Ilium metitur oculis, ac decem tandem ferus ignoscit annis.* Tamen explicuerim: fac ut gloria ingens Troia ad astra tollatur. Cf. 1, 287. De struct. cf. 4, 22. — Omnis haec Heleni vaticinatio ficta est, ut vitetur longa itineris descriptio. Ea enim loca, quae describit, non opus est postea narrari, ubi multa alia sunt proferenda.

463—471. Dona Heleni.

464. *Gravia:* „*a* finalitatis ratione pro-

Imperat ad naves ferri, stipatque carinis
Ingens argentum, Dodonaeosque lebetas,
Loricam consertam hamis auroque trilicem
Et conum insignis galeae cristasque comantes,
Arma Neoptolemi. Sunt et sua dona parenti.
Addit equos, additque duces;
Remigium supplet, socios simul instruit armis.

ducitur sed satis aspere; nam in nullam desinit consonantem.“ S. Cf. de mtr. § 9. — *Dehinc* abundat cf. 5, 14.

465. *Imperat* ut 7, 169. c. acc. et inf. sed passivi, quamquam raro, vel in soluta oratione et ap. Cic. cf. Gr. § 431 An. 3. — *stipatque carinis:* Et *stipare carinas argento* et *argentum carinis* recte dicitur, et exemplis probatur in lexicis. Cf. 6, 229. — *Stipat*, densat, unde *stipatores* dicuntur, qui in navibus componunt“ S. Sic G. 4, 164 *Apes purissima mella stipant et liquido distendunt nectare cellas.*

466. Dona, qualia memorat poeta, saepius a senatu Romano regibus sociis et amicis populi Romani mittebantur. *Dona auro sectoque elephanto* intellexit sellam eburneam, quam datam esse saepius tradit Liv. 27, 4. Ad Syphacem legati „dona tulere, togam et tunicam purpuream, sellam eburneam, pateram ex quinque pondo auri factam,“ et Ptolemaeo regi inter alia sella eburnea mittitur, et Eumeni regi Pergameno 42, 14. Posse etiam dona aurea esse *pateras* docet 7, 245. — *Ingens* autem *argentum* i. e. vasa argentea (cf. 1, 640) dantur Prusiae regi 45, 44. et regulis Gallorum 43, 5. — *Dodonaeosque lebetas* „ollas aereas laudavit a regione, ut vasa Corinthia“ S. Dodona autem, Iovis et Diones oraculum, secundum famam ad Heleni regnum pertinebat. Dionysius enim A. R. 1, 51 Aeneam a Buthroto, ut Iovem consuleret, Dodonam profectum esse ibique Helenum invenisse narrat. Vgl. autem, qui noluit describere illud iter a mari usque ad Dodonam, ut iam videatur non longe a litore Helenus habitasse, servat tamen antiquam famam hoc adiectivo *Dodonaeos*.

467. Lorica qualis fuerit cf. ad 5, 259.

468. *Conus galeae* est „a parte totum, (Sic penna = avis 361; umbo = scutum 7, 633; alia multa cf. Gr. § 506.) nam *conus* est curvatura, quae in galea prominet, super quam *cristae*.“ S. Dedit igitur etiam galeam. Similia sunt *insigne clipei* 2, 392; *litoris ora* 3, 396. Rectius tamen Serv. explicat: *a parte totum* sc. intelligitur, quam nunc dici solet esse *partem pro toto*. De galea cf. 7, 785.

469. *Arma Neoptolemi*, fortissimi et infestissimi hostis in Aeneae veniunt potestatem. — *sua dona:* „congrua, apta aetati“ S. cf. 493.

470. *addit equos:* Epirus enim equorum est ferax cf. G. 1, 59. 3, 121. — *additque duces:* Quaeritur sintne duces equorum, agasones, ut 10, 574 auriga dux equorum dicitur, an duces itineris. Hoc potius videtur firmari, siquidem Dion. Hal. 1, 51 refert ex Epiro *ἡγεμόνας τῆς ναυτιλίας συνεκπλεῦσαι Αἰνείᾳ*, et locus, qui est infra 5, 298, nec possunt his carentes ii, qui mare non norunt, sine summo periculo navigare. — Neque tamen agasonum donum tam vile est, ut non fuerit memorandum, quum etiam alibi ii inter dona referantur. Ita mittuntur a senatu ap. Liv. 43, 5: „duobus fratribus regulis (munera) haec praecipua, torques duo ex quinque pondo auri facti, et vasa argentea quinque ex viginti pondo, et duo equi phalerati (cf. 5, 310) *cum agasonibus* et equestria arma ac sagula; et comitibus eorum vestimenta liberis servisque.“ Habemus iterum versum imperfectum, in quo sententia est anceps. Cf. 340 et 1, 636. *Kl.* qui ex v. 569 *ignarique viae*, duces itineris non fuisse argumentatur, neque opus esse ducibus, quum Helenus viam descripserit (! quasi strata via esset iter) coni. *decus* sc. equorum i. e. phaleras. At quis tam nude positum intelliget? Proponit etiam *pecus*, i. e. pecora quibus vescantur (!) Vers. 470 et 71 eiic. *Pl. Rb.*

471. *remigium supplet: Remigium* et *remos* licet explicare et *remiges*; abstractum pro concreto Gr. § 361. — *Supplere* autem *remiges* et *remigum supplementum* saepius dicitur. Cf. Liv. 26, 35. *De remigum supplemento agi coeptum.* 39 *Suppleverat remigio naves.* Nec minus *remos supplere* recte dici docent lexica. Atque hoc praestat; ubique enim Aeneae socii, ut apud Homerum ipsi sunt remiges; neque distinguitur inter remiges et milites. Cf. 129. 207. 5, 190 sq. Sed

Interea classem velis aptare iubebat
Anchises, fieret vento mora ne qua ferenti.
Quem Phoebi interpres multo compellat honore:
Coniugio, Anchisa, Veneris dignate superbo,
Cura deum, bis Pergameis erepte ruinis,
Ecce tibi Ausoniae tellus; hanc arripe velis.
Et tamen hanc pelago praeterlabare necesse est;
Ausoniae pars illa procul, quam pandit Apollo.
Vade, ait, o felix nati pietate. Quid ultra
Provehor et fando surgentes demoror austros?
Nec minus Andromache, digressu maesta supremo,
Fert picturatas auri subtemine vestes
Et Phrygiam Ascanio chlamydem; nec cedit honori;

gravissimum, quod sic inter se conferuntur *remi* et *arma*, res duae, non homines cum rebus. — *Socios simul instruit armis:* Socii intelliguntur Aeneae. Neminem igitur indonatum relinquit Helenus. Aptissima autem dona sunt militibus in bella ituris arma. Quamquam iam arma habebant; at habuit etiam Aeneas, tamen donatur armis.

472—505. Aeneas discedit ab Heleno et Andromacha.

472. *classem velis aptare: Aptare* est instruere, ornare, *zurecht machen*, cf. 4, 482; ita *biremes remigio* 8, 80. *Aptarique suis pinum iubet armamentis* Ov. M. 11, 456. *Ensem vagina aptarat eburna* A. 9, 305. Sic *aptare anpassen* sine ablativo et quidem cum dativo eius cui aptatur 2, 390. 672. 9, 364. 10, 131. et sine dativo 5, 753. 9, 305. 11, 8. — *Iubebat* „subaudis socios" S. cf. ad 2. 3.

473. *ferens:* secundus, ut 4, 430. Sic Plin. Pan. 31: *hinc venti ferentes et brevis cursus optentur.*

474. *honore*, qui verbis indicatur: cf. Sil. 2, 483 *quam tali alloquitur Nemeae pacator honore*, et Tac. H. 4, 4 *multo cum honore verborum Muciano triumphalia data.*

475. *dignate*, „digne habite", passiva significatione. Cf. 2, 422.

476. *cura deum* cf. 1, 678. — *bis P. erepte ruinis* „probavit curam deorum" S. Ad rem cf. 2, 642.

477. *ecce . . tellus: Ecce* eandem quam *en* assumit structuram; cf. 1, 461.

480. *Ait* additum post *compellat* cf. 5, 551.

481. *Provehor* in incepto sermone. Sic Cic. Fin. 3, 22, 74 *Sentio me esse longius provectum, quam proposita ratio postularet.* — *demoror austros* „vos demoror, quominus ventis utamini" S. cf. 2, 648.

482. *Nec minus* cf. 1, 633. — *digressu supremo*, neque enim sperari licebat, eos iterum conventuros.

483. *Picturatae vestes* sunt pictae non coloribus sed acu, sunt igitur figurae intertextae filo saepe aureo cf. 9, 582. *Vestes* autem et stragulae sunt et vestimenta. Stragularum apud antiquos multus erat usus, et saepe acu pingebantur. Nec vestimenta talibus picturis carebant. Memorantur Cat. Epith. 50. Val. Fl. 2, 409. Sil. 15, 421. Claud. RP. 2, 41. Similesque vestes ex medio aevo adhuc servantur. — *Virgatis* autem vestibus utebantur Galli cf. 8, 660. Coloribus variegatas Romani non habebant. Iam vestimenta intelligere cogimur chlamyde addita.

484. *Phrygiam chlamydem.* — *Phrygiam* „aut acu pictam; huius enim artis peritos Phrygiones dicimus, secundum Plautum (Aul. 3, 5, 34): In Phrygia enim inventa est ars. (Phrygiones memorat S. etiam ad 11, 777 et Nonius s. voce.) Aut ob hoc addidit *Phrygiam*, quasi per quam patriae memoria retineretur" S. Hoc praestat. — *Chlamys* Thessalorum equitum vestimentum, deinde ἐφήβων Atheniensium, apud Romanos etiam puerorum et iuvenum cf. 8, 160 et 167, 588. Adde Suet. Tib. 6: *Munera, quibus a Pompeio in Sicilia donatus est* (puer Tiberius) *chlamys et fibula, item bullae aureae ostenduntur adhuc Baiis.* Ap. Ov. M. 5, 51 Athis sedecim annorum indutus est chlamyde. Ulp. Dig. 34, 2, 23: „Puerilia sunt quae ad nullum alium usum pertinent, nisi puerilem, veluti togae praetextae, aliculae, *chlamydes*" etc. De forma et colore chlamydis cf. 9, 582. — *Nec cedit honori* i. e. „tanta dat mu-

Textilibusque onerat donis, ac talia fatur:
Accipe et haec, manuum tibi quae monumenta mearum
Sint, puer, et longum Andromachae testentur amorem,
Coniugis Hectoreae. Cape dona extrema tuorum,
O mihi sola mei super Astyanactis imago.

nera, quanta merebatur Ascanius, hoc enim est honori non cedere, parem esse meritis accipientis, Scaurus vero *honore* legit et intelligit: honore non cedit Heleno, qui patri eius vel avo donaverat multa" S. Quae Scauri lectio libris non firmatur, probata a *Rb.* Accedit, quod *honore non cedere alicui* dicitur is, qui aequum ac ille accipit honorem, non qui eundem honorem quem alius tribuit. Sil. 12, 412 *nec cedet honore (Ennius) Ascraeo famave seni.* Eadem tamen sententia erui potest, si legitur *honori* i. e. non cedit honori ei, quo Helenus donaverat avum. Sed non satis indicatur, cuius sit honos; eademque in dicendo ambiguitas et titubantia in verbis est, si Servii sequeris sententiam. Alii ut *Wg.* in *cedit* subiectum esse voluerunt *chlamydem;* itaque non cedit chlamys honori i. e. splendori ceterarum vestium. Ut ap. Plin. Ep. 5, 6 *Nec cedit gratiae marmoris ramos insidentesque ramis arbores imitata pictura.* Sed quum eadem qua priores explicationes prematur difficultate, quod genitivus aliquis supplendus est, qui non satis indicatur: tum accedit etiam alia. Nam quamquam Virgilius saepius ex antecedentibus subiectum elici iubet, nullo certo signo indicatum; 6, 733. 7, 243. 8, 271. 9, 578. 732. 749. al. quibus in locis est aliis nominativis interiectis altius repetendum subiectum, aut ut 1, 671 ex antecedente adiectivo substantivum suppletur, aut ut 1, 33 ex antecedente casu alio nominativus, cf. Luc. 4, 205 *Foedera pacis cognita Petreio, seque et sua tradita venum castra videt* sc. Petreius: At tamen verba sunt ita conformanda, ut appareat, quid scriptor subiectum esse voluerit. Verba igitur quoquo te verteris, obnituntur grammaticae. Itaque non defuerunt, qui haec verba a Virgilio profecta esse negarent; nonnulli etiam verba sequentia tollere voluerunt. Sic *Pl.* eiicit: *nec cedit — talia fatur.* Saneque quaeritur post vestes et chlamydem quae sint cetera *dona textilia*, ac stragulae sunt intelligendae, ne plane idem dicatur. Cf. 486. Locum Virgilius imperfectum reliquit. Ab alio haec illata esse non est probabile, et quod Servius iam haec legit, et quod non intelligitur, quid alius his verbis voluerit indicare. Sed totum hunc locum non esse elaboratum, documento est etiam v. 477 sq., post illa, quae dixit v. 381 sq.

485. *onerat donis.* Sic Val. Fl. 3, 9 *Cyzicus abscessu lacrimans oneratque superbis muneribus, primas coniux Percosia vestes quas dabat et picto Clite variaverat auro.* Ita dicitur *onerare* aliquem *promissis* Sall. Iug. 12, *donis* Liv. 34, 61, *spe praemiorum* Liv. l. l. et 35, 11, *laudibus* 4, 13, *suspicionibus* 34, 62. Retinet verbum copiae magis et multitudinis, quam oneris notionem. Cf. 1, 195.

486. *Accipe et haec*, etiam haec dona textilia, quae propterea tibi sint grata, quod ipsa feci mea manu. Contra alia quae 483 memorantur, magis pretio praestabant. Neque mirum, quod ea de caussa commendantur dona, ut sint gratiora, quae benigne fiunt opera, quam quae pecunia. Afferunt iam Homeri exemplum Od 15, 126 *μνῆμ' Ἑλένης χειρῶν.* Inveniuntur alia multa; sed quid opus exemplis, ut comprobetur, quod quivis probat. *Pl.* coni. *Accipe ait manuum.*

487. *longum amorem*, perpetuum, qui per tantum tempus non exstinctus est. *Shaper, Insterburg* 62 coni. *Haec* puer, quod Vgl. unum verbum non ita adiunxerit versui priori. Sed vide iam v. 571; neque h. l. per *sint* clauditur enuntiatum.

488. *Coniugis Hectoreae:* Quaecumque facit vel cogitat, semper immiscet fida uxor mariti memoriam. — *Cape dona: Capere dona* est libentem accipere quae offeruntur. Cf. Cic. Legg. 3, 4, 11. *Donum ne capiunto, neve danto.* Hor. C. 3, 8, 27. *Dona praesentis cape laetus horae.* Sen. Agam. 384. *Iuppiter cape dona libens.* — *Tuorum* affinium i. e. mei. Cf. ad 7, 98.

489. *Super* explicatur pro adiectivo, *superstes*, vel pro praesentis participio verbi *superesse.* Legimus *super* tmesi ab *esse* separatum 2, 567. 7, 559, et tmesis est in loco Livii, qui cum hoc quem tractamus, comparatur: *Quid iam integri esse in corpore loci ad nova vulnera accipienda? quid super sanguinis, qui dari pro republica posset?* 4, 58; ubi esse superius repetendum est ad *super.* Deinde quod est apud Val. Fl. 8, 157 *nostris, si quid super. accipe templis;* et 435 *nec spes ulla super* facile ex

Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat;
Et nunc aequali tecum pubesceret aevo.
Hos ego digrediens lacrimis adfabar obortis:
Vivite felices, quibus est fortuna peracta
Iam sua; nos alia ex aliis in fata vocamur.
Vobis parta quies; nullum maris aequor arandum,
Arva neque Ausoniae semper cedentia retro
Quaerenda. Effigiem Xanthi Troiamque videtis,
Quam vestrae fecere manus, melioribus opto
Auspiciis, et quae fuerit minus obvia Graiis.
Si quando Thybrim vicinaque Thybridis arva
Intraro gentique meae data moenia cernam,
Cognatas urbes olim populosque propinquos
Epiro, Hesperia, quibus idem Dardanus auctor
Atque idem casus, unam faciemus utramque
Troiam animis; maneat nostros ea cura nepotes.
    Provehimur pelago vicina Ceraunia iuxta,

suppleto verbo *esse* explicatur cf. 5, 362. Quare ab his exemplum quaerere non licet. Referuntur hic illic adverbia pro adiectivis usurpata; isque maior fit numerus, quo magis recedimus ad antiquissimorum scriptorum fragmenta. Sed et haec fragmenta fragilia sunt, et artis hic usus circumscriptus est legibus cf. Gr. § 473; et multa alia praeter necessitatem huc referuntur, ut si legimus 2, 483 *apparet domus intus*. pro *intus* scribi poterat quidem *interior;* tamen *intus* est *im Innern*. — Quare quamquam *super* accipere *superstes* propter sententiam est bonum; grammatica cogimur explicare *super* per praeterea, insuper: *o der du noch obendrein Ebenbild des Astyanax bist.* Cf. 7, 462.

490. *sic ille manus. sic ora ferebat.* Cf. Sen. Troad. 470 *sic tulit fortes manus.*

491. *aevo.* aetate cf. 2, 435.

492. *lacrimis obortis* cf. 4. 30.

493. *Vivite felices* est digredientium ut Tib. 3, 5, 31 *Vivite felices, memores et vivite nostri.* — *Quibus est fortuna peracta* cf. 4, 653 et Luc. 4. 361 *Turba haec sua fata peregit.* Vos iam, quae fato erant perferenda, tulistis, nunc pacem vobis agere licet. — *Sua* cf. 469. Pronomen possessivum saepius cum vi aliqua profertur, addita quadam oppositi cogitatione, cf. Gr. § 378 et *suus*, *se* refertur ad subiectum logicum quod dicitur cf. § 379. An. 1.

495. *Arare* cf. 2, 780.

496. *Semper cedentia retro*, quae quo longius procedo, eo magis videntur recedere cf. 5, 629 *Per mare magnum Italiam sequimur fugientem.* 6, 61 *Iam tandem Italiae fugientis prendimus oras.*

499. *melioribus auspiciis:* Qualia enim auspicia. tales sunt eventus. — *fuerit* G. prob. *Hn. Wg. Ld.* Serv., qui „Alii *fuerint* (sic MPγ prob. *Rb.*) et volunt esse maledictum in Graecos, ut ad auspicia referas, quod non procedit.“ S. Neque enim *obvia* significat inferiora et a Graecis victa, neque inimica, quod maxime contrarium est sententiae. Neque metuendum ne Troia bellum inferat Graecis, sed contra, ne exposita sit Graecorum furori cf. 10, 694.

503. *Epiro*, *Hesperia* ablativi sunt loci. Simile 7. 140 *duplices Caeloque* (in eo Venus) *Ereboque* (in eo Anchises) *parentes*. Usus ap. poetas frequens cf. Gr. § 333. An. 3. *Hesperia* Pγ. *Hesperiam* Mγ1G. *Hn.* coni. *Epirom Hesperiam* prob. *Pl.* Populos igitur iam propinquitate iunctos iungamus etiam benevolentia, ut unus fiat. Hoc etiam loco poeta res ita tractat, ut quae postea facta sint, multo iam ante provisa esse videantur. Buthrotum enim erat Romana colonia Plin. 4, 1.

506 — 547. Italiam attingunt Troiani et sacra faciunt.

506. „*Ceraunia*, montes Epiri. a crebris fulminibus propter altitudinem nominati.“ S. Ita sunt ap. Hor. C. 1. 3. 20 *infames scopuli*, et ap. Luc. 5. 652 *scopulosa Ceraunia nautae summa timent.* De iis cf. Plin. N. H. 3, 11, 23. 26. etc. „In Epiri ora castellum in Acrocerauniis

Unde iter Italiam cursusque brevissimus undis.
Sol ruit interea et montes umbrantur opaci;
Sternimur optatae gremio telluris ad undam,
Sortiti remos, passimque in litore sicco
Corpora curamus; fessos sopor inrigat artus.
Necdum orbem medium Nox Horis acta subibat:
Haud segnis strato surgit Palinurus, et omnes
Explorat ventos atque auribus aera captat;
Sidera cuncta notat tacito labentia caelo,
Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque Triones,
Armatumque auro circumspicit Oriona.
Postquam cuncta videt caelo constare sereno,
Dat clarum e puppi signum; nos castra movemus,
Tentamusque viam et velorum pandimus alas.
Iamque rubescebat stellis Aurora fugatis,
Quum procul obscuros colles humilemque videmus
Italiam. Italiam primus conclamat Achates,
Italiam laeto socii clamore salutant.
Tum pater Anchises magnum cratera corona

Chimera, sub eo aquae regiae fons" Plin. 4, 1. Inde montes nunc dicti sunt *monti della Chimera*.

507. *iter Italiam;* de acc. 4, 106. — — *Cursus brevissimus* „adeo ut medio noctis spatio transfretaverit" S. *undis* cf. 383.

508. *Sol ruit*, occidit. cf. 6, 539. — *Umbrantur opaci* cf. 4, 22. — Quum a Buthroto ad promontorium Acroceraunium legissent litus, iam alio vento per medium mare Italia petenda erat, quare appellunt et ventum secundum exspectant.

509. *Sternimur gremio* cf. 5, 451.

510. *sortiti remos:* postquam, qui ad remos remanerent, sorte est constitutum cf. 8, 445. *Pl.* transponit: *Sortiti remos gremio t. a. u. Sternimur optatae.*

511. *Sopor irrigat artus* cf. 1, 691.

512. *Horis acta* neque „per horas decurrens" S. satis accurate, neque „exactis horis" recte explicatur; neque enim iam peracta est nox, sed media. Horae et diem et noctem agunt, propellunt, et Nox et Sol caelum permeant. Cf. 5, 721. Neque Horae intelliguntur Graecorum. *Pl.* qui vitat difficultates coni. *astris cincta!*

515. *Tacitum* est caelum, quod nullo vento resonat. Cf. 2, 255. — „*Sidera cuncta notat*, ideo *cuncta*, quia in prognosticis legitur non sufficere unum signum ad explorandam serenitatem." S.

516. *Arcturum* etc. cf. 1, 744. — *pluviasque Hyadas* „i. e. pluviosas." S. Hyadum enim a ὕειν deducitur nomen. Adiecit autem ad v. *Hyades* adiectivum, quia habuit v. *Triones;* dantque *pluvias* M. et optimi, *Pliadas*, *Pleiadas* alii nec minus 1, 744, quod Pleiades saepius cum Hyadibus iunctae memorantur. Sed versui non licet inferri, nisi statuamus licentiam aliquam metricam et grammaticam; nam ad Hyadas requireretur copula *que*. et *pluvias Hyadas* dixit Sen. Med. 310. — *Orion* pulcherrimum nostri caeli sidus, fingitur venator armatus, cuius balteus et ensis maxime fulgent stellis; unde Luc. 1, 665 *Ensiferi nimium fulget latus Orionis*. De sidere Orione tempestates movente 1, 535. — E stellis tempestas futura cognoscitur G. 1, 394 sq. — *auro* i. e. armis aureis; cf. 5, 817. et auro armatus dicitur Orion, quod aureis stellis nitet. — *Circumspicit* signat diligentiam cf. Claud. B. Gild. 179 *Intentos capiti circumspicit enses.*

518. *cuncta caelo constare sereno:* Postquam constare serenitatem videt (*beständiges Wetter*), neque ullum est indicium per totum caelum, brevi tempestatem iri mutatum. Ita *constare* ap. Liv. 39, 34 *Adeo perturbavit ea vox regem, ut non color, non vultus constaret.*

521. *iam — quum* cf. 590.

522. *humilem Italiam.* Ex mari alto prospicientibus litus remotum humile videtur.

525. Anchises, cuius et hoc loco et ubique ducis partes sunt, conspecta terra statim deos imprecatur, ut adire liceat. — *corona induit,* cf. 1, 724.

Induit, implevitque mero, divosque vocavit
Stans celsa in puppi:
Di, maris et terrae tempestatumque potentes,
Ferte viam vento facilem et spirate secundi.
Crebrescunt optatae aurae, portusque patescit
Iam propior, templumque adparet in arce Minervae.
Vela legunt socii et proras ad litora torquent.
Portus ab Euroo fluctu curvatus in arcum;
Obiectae salsa spumant adspargine cautes:
Ipse latet; gemino demittunt brachia muro
Turriti scopuli, refugitque ab litore templum.
Quattuor hic, primum omen, equos in gramine vidi
Tondentes campum late, candore nivali.
Et pater Anchises: Bellum, o terra hospita, portas;
Bello armantur equi, bellum haec armenta minantur.
Sed tamen idem olim curru succedere sueti

527. *Stant celsa in puppi*, idem 8, 680. 10, 261. Hoc loco *celsa* M. al. *prima* G. *ima* correctum in *celsa* P. *Rb.* rec. *prima*. *In puppi* dei signum erat tutelaris, nonnunquam ex auro 10, 171, aut ebore factum Sen. Ep. 76. Is igitur locus aptissimus ad vota et preces.

528. Sunt dii terrae, maris, aeris i. e. tempestatum, per quos fit navigatio. „Pro et *terrae* excogitavi *undarum*" *Pl*

530. *Crebrescunt optatae aurae*, ut *creber Auster* est 5, 764. et Caes. BG. 3, 26 *increbuit auster*. Cic. Fam. 7, 20 *ventus increbrescit*. — „Magnum Anchisae ostenditur meritum:" S. quod simul ac precatus est, ventos dii dant secundos. — *Patescit* ad oculorum iudicium cf. v. 411.

531. *Arx* mons est, cf. 2, 322. — *Portus* dictus Veneris non procul ab Hydrunto, cui adiacet mons, in quo templum Minervae et oppidum *castrum Minervae* dictum, ab Idomeneo exstructum. Cf. Dion. Hal. 1, 51, qui hoc loco Aeneam primo ad Italiam appulisse testatur et donum ab Aenea Iunoni positum suo tempore exstitisse. Locus etiam *Minervium* dictum est, fuitque a. u. c. 632 colonia Romana. Vell. 1, 15. „Varro in tertio Rerum Humanarum refert: Gentis Sallentinae nomen tribus e locis fertur coaluisse, e Creta, Illyrico, Italia. Idomeneus e Creta, oppido Lyctio pulsus ... (in Italiam venit) ibique possedit aliquot oppida et condidit, in queis Uria et Castrum Minervae nobilissimum." Probus ad Ecl. 6, 31.

533. *curvatus in arcum*, ut arcus efficiatur. cf. 6, 42.

535. *Latet* cf. v. 570. qui non potest a mari conspici.

536. *Refugit* ab litore templum: „Aedificia vicina litoribus longe intuenti videntur in mari, quae accedentibus recedere et retro se agere putantur." S.

537. *primum omen:* Romani enim si terram attingebant, summa cura observarunt, quod omen primum se offerret, et boni ominis locum petebant. Cf. in hanc rem Liv. 29, 27. 30, 25.

538. *candore nivali* ut 1, 71. — Quattuor candidi equi signant triumphum. „Qui *ovationem* meretur, et uno equo utitur, et a plebeiis vel ab equitibus Romanis deducitur ad Capitolium, et de ovibus sacrificat, unde et *ovatio* dicta. Qui autem triumphat, *albis equis utitur quattuor*, et senatu praeeunte in Capitolio de tauris sacrificat." S. ad 4, 543. Itaque quod primus qui feceral contra religionem fecisse dicebatur Camillus (Liv. 5, 23.), id postea in usum venit.

539. *Terra hospita* est nobis hospitium praebitura.

540. Equus ubique belli signum, nam *equorum duellica proles* Lucr. 2, 660. Cf. 1, 443. — *bello* dativus, cf. 5, 451. — *armenta* cf. v. 220. *Kl.* eiic. *b. h. a. m.*

541. *Succedere* saepissime iungitur dativo cf. 2, 478; quare quamquam ablativus aliquatenus potest explicari cf. 292, satius est *curru* habere formam contractam dativi. Cf. Gell. 4, 16. Sic legitur *metu* 1, 257. *adspectu* 6, 465. *amplexu* 698. *venatu* 9, 605. Cf. Gr. § 88, 3. — Equi quum etiam iugo succedant, pacis spem afferunt, subiectis Romanae potentiae populis, quod haud tecte per iugum illud indicatur; quare signum etiam triumphi equos esse intelligit. — *olim* cf. 5, 125.

Quadrupedes et frena iugo concordia ferre
Spes et pacis, ait. Tum numina sancta precamur
Palladis armisonae, quae prima accepit ovantes,
Et capita ante aras Phrygio velamur amictu
Praeceptisque Heleni, dederat quae maxima, rite,
Iunoni Argivae iussos adolemus honores.
Haud mora: continuo perfectis ordine votis
Cornua velatarum obvertimus antennarum,
Graiugenumque domos suspectaque linquimus arva.
Hinc sinus Herculei, si vera est fama, Tarenti
Cernitur. Attollit se diva Lacinia contra,
Caulonisque arces, et navifragum Scylaceum,
Tum procul e fluctu Trinacria cernitur Aetna,
Et gemitum ingentem pelagi pulsataque saxa

544. *Prima accepit* cf. 531. — *Ovantes* i. e. nos cf. 2, 79. — *Ovantes*, laetos cf. 10, 690.

545. De re cf. 405. — *Capitante* dat M. *capite* et *capute* alii Mss.; etiam *velabar* et *velatur* legitur in Mss., unde efficitur, ut probabile videatur, scriptum fuisse olim *caput*, quod rec. *Ld*.

546. *Dederat quae maxima* cf. 435 sq. — Ad dicendi rationem Cic. legg. 1, 4 *Tu a contentionibus, quibus summis uti solebas, quotidie relaxes aliquid.* Off. 2, 22, 76 *Omni Macedonum gaza, quae fuit maxima, potitus est Paulus.*

547. *Argiva Iuno*, quae Argis colebatur. Cf. 7, 286. — *adolemus* cf. 1, 704. — *honores* cf. 1, 49.

548—567. Troiani circum Italiae litus in Siciliam pergunt.

548. Statim votis solutis et sacris peractis a litore recedunt.

549. *obvertimus* cf. 6, 3. Relicturi enim litus vertere debebant vela alio, quam habebant litus petentes.

550. *suspecta arva* cf. 398.

551. *Herculei Tarenti* „Lacones Partheniatae, accepto duce Phalanto, octavo ab Hercule, profecti sunt, delatique ad breve oppidum Calabriae, quod Taras, Neptuni filius, fabricaverat; id auxerunt et prisco nomine appellarunt Tarentum.“ S. — *Si vera est fama.* Eadem verba leguntur G. 4, 42, ubi facillime explicantur. Hoc loco nemini quantum scio contigit explicare. Quid enim faciamus in carmine epico tali dubitatione? Aliquam attulit explicationem *Wg* et *Ld*. Nam Vglium is dicit probare eam famam, qua Tarentum conditum sit a Tarante Neptuni filio, non a Phalantho Spartano et Herculis stirpe, ne splendida urbs a Graecis videretur esse condita. At frigida est haec poetae doctrina. Potius dixerim Vglium exagitare voluisse „molle Tarentum“ H. S. 2, 4, 34, quale erat eius tempore, ut vix videatur originem ducere ab Hercule, viro omnium fortissimo. Neque hoc epici carminis gravitate dignum iudico, sed non habeo quo melius poetam excusem.

552. *Se attollit* navigantibus, qui appropinquant. Nimius est Val. Fl. 2, 9 qui in eadem re *attollit tondentes pabula Magnes Campus equos.* Num melius? — „Iunonis Laciniae templum, secundum quosdam a rege conditore dictum; secundum alios a latrone Lacino, quem illic Hercules occidit et loco expiato Iunoni templum constituit.“ S. „Sex millia aberat ab urbe (Crotone) nobile templum, ipsa urbe nobilius, Laciniae Iunonis, sanctum omnibus circa populis.“ Liv. 24, 3. Hoc promontorium a meridie claudit sinum Tarentinum (Capo delle Colonne). — Deo tribuitur quod est templi. Cf. 275.

553. Caulon Achaeorum colonia inter Crotonem et Locros. Strabo 6, p. 261. B Καυλωνία πρότερον δ' Αὐλωνία λεγομένη διὰ τὸν προσκειμένον αὐλῶνα. Ita Aulonis arces h. l. est apud Servium, qui addit „mons est Calabriae.“ S. *Caulon* MP. — *Scylaceum* (Squillace) postea fuit Romanorum colonia. Vell. 15. — *Navifragum* est naves frangens, ut planta illa saxifraga, ut Ov. M. 14, 6 *n. fretum*. Hor. C. 1, 16, 10 *n. mare*. Tib. 2, 4, 10 *n. unda*. *Naufragus* plerumque dicitur, cui fracta est navis. Cf. 6, 715.

554. Iam Zephyrium promontorium circumvecti et in Regii oppidi viciniam delati et Aetnam videre et Charybdin audire possunt. — Trinacria antiquissimum insulae ex figura nomen.

555. Gemitus et maris et remorum memoratur, omninoque rerum, quae premun-

Audimus longe fractasque ad litora voces;
Exsultantque vada atque aestu miscentur arenae.
Et pater Anchises: Nimirum hic illa Charybdis;
Hos Helenus scopulos, haec saxa horrenda canebat.
Eripite, o socii, pariterque insurgite remis.
Haud minus ac iussi faciunt; primusque rudentem
Contorsit laevas proram Palinurus ad undas;
Laevam cuncta cohors remis ventisque petivit.
Tollimur in caelum curvato gurgite, et idem
Subducta ad Manes imos desedimus unda.
Ter scopuli clamorem inter cava saxa dedere;
Ter spumam elisam et rorantia vidimus astra.
    Interea fessos ventus cum sole reliquit,
Ignarique viae Cyclopum adlabimur oris.
Portus ab accessu ventorum immotus et ingens
Ipse, sed horrificis iuxta tonat Aetna ruinis,

tur. ob soni similitudinem, et quod sentire molem res inanimae finguntur cf. 577 et Ov. M. 4, 449 *Sacro a corpore* (Iunonis) *pressum ingemuit limen.* — *Pulsata saxa* fluctibus.

556. *fractas ad litora voces.* „Fractas, nimias, ut (G. 4, 72) *vox fractos sonitus imitata tubarum.*“ S. *Fractae* enim *voces* sunt non continuae, sed quae per intervalla audiuntur, ut sonitus ille allisarum undarum aut tubarum et tonitruum. Inde fragor, *Gekrach.* Audiunt igitur maris fragorem ad litora appulsi. — *ad litora:* Audimus fragorem esse ad litus. Sed quum *ad l.* non locum, quo quid esset, sed quo quid tenderet significare putaret aliquis, magisque exspectari repercussas dici voces quam appulsas, mutavit *a litore,* quod est in Mss. alqt., quod est: Audimus a litore repercussas voces. At potest hoc etiam ita explicari: Audimus a litore i. e. stantes in litore. Quare *ad litora* erit retinendum. — *voces* cf. 669.

557. *arenae* cf. 1, 107. Ipse maris fundus aestu extollitur. Confer haec cum iis, quae iam de Charybdi dixit. 420.

558. *hic illa Ch.* MP. *haec γ. Hic* est *illa Ch.* quam dixit Helenus. *hic* rec. *Ld. haec Hn. Wg. Rb.* Non minus est probum: Haec Ch. quam videmus, *illa* est, quam dixit Helenus.

560. *eripite* cf. 2, 492. — *pariter,* una omnes. — *insurgite* cf. 5, 189.

561. *rudentem proram:* „stridentem et sonantem in tempestate“ (S.) subito transversam.

563. *Remis ventisque* i. e. quam maxima poterant celeritate, ut Flor. 2, 2, 18 *mox ventis remisque properatum est.* Cic. Fam. 12, 25, 3 *ventis remisque in patriam properavi.*

564. *idem* i. e. iidem.

565. *Desedimus* MPγbc, *desidimus* duo, *descendimus, discedimus* pejores. Scilicet praesens desiderabatur post *tollimur, desedimus* autem perfectum est verbi *desidere,* et quum sit *sidere* causativum verbi *sedere,* recte perfectum dicitur. Cf. 10, 301.

566. *Clamorem dare,* cf. 2, 698. Clamor autem etiam rerum inanimarum est cf. Luc. 6, 146. Hor. C. 3, 29, 38 cf. v. 555. 2, 488.

567. *rorantia vidimus astra:* Quum placeat grandis imago exsurgentium undarum 574, hoc et nimium est et ieiunum.

568 — 588. Aetna.

568. *ventus cum sole.* Cuivis notum est ad vesperum ventum remittere solere; quare non videtur esse opus ex antiquis id probare scriptoribus.

569. *Ignari viae* quum essemus, ad litus proximum appulimus, quod erat Siciliae, eaque in parte, qua Cyclopes habitabant. Ut appellant facit, quod fessi sunt, quod sol occidit, quod ventus remittit, quod viam ignorant.

570. Portum, qui hoc loco memoratur, Aetna opplevit. — Portus a (cf. Gr. § 352) ventis immotus et ingens est, itaque satis tutus, ut periculum metuendum non sit; sed horrorem movent Aetnae tonitrua. „Pro *ingens* scribendum arbitror *undis.*“ *Pl.*

571. *Tonat* terribili fragore, quasi mons saepius corrueret. De v. *ruina* cf. 1, 129; de plurali cf. 5, 359. — Aetna describitur a Lucilio carmine peculiari et a Claud. RP. 1, 160 sq.

Interdumque atram prorumpit ad aethera nubem
Turbine fumantem piceo et candente favilla
Attollitque globos flammarum et sidera lambit;
Interdum scopulos avolsaque viscera montis
Erigit eructans liquefactaque saxa sub auras
Cum gemitu glomerat fundoque exaestuat imo.
Fama est, Enceladi semiustum fulmine corpus
Urgueri mole hac ingentemque insuper Aetnam
Impositam ruptis flammam exspirare caminis;
Et fessum quoties mutet latus, intremere omnem
Murmure Trinacriam et caelum subtexere fumo.
Noctem illam tecti silvis immania monstra
Perferimus, nec quae sonitum det caussa videmus,
Nam neque erant astrorum ignes, nec lucidus aethra
Siderea polus, obscuro sed nubila caelo,
Et lunam in nimbo nox intempesta tenebat.

572. *prorumpit nubem.* Verbum h. l. est transitivum. Ita simplex *rumpere* in usu est; cf. 2, 129 et *erumpere* cf. 1, 580. — Quae sequuntur omnia iis plana fore puto, quibus tales descriptiones iam lectae sunt; omnia enim sunt ad rerum naturam conformata; neque Favorino assentior, ob nimium tumorem hanc Aetnae descriptionem improbanti apud Gellium 17, 10. Inter antiquos, qui erumpentes Aetnae ignes descripsere, excellunt Pindarus Pyth. 1, 21 et Lucretius 6, 686 sq.

578. *fama* est c. inf. 5, 638. — *semiustum* cf. 4, 686. — Enceladus, unus Gigantum, quem Iuppiter fulmine prostravit et iniecto Aetnae monte pressit, si movet se uno in latere cubando lassus, excitatur Aetna. Idem testatur Claud. RP. 1, 153 sq. Secundum alios, ut Pindarum l. l. Ovidium Met. 5, 346. Val. Fl. 2, 24. impositus est Aetna Typhoeo, cui Virg. 9, 715 et Lucanus Phars. 5, 101 iniectam dicunt insulam Inarimen.

579. *insuper impositam* cf. 1, 61. *Aetnam im—tam* Mss. *Aetna im—ta Ld.* ex coniectura Meisteri probante Büchnero, qui legi vult praeterea: *in molem hic ingenti.*

581. *mutet* M1P. al. — *mutat* Don. — *motat* γ. praelatum a Servio, qui haec habet: „*Motat*, frequenter movet, nam si *mutat* legeris, dat refectionem labori.“ Sed id ipsum verum est, additum est enim *quoties*, quod propter vocabulum iam ut propter *fessum* non fertur *mutat* frequentativum, neque semper Aetna ignes et saxa evomit; atque simili modo dixerunt, qui Virgilium secuti sunt poetae, ut Stat. Theb. 3, 595 *ubi temtat Enceladus mutare latus.* Claud. RP. 1, 157 *et quoties detrectat onus cervice rebelli in dextrum laevumque latus. Mutare latus* est se vertere ap. Ov. M. 13, 937.

582. *Subtexit* Trinacria caelum fumo: Ita apud Lucr. 5, 467 *Corpore concreto subtexunt nubila caelum.* Avien. descr. terr. 1248 *Missilibus late subtexitur aer*; 64 *Pingue tenebrosa caelum subtexitur aethra*, et Lucr. 6, 478 Nubes *suffundunt sua caelum caligine.* Contra Ov. M. 14, 368 Circe solet carmine *patrio capiti (Soli) bibulas subtexere nubes*, variata structura. Cf. 6, 229. — Cf. *praetexere* 4, 500. Attende poetam in re terribili et grandi uti verbis poeticis, qualia sunt *horrificus*, *favilla*, *exaestuare*, *semiustus*, *intremere*, *subtexere*, *lucidus*, *aethra*, *sidereus.*

583. *Tecti silvis* et prope mare; vesperi enim appulerant et primo in litore consederant. — *Monstra* sunt eructantis Aetnae fragores, quorum caussas propter noctem et silvarum umbras non percipiunt.

585. *aethra siderea:* „Per aethram sideream h. e. per splendorem *aetheris.* Sane *aether* est ipsum elementum, *aethra* vero splendor *aetheris.*“ S. Nonnunquam etiam de caelo, sed non videtur dici nisi de liquido et lucido 12, 247. Sil. 4, 103 *liquida non ullis nubibus aethra;* et iam Ennius vocabulo usus est ap. Macr. 6, 4. Poetis autem videtur esse in usu, apud Ciceronem certe ND. 2, 45 nunc *aether* legitur.

587. *Nox intempesta* est: „quae non habet idoneum tempus rebus gerendis“ Macr. Sat. 1, 3. extr. „Nox intempesta dicta est media, tamquam inactuosa.“ S. Confer illud XII tabularum *Solis occasus extrema tempestas esto.*

Postera iamque dies primo surgebat Eoo,
Humentemque Aurora polo dimoverat umbram:
Quum subito e silvis macie confecta suprema
Ignoti nova forma viri miserandaque cultu
Procedit supplexque manus ad litora tendit.
Respicimus. Dira illuvies, immissaque barba,
Consertum tegumen spinis: at cetera Graius,
Et quondam patriis ad Troiam missus in armis.
Isque ubi Dardanios habitus et Troia vidit
Arma procul, paulum adspectu conterritus haesit
Continuitque gradum; mox sese ad litora praeceps
Cum fletu precibusque tulit: Per sidera testor,

588—654. Achemenides, Ulysses socius a Troianis petit auxilium.

588. De Achemenide cf. Ov. M. 14, 154 sq.

588. Ubi primum dies apparuit, Achemenides ex silva procedit. — *Eous* dicitur Lucifer G. 1, 288; et *primo Eoo* h. l. et 11. 4 dixit pro *primo mane*, formula adverbiali. Dies autem surgit, quando Aurora umbram repulit.

589. Idem v. 4, 7.

590. *Quum* cum indicativo in apodosi saepe invenitur, ut nostrum *da*. Cf. Gr. § 417, 3. *Coenabam apud Heium, quum utrique nostrum redditae sunt a te litterae* C. Fam. 9, 7. Sic in Aeneide in protasi imperfectum, in apodosi et perfectum 1, 223. 3, 137. 5, 84. 838. 6, 125. 7, 27 et plusquamperfectum 2, 259 et praesens 3, 521. In protasi praesens, in apodosi praesens 1, 509. 3, 645. 5, 328 et imperfectum 3, 301. In protasi infinitivus hist., in apodosi perfectum 5, 654. In protasi imperfectum et plusquamperfectum, in apodosi praesens hist. 4, 6 et h. l.

591. *Nova forma viri* cf. 4, 132 i. e. non hominem sed homini simile aliquid vident. „Bene formam viri dixit, non hominem." S. Sic Scipio Poenos Alpes transgressos *effigies et umbras hominum* vocat Liv. 21, 40. — *miseranda cultu* i. e. habitu et vestitu, ut Vell. 1, 2 *Codrus deposita veste regia pastoralem cultum induit.*

593. De nominativo paene absoluto cf. ad 2, 170. — *Immissa barba*, ita Ov. M. 12, 352 *Immissa protectum pectora barba Hipphason sternit.* Immissa autem barba et immissi capilli memorantur, ubi negligentia in cultu describitur, ut Ov. M. 5, 338. 6, 168. Trist. 1, 3, 90 *Squalidus immissis hirta per ora comis.* Alia est *promissa* caesaries.

594. *Cetera*, ut 9, 656. adverbium cf. Gr. § 306. Sall. Iug. 19 *Rec Bocchus praeter nomen cetera ignarus populi Romani.* Liv. 1, 35 *vir cetera egregius.* Vell. 2, 46 *cetera sanctissimus.* — *Graius* ex habitu et vestimentorum laciniis cognosci poterat.

595. Militasse eum contra Troiam ex ipso audiit Aeneas, neque ex eius cultu iam cognovit; neque id voluit indicare poeta; sed Aeneas addere debebat id, quo sine Dido, cui narrabat. ea quae sequuntur, non poterat intelligere. Itaque hunc versum, ut qui ea quae facit Achemenides 596. explicet, abesse nolimus, neque quod 2, 87 est similis, ex illo hunc ab alio quodam formatum putamus. Versum delet *Rb.*, probante *Ld.*, sed non delet. *Pl.* defendit, quod ex ipsis armis quae Achemenides gerebat, Aeneas cognoverit eum esse ex iis, qui ad Troiam pugnassent.

596. *Isque* ita 2, 115. 4, 203. 5, 708. 6, 684. 9, 549 sequente vocali pro *is*, ex latini sermonis indole, qua saepe copula praeter necessitatem additur: cf. *neque enim* pro *non enim; namque, etenim* pro *nam* et *enim*. Neque illud *isque* est ap. poetam solum sed etiam ap. Ciceronem. Cf. Off. 2, 23 *Aratus Alexandriam se proficisci velle dixit remque integram ad reditum suum iussit esse; isque celeriter ad Ptolemaeum, suum hospitem, venit.* Cf. Gr. § 382 An. 1.

597. Recte prius timet et subsistit, quum hostes videat; mox tamen Cyclopum recordatus immanitatem, quidvis pati potius, quam inter eos morari paratus est.

599. *se tulit* cf. 1, 314. — *per sidera.* Quum die haec facta sint et ap. Ov. in eadem de Achemenide narratione, 14, 172 sit *Quod loquor et spiro caelum et sidera Solis adspicio. ille dedit*, facile h. l. *sidera* de solo sole intelligitur. neque absurdum est 2, 154 unum solem cogitare, ut *Titania astra* 6, 725

Per superos atque hoc caeli spirabile lumen,
Tollite me, Teucri; quascunque abducite terras;
Hoc sat erit. Scio me Danais e classibus unum,
Et bello Iliacos fateor petiisse Penates.
Pro quo, si sceleris tanta est iniuria nostri,
Spargite me in fluctus vastoque immergite ponto.
Si pereo, hominum manibus periisse iuvabit.
Dixerat, et genua amplexus genibusque volutans
Haerebat. Quis sit, fari, quo sanguine cretus,
Hortamur; quae deinde agitet Fortuna fateri.
Ipse pater dextram Anchises, haud multa moratus,
Dat iuveni atque animum praesenti pignore firmat.
Ille haec, deposita tandem formidine, fatur:
Sum patria ex Ithaca, comes infelicis Ulixi,
Nomen Achemenides, Troiam genitore Adamasto

significant solem, sic *sidera* 5, 256. G. 4, 58.

600. *spirabile lumen.* Lumen et aera, quem haurimus, non ita discernunt poetae, ut physici. Cf. *Es freue sich, wer da athmet im rosigen Lichte. Schill.* Legitur *animus spirabilis* Cic. ND. 2, 6, 18. *Numen* M1. rec. *Rb.* (natum ex 2, 254.) *nomen* P1. *lumen* M2P2γabc. Lumen est spirabile, et precatur A. per lumen, quod omnibus est commune.

602. *Hoc sat erit* „vitasse Cyclopas". S. — *Scio* etc. neque propterea peto a vobis, ut me benigne excipiatis. Eodem modo scriptum est *scio: Da veniam, scio me ... illicitas tentare vias* Val. Fl. 1, 196. — *Danaus* adiectivum est, ut Ov. M. 13, 59. 92. Cf. 1, 686.

603. *petiisse* sc. me cf. 2, 3. — „Caussa metri addidit syllabam" S. Videmus Servium consentire cum nostris grammaticis, qui formam *isse* alteri *iisse* praeferunt. Quam lubricum ea in re iudicium sit, quum in pedestri scriptore qui describebat pro sua voluntate formas mutare potuerit, facile intelligitur. Apud Virgilium habemus *iisse: abiisse* 2, 25. *periisse* 3, 606. 9, 140. (Luc. 5, 340.) *rediisse* 5, 196. *subiisse* 4, 599. — Ita *petiisse* est ap. Hor. C. 3, 14, 2. — Saepius videtur legi forma *iit*, ut 674 *immugiit*, *leniit* 7, 87, *mugiit* 8, 218, vel apud Ciceronem cf. Gr. § 175. An. 4.

604. *Pro quo* scelere, si eius est tanta iniuria, discerpta membra mea in fluctus proiicite. Cf. 4, 600.

606. *periisse iuvabit* cf. 282.

607. *genibus haerebat: Haerere* enim dativum assumit cf. 4, 73. — *volutans* (*sich windend*) cf. 1, 104.

608. Et nomen eius quaerunt et genus et fortunam. Inde *quis sit* praeferendum est. — „*Qui sit*, hoc est, cuius filius sit, sicut etiam respondet. Nam iam se dixerat Graium." S. Itaque S. *quis sit* legisse censendus est, non *qui sit*. At quum antiquis in libris litterae, si eaedem colliduntur, semel scribi soleant QUISIT, ex libris ipsis demonstrari hoc loco nihil potest. *Qui* sit esset idem quod statim sequitur, *quae* eum *agitet fortuna*. — *quo sanguine cretus* cf. 4, 191.

609. *hortamur fari* cf. 2, 33. — *quae agitet* eum *fortuna* cf. 331. — *Fateri* est indicare verum; neque ubique subest illud, cupere aliquem aliquid quam maxime possit celare. — *deinde* cf. 5, 14.

611. *iuveni* pro *ei* cf. 2, 79. — *praesenti pignore* „manus coniunctione, qua firmabantur amicitiae ut" 1, 408. 3, 83. S.

612—654. Achemenides narrat de Polyphemo.

612. Idem versus 2, 76.

613. Hanc de Achemenide historiam intexuit Virgilius, ut Cyclopum fabulam suo carmini inferre posset, Aeneam enim cum Cyclopibus rem habuisse traditum non erat. Ante oculos habuit Hom. Od. 9, 286—566, Virgilium Ovidius M. 13 et 14 et ita versatus est Vgl. ut quae Homerus dederat, vitaret. Sic 6, 168. 7, 10. — *Patria* non est adiectivum, sed additum appositione. — *Ulixi* cf. 1, 30. — *Infelix* loco aptum est, eoque vocabulo leniit Troianorum in Ulyssem iram.

614. *nomen Achemenides* cf. v. 18. Sed *nomine* inesse dicitur in MP. et rec. *Rb. Ld.; nomen* est praeferendam iam propter sequentem ablativum. — *genitore Adamasto paupere:* Cf. Cic. Cat. 1, 2, 4 *interfectus est C. Gracchus*,

Paupere — mansissetque utinam fortuna! — profectus.
Hic me, dum trepidi crudelia limina linquunt,
Immemores socii vasto Cyclopis in antro
Deseruere. Domus sanie dapibusque cruentis,
Intus opaca, ingens. Ipse arduus, altaque pulsat
Sidera — Di, talem terris avertite pestem! —
Nec visu facilis, nec dictu adfabilis ulli.
Visceribus miserorum et sanguine vescitur atro.
Vidi egomet, duo de numero quum corpora nostro
Prensa manu magna medio resupinus in antro
Frangeret ad saxum, sanieque adspersa natarent
Limina; vidi atro quum membra fluentia tabo
Manderet et trepidi tremerent sub dentibus artus.
Haud impune quidem; nec talia passus Ulixes,
Oblitusve sui est Ithacus discrimine tanto.

clarissimo patre, avo, maioribus. Aen. 11, 666 fundit *Euneum*, *Clitio patre.* Neque *profectus* est cum *Adamasto* iungendum. De abl. cf. Gr. § 316.

615. *mansissetque utinam fortuna:* Utinam mansissem, quo fui statu et loco; utinam pauper domi mansissem. Nunc quaesitis militia divitiis factus sum omnium miserrimus. Tangit illos, qui signa sequebantur, ut divitias sibi pararent. Cf. 2, 87. Tib. 1, 1, 1. *Pl.* quod „non satis sunt elaborata“ eiicit *Troiam — profectus.*

616. *crudelia limina* cf. 1, 355 „Speluncam Cyclopis Polyphemi“ S. Dum occaecato Polyphemo trepidi aufugiunt et suam quisque curat salutem, hic relinquitur. — *hic — in antro* cf. 5, 609. — *Trepidi* et trementes et festinantes signat cf. 10, 283.

617. *immemores* sc. mei cf. 2, 244. Saepius enim adiectiva relativa ponuntur nude, siquidem quo referantur apparet.

618. *domus sanie dapibusque cruentis.* De abl. materiae cf. Gr. § 310. — Quae imago domus sanie et cruore constantis quum vasta videretur, inde ortae sunt coniecturae, ut *cruenta*, et *Pl.*, quum etiam illud *intus* satis supervacuum haberet, scripsit *cruentis pinguis, opaca*, cf. 4, 201 *pecudumque cruore pingue solum.* At mutari quidquam opus non est.

619. Saepius *ingens* alteri adiectivo subnectitur cf. 6, 283. Spelunca opacitate terribilis terribilior fit magnitudine.

621. *Nec visu facilis*, „cuius possit etiam adspectus inferre formidinem.“ S.

623. *Vidi egomet* emphasis est cf. 2, 499.

624. *resupinus:* „magnitudo virtutis ostenditur“; S. quod una manu et resupinus cubans ad saxa frangit homines. Sic *iacens* haec facit ap. Ov. v. 207.

625. *Natant limina*, ut nos *die Stube schwimmt.* G. 1, 372 *Omnia plenis rura natant fossis.* Cic. Phil. 2, 41 *Natabant pavimenta vino, madebant parietes.* Ov. M. 13, 629 *manans sanguine terra.* Simili modo A. 11, 382 *inundant sanguine fossae.* Sic Lucr. 6, 266. 404 *campos natare* dixit, qui aquis teguntur. — „*Exspersa:* haec fuit vera lectio i. e. madefacta. (Idque receperunt *Hn. Wg. Rb.*) Nam si *adspersa* (quod est MP. rec. *Ld.*) dixeris i. e. irrorata, tapinosis et hyperbole iunguntur.“ S. Sed illius significationis v. *exspersa* exemplum praeter hunc locum non reperitur. *Exspersum* cerebrum facile intelligitur et probatur exemplis, non ita *exspersus* pro *conspersus.* Et *exspersa* Servius ex sua opinione, qua *adspersa* tapinosin sumit esse, videtur finxisse. Quare retinendum est *adspersa.*

627. *tepidi;* „Melius *tepidi* (sic M2P1) quasi adhuc vivi, quam *trepidi* (sic M1P2 sec. *Rb.* De ceteris Mss. nihil constat) i. e. trementes, ne sit iteratio.“ S. Neque tamen hoc absurdum cf. 4, 22. et ipsam iterationem laudant *Nck. Ld.* Is *tepidi* improbat, quod nequeat id Achemenides videre. At si *tepidos* videre non potuit, non potuit *trepidos.* *Tepidi* rec. *Wg. Rb.* *trepidi* rec. *Hs. Pl* Possunt aliqua dici in utramque partem. De libris non constat. — Ad rem cf. Ov. M. 14, 196 *elisi trepident sub dentibus artus.* — Plena sunt haec terroris, sed ad Polyphemi atrocitatem accomodata.

628. *nec talia passus* i. e. non patienter tulit. Cf. Hor. C. 3, 24, 42 *Pauperies iubet quidvis et facere et pati.*

629. *Oblitusve sui est* suarum virium

Nam simul expletus dapibus vinoque sepultus
Cervicem inflexam posuit iacuitque per antrum
Immensus saniem eructans ac frusta cruento
Per somnum commixta mero, nos magna precati
Numina sortitique vices una undique circum
Fundimur et telo lumen terebramus acuto
Ingens, quod torva solum sub fronte latebat,
Argolici clipei aut Phoebeae lampadis instar,
Et tandem laeti sociorum ulciscimur umbras.
Sed fugite, o miseri, fugite, atque a litore funem
Rumpite.
Nam qualis quantusque cavo Polyphemus in antro

et artium cf. Val. Fl. 3, 664 *oblita Iuno sui, numine fesso.*

630. *Simul* pro simulatque apud optimum quemque scriptorem, imprimis apud Sallustium. Cf. Cic. Att. 8, 1 *Simul aliquid audiero, scribam ad te.* — *vino sepultus* cf. 2, 265.

631. *Iacuit per antrum.* „Varro ait in lecto temulentos iacere, sobrios cubare consuescere.“ S. — *immensus* M. *immensum* P. „*Immensum* ad Polyphemi magnitudinem pertinet, quasi in toto antro iacuerit.“ S. — *Immensam* al. (?) ita ut ad *saniem* retrahatur, signeturque eo adiectivo magna Polyphemi voracitas, quae saepissime notatur. Comparatur a Peerlkampio Boeth. 4 Metrum 7: *Flevit amissos Ithacus sodales Quos ferus vasto recubans in antro Mersit immani Polyphemus alvo.* Quare *immersam* pro *immensam* substituere iam viro docto placuit! Hunc locum laudavit Quintilianus 8, 3, 84: „Virtus est ἔμφασις, altiorem praebens intellectum, quam quem verba per se ipsa declarant. Eius sunt duae species, altera quae plus significat, quam dicit, altera, quae etiam id, quod non dicit. Prior est apud Homerum, quum Menelaus Graios in equum *descendisse* ait; nam verbo uno magnitudinem eius ostendit: et apud Virgilium *Demissum lapsi per funem.* Nam sic quoque altitudo demonstrata est. Idem Cyclopa quum *iacuisse* dixit *per antrum*, prodigiosum illud corpus spatio loci mensus est.“ De ea significatione praepositionis *per* cf. 5, 102. — Verba autem Quintiliani propterea attuli, ut intelligeretur, nihil ex iis posse de scriptura confici; quare et ii, qui *immensam*, et qui *immensum*, et qui *immensus* probant, ad eum provocant. Tamen si verba premimus, quum dicat *mensus est*, non *signat* vel *indicat:* probabile est aliquod eum legisse vocabulum, quo illa magnitudo indicaretur; idque est *immensus.* Quod mutatum est in *immensum* propter *antrum* et in *immensam* propter *saniem;* quod saepissime factum videmus a librariis, ut adiectivum ad proximum nomen referrent. Cf. *Totoque ingens extenditur antro* 6, 423.

634. *sortiti vices* quo quis loco staret cf. 8, 445. Quum composuissemus quae cuiusque essent partes in aggrediendo Polyphemo.

635. *lumen*, oculum, saepissime ap. poetas. Cf. 2, 405. *circumfundimur* cf. 2, 383.

636. *Latebat* supercilio et palpebris tectus oculus tantus, unde totius oris intelligitur terribilitas.

637. Qualis clipeus Argolicus est, qui rotundus erat et tantae magnitudinis ut hominem tegeret. Cf. 286. Sic ap. Ov. M. 13, 851 Polyphemus, *Unum*, inquit, *est in media lumen mihi fronte, sed instar ingentis clipei.* — *Phoebea lampas* est Sol cf. 4, 6; itaque quantus Sol videntibus est, tantus est eius oculus. Quominus solem cum splendore oculi comparatum accipias, impedit iam *aut* particula et nexus sententiarum.

638. *et tandem:* Cognosce oculi magnitudinem ex eo, quod tot homines, machinis etiam instructi, modo post longum tempus dormienti possunt effodere.

639. *sed fugite:* Media in narratione quam terribiles sint Cyclopes reminiscitur.

640. *Rumpite* festinationem suadet magis quam *solvite* cf. 4, 575.

641. Ad *qualis quantusque* sufficeret addi *est;* vitavit tamen poeta simplicem eam rationem verbi substantivi additque singulare aliquid; quod iam vidimus factum esse 1, 316. 498. et fit 7, 720. 9, 102 al. Erat enim Polyphemus studiosus rei pecuariae; hanc igitur memorat poeta, neque curavit, quod in ea nihil inesset, quod terrorem moveret. Is tamen satis iam indicatus est, neque eiicere licet ver-

Lanigeras claudit pecudes atque ubera pressat,
Centum alii curva haec habitant ad litora vulgo
Infandi Cyclopes et altis montibus errant.
Tertia iam Lunae se cornua lumine complent,
Quum vitam in silvis inter deserta ferarum
Lustra domosque traho vastosque ab rupe Cyclopas
Prospicio sonitumque pedum vocemque tremesco.
Victum infelicem, bacas lapidosaque corna,
Dant rami et volsis pascunt radicibus herbae.
Omnia collustrans hanc primum ad litora classem
Prospexi venientem. Huic me, quaecunque fuisset,
Addixi; satis est gentem effugisse nefandam.
Vos animam hanc potius quocunque absumite leto.
Vix ea fatus erat, summo quum monte videmus
Ipsum inter pecudes vasta se mole moventem
Pastorem Polyphemum et litora nota petentem,
Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum,
Trunca manu pinus regit et vestigia firmat;

sum 642, quod vult *Pl.* Hoc enim eiecto *cavo in antro* non habet, cui apte iungatur. Bryantius eiicit 641—44, laudatus ab Heynio. Tamen abesse non possunt, continent enim caussam exhortationis, quae est 639.

643. *Curva* etc. ne tantum in montibus esse putarentur. — *vulgo:* passim S. ..cf. 6, 283. E. 4, 25. G. 3, 494. Liv. 26, 27. *vulgo facere incendia.*" *Wg.*

644. Cyclopibus cedunt omnia, id etiam sublata versus caesura indicatur.

645. *Se cornua lumine complent;* ita Ov. M. 7, 179 *Tres aberant noctes, ut cornua tota coirent efficerentque orbem.* 530 *iunctis implevit cornibus orbem luna.* 10, 295 *coactis cornibus in plenum lunaribus orbem.* Ubique cornua lunae coire finguntur et luna quovis mense alia apparere. — *Iam — quum* cf. 590.

646. *Lustrum*, cubile ferarum in silvis, ut G. 2, 471 *saltus ac lustra ferarum* — *deserta* sc. ab hominibus cf. 4. 2, 714. Inter bestias homo degere cogitur. — *vitam traho* cf. 2, 92.

648. *Ab rupe prospicio*, speculor. *Prospicio* et cum *ex* Cat. Epith. 61 *Quem procul ex alga maestis Minois ocellis prospicit*, et *de* iungitur Stat. Theb. 9, 895 *frustra de colle Lycaei anxia prospectas.* Inest autem anxietatis notio et in his locis et 1, 181. 2, 733. Cf. *circumspicere* v. 517 et *adspicere* 2, 596. Inest enim in hoc verbo *specere* diligentiae notio; inde *inspicere, specula, speculari*, alia. — *tremesco aliquid* cf. 11, 404.

652. *prospexi* M. rec. *Ld.* cf. 7, 288. 11, 909. *conspexi* P. rec. *Wg. Rb. fuisset* cf. 2, 94.

653. *Addixi* est totum tradere me constitui. Est enim *addicere* verbum praetoris, quo quid in alicuius potestatem cedere iubet. Inde *addicti* in iure Romano et notus ille versus Horatii Ep. 1, 1, 14 *nullius addictus iurare in verba magistri. Pl.:* „Fortasse Vgl. scripsit *Omnia collustrans, ut primum ad l. c. Conspexi venientem, huic me, quaecunque fuisset, addixi.*"

655—691. Troiani Polyphemum et Cyclopas fugiunt.

655. *vix — quum* cf. 8.

656. *vasta se mole moventem:* Non dixit *ferentem*, quo minueretur ea tarditatis et molis notio. Monstri autem vastitas et incedendi tarditas et versuum signatur tarditate et homoioteleuto.

659. *trunca pinus* i. e. ramis desectis. — *manu* M. ab alio addita littera *m. manu* Mss. vetustiores. *manum* recentiores et Quint. 8, 4, 24: „Quin ex instrumento quoque heroum illorum magnitudo aestimanda nobis datur. Huc pertinet clipeus Aiacis et pelias Achillis. Qua virtute egregie est usus in Cyclope Vgl. Nam quod illud corpus mente concipiam, cuius *trunca manum pinus regit?*" Atque hoc est planissimum: *Pinus* est index viae et firmamentum; quare regere dicitur *manum pinus*, sed regit etiam *pinus manu hominem*, sive vestigia hominis, quum pinu praetenta manu viam exploret. — *Manu* si legitur, obiectum

Lanigerae comitantur oves; ea sola voluptas,
Solamenque mali.
Postquam altos tetigit fluctus et ad aequora venit,
Luminis effossi fluidum lavit inde cruorem,
Dentibus infrendens gemitu, graditurque per aequor
Iam medium, necdum fluctus latera ardua tinxit.
Nos procul inde fugam trepidi celerare, recepto
Supplice sic merito, tacitique incidere funem;
Verrimus et proni certantibus aequora remis;
Sensit, et ad sonitum vocis vestigia torsit.
Verum ubi nulla datur dextra adfectare potestas,

supplendum est, quod facile fit; potest etiam iungi *monstrum .. pinus regit;* sed praestat tamen v. 658 non iungere sequentibus. — Cf. Claud. R. P. 1, 19 *Ebria Maeonius firmat vestigia thyrsus. Pl.:* coni. *Trunca viam pinus.*

661. Oves sunt unum eius solamen. Additum est in P.: *de collo fistula pendet (!)* omissum in MF.

662. Postquam eo progressus est, ubi alta est aqua et aequor iam non vadum. *Pl.* pro coniectandi sua libidine dat *Postquam albos* etc., nam albos fluctus esse in litore. „Mirum interea poetas, quantum novi non dedisse fluctus albos, licet albescere cognitum sit. Nihil obstat quominus dixerint.“ (!) Potuit videre Batavus albescere quidem sed non esse albos, potuit intelligere ingentem hominem, qualis erat Polyphemus, non posse oculum lavare in vado.

663. *Inde* est aqua marina. Cf. Ov. F. 3, 273 *rivus .. inde bibes.* Sall. Cat. 22 *Fuere qui dicerent Catilinam .. humani corporis sanguinem vino permixtum in pateris circumtulisse. Inde quum .. omnes degustavissent.* Flor. 2, 18, 14. Cf. 8, 71. *Pl.:* „Vocabulum *inde* nunquam tolerare potui... Pro *inde* legamus *orbe.*“ — *fluidum*, fluentem, ut Ov. M. 4, 482.

665. *aequor medium* cf. 5, 1. — „*fluctu* legitur et *fluctus.*“ S. *fluctus* M. sed s littera delenda notatur. *fluctus* etiam alii Mss. dicuntur exhibere. Utrumque bonum.

667. *merito*, ut reciperetur cf. 2, 585. Meruit autem, quod homo est, quod totum se tradidit, quod tuitus est a Polyphemo.

668. *verrimus* Mss. plurimi. — *vertimus* MF cf. 290. — Quum solvissent taciti, non iam silentii sed celeritatis studiosi strepitum movent.

669. *sensit* sc. remorum sonitum cf. 2, 377. — *Ad sonitum vocis:* „remorum sonitum vocem dixit. *Vox* enim omne est quod sonat“ S. Sic alibi (556). Nam de hominibus non dixit, quia supra est: *tacitique incidere funem.* Sic G. 4, 49. *ubi concava pulsu saxa sonant, vocisque* (quae oritur ex saxorum sonitu) *offensa resultat imago.* Ex quo loco etiam illa abundantia, quae est in *sonitus vocis*, potest explicari. *Pl* pro *vocis* legi vult *Cyclops* — „*vestigia torsit:* Bene uno sermone ostendit. eum revertentem iam audisse sonum remigii.“ S.

670. *Dextra adfectare* et *dextram* legitur in Mss. sed non constat de singulis; in M. est *dextrum* expuncto *um* et supra scripto *a.* „*Dextram affectare*, dextram intendere, scilicet sic, ut posset navem tenere. Terentius (Heaut. 2, 3, 60): *Ad dominam qui affectant viam*, i. e. intendunt. Nam si *dextra* legeris, ut sit *dextra affectare, contingere.* caret exemplo.“ S. Videmus *dextra* esse a Servio lectum, sed improbatum; neque a vero aberrare videmur, si *dextram* aut ab ipso aut ab alio grammatico ob eam caussam, quam affert S.. illatum esse statuimus. Iam vero *affectare viam* saepius legitur ut G. 4, 562 *viamque adfectat Olympo.* Ter. Phorm. 5, 7, (9.) 71 *Ad me adfectant viam*, alibi. Neque tamen ex ea formula potest *dextram affectare* aliter explicari, quam appetere dextram sc. alius, non protendere suam. Iam verbi significatio ut frequentativi verbi *afficere* reperitur Liv. 29, 10: *se exercitumque suum gravi morbo affectari.* Sed *afficere aliquem dextra*, i. e. dextra comprehendere non dicitur, ut *afficere aliquem morbo, laetitia.* Deinde dicitur *affectare rem*, ut *gloriam, regnum* et est studiose quaerere, appetere; cf. Sall. Iug. 66 *civitates, quae a se defecerant, formidine aut ostentando praemia affectare.* Vell. 2, 39 *Gallias saepe et affectavimus et amisimus.* Tac. H. 4, 66 *Civilis proximas civitates affectare aut adversantibus bellum inferre statuit*, alia. Ita etiam *dextra affectare* (sc. nos vel naves cf. 2, 492.)

Nec potis Ionios fluctus aequare sequendo,
Clamorem immensum tollit, quo pontus et omnes
Contremuere undae penitusque exterrita tellus
Italiae curvisque immugiit Aetna cavernis.
At genus e silvis Cyclopum et montibus altis
Excitum ruit ad portus et litora complent.
Cernimus adstantes nequidquam lumine torvo
Aetnaeos fratres, caelo capita alta ferentes,
Concilium horrendum, quales quum vertice celso
Aeriae quercus, aut coniferae cyparissi
Constiterunt, silva alta Iovis lucusve Dianae.
Praecipites metus acer agit quocunque rudentes
Excutere et ventis intendere vela secundis.
Contra iussa monent Heleni Scyllam atque Charybdim;
Inter utramque viam leti discrimine parvo
Ni teneant cursus, certum est dare lintea retro.

potestas potest dici, etiamsi caret exemplo, ut recte monet Servius. *Pl.* coni. *nulla viam datur affectare.*

671. *nec potis* „i. e. nec potis est. (cf. 5, 362) *Potis* autem nomen est." S.

672. Ionii fluctus sunt qui veniunt ex mari Ionio; itaque ventus eos in fretum Siculum propellit, in quo Scylla et Charybdis minantur interitum cf. 684. — De verbo *aequare* cf. 10, 248 *ventos aequante sagitta.* Non potest tam celeriter sequi, quam fluctibus feruntur naves. De gerundio cf. 2, 6.

673. *contremuere* M. fortius, quam *intremuere*, quod est in FP. et v. 581. Est enim tremere toto quasi corpore et per partes omnes. Cat. Epith. 205 *quo tunc et tellus atque horrida contremuerunt aequora, concussitque micantia sidera mundus.* — *exterrita* sc. est.

674. De forma *immugiit* cf. 603. De verbo 92.

676. *genus Cyclopum ruit — complent* cf. 1, 212.

677. *nequidquam.* Nihil enim proficiunt ira, quam torvis indicant oculis, quum nos non possint attingere.

681. *constiterunt:* perfectum in comparatione cf. 2, 380. — Iovi quercus, Dianae sive Hecatae sacrae sunt cupressi cf. 64. Silva alta est, quod sacrae arbores non caedebantur. Cf. 12, 779. Ov. F. 4, 649. M. 2, 418.

682. *Agit* c. inf. ap. Stat. Theb. 3, 625. 8, 262.

683. *Ventis secundis v. i.*, i. e. quocunque ferunt venti, vela intendunt, ut *secundo flumine navigare* dicuntur, qui secundum flumen navigant.

684—686. Hi versus varie explicati, multifariis coniecturis tentati, a nonnullis interpretibus aut omnes aut ex parte eiecti sunt. Troiani in altum cupiunt evolare, ut effugiant Cyclopes; quare vento se dant cuivis, quo a litore avehuntur. Sed is ventus in fretum Siculum infert, in quo sunt Scylla et Ch. Helenus autem supra monuerat, ut iter facere mallent circum Siciliam quam inter Scyllam et Charybdim navigando subire mortis pericula. Haec *iussa* nunc *monent erinnern an Scylla u. Ch* Sic *moneo* 712 et ap. Phaedr. prol. *Duplex libelli dos est, quod risum movet, Et quod prudenti vitam consilio monet.* Ut *admonere* Sall. Iug. 79 *eam rem nos locus admonuit.* Tib. 4, 1, 189 *quum memor ante actos semper dolor admonet annos.* — Quid igitur faciendum erat? Id explicatur versibus sequentibus. Ut verba posita sunt, iungitur *via leti*, quae est via, quae ad mortem ducit; sic *leti via* Ov. M. 11, 792. Luc. 4, 267. Sen. Phoen. 304. *leti mille viae* Tib. 1, 3, 49. *mortis aperta via est* Tib. 1, 10, 4. *iter caeli* Val. Fl. 1, 565. *sedis iter* 793. *via salutis* Aen. 6, 96. *via* et *iter gloriae* Cic. Phil. 1, 14. Cf. Gr. § 255. An. 2. — *Cursum tenere Cours halten* est a recta via non aberrare (cf. 283. 5, 1.) Cic. ND. 3, 34, 83 *secundissimo vento cursum teneret.* Caes. BG. 5, 8 *cursum non tenuit.* Quare cum hoc recte iungitur *discrimine parvo.* Cursus teneri quidem potest inter Scyllam et Ch., sed *tenui discrimine;* potest quis salvus pervadere, sed res est difficilis. Attende quod Argonautae inter rupes Cyaneas vecti: omnes validis *tenui discrimine* remis pergere *iter* mediosque ratem per-

Ecce autem Boreas angusta ab sede Pelori
Missus adest. Vivo praetervehor ostia saxo
Pantagiae, Megarosque sinus, Thapsumque iacentem.
Talia monstrabat relegens errata retrorsum
Litora Achemenides, comes infelicis Ulixi.
Sicanio praetenta sinu iacet insula contra
Plemyrium undosum; nomen dixere priores

ferre per ictus cogebantur V. Fl. 4, 689, qui hunc locum videtur respexisse. Iam quaeritur, quid sit subiectum ad *teneant*. Numquid potest ex lege grammatica esse aliud quam *lintea*, quae quum plura sint, ut naves sunt plures, habent etiam *cursus*. De h. plurali cf. 5, 359. Itaque haec efficitur sententia: Scyllae et Ch. iniecta cogitatione nisi possimus linteis, velis, inter duo mortis pericula cursum tenere, certum est, stat regredi, vela retrorsum vertere. Quae nova difficultas, naves plenis velis currentes inhibere, ecce tollitur subito flante Borea. — *Retro dare lintea;* ut ap. Hor. C. 1, 34, 4 *retrorsum vela dare*. Ep. 16, 27 *conversa domum pigeat dare lintea* est formula proverbialis. — Hanc rationem, qui probaverit, non esse intelliget absurdi quidquam in his versibus, nec quod esset contra linguae Latinae indolem. Si versus absunt, illud *ecce* caussam quidem habet satis perspicuam; nam si venti secundi memorantur, statimque Boreas contrarius prioribus, is adversus est navigantibus. Sed cur *venti secundi* malam in partem abigere dicantur, ex his versibus intelligitur; quibus omissis, sententiam, quae inest, certe supplere debemus. Quare omissis iis non expedimur. Haec ratio movit *Pl.*, ut versus defenderet, sed mutavit: Contra i. m. Heleni Scyllae atque Charybdis: *Inter utrumque viam* .. d. parvo. *Ni teneam cursus* .... *Gr.* pro ingenio suo 684—6 eiicit, id probat *Hn.* E. Hoffmann solum 686. Kappes de loco mutavit sententiam suam et nunc Jahns Jhrb. 1870 p. 422 *iussa monent* iungit, antea in *monent* intellexit socios „dabei ragt über den sprechenden Aeneas der ausmalende Dichter hervor (!), wie öfter." Quod ubi factum fuerit, omisit addere. *Hck.: agit: .... Heleni:* ut sequentia contineant iussum Heleni, et *contra* sit praepositio ad *iussa*, moneant autem socii, quos et alii subiectum esse volunt. Sed id non indicavit Vgl., quod debuit, si volebat esse cf. 484. *Hausel: Contra i. m. H., Scylla atque Charybdi Distineant cursus. Certum e. d. l. r. Inter u. v. l. d. p.* Iam satis.

688. *missus* „favore scilicet numinum." S. — *vivo ostia saxo* cf. 618 et Caes. BG. 6, 7 *Erat .. difficili transitu flumen ripisque praeruptis.* — Quid sit vivum cf. 1, 167.

689. *Pantagias* „Fiume di Porcari, parvus fluvius brevi cursu infra Leontinos, cuius ostium praeruptis utrinque rupibus includitur." *Hn.* „Hic fluvius Siciliae quum plenus incederet, implebat sonitu paene totam Siciliam. Unde et Pantagias dictus est, quasi ubique sonans." S. Apud Claud. R. P. 2, 57 dicitur saxa rotare. — „*Megara* oppidum est iuxta Syracusas." S. — *Thapsumque iacentem:* „Thapsus insula non longe a Syracusis paene fluctibus par." S. Inde *iacens* dicitur cf. 1, 224.

690. *Talia monstrabat*, „quia occurrebat, unde haec loca nosti. *relegens*, renavigans" S. Nemo sanus quaeret, unde ea cognita habuerit Aeneas quae variis modis potuit comperire, neque v. 551 sq. unde sciat nomina locorum, indicatur, nec unde ea habeat, quae statim narrat. Accedit, quod in uno Ms. ad marginem hi versus sunt adscripti. Languet illud comes i. U. ex 613 repetitum. Itaque certatim eiecerunt *Wg. Pl. Rb. ego.* Attamen inter nomina quae sunt 689 et quae sequuntur a 692 aliqua desideratur enumerandi intermissio. Igitur esse videtur ipsius poetae. Quum *legere* litus sit praeternavigare, cf. 292., *relegere* est iterum praeternavigare cf. Ov. Trist. 1, 10, 24. — *Errata* „participium sine verbi origine." S. Sic *Erratae terrae* pro pererratae Ov. Fast. 4, 573. Cf. 6, 794.

692—718. Circum Siciliam vecti Drepanum perveniunt. Ibi moritur pater Anchises.

692. *praetenta*. Sic 6, 60.

693. *Plemyrium* M. R. al. — *Plemmyrium* ut videtur unus P. „*Plemyrium undosum* verbum de verbo expressit. Hoc est enim undosum, quod Plemmyrium. πλημμυρία enim inundatio Graecis dicitur." S. Plemmyrium promontorium a Syracusis meridiem versus situm. Insula Ortygia etiam Nasos, Insula, dicta; in eaque fons Arethusae, aqua

Ortygiam. Alpheum fama est huc Elidis amnem
Occultas egisse vias subter mare, qui nunc
Ore, Arethusa, tuo Siculis confunditur undis.
Iussi numina magna loci veneramur; et inde
Exsupero praepingue solum stagnantis Helori.
Hinc altas cautes proiectaque saxa Pachyni
Radimus, et fatis nunquam concessa moveri
Adparet Camarina procul, campique Geloi
[Immanisque Gela fluvii cognomine dicta.]
Arduus inde Acragas ostentat maxima longe
Moenia, [magnanimum quondam generator equorum.]

dulci. Nobilis ille fons inter praestantissima refertur urbis Syracusarum decora a Floro 2, 6, 34. et Cic. Verr. 4, 53. Alphei autem, Elidis fluvii aquae fonte Arethusa reddi dicebantur Strab. 6, 2 p. 31. T. Hac de re fabulam narrat Ov. M. 5, 494 sq. Stat. Silv. 1, 2, 203. Theb. 1, 271. 4, 239. Av. descr. t. 1175.

694. *Nomen dixere Ortygiam* cf. 18.

697. *iussi:* non dicitur a quo. Videntur ab Anchisa iuberi, qui divinandi sua arte praevidet hoc loco olim potentem urbem futuram esse; unde eo in loco deos potentes esse intelligitur. Cf. 8, 353. *Pl.* coni. *N. m. loci iniussi v.(!)*

698. *exsupero* cf. 1, 244. — *Helorus* flumen supra Pachynum in mare fertur, celeriter de montibus decurrens; quare *undae clamosus Helorus* dicitur ap. Sil. 14, 369. In litore leni cursus fluens marisque fluctibus repressus stagnat; unde solum pinguescit. Nunc dicitur *Atellaro* et in parte inferiore *Abiso*.

700. *radimus*, ut 7, 10 *radere litora* i. e. proximo intervallo praeternavigare; *Camarina nunquam concessa moveri:* cf. Sil. 14, 199 *et cui non licitum fatis Camarina moveri.* „Palus est iuxta eiusdem nominis oppidum (Unde *pigra vado Camerina palustri* Claud. R. P. 2, 59.): de qua quodam (!) tempore, quum siccata pestilentiam creasset, consultus Apollo, an eum penitus exhaurire deberent, respondit *μὴ κίνει καμαρίναν, ἀκίνητος γὰρ ἀμείνων.* Quo contempto exsiccaverunt paludem (Neque tamen exsiccata est; nunc *Lago di Camarana.*) et carentes pestilentia, per eam partem ingressis hostibus poenas dederunt.“ S. *nunquam* pro *non* ut 2, 670. *Pl.* illud *nunquam — moveri*, ut poeta indignum delet.

702. *Gelā;* Sil. 14, 219 habet Gelă, formam Romanam: *Venit ab amne trahens nomen Gela.* A fluvio nomen urbis deduci testatur etiam Claud. R. P. 2, 58 *nomenque Gelan qui praebuit urbi concelebrant.* — Urbs autem non potest dici *immanis*, neque propter incolas aut tyrannos, neque ob situm. Itaque referendum ad fluvium, qui turbidus est cf. Ov. Fast. 4, 470 *et te vorticibus non adeunde Gela.* Sed quamvis sit vorticosus, non statim fit *immanis;* et *immania saxa* 1, 139, *immanes orae* 616 recte dicuntur, quod movent terrorem. Neque fluvius aliquis potest dici immanis, quod deus fluvialis bos pingatur; fluviorum enim dii eodem modo omnes finguntur. — Deinde offendimur voce *cognomine* et exspectare nos profitemur: *nomine.* Tum totus versus propterea ineptus, quod in celeri locorum enumeratione, caussa non erat, ut idem bis diceret poeta. Postremo forma flŭvĭī offendit, neque apud Virgilium, (quae ad v. 360 notata sunt, non huc pertinent) neque apud alium antiquiorem reperiuntur. Cf. Gr. § 75 An. 4. Inde coniectura *a fluvio cognomine*, ut *cognomine* sit adiectivum. Sic 6, 383 *Gaudet cognomine terra.* Sed restant ceterae difficultates, quae coniecturis non removentur. Apposuit aliquis ad *campi Geloi: Gela ab fluvii nomine dicta;* quae verba alius fecit versum, epitheto qualicunque, quod versum expleret apposito. *Ld.* versum a Vglio factum putat ad normam H. Il. 2, 711 *Βοιβηΐδα λίμνην, Βοίβην*, ut talem repetitionem Vgl. concipere non potuisse sumatur, nisi ex Homero haustam!

703. *Acragas* mons, in quo postea Agrigentum exstructum est; de quo cf. Polyb. 9, 27. Agrigentini autem et agri fertilitate et mercatura florentes, maximos sumptus in equos alendos contulerant, quibus saepe victoriam Olympiae reportabant. Bellis postea cum Carthaginiensibus et Romanis gestis illa opulentia cessit; quare additum est *quondam;* sed Aeneae tempore nondum erat illa opulentia, nedum loqui potuit Aeneas, quasi iam esset erepta.

704. *Magnanimum* haec genitivi forma

Teque datis linquo ventis, palmosa Selinus,
Et vada dura lego saxis Lilybeia caecis.
Hinc Drepani me portus et inlaetabilis ora
Accipit. Hic, pelagi tot tempestatibus actus,
Heu genitorem, omnis curae casusque levamen,
Amitto Anchisen: hic me, pater optime, fessum
Deseris, heu, tantis nequidquam erepte periclis!
Nec vates Helenus, quum multa horrenda moneret,
Hos mihi praedixit luctus, non dira Celaeno.
Hic labor extremus, longarum haec meta viarum.
Hinc me digressum vestris deus adpulit oris.
Sic pater Aeneas intentis omnibus unus

in hoc adiectivo legitur etiam 6, 307. — *Generator* praeter hunc locum proprie dicitur is, qui generavit. Sed quum dicatur 5, 61 *Troia generatus Acestes*, caussa non est, ut montem equorum, qui in eo nascuntur et aluntur, generatorem posse dici negemus. — „Notandum sane Virgilium haec, quantum ad sua tempora spectat, dicere; non, quantum ad operis. Aenea enim navigante nec fuerat Camerina siccata, nec Gela nec Agrigentum conditae; quod frequenter facit; sed nunc ideo vitiosum est, quia ex persona narrantur Aeneae." S. Haec recte sunt observata; sed Virgilium plane quid aptum esset loco, quid posset credi, nescisse probabile non est, neque eum qui Syracusas urbem non dixit, sed insula Ortygia et fonte Arethusa indicavit locum postea celebrem, iam omnem pulchri sensum exuisse ut putes, vix adduceris. Quare dele v. 702; dele *magnanimum — equorum*. Campi Geloi Acragas mons et Camarina palus erant iam Aeneae tempore, et illud oraculum pertinet ad paludem; quare quum Silius versum legisse videatur, relinquimus intactum. Adde quod, quo tempore illud oraculum datum esset, ignorabatur, ut Vgl. id etiam ad Aeneae tempora potuerit referre. *Ld.* illud *m. q. g* e. prolepsin historicam dicit, firmatque ex 1, 12. Sed ibi recte *Vgl.* Carthaginem dicit urbem antiquam, qualis erat eius tempore, h. l. narrat *Aeneas*. *Pl.* delet.

705. *datis ventis* MRPG. Datis sc. a deo, itaque secundis praetervehor. Nihilominus quod alibi *dare vela* dicitur cf. 1, 35, etiam h. l. *velis* coni. *Rb.*; opinaturque ventis ortum esse ex glossemate ex 4, 546 *ventis dare vela iubebo* nato! et *Ld. ventos dari* Latinum num sit dubitat. *Selinus* „civitas iuxta Lilybaeum, abundans palmis." S. Colonia Megarensium — Strabo suo tempore eam et Gelam aliasque Siciliae urbes non incoli narrat. — Cicero Verr. 5. 33. 87 in australi Siciliae litore palmas multas esse dicit; et nunc prope urbem, cui Mazzara nomen est, in deserto palmis consito splendidae urbis reliquiae conspiciuntur.

706. *vada dura*, Caes. BG. 7. 10 *ne ab re frumentaria duris subvectionibus laboraret.* — *Caeca saxa* sunt latentia cf. 6, 715. — *Lilybaei* portus vadosus erat, ut modo certis viis esset introitus.

707. *Drepanum*, nunc Trapani, „civitas est non longe a monte Eryce trans Lilybaeum." S. — *illaetabilis ora* „propter patris amissionem" S. At etiam litus illud est arenosum et sterile.

710. *pater:* De tali apostrophe cf. 2, 56.

711. *Deseris*, sc. morte. Cf. Val. Fl. 1, 286 *Hic soror* (Helle) *Aeoliden, aevum mansura per omne, deserit, heu saevae nequidquam erepta novercae.* — „Cato eum ad Italiam venisse docet, unde etiam in sexto illud amphibolon est; *Quo magis Italia mecum laetere reperta.*" S. Anchisae tumulus diversissimis in locis ostendebatur, in Troade, Pallene, Arcadia, Eryce. Obitum autem Anchisae Vgl. ponit, quod in sequentibus eius nullae poterant esse partes. — Qua cum observatione congruit altera, quod Aeneam ea omnia, quae sub Anchise peregerat, narrantem fecit Vgl., contra dehinc ipsum agentem videmus.

713. *Non dira Celaeno* „quae vel irata debuit adversa praedicere. Et bona pietate mortem patris graviorem dicit esse quam famem." S.

715. *Hinc me* redit ad illa, quae sunt 1, 34 *Vix e conspectu* etc.; et omittit narrare tempestatem, ab Ilioneo narratam. Neque post patris mortem fas erat narrare viliora.

716. *ūnus* cf. 181.

Fata renarrabat divom, cursusque docebat.
Conticuit tandem, factoque hic fine quievit.

717. *fata divom* cf. 2, 257. — *renarrabat:* Cf. Ov. M. 5, 635 *Citius quum nunc tibi fata renarro, in laticem mutor.* „*Re* vacat" S. Male hic, *re* nunquam vacat; cur enim adderetur? Sed id verum, siquidem voluit indicare, saepe pro verbis cum *re* compositis sufficere etiam simplicia, ut h. l. *narrare* non absonum erat. Sed otiosum esse *re* non potest; sic semel res fit aliqua, deinde *re—narratur* i. e. narratione repetitur. Cf. *reportare* 7, 167, *reposcere promissum* 12, 2. Sic usitatissima *reddere, referre, renuntiare.*

P. VIRGILII MARONIS
AENEIDOS
LIBER QUARTUS.

At regina, gravi iam dudum saucia cura.
Volnus alit venis et caeco carpitur igni.
Multa viri virtus animo multusque recursat
Gentis honos; haerent infixi pectore voltus,
Verbaque, nec placidam membris dat cura quietem.
Postera Phoebea lustrabat lampade terras
Humentemque Aurora polo dimoverat umbram,
Quum sic unanimam adloquitur male sana sororem:

Macr. 5, 17 hunc librum totum a Vglio formatum esse de Apollonii Argonauticorum quarto refert, qui liber quum exstet, unusquisque potest ipse expendere quam verum illud sit.

1—30. Dido Aeneae amore se captam esse Annae sorori fatetur.

1. *At* facit transitum ad rem novam et potiorem cf. Gr. § 483. — In *cura* non modo studii inest notio sed etiam sollicitudinis, ut in nostro *Sorge:* hinc *cura confici, curam afferre, suscipere, levare* dicitur. Hoc loco *Liebespein* ut 6, 444. Ov. Rem. 311. Prop. 1, 15, 31. *Pl.* quod *cura* iam v. 5 repetitur coni. *saucia amore.*

2. *volnus.* Amor sagittis igniferis petit homines; cf. Apoll. Rhod. 3, 286 *Βέλος* (Amoris sagitta) *ἐνεδαίετο κούρῃ νέρθεν ὑπὸ κραδίῃ, φλογὶ εἴκελον.* Quare recte etiam et *ignis* et *vulnus* amoris potest dici. Audacius Hor. C. 1, 27, 11 dixit *quo beatus vulnere qua pereat sagitta* pro *quo amore beatus pereat.* Sen. Agam. 188 *Nunc novum vulnus gerens amore Phrygium vatis incensus furit.* Cf. Ov. M. 4, 201. Prop. 2, 25, 46. — *alit:* Volens multum et diu de Aenea eiusque virtutibus cogitando auget amorem. — *caeco,* occulto cf. ad 6, 715. — *Ignis* de amore 1, 660 dicitur, ut saepius et *incendi* et *ardere* amantes. — *carpitur.* Cf. Ov. M. 3, 490 *Caeco paulatim carpitur igni.* Val. Fl. 3, 365 *Aegra as idue mens carpitur aestu.* Cf. 66.

3. *multa recursat* etc.: Saepius sibi in animum revocat viri virtutem et gentis nobilitatem. Nos etiam *viel* pro *oft* dicimus. *I.d. der häufig bewährte Heldenmuth.* At quid est multus honos? — *recursat,* „Bene frequentativo usus est verbo in frequenti amantis cogitatione,“ S. ex eoque apparet veram esse hanc vocis *multa, multus* explicationem, melioremque quam eam, qua h. l. fit *multus* pro *multi,* aut *multus* pro *magnus.*

4. *gentis honos,* ortae a Iove et Venere. — Feminam Aeneae movet fortitudo, nobilitas, pulchritudo et in verbis venustas.

5. *Membris dat cura q.* ita 10. 217.

6. *Lustrare* tenet vicem compositi *illustrare. collustrare;* ita 607. 7, 148. — *Phoebea lampas* est sol ut 3, 637. 7, 148. Inde iam Lucretius 6, 1196 *nona lampade* dixit pro *nono die.*

7. Idem v. 3, 589. Ita saepius *humentes umbrae* ut 4, 351, et *humida nox* 2, 8. 5, 738. Ov. M. 2, 143, ob rorem, qui G. 1, 290 *noctis humor* dicitur; quare Ov. M. 5, 443 dixit *pruinosas tenebras.* — *dimoverat quum* cf. 3, 588.

8. *unanimem* M1P. al. — *am* M2FR

Anna soror, quae me suspensam insomnia terrent!
Quis novus hic nostris successit sedibus hospes!
Quem sese ore ferens! quam forti pectore et armis!
Credo equidem, nec vana fides, genus esse deorum;
Degeneres animos timor arguit. Heu, quibus ille
Iactatus fatis! quae bella exhausta canebat!
Si mihi non animo fixum immotumque sederet,
Ne cui me vinclo vellem sociare iugali,
Postquam primus amor deceptam morte fefellit;
Si non pertaesum thalami taedaeque fuisset:
Huic uni forsan potui succumbere culpae.

al. Forma in *is*, *e* et *us*. *a*, *um* Vgl. utitur et soni suavitatis et concinnitatis ratione habita, nonnunquam etiam metri; cf. 1, 489 *exanimum corpus* et 5, 517 *exanimis columba*, 5, 669 *exanimes magistri*, 6, 161 *socium exanimem*, 2, 51 *iuvenem exanimum*, 4, 686 *semianimem germanam*, 2, 30 *exanimi Pallantis*, cf. Gr. § 110, An. — *male sana* cf. 2, 735.

9. *suspensam* cf. 2, 114. — „Insomnium (ἐνύπνιον) est, quoties cura oppressi animi corporisve sive fortunae, qualis vigilantem fatigaverat, talem se ingerit dormienti". Haec Macr. Somn. 1, 3. qui postquam accuratius, qualia in somno oriri solerent, exposuit, haec addit: „Haec una cum somno avolant et evanescunt".

10. *quis* cf. 6, 561.

11. *sese ore ferens:* Nam erat *os humerosque deo similis* cf. 1, 589. — *et armis*, sc. fortibus cf. 588. *Fortia arma* dixit 10, 735. Ov. M. 7, 865. quibus quis fortis utitur, Schiller *Jungfrau: tapfres Schwert*. „Bene virtutis commemoratione excusat supradictam pulchritudinis laudem." S. *Sk.* non *arma* intelligit sed *armos*, laudatque 11, 645 ubi agitur per armos hasta! Sic iam *Ld. Wg.* qui confert εὐρύτερος ὤμοισιν ἰδὲ στέρνοισιν ἰδέσθαι H. Il. 3, 194! At non propter latum pectus et humeros amat (nam si armi sunt corporis, etiam pectus est) sed propter virtutem. *Tapfrer Muth* (pectus) *und tapfre Waffen:* i. e. et pectore concipit fortitudinem et armis exsequitur. Id firmatur etiam ex iis, quae sequuntur, ubi constantia et intrepidus praedicatur animus, non corpus ingens. Accedit quod *armi* sunt bestiarum, hominum *humeri*, quod docet Ov. M. 10, 700 *Ex humeris armi fiunt* i. e. homo mutatur in beluam. Potest quidem aliquando in homine portentoso armus dici, et dicitur a Vglio, sed non in pulchritudinem corporis humani. *Pl.* ut vitet difficultates omnes (?) coni. *quem f. p. e. a.*

12. *Nec vana fides* i. e. certis nititur fides argumentis. — *genus deorum:* eum *a deo aliquo* ortum 7, 98.

13. *Degener* vox inventa ut videtur a Virgilio, *entartet.*

14. *Bella exhausta* primus dixisse videtur Vgl. 10, 57. Ov. M. 12, 161 *exhausta pericula;* 11, 256 *exhaustus labor;* Stat. Theb. 5, 420 *exh. flamina* ventorum; Liv. 33, 11 *dura atque aspera belli exhaurire.*

15. *sedet animo* cf. 5, 418. *fixum sedet* cf. 2, 169.

17. *deceptam morte* fefellit. Cf. 22. — *fixum i. s.:* „Cogi se optat, quae sic negat." S.

18. Quod idem saepius repetitur cf. 1, 547. — *Taedae* sc. nuptialis: taedis enim accensis sponsa vesperi a cognatis in sponsi domum ducebatur. — Hinc taedae i. q. nuptiae 338. 7, 388 Ov. M. 4, 60. 9, 721. 15, 826. — „Pudor retardat et impedit, quominus statim eloquatur, quod sentit. Vox novi coniugii quasi in faucibus haeret" *Pl.*

19. *forsan*. quasi dubitet. — *potui:* Indicativus perfecti cf. 2, 55. Scilicet conditionalis orationis forma convertitur in formam narrandi. — *succumbere culpae.* Cf. Ov. M. 7, 749 *et potuisse datis simili succumbere culpae me quoque muneribus* — *Culpam* enim habet post maritum occisum amare alterum. Adde Serv. qui: „*Culpae* propter antiquum ritum, quo repellebantur a sacerdotio i. e. fortunam muliebrem non coronabant bis nuptae." Adde Dion. Hal. 8, 56, unde ut ex aliis locis bis nubere mulieribus Romanis non decorum visum esse intelligimus. — *huic uni .. culpae.* In *huic uni culpae* haesit *Pl.*, et retinet *huic uni forsan potui* et intelligere iubet vinclo iugali sociare, et eiicit *succumbere culpae.* Ceteri tacent. At expli-

Anna, fatebor enim, miseri post fata Sychaei
Coniugis et sparsos fraterna caede Penates
Solus hic inflexit sensus animumque labantem
Impulit; adgnosco veteris vestigia flammae.
Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
Vel Pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras,
Pallentes umbras Erebi noctemque profundam,
Ante, Pudor, quam te violo, aut tua iura resolvo.

candum est: sc. haec una culpa est, Aeneae quod nubere cupit marito secundo.

20. *fatebor* ut 546.

21. *sparsos:* Nam ad aras occisus est Sychaeus a Pygmalione fratre 1, 349. — De v. *spargere* cf. 635. *Pl.* qui *fraternam caedem* negat posse dici de caede quam commiserat frater, totum versum delet.

22. *animamque labantem impulit;* „impulit et labare fecit." S. Saepe autem verbo participium vel adiectivum adiungitur, quod est similis significationis, maxime apud poetas. Qua in re cavendum est, ne quid putemus vere abundare; sed gravioribus verbis describitur id, quod tenuioribus poterat iudicari. Diversae autem rationes, quae nonnunquam confunduntur, sunt discernendae. Nam aut participium vel adiectivum primarium est, et verbum plenioris significationis locum verbi substantivi occupavit, cf. 2. 169; aut verbo additur tamquam attributum id, quod efficitur verbo, ita ut, quod consequens est, simul vel prius esse videatur. Dicitur prolepsis adiectivi Gr. § 372. Atque is usus in casibus observatur omnibus. Sic Nominativus est 1, 415 ipsa Paphum *sublimis abit.* ut Ov. M. 7, 351 *Medea fugit alta.* 2, 134 *Obscurus delitui.* 2, 443 Clipeos ad tela *protecti obiiciunt.* 793 *Frustra comprensa* manus *effugit* imago. 3, 508 Montes *umbrantur opaci.* 12, 1 *Infractae* vires *deficiunt.* Ov. M. 10, 389 *Muta silet* virgo. Genitivus: Ov. M. 1, 9 non *bene iunctarum discordia* semina rerum Soph. O. C. 1200 *τῶν σῶν ἀτέρκτων ὀμμάτων τητώμενος.* Dativus: 2, 736 *Mihi trepido confusam eripuit* mentem. 7, 498 *nec* dextrae *erranti* deus *afuit.* Cf. 9, 447. Ov. M. 1, 36 *ambitae circumdare* litora terrae. Accusativus: Soph. Aj. 69 ἐγὼ γὰρ ὀμμάτων *ἀποστρόφους* αὐγὰς *ἀπείρξω.* Schill.: *Ihnen schlofs auf ewig Hekate den stummen Mund.* A. 1, 69 *submersas obrue* puppes. 3, 141 *steriles exurere* Sirius agros. 5, 500. 8, 37. 11, 393. Ov. M. 3, 76 Serpentis halitus *vitiatas inficit* auras. 11, 598 *Laceras* aries ballistave *concutit* arces. Etiam accusativus graecus ita legitur, ut A. 2, 721 *Subiecta* colla *insternor.* Claud. R. P. 3, 177 *laceras effusa* comas. Ablativus: 8, 211 saxo *occultabat opaco.* Ov. M. 9, 86 *truncaque* a fronte *revellit* cornu. 12, 83 *Certa nullus fuit error* in hasta. Prop. 1, 19, 6 Meus *oblito* pulvis amore *vacet.* 1, 20, 2 etc. — Ex ea prolepsi saepe participium, maxime praesentis, solvi potest enuntiato cum particula consecutiva iuncto, ut h. l. et 12, 94 hastam *quassat trementem.* i. e. ut tremeret. 1, 660 donis *furentem incendit* reginam. 3, 237 scuta *latentia condunt.* 462 *ingentem* factis *fer* ad aethera Troiam. 2, 430 *nec* te *labentem* pietas nec Apollinis infula *texit* i. e. non texit, quominus labereris; 7, 498 nec dextrae *erranti* deus *afuit.* Itaque recte explicat hunc locum Servius. Etiam scriptores ea uti prolepsi vix opus est ut moneam.

24. *terra dehiscat* cf. 10, 675. 12, 883. et Hom. Il. 4, 182 *τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών.*

25. *adigat ad umbras* cf. 6, 594. *adigat* GMPγbc. *abigat* F. rec. *Rb.*

26. *Erebi* MP2γ^2. *Erebo* FGRP1γ rec. *Rb.* *Erebi* genitivus praestat ex grammatica. — Videmus autem Didonem iam morbo abreptam verborum et imprecationum terrore sibi mederi velle, quum ipsa intelligat se Amori cessuram. Ovidium hunc versum legisse patet ex Her. 7, 97.

27. *prius — ante quam.* Particularum abundantia hoc loco paene necessaria, quum multis verbis disiunctum sit *prius.* Neque alii has particulas componere dubitarunt ut Prop. 2, 19, 65 *Aut prius infecto deposcit praemia cursu Septima quam metam triverit ante rota;* ubi particulae etiam transpositae sunt. — *violo* cf. 1, 8. — *resolvere iura* ita 2, 157. Iurat modo tam terribili, quod ipsa sentit quod iuret se non servaturam. Inanem ornatum hunc dicit *Pl.* deletque versum.

Ille meos, primus qui me sibi iunxit, amores
Abstulit; ille habeat secum servetque sepulcro.
Sic effata sinum lacrimis implevit obortis.
Anna refert: O luce magis dilecta sorori,
Solane perpetua maerens carpere iuventa?
Nec dulces natos, Veneris nec praemia noris?
Id cinerem aut Manes credis curare sepultos?
Esto: aegram nulli quondam flexere mariti,
Non Libyae, non ante Tyro; despectus Iarbas,
Ductoresque alii, quos Africa terra triumphis
Dives alit: placitone etiam pugnabis amori?
Nec venit in mentem, quorum consederis arvis?
Hinc Gaetulae urbes, genus insuperabile bello,
Et Numidae infreni cingunt, et inhospita Syrtis;

28. *Amores* sunt amoris mutui affectus cf. 5, 334. Tib. 1, 1, 71. Cf. Gr. § 362, 2. — *me sibi iunxit:* Vir enim sibi iungit uxorem, uxor iungitur.

29. *servetque sepulcro.* Itaque ipse, sive Manes eius cf. 34, sive anima cf. 3, 67 sepulcro includitur, non corpus modo sive cinis. Verbis poeta utitur (cf. sepulcro) male ominatis, ut indicet rem male cessuram.

30. *Lacrimae obortae* sunt, quae subito et invitis prorumpunt neque possunt retineri; ita 3, 492. 6, 868. 11, 41. Ov. Met. 1, 350. Simile M. 2, 181 *Sunt oculis tenebrae per tantum lumen obortae.* Eae autem lacrimae produnt amorem frustra dissimulatum.

31—55. Anna Didoni suadet, ne amori obsistat.

31. *refert* i. e. contradicit, respondet; ita Cic. pr. Quint. 13, 44. Caecin. 29, 84. — *sorori* i. e. mihi. Cf. 2, 79.

32. *perpetua iuventa:* „Solane maerens in omni carperis iuventa.“ S. *Carpi* est medium cf. 152.

33. *Noris* de tempore cf. 9. 785. — *Praemia Veneris* sunt nati. Male intelliguntur voluptates; quae non possunt dici *praemia*, sed *dona*, *munera*, *gaudia*. *Gt.* coni. (*Veneris haec praemia*) *noris.* — Per *neque* — *neque* res v. 32 dicta per partes exigitur ut Ter. Eun. 1, 2, 67 *Habeo hic neminem neque amicum neque agnatum* et ap. Cic. cf. Gr. § 474. Sic 35 *nulli* — *non*, *non*, 8, 298 *neque* — *non*, *non*.

34. „Bene extenuat dicendo non animam, sed cineres et manes sepultos.“ S.

35. *aegram* ob amissum dilectum coniugem. De voce cf. 1, 351. — *Mariti* sc. spe, petitores, ut *gener* est de futuro 2, 344; *coniux* de sponso E. 8, 18, alia.

36. *Tyro* est ablativus originis cf. Gr. § 317. — Iarbas, rex Maxitanorum, secundum Iustinum 18, 6 *nuptias Elissae sub belli denuntiatione petiit, quas ea ut vitaret, sacris factis se ipsa ferro occidit.*

37. *Africa terra* antique dictum, quum omnia terrarum nomina sint adiectiva. — *triumphis dives.* Id quocunque te verteris, rectius dictum est de tempore, quo Carthago floruit, quam quo condita est.

38. *Pugnare alicui* ut 11, 600, saepe apud poetas. „Est Graecum *pugno tibi*, nam nos *tecum* dicimus.“ S. Cf. Gr. § 285 An. 8. — *placito* cf. 5, 332. — Anna fecit id, quod Dido apud se optaverat; amoremque firmat rationibus, scilicet esse nihil civitati utilius (39—44) nihil diis optatius (45. 46). Iam videt animo rempublicam armis Troianis auctam. Nihil autem in praesens aliud esse agendum, quam morandi caussas nectere et deos ea de re consulere.

40. Undique nos circumstant pericula. — *Gaetulae urbes, genus.* De hoc appositionis genere 5, 734. De Gaetulis et Numidis cf. Sall. Iug. 18 sq.

41. *Infreni* et 10, 750 gen. sing. est *infrenis* cf. 8. — Illic infrenis equus est qui freno non regitur, h. l. Numidae infreni, qui freno non regunt. Cf. Sil. 1, 215 *Numidae gens inscia freni.* Luc. 4, 682 *Gens, quae nudo residens Massylia dorso, Ora levi flectit frenorum nescia virga.* De Numidarum equitandi arte cf. Liv. 35, 11. — *Inhospita Syrtis* saepius dicitur ut Ov. M. 8, 120. Luc. 1, 367 ob naufragia. Syrtes enim sunt sinus duo periculosi vadis arenosis et infames naufragiis, quae Romani bello Punico primo fecerunt; neque tamen minus Syrtis dicitur adiacens regio, ut Pontus est mare et terra. Ita 5, 51. Hor. C. 2, 20, 15; et

Hinc deserta siti regio, lateque furentes
Barcaei. Quid bella Tyro surgentia dicam
Germanique minas?
Dis equidem auspicibus reor et Iunone secunda
Hunc cursum Iliacas vento tenuisse carinas.
Quam tu urbem, soror, hanc cernes, quae surgere regna
Coniugio tali! Teucrum comitantibus armis,
Punica se quantis attollet gloria rebus!
Tu modo posce deos veniam, sacrisque litatis
Indulge hospitio, caussasque innecte morandi,
Dum pelago desaevit hiemps et aquosus Orion,
Quassataeque rates, dum non tractabile caelum.
His dictis incensum animum inflammavit amore,
Spemque dedit dubiae menti, solvitque pudorem.
Principio delubra adeunt, pacemque per aras
Exquirunt: mactant lectas de more bidentes

hoc loco *inhospita* dicitur ob Nasamonum incursiones cf. Luc. 9, 440 *Nasamon quem mundi barbara damnis Syrtis alit.* Sil. 1, 408 *et vastae Nasamon populator Syrtis.* Cf. Luc. 9, 447 — 498 ubi splendide est id litus descriptum et Sall. Iug. 78. — De adiectivo cf. 1, 355.

42. *late furentes*, vagantes et grassantes crudelitate.

43. *Barcaei:* Barce, urbs Cyrenaicae postea condita; (unde etiam nunc nomen Barca) potuit tamen poeta eos commemorare cf. 3, 690. „Hi Phoenicem navali quondam superavere certamine“ S. — *Tyro* cf. 36.

44. *Germanique minas* cf. 1, 361. Pygmalionem enim ob ereptas sibi opes bellum moturum esse probabile erat.

45. *diis auspicibus* cf. 3, 20. „Nuptiae enim captatis fiebant auguriis.“ S. cf. 1, 345. — Iunonem prae aliis nominat, quod Carthaginis princeps dea est cf. 1, 15 et pronuba, Lucina, antistita connubii cf. 59.

46. *hunc cursum.* Ne *huc* praeferas, cf. 1, 534. — *hunc* M. al.

50. *posce deos veniam* cf. 1, 519. — *Litare* significat sacrificio facto placare deos (Macr. Sat. 3, 5.), et iungitur cum dativo dei, cui, et ablativo rei, qua litatur cf. Gr. § 326, 8: *litare alicui aliqua re*, non *aliquem* vel *aliquid.* Sed novavit Virg. et *litare sacra* dixit pro vulgari *sacra facere;* secutus est Prop. 4, 1, 24 *exta litabat ovis*, et Ov. M. 14, 156 *sacris ex more litatis.* al.

51. *Moras innectere* etiam Stat. dixit Theb. 5, 743.

52. *desaevit* i. e. valde saevit cf. 10, 569 *Sic toto Aeneas desaevit in aequore victor;* ita Luc. 6, 540. Hor. Ep. 1, 3, 14. Ita in compositis *de* intensivum est cf. 1, 106. Ea est Annae sententia: Tempore, per quod et tempestatibus a mari arcetur et naves reparare cogitur, utere, ut etiam tum nolit navigare, quum poterit.

53. *D. n. t. c. Rb.* censet carere sensu et eiicit, ac revera haec verba abesse velim, quum idem significent, quod *d. p. d. h. Pl.* dat *innecte morandi*, *quassatasque rates et non. t. c.* His coniecturis volunt removere eam quae inesse videtur iterationem. — *aquosus Orion* cf. 1, 535.

54. *Amore* et ad *incensum* et ad *inflammavit* traxerim. Anna enim, quum *curam* v. 1. 5. removisset, amorem indomitum excitavit. *Incensum* MRγbc. Sed *Rb.* ex F et P. varie correctis facit *impenso* et pro *inflammavit*, quod est in Mγb. Serv., recepit *flammavit* (*in* facile *m* antecedens potuit absorberi) quod est FRc et illatum in P. — *Pl.* qui „amore, inquit, languet“ dat *inflammovit*, *amori spemque dedit*, *dubiae menti solvitque pudorem* et particulam *que* loco posuit alienissimo.

55. *Spemque:* Hoc versu explicatur v. praecedens; spe enim illata Didoni Anna movet amorem et solvit pudorem eum, qui viduam retinet a viri societate. Cf. 27.

56 — 89. Dido ardet amore Aeneae.

56. *per aras* cf. 5, 86.

57. *Mactant* „verbum sacrorum, κατ᾽ εὐφημισμὸν dictum, ut *adolere* (cf. 1, 704). *Mactare* est proprie magis augere.“ S. Cf. Macte virtute esto. At si *macellum*, si *macer* comparas, subesse

Legiferae Cereri, Phoeboque, patrique Lyaeo;
Iunoni ante omnes, cui vincla iugalia curae.
Ipsa tenens dextra pateram, pulcherrima Dido,
Candentis vaccae media inter cornua fundit;
Aut ante ora deum pingues spatiatur ad aras,
Instauratque diem donis, pecudumque reclusis
Pectoribus inhians spirantia consulit exta.
Heu vatum ignarae mentes! quid vota furentem,
Quid delubra iuvant? Est molles flamma medullas

videtur verbum aliquod alius significationis. — *lectas de more bidentis* cf. 8, 544.

58. Legifera Ceres, *Δημήτηρ θεσμοφόρος*, nam „leges sanctas docuit et cara iugavit corpora connubiis et magnas condidit urbes“ Calvus ap. Serv. Iurant amantes „per taediferae mystica sacra deae“ Ov. Her. 2, 42. Ex agricultura autem leges civiles ortae putabantur et omnis humanitas. *legiferae* M. *frugiferae* R. — *Phoeboque* „qui praeest auspiciis, quibus urbes reguntur.“ S. Sol habetur omnium rerum gnarus et qui possit aperire hominibus. — *Patrique Lyaeo* „qui apte urbibus libertatis est deus. Unde etiam Marsyas eius minister est in civitatibus libertatis indicium. Sacrificabat (Dido) primum numinibus, quae urbi praesunt, quasi nuptura pro utilitate reipublicae; deinde Iunoni, cui curae sunt nuptiae.“ S. — Bacchus autem et cum Apolline iungitur saepe et cum Cerere, ut in mysteriis Eleusinis; et Liberi (i. e. *Λυαίου*) patris sacra ad purgationem animae pertinebant deo devovendae. Liber autem *pater* dicitur, aut quod omnes dii ita dici possunt cf. 1, 155, aut quod symbolum est naturae vegetae, unde ab artificibus iuvenis formatur; natura autem est omnium parens et creatrix.

59. *Iuno γαμηλία, ζυγία*, Pronuba, cf. 166. Ov. M. 4, 428. 9, 762. Her. 6, 43. al. Etiam *Cinxia*, *Iuga*, *Domiduca* nominabatur. — *vincla iugalia.* Qui nuptias ineunt, quasi uno iugo iunguntur et copulantur; inde etiam vox *coniugium*, *coniux*.

60. *Pateram* a verbo *tenens* pendet, non a *fundit*. ad quod obiectum suppleri facile potest cf. ad 2, 492. Si tamen iungere tibi decretum est, poteris provocare ad 3, 354 et afferes nostrum: *ein Glas ausgiefsen.*

61. *Inter cornua fundit.* Hic mos ab Aegyptiis esse dicitur Herod. 2, 39. „Non est sacrificium, sed hostiae exploratio, utrum apta sit.“ S.

62. *Pingues arae* (ita 7, 764. 9, 585.) sunt victimarum quae in iis cremantur multitudine. Repetere enim videtur saepius sacra, quibus sperat sibi se propitios facturam deos et bonum omen accepturam.

62. *Spatiatur* „Matronae enim sacrificaturae circa aras faculas tenentes ferebantur, quasi cum quodam gestu.“ S.

63. *Instaurari* sacra dicuntur, si repetuntur aut interrupta cf. 5, 94. 8, 110; aut si quid omissum erat. Cf. Liv. 5, 52 *Recordemini quoties sacra instaurentur, quia aliquid ex patrio ritu negligentia casuve intermissum est.* Itaque Dido instaurat more Romano sacra, repetit mactare hostias, ut tandem bonum omen accipiat. Omnino autem instaurare est instituere, ubique tamen in re sacra; ita *funus* 3, 62. *epulas* 7, 146. 8, 283. *choros* 4, 145. *Di talia Graiis instaurate, pio si poenas ore reposco.* „*Instaurare* Varro ait esse *instar novare.*“ Macr. Sat. 1, 11. Quodsi non optimum est derivandi artis documentum, docet tamen quae Romanis ipsis esse visa sit verbi significatio.

64. *Inhians*, admodum cupida cf. Hor. Sat. 1, 1, 71 ubi avarus *inhians indormit saccis*, et ap. Val. Fl. 5, 469 est *inhiare dictis* cupide audire. — *Spirantia* sunt adhuc palpitantia. Totus hic versus pingit Didonis in consulendo anxietatem. — *consulit:* Significatur ars haruspicum, *θυοσκοπία, σπλαγχνοσκοπία.*

65. *Vatum* i. e. Didonis et Annae *ignarae* sunt *mentes*, non quod nesciant artem haruspicinam, sed quia cupiditate abripiuntur, ut nolint intelligere deos monitis suis ab amore revocare. Itaque nihil iis prodest, quod delubra adeunt et faciunt vota. Atque interea crescit amor. *Ld.* sumit a Didone mentes haruspicum ignaras haberi, quod non fausta auspicia renuntient(!) *Pl.* delet a *quid vota* — *medullas*, quod v. 69 sequitur *furens*, et quod *molles medullae* non dicantur. At adiectivum *molles*, quum exedantur, aptissimum. *Molles* sunt *medullae* cf. 2, 683 et Catull. 45, 16 *ignis mollibus ardet in medullis.* Amor au-

Interea, et tacitum vivit sub pectore volnus.
Uritur infelix Dido, totaque vagatur
Urbe furens, qualis coniecta cerva sagitta,
Quam procul incautam nemora inter Cresia fixit
Pastor agens telis, liquitque volatile ferrum
Nescius; illa fuga silvas saltusque peragrat
Dictaeos; haeret lateri letalis arundo.
Nunc media Aenean secum per moenia ducit,
Sidoniasque ostentat opes urbemque paratam;
Incipit effari, mediaque in voce resistit:
Nunc eadem labente die convivia quaerit,
Iliacosque iterum demens audire labores
Exposcit, pendetque iterum narrantis ab ore.
Post, ubi digressi, lumenque obscura vicissim
Luna premit, suadentque cadentia sidera somnos:

tem et dolor, omnino omnis animi affectus, qui vires atterit, dicitur *edere, nagen, zehren.* Cf. 6, 442. 12, 801. Cat. 35, 15 *ignes interiorem edunt medullam.* 66, 23 *maestas exedit cura medullas.* 55, 31 *multis languoribus peresus.* Hor. Ep. 1, 2, 39 *Si quid est animum, differs curandi tempus in annum.* Cic. Tusc. 1, 16, 51 *sollicitudines, quibus animi noctes atque dies exeduntur.* Inde ap. Hor. C. 2, 11, 18 *curae edaces.* Sic *mordere* 7, 402.

67. *Tacitum volnus*, quod ipsa non fatetur, se perdite amare. — *Vivit;* amoris enim quo magis tegitur, tanto magis aestuat ignis.

72. *Nescius*, telum in cervam descendisse; ut Aeneas Didonis amorem excitasse se nescit. *Silvas saltusque;* ita composita videmus verba G. 3, 40. Caes. BG. 6, 42.

73. *Dictaeos* cf. 3, 171. — Cervos in Creta fuisse negat Solin c. 11, 11 „Ager Creticus silvestrium caprarum copiosus est, cervo eget.“ Sed defenditur poeta Plinii verbis, quae Solinus ita coartavit, ut verum perverteret. Apud eum enim haec sunt: „Mirabile in eadem (Creta) insula cervos praeterquam in Cydoniatarum regione non esse.“ 8, 83. — Nota varietatem: *sagitta, telum, volatile ferrum*, *arundo* cf. ad 3. 46. — *Haeret* c. dat. ita 3, 607. 6, 350. 10, 780; omnino de omni re, quae separari nequit; inde de comite perpetuo: Hor. C. 1, 32, 10 *Liberum et Musas Veneremque et illi semper haerentem puerum canebat;* quod Catull. 21, 6 dicit *haerere ad latus.*

74. Aeneas Didonis obsecutus voluntati urbem circuit, non quod ipse sit videndi cupidus. Dido autem omnia quae habet ostendit, ut fieri solet, ut excitet amati desiderium, si non sui, sed tamen rerum suarum. Et ostendit moenia et urbem paratam ei, qui exclamavit, 1, 437 O fortunati, quorum iam moenia surgunt. *Gt.* coni. *Nunc manc* sc. ut oppositum sit verbis *labente die!*

75. *Ostentat.* Vides in h. v. vultum et animum, quo Dido opes suas hospiti monstrat. — *urbemque paratam* et quasi ipsum exspectantem cf. 1, 557 *sedes paratas*, ut insanum videatur abire et quaerere alias.

76. Amoris signum, medio in sermone haesitare. Cf. Hor. C. 4, 1, 35 *Cur facunda parum decoro inter verba cadit lingua silentio?* Catull. 51. Ov. Fast. 1, 538. Gell. 19, 9. Sapph. fragm. 2. ed. Neue.

77. *Eadem* intelligitur *Dido*, quae quovis tempore ut prope Aeneam sit curat. — *labente die,* vesperi, coenae tempore.

78. *Iterum* quod audire vult, cupidinis signum est. Nam amans eadem ex amato audit sine taedio, qui modo curet ut loquatur amatus, non quae proferat. Cf. Ov. A. A. 2, 127 *Haec* (Calypso) *Troiae casus iterumque iterumque rogabat.*

79. *Und hängt an des Erzählers Munde* cf. Ov. Her. 1, 30 *Narrantis coniux pendet ab ore viri.*

80. *Lumen luna premit* ita dictum est ut *aequora pontus premit* 10, 103. Quod iungitur *Luna obscura lumen premit* cf. 22. Hoc autem fit, quando luna nascente Aurora pallescit et sensim evanescit. Quare ad mane usque coena producitur, quod signant etiam *cadentia sidera* cf. 2, 9. *Vicissim* Luna interit, ut Sol coepto convivio v. 77. Itaque aut Aeneae aut Ascanii quaerit conventum quovis diei tempore.

Sola domo maeret vacua, stratisque relictis
Incubat. Illum absens absentem auditque videtque.
Aut gremio Ascanium, genitoris imagine capta,
Detinet, infandum si fallere possit amorem.
Non coeptae adsurgunt turres; non arma iuventus
Exercet, portusve aut propugnacula bello
Tuta parant: pendent opera interrupta minaeque
Murorum ingentes aequataque machina caelo.
Quam simul ac tali persensit peste teneri
Cara Iovis coniunx, nec famam obstare furori,
Talibus adgreditur Venerem Saturnia dictis:
Egregiam vero laudem et spolia ampla refertis
Tuque puerque tuus; magnum et memorabile numen,
Una dolo divom si femina victa duorum est.
Nec me adeo fallit, veritam te moenia nostra,
Suspectas habuisse domos Carthaginis altae.
Sed quis erit modus? aut quo nunc certamine tanto —

82. *vacua* sc. Aenea cf. 2, 528. — *relictis:* sc. ab Aenea. Retinet locum, quem ille in convivio obtinuerat. Similia Ov. Her. 10, 51. 15, 149. Et ne te offendat *vacua* — *relictis*, cf. 3, 132 *Hoste vacare domos, sedesque adstare relictas.*

83. *absens absentem:* Idem verbum cum vi repetitum cf. 1, 684. — De re cf. Ov. Her. 7, 25.

84. „*Genitoris imagine capta:* ob amati similitudinem.“ S. — *Detinere* saepius est retinere blanditiis. — *si* cf. 1, 578. — *Fallere* est, furtim expellere aliud agendo; ita *fallere curam* Hor. Sat. 2, 7, 114. Ov. Pont. 4, 10, 67. *dolores* Trist. 5, 7, 39: *Detineo studiis animum falloque dolores.* — Detinet saepe Ascanium, quem tamen amat non nisi quod patri est similis.

86. Amoris vitium est, quod facit aliarum rerum negligentes; cf. Ecl. 2, 70. *Semiputata tibi frondosa vitis in ulmo est.* Hoc autem loco omnium operum intermissio et quies bene opponitur turbis, quibus reginae animus exagitatur.

89. Memorat Vgl. belli apparatum, ut rem Iarba bellum minitante maxime necessariam. — *Minae ingentes* cf. 8, 526 et *machinae*, *Gerüste*, pendent interruptae et inutiles, quod cessat aedificatio *Pl.* delet *aeq. m. c.*

90 — 104. Iuno Didonem Aeneae despondere consilium capit.

90. *peste* i. e. amoris cf. 1, 712.

91. Iuno, quae omnibus modis Troianos ab Italia reiecerat, quum bene exceptum cognosset Carthagini et opibus adiutum, iam mutuum amorem excitare et Aeneam eo modo retinere ab Italia conata est. — *Iovis coniux* — *Saturnia* altero in enuntiato cf. Cic. de or. 2, 67, 273 „*Salinatori* Maximus, quum Tarento amisso arcem tamen *Livius* retinuisset .. inquit ..“

92. *aggredi*, alloqui, ut plenum *aggredi dictis* 3, 358. 6, 387 *angehen mit Worten*, quod prosae est orationis cf. Cic. Att. 12, 33. Sall. I. 36. Servius ad hunc locum observat, deam Saturniam dici, si sit nocitura cf. 5, 606. 12, 830, Iunonem autem, ubi propitia sit.

93. Magnam laudem reportatis magnamque vestram potentiam probatis, quum duo unam viceritis feminam dii.

94. *numen* M. al. *nomen* P. Et *nomen* et *numen memorabile* dici posse quum per se pateat, non est, quod post alios interpretes exemplis monstremus. Sed *numen* libris magis firmatur. Quid, quod *nomen* ortum videtur esse e 2, 583. *nomen Pl. Rb. numen Wg. Ld.* — *Puer* est Amor cf. 1, 684. Sed *puer* est etiam *filius*. Cf. Hor. C. 1, 12, 25 *Dicam et Alciden puerosque Ledae.*

97. *Alta:* ita Ov. M. 8, 525 *Alta iacet Calydon* i. e. superba luctu depressa est. Hor. C. 3, 5, 40 *Magna Carthago probrosis altior Italiae ruinis.* Cf. Liv. 4, 13 *tendere ad altiora et non concessa.*

98. *sed quis erit modus?* finis sc. inimicitiarum? Cf. Sil. 16, 91 *Nam quis erit tandem campis telluris Iberae pugnandi modus?* — *aut quo nunc certamine tanto* Mss. et Serv. qui: „quid opus est tanto certamine.“ Magis placet

Quin potius pacem aeternam pactosque Hymenaeos
Exercemus? Habes, tota quod mente petisti:
Ardet amans Dido traxitque per ossa furorem.
Communem hunc ergo populum paribusque regamus
Auspiciis; liceat Phrygio servire marito
Dotalesque tuae Tyrios permittere dextrae.
Olli — sensit enim simulata mente locutam,
Quo regnum Italiae Libycas averteret oras —
Sic contra est ingressa Venus: Quis talia demens
Abnuat, aut tecum malit contendere bello?
Si modo, quod memoras, factum fortuna sequatur.
Sed fatis incerta feror, si Iuppiter unam
Esse velit Tyriis urbem Troiaque profectis
Miscerive probet populos aut foedera iungi.
Tu coniunx; tibi fas animum tentare precando.
Perge; sequar. Tum sic excepit regia Iuno:
Mecum erit iste labor. Nunc qua ratione, quod instat,
Confieri possit, paucis, adverte, docebo.

supplere: *exercemus inimicitias*, haec autem suppressa sunt, ne mali ominis vocabula proferrentur. Non opus est certare inter nos; quum tu et Amor velint sub iugum Aeneae mittere Didonem, concedo ut nuptiae fiant. *Quo* i. q. quorsum cf. 2, 150. — *certamina tanta* Edd. ex Heinsii coniectura. — *a. q. n. c. t.* del. *Rb.*, sed quis intulisse putandus est, si Vgl. non intulit?

101. *Traxit per ossa furorem* cf. Ov. M. 4, 674 *Vidit Abantiades ...* (et inde) *trahit inscius ignem.* „*Traxit* dixit, ut *spiritum trahere* dicimus." S.

102. *Paribus* regamus *auspiciis* i. e. „aequali potestate". Ita *paribus in regna vocari auspiciis* 7, 256. Dicendi formula inde nata est, quod *paria* sive eadem *auspicia* sunt eidem magistratui, minori magistratui sunt minora.

103. Satis invidioso nomine matrimonium appellat servitium, cui in dotem detur Tyrius populus.

104. *Dotales* cf. 11, 369.

107—129. Consilium suum Iuno exponit Veneri.

105. *Sensit enim:* Haec caussa est, quod simulate respondet Venus. — *enim* cf. 1, 65.

106. *Averteret oras.* De acc. cf. Gr. § 310 An. 6. Vel cum substantivo hic accusativus iungitur: *iter Italiam* 3, 507. *iter Elysium* 6, 542. Cf. Gr. § 366. *Italiae regnum* est regnum quod Italiae fato debetur, id transferre conatur Iuno ad Carthaginienses, non id quod iam est in Italia; itaque *Italia* ex l. 1, 38 inferre ineptum est; quod fecit *Pl.*

107. *Ingressa*, non addito *dicere*, ut 6, 868. Accusativum vel infinitivum addidit Cicero ad Att. 15, 11 *quum ingressus essem dicere quid oportuisset* et *quam orationem quum ingressus essem.* Ita saepius sequente infinitivo ut 11, 704. Cic. Acad. 2, 6, 17 *quod nos facere nunc ingredimur.* Cf. 92.

109. *Si modo* optantis est simulque timentis, ut si pax facta sit, inde fortuna nascatur.

110. *Fatis incerta feror* cf. 376 *furiis incensa feror.*

112. *foedera iungi* MPR. al. „Si *foedera*, per se plenum est, si *foedere*, ad populos pertinet." S. Ex quibus verbis nondum apparet a Servio utrumque in libris lectum esse. Cf. 98.

113. *tentare precando* ut 413.

115. *Mecum erit iste labor* i. e. Mihi, apud me erit labor; haec ego curabo; nunc dicam quid faciendum sit, si assentiris. Sic Plaut. Rud. 5, 2, 60 *tecum habeto.* Capt. 5, 1, 10 *tecum servavi fidem: bei dir habe ich mein Wort gehalten.* Curc. 1, 2, 49 *si fidem servas mecum.* Liv. 4, 32 *Proin memores, secum triumphos, secum spolia, secum victoriam esse, auf ihrer Seite.* Totam rem, quae Veneris esset, Iuno in se recepit. — *quod instat.* 8, 49. Sic Nep. Them. 1 *De instantibus verissime iudicabat.* Sall. fragm. hist. 3 *Vacuus curis nisi instantibus.*

116. *Confieri* defectivum est cf. Gr. § 181, 4.

Venatum Aeneas unaque miserrima Dido
In nemus ire parant, ubi primos crastinus ortus
Extulerit Titan radiisque retexerit orbem.
His ego nigrantem commixta grandine nimbum,
Dum trepidant alae saltusque indagine cingunt,
Desuper infundam et tonitru caelum omne ciebo.
Diffugient comites et nocte tegentur opaca:
Speluncam Dido dux et Troianus eandem
Devenient. Adero, et, tua si mihi certa voluntas,
Connubio iungam stabili propriamque dicabo.
Hic Hymenaeus erit. Non adversata petenti
Adnuit, atque dolis risit Cytherea repertis.
  Oceanum interea surgens Aurora reliquit.
It portis iubare exorto delecta iuventus;
Retia rara, plagae, lato venabula ferro

119. *Titan* cf. 6, 725. — *Radiis retexerit orbem.* Idem 5, 65. Ut nox *contegit* terram, sic lux et sol *retegit.* Alia imago ap. Ov. M. 8, 1 *iam nitidum retegente diem Lucifero.*

121. *trepidant alae* „equites etc. *indagine*, ferarum inquisitione. *trepidant*, festinant" S. cf. 10, 283. — Duae sunt *alae* vocabuli explicationes, altera Servii, altera, quam Heynius adoptavit, alas innexas esse retibus, ut terreant bestias cf. 12, 750 *cervum*, *puniceae saeptum formidine pennae.* G. 3, 372 *Puniceae agitant pavidos* (cervos) *formidine pennae.* Hae pennae trepidant vento motae. — Itaque iam plagae montibus circumductae eos cingunt; ita ut possit fieri venandi initium. Si *alas* equites intelligimus, videmus equites properantes et plagis colles claudentes; quare ad sententiam fere ad idem redit. Apud (Tib.) 4, 3, 7 *indagine colles claudere* dicitur pro *venari.* Rem dirimit locus Silii, qui hanc venationem in scuto Hannibalis depictam describens haec habet huc pertinentia: *subitoque exterrita nimbo occultant alae venantum corpora silvis* 2, 419. Quare dubium non est, quin Silius equites intellexerit. Alae venantium corpora sua tegunt silvis. Alas dici equites cf. 11, 604.

125. Amore enim Venus homines debet coniungere.

126. Idem v. 1, 73. Propterea eiic. *Pl. Rb. Ld.*

127. „*adversata* legitur et *aversata.*" S. idque est in R.; minus id aptum.

128. *risit dolis repertis.* Ablativus indicat caussam ridendi cf. Hor. C. 4, 1, 18 *largis muneribus riserit aemuli;* ita ridet Venus dolis Iunonis repertis i. e. deprehensis, quos vanos fore noverat ex Iove 1, 261. *Repertis* enim potest explicari aut *inventis*, *excogitatis* sc. a Iunone, ut ap. Nep. Them. 1. *celeriter quae opus erant reperiebat;* aut *deprehensis*, ut ap. Ov. F. 3, 846 *furta reperta* leguntur et Plaut. Most. 5, 1, 62 *omnia malefacta vestra reperi radicitus*, et Claud. in Eutr. 1, 88 *fraude reperta cautior.* al. Hoc praestat etiam, quod in *repertis* subiectum debet esse Venus cf. Gr. § 448.

129 — 159. Dido et Aeneas venatum eunt.

129. Idem v. 11, 1. *reliquit* M2. *relinquit* M1P. Illud melius, quod iam Auroram reliquisse necesse est Oceanum Sole exorto.

130. *Iubar* est lux splendida maxime stellarum; ut Ov. M. 7, 663 *iubar aureus extulerat Sol;* et *iubar* est sol Ov. M. 15, 187.

131. *Retia rara: Rarus* opponitur spisso, conferto cf. 1, 118. 8, 98. 9, 189. 508. 10, 122. Caes. BG. 5, 16 *ut nunquam conferti, sed rari magnisque intervallis praeliarentur.* Cic. ND. 2, 55 *In pulmonibus inest raritas quaedam et assimilis spongiis mollitudo ad hauriendum spiritum.* Inde cribrum est *rarum* Ov. M. 12, 437. Inde *raresco* 3, 411. — *Plagae:* Sciendum proprie plagas dici funes illos, quibus retia tenduntur circa imam et summam partem." S. — *lato venabula ferro:* ita Ov. Her. 4, 83 *lato venabula cornea ferro.* De abl. cf. 9, 50. — Ad *retia*, etc. recte refertur *ruunt*, quum ii ruant, qui portant cf. Hor. Ep. 1, 6, 18 *qui mane plagas, venabula, servos differtum transire forum campumque iubebat. Retia* „subauditur *portantur* aut zeugma est *ruunt.*"

Massylique ruunt equites et odora canum vis.
Reginam thalamo cunctantem ad limina primi
Poenorum exspectant, ostroque insignis et auro
Stat sonipes ac frena ferox spumantia mandit.
Tandem progreditur magna stipante caterva,
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo;
Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum,
Aurea purpuream subnectit fibula vestem.
Nec non et Phrygii comites et laetus Iulus
Incedunt. Ipse ante alios pulcherrimus omnes
Infert se socium Aeneas atque agmina iungit:
Quali ubi hibernam Lyciam Xanthique fluenta
Deserit ac Delum maternam invisit Apollo
Instauratque choros, mixtique altaria circum
Cretesque Dryopesque fremunt pictique Agathyrsi;

S. Quare hunc versum in Mss. omnibus lectum eiicere non placet, quamquam si abesset, reliqua optime cohaererent. Eiic. *Pl.*

132. „Massylorum gens est non longe a Mauritania.“ S. — *odora canum vis: rabidamque canum vim* Stat. Theb. 1, 625. Iam Lucr. 4, 685 dixit *canum vis.* Homerus et Graeci poetae dixerunt *βία, ἴς, μένος, σθένος Αἰνείου* et alia, tragici *δέμας, κάρα* cum genitivo personae, ita ut vocabulum simpliciter circumscribatur. Id secutus est Vgl. — *corpus:* 2, 18. 214. 4, 572. 6, 21. 306. 7, 650. 9, 272 atque id in soluta oratione usitatum. — *facies:* Caci facies 8, 194, variae comitum facies 5, 822. facies Lacaenae 2, 601. *tergum:* terga suum 2, 634. terga ferarum 7, 20. t. lacerti G. 4, 13. *formae:* formae luporum 7, 18. formae deorum Ov. Met. 1, 73. *pectus:* cara sororum pectora 11, 215. *os:* ora Galesi 7, 575. *caput:* boum capita 5, 61. Placent illa Horatiana: *perrupit Acheronta Herculeus labor* C. 1, 3, 26. *narratur et prisci Catonis saepe mero caluisse virtus* 3, 21, 12. et Schilleri: *Zu ihm hinauf gesandt hab' ich alsbald des raschen Boten jugendliche Kraft. Er hat . . nie des Bogens Kraft gespannt. Im Felde glüht der Schnitter Fleifs.* Cf. Gr. § 359, 2. — „*Odora* improprie dixit, nam odorum est, quod ex se odorem emittit, non quod odorem sequitur.“ S. Atque ea significatione hoc tantum loco legi videtur. Cf. 6. 715.

137. *Circumdata* Sidonia chlamyde, cuius erat aureus limbus. Cf. Ov, M. 5, 51 *indutus chlamydem Tyriam quam limbus obibat aureus.* Cf. 9, 582. — De acc. gr. cf. 2, 273.

138. *ex auro* cf. Gr. § 310. — *Cui* relativo pergitur narrando cf. 12, 65. — *nodantur in aurum*, „vel retiolo vel fascia“, ita v. 148 *implicat auro crines.*

139. *Fibula* videtur fuisse in humero, quod est vestis venatoria, in qua liberiore opus est brachiorum usu. *fibula baltei* 5, 313. 12, 274. — De vocabulo repetito cf. 1, 449.

140. *nec non et* cf. 5, 100.

142. *agmina iungit* cf. 2, 267.

143. *qualis* cf. 1, 498. Comparatur Aeneas cum Apolline, quum maxime eius splendet pulchritudo. — *hibernam Lyciam.* „Constat Apollinem sex mensibus hiemis apud Pataram Lyciae civitatem dare responsa, unde Pataraeus Apollo dicitur, et sex aestivis apud Delum.“ S. — *Xanthus* Lyciae fluvius.

144. *Delum maternam* cf. 3, 74. — *invisit.* Sic *visere* dicitur dea locum dilectum repetens: *quae* (Venus) *Paphum iunctis visit oloribus* Hor. C. 3, 28, 15.

145. *instaurat* cf. 63.

146. Cretes sibi Delphos ministros adscivit Apollo cf. Hom. in Apoll. 393. 516. Hinc *Phoebo gratissima dona Cres tulit* Tib. 4, 1, 8. — *Dryopes* „populi sunt iuxta Parnasum.“ S. cf. Paus. 4, 34, 6. — *Agathyrsi* „populi sunt Scythiae colentes Apollinem Hyperboreum.“ S. Cf. Herod. 4, 33. — *picti:* cf. Melam 2, 1: Agathyrsi „ora artusque pingunt, ut quisque maioribus praestat, ita magis vel minus, ceterum iisdem omnes notis et sic, ut ablui nequeant.“ et Avien. descr. orb. terr. 447: *praecinctique sagis semper pictis Agathyrsi.* Utram ob caussam pictos dixerit, non liquet. Non minus ab eo G. 2, 115 et a Cl. in Ruf. 1, 313 picti dicuntur Geloni, gens Agathyrsis cognata cf. Her. 4, 10.

Ipse iugis Cynthi graditur, mollique fluentem
Fronde premit crinem fingens atque implicat auro;
Tela sonant humeris: haud illo segnior ibat
Aeneas; tantum egregio decus enitet ore.
Postquam altos ventum in montes atque invia lustra,
Ecce ferae, saxi deiectae vertice, caprae
Decurrere iugis; alia de parte patentes
Transmittunt cursu campos atque agmina cervi
Pulverulenta fuga glomerant montesque relinquunt.
At puer Ascanius mediis in vallibus acri
Gaudet equo; iamque hos cursu, iam praeterit illos,
Spumantemque dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fulvum descendere monte leonem.
  Interea magno misceri murmure caelum
Incipit; insequitur commixta grandine nimbus.
Et Tyrii comites passim et Troiana iuventus
Dardaniusque nepos Veneris diversa per agros
Tecta metu petiere; ruunt de montibus amnes.
Speluncam Dido dux et Troianus eandem
Deveniunt. Prima et Tellus et pronuba Iuno

147. Cynthi „montis Deli.“ S. — *Fingit crinem;* nam in omnibus statuis Apollinis crines videmus accurate fictos et compositos; coercet autem crinem et fronde, lauro, et diademate aureo. — *Fluentem*, *wallendes Haar*, ut ap. Prop. 2, 2, 25 *nec de more comae per levia colla fluentes.* Cf. 1, 320 *vestes fluentes.* Adde de Apollinis caesarie quae ad 1, 590. Minus aptum est explicare *fluentem* unguentatum; unguentum enim minime aptum venatori.

149. *haud segnior.* Apud Romanos fortitudo, strenuitas, pulchritudo iuncta cogitantur. — Ut hoc loco comparatum comparationi praecedit et subsequitur, ita 2, 377 sq. 5, 583 sq. 12, 9 sq. Quare in ea repetitione caussa posita non est, ut verba *haud — ore* ab alio esse adiecta opinetur *Pl.*

152. *Deiectae*, quae se deiecerant, desiluerant, cf. 2, 707 et 511 *fertur in hostem* et 6, 184 *accingitur.* 528 *comes additur.* Romanis enim Passivi formae et Medii pares sunt. Cf. Gr. § 142, 3.

154. *Transmittunt campos* „celeriter transeunt.“ S. cf. Lucr. 2, 325 *Et circumvolitant equites mediosque repente Transmittunt valido quatientes impete campos.* Sic dicitur *traiicere amnem.* — Quod cervi sint in Africa cf. 1, 184.

155. *Pl.* coni. *fontesque r.*

158. *Pecora inertia* ea sunt, quae resistere non possunt, ignava. Quod Ascanius memoratur, ut v. 84, recte fit; Amor enim modo per unum diem eius formam induerat.

159. *Votis optare* legitur 10, 279. Vota sine dubio Dianae fiunt cf. Ecl. 7, 29.

160—172. Dido et Aeneas in antrum conveniunt.

160. *Misceri murmure* cf. 2, 298.

166. *Tellus* quae est *prima* deorum cf. 7, 136 et *Iuno* quae est *pronuba,* dant signum, sed quale id est? Scilicet quod sequitur: fulmina etc. *Primae* coni. *Hs* rec. Bothe. — Tellus, ut quae rerum sit origo, quae prima connubium inierat cum Urano, poterit inter nuptiarum auspices esse; addit tamen Servius: „Satis perite loquitur; nam secundum Etruscam disciplinam nihil tam incongruum nubentibus, quam terrae motus vel caeli.“ Itaque quae hoc loco memorantur, infausta esse signa putat. Sed Nympharum ululatum non esse in rebus infaustis docet Ovidius, qui hunc locum respiciens de eadem re scripsit: *Audieram vocem, Nymphas ululasse putavi; Eumenides fatis signa dedere meis.* Her. 7, 95. Ita Iuno non est adversa cf. Her. 6, 45 *At mihi non Iuno, nec Hymen, sed tristis Erinys praetulit infaustas sanguinolenta faces* et 2, 117 *Pronuba Tisiphone in thalamis ululavit* etc. adde M. 6, 428. — Quare hoc loco omina infausta non dantur, sed dubia fuisse videntur; sic ululatus et laetantium est ut 11, 662 et lamentantium. Et quum adsint deae

Dant signum; fulsere ignes et conscius aether
Connubiis, summoque ulularunt vertice Nymphae.
Ille dies primus leti primusque malorum
Caussa fuit. Neque enim specie famave movetur,
Nec iam furtivum Dido meditatur amorem;
Coniugium vocat; hoc praetexit nomine culpam.
Extemplo Libyae magnas it Fama per urbes,
Fama, malum qua non aliud velocius ullum:
Mobilitate viget, viresque adquirit eundo;
Parva metu primo, mox sese attollit in auras,
Ingrediturque solo et caput inter nubila condit.
Illam Terra parens, ira inritata deorum,
Extremam, ut perhibent, Coeo Enceladoque sororem
Progenuit, pedibus celerem et pernicibus alis;
Monstrum horrendum, ingens, cui, quot sunt corpore plumae,
Tot vigiles oculi subter, mirabile dictu,
Tot linguae, totidem ora sonant, tot subrigit aures.
Nocte volat caeli medio terraeque per umbram,
Stridens, nec dulci declinat lumina somno;
Luce sedet custos aut summi culmine tecti,

pronubae, fulmina, taedae nuptiales, Nympharum chori hymenaeum canentium: haec omnia sunt extraordinaria, nec possunt certi ominis esse. — *Pl.* coni. *Tremuit* tellus et *p. I. dat* signum. *Richter (Meseritz) Deveniunt rima(!) Et tellus*, et explicat: Irrepunt per rimam subitoque inter se conspiciunt.

167. *Conscius* est aether ut *sidera conscia* 9, 429 et O. M. 6, 588 *nox conscia sacris.*

169. *Pl.* coni. *I. d. primus labes.*

170. Ab hoc die palam se gessit uxorem Aeneae, neque decori specie nec fama movetur.

171. *Meditatur*, cogitat, parat cf. Ecl. 1, 2 *Silvestrem musam meditaris avena.* Hor. C. 4, 14, 27 *Aufidus .. cultis diluviem meditatur agris.*

172. *Praetexit* cf. 500. Ad rem cf. Ov. Met. 7, 69 *Coniugiumne vocas speciosaque nomina culpae imponis Medea tuae!*

173 — 197. Fama.

173. Nobilis illa Famae descriptio, cuius elementa aliqua deprehendis in Eridis imagine ap. Hom. Il. 4, 442 *Ἔρις, ἥτ' ὀλίγη μὲν πρῶτα κορύσσεται, αὐτὰρ ἔπειτα οὐρανῷ ἐστήριξε κάρη καὶ ἐπὶ χθονὶ βαίνει.* Sed diversa res diverso modo describitur, neque ex Homero aliqua verba exscripsit Virgilius, sed ex suo ingenio hausit et rei natura.

174. Fama malum *quo* VP1. *qua* MRP2. Utrumque iam lectum a Servio, utrumque probum, sive scribis *fama malum*, *quo* sive *fama*, *malum qua*, quod fecerunt *Wg. Ld. Rb.* et firmatur librorum auctoritate. — *Velocius*, quippe cuius movendo crescit celeritas, quae in aliis animalibus certe solet decrescere.

176. *Parva metu.* Primum timida serpit et cauta contrahit corporis speciem, mox facta audacior alta incedit. Nam „*primo* adverbium est non nomen.“ S. Quare quid in *parva metu primo* insit difficultatis non intelligo, nec quare praestet *parva venit primo*, quod coni. *Pl.* Atque optime his verbis morem hominum expressum esse video, quo qui primi narrant, ipsum quod narrant cupiunt tegere. Metuunt enim ne famae auctores dicantur esse.

177. Idem v. 10, 767.

178. *Ira deorum* est ira contra deos cf. Gr. § 255 An. 2. Irata autem diis est, quod Titanes in Tartarum deiecere, quapropter generavit Gigantes et Famam. *Extremam*, degeneratam, pessimam. Secutus Liv. 30, 29 *extremum ingenium* dixit stultissimum et Suet. Cal. 35. et Iust. 35, 1 *extremam sortem* infimam.

179. *ut perhibent:* „Quotiescumque fabulosum aliquid dicit, solet inferre *Fama est.*“ S. vel simile aliquid. Cf. 1, 15. 3, 578.

186. *custos* „speculatrix, ne quid eam praetereat.“ S.

Turribus aut altis, et magnas territat urbes.
Tam ficti pravique tenax, quam nuntia veri.
Haec tum multiplici populos sermone replebat
Gaudens et pariter facta atque infecta canebat:
Venisse Aenean Troiano sanguine cretum,
Cui se pulchra viro dignetur iungere Dido;
Nunc hiemem inter se luxu, quam longa, fovere
Regnorum immemores turpique cupidine captos.
Haec passim dea foeda virum diffundit in ora.
Protinus ad regem cursus detorquet Iarban,
Incenditque animum dictis, atque aggerat iras.
  Hic Hammone satus, rapta Garamantide Nympha,
Templa Iovi centum latis immania regnis,
Centum aras posuit vigilemque sacraverat ignem,
Excubias divom aeternas, pecudumque cruore
Pingue solum et variis florentia limina sertis.

187. *turribus.* Cf. H. C. 1, 4, 13 *Pallida Mors aequo pulsat pede pauperum tabernas regumque turres.*

189. *populos sermone replebat.* Sic *Fama domos replebat* 11, 140 et 896. *Turnum implet nuntius.* Ov. M. 9, 134 *Acta magni Herculis implerant terras.* v. 665 *Fama novi ... urbes implet monstri.* Sic A. 1, 460 *est regio plena laboris nostri.*

190. *gaudens* „propter inventam materiam.“ S. Solent enim homines gaudere, si quid novi acceperint, quod aliis possint narrare, facileque inducuntur, ut renarrando addant nova et infecta. Sic h. l. infecta sunt, quae v. 193 et 194 leguntur.

191. *Troiano a sanguine* R. et *Wg.* al. — *Troiano sanguine* MP. al. et *Ld. Rb.* *Cretus* iungitur ablativo cf. *quo sanguine cretus* 2, 74. 3, 608. *Electra cretus* 8, 135. *Alcanore creti* 9, 672. Indicat autem, ut 1, 626 *cretus ab aliquo* oriundum, *cretus aliquo*, ortum, natum. Cf. Gr. § 315. Utrumque igitur h. l. potest dici. Non Afrum aliquem, sed Troianum advenam et sua ex terra profugum Dido sibi elegit.

192. *dignetur iungere Dido:* Ipsa fama verbis utitur Iarbae iram exasperantibus. *Dignor* cum inf. iungitur. quod inest notio voluntatis sic 10, 732. 866. ap. Hor. Ov. et in prosa ap. Plinium Pan. 80. 87. 92 al. Curtium, Suetonium.

193. *Hiemem fovere luxu* i. e. transigere luxu hiemem maxime amoribus aptam; cf. Tac. An. 14, 55 *Ratione, consilia, praeceptis pueritiam meam fovisti.* — *Quam longa* sc. est i. e. totam cf. 8, 86 *Tybris ea fluvium, quam longa est* (sc. esse solet), *nocte tumentem Leniit.* Ov. Am. 1, 2, 3 *et vacuus somno noctem, quam longa, peregi.*

194. *regnorum immemores*, Dido Africae, Aeneas Italiae.

195. *in ora virum diffundit:* Ita Ter. Ad. 1, 2, 13 *in ore est omni populo.*

196. *Iarbas* rex, qui Didonem concessa terra in matrimonium petiit, sed spretus est.

197. *incendit animum atque aggerat iras:* Quas iam ex repulsa conceperat, auget iras, quod praefertur alius et multo, ut putat, inferior.

198 — 218. Preces Iarbae.

198. Filius est Iovis Hammonis, cuius in Libya celebre oraculum erat, e Garamantide nympha. Garamantes autem gens Africae.

199. *lata regna* cf. 1, 25 *late rex.* Ita *lata regna* dixit Sen. Troad. 881.

200. *Posuit* perfectum nullo relatu dictum cf. 6, 524; *sacraverat* plusq. ad v. 203 spectat. Utrumque tempus recte positum est, et poeta pro voluntate variavit. — Ignis in Hammonis templo perpetuus (*vigil* cf. 8. 410) sacratus erat, quem ut servarent custodes erant instituendi. Centenarius numerus in sacris sollemnis cf. 1, 417. G. 3, 18. Sil. 1, 92. Cf. ἑκατόμβη.

201. *Excubias divom aeternas* definitio est aeterni ignis.“ S.

202. *Solum, limina* nominativi sunt cf. 2, 170. Saepe in iis victimae mactabantur et limina floribus et sertis ornabantur, quod utrumque fiebat festis diebus, ut 1, 417. — *pingue* cf. 62.

Isque amens animi et rumore accensus amaro,
Dicitur ante aras media inter numina divom,
Multa Iovem manibus supplex orasse supinis:
Iuppiter omnipotens, cui nunc Maurusia pictis
Gens epulata toris Lenaeum libat honorem,
Adspicis haec? an te, genitor, quum fulmina torques,
Nequidquam horremus, caecique in nubibus ignes
Terrificant animos et inania murmura miscent?
Femina, quae nostris errans in finibus urbem
Exiguam pretio posuit, cui litus arandum
Cuique loci leges dedimus, connubia nostra
Reppulit ac dominum Aenean in regna recepit.
Et nunc ille Paris cum semiviro comitatu,
Maeonia mentum mitra crinemque madentem
Subnixus, rapto potitur: nos munera templis
Quippe tuis ferimus famamque fovemus inanem.

203. *amens animi* cf. 1, 14.

204. *inter numina divom.* Nam ubi arae et signa deorum erant, ibi numina esse credebantur. „Media inter numina; ac si diceret diis testibus.“ S.

205. *manus supinas* cf. 3, 176.

206. *Maurusia gens.* Ap. Iustin. 18, 6 Maxitanorum rex dicitur Iarbas. — *nunc* i. e. mea demum id cura factum est.

207. *pictis toris*, ut 1, 708. — Libari in conviviis et sacrificiis notum est. — *Lenaeum honorem:* vinum. *Honor* de sacro, quod deo offertur saepe cf. 1, 49. Lenaeus ipse dicitur Bacchus; inde est *Lenaeum* h. l. adiectivum a *Lenaeus* deductum; ex ratione quae allata est ad 1, 686. Sic ap. Stat. Silv. 4, 6, 80 *Lenaea dona.*

208. Utrum tu haec non adspicis, non curas, an nulla est potentia tua? *Fulmina torquere* vox propria. Sic Sen. Agam. 793 *Pater qui saeva torques fulmina.*

209. *Caeci ignes* sunt, qui nullo feruntur moderamine et consilio. Itaque nequidquam horret, metuit, veneratur Iarbas Iovem, quum non eius consilio fulmina sed fortuito ferantur in sontes et insontes. — *miscent* cf. Sil. 12, 628 Et *caecum* nubibus ignem *murmura*que e ventis *misceri* vana docebat Pl. Ep. 5, 6 In hoc fonte crater, circa siphunculi plures *miscent* iucundissimum *murmur. Pl.* coni. *misces.* Cf. 160.

212. *Urbem ponere* 344. Hor. C. 2, 6, 5.

213. *Loci leges dat*, cui sub certa lege locum concedit ut dominus, neque enim leges et iura dare potest, nisi qui imperat.

216. *Maeonius* est Lydius, Maeones Lydi cf. Strab. 13, 4, 5 p. 625 *Λυδῶν, οὓς ὁ ποιητὴς καλεῖ Μῄονας, οἱ δ' ὕστερον Μαίονας.* — „*Maeonia mitra*, Lydia; nam utebantur et Phryges et Lydi *mitra.* hoc est incurvo pileo, de quo pendebat etiam buccarum tegimen“ S.; itaque fimbriis pendulis, sub mento subligatis, malae et tempora tegebantur. Apud Romanos mitrae erant meretricum, quod testatur Servius et Iuv. 3, 66. Sed iam Ciceronis tempore vel senatores in hortis et Neapoli mitellas gesserunt deliciarum caussa et voluptatis, pr. Rab. Post. 10, 26. — Crinem unguentare viro dignum non habebatur apud Romanos. Sic ap. Ovid. Pentheus Baccho obiicit, quod ei sit *crinis myrrha madidus* M. 3, 555.

217. *subnixus* Mss. — *subnexus* unus Leidensis; quod multi viri docti praetulerunt, novissimi *Ld. Rb.* *Subniti* enim *re* esse *niti re supposita* (etsi id verbum nusquam exstat, sed modo participium hoc); atque ea verbum legi significatione 1, 506. 3, 402. Quod quum mentum mitra non nitatur, praestare *subnexus.* Verbum *subnectere* legimus 1, 492. Quaeritur tamen, num dicatur *subnectere mentum*, vel caput, vel partem aliam corporis, quum subnectatur vestis, mitra, chlamys. Iam vero quomodo explicabitur Silii locus 2, 397 *galeamque coruscis subnixam cristis?* num eo etiam loco *subnexam* substituere placebit? num galeam niti cristis; non cristas galea? Adde Plaut. Pers. 2, 5, 6 *subnixis alis me inferam;* i. e. celerrime, alis subditis.

218. *Quippe* cum malitia dictum, ut 1,

Talibus orantem dictis arasque tenentem
Audiit omnipotens, oculosque ad moenia torsit
Regia et oblitos famae melioris amantes.
Tum sic Mercurium adloquitur, ac talia mandat:
Vade age, nate, voca Zephyros, et labere pennis;
Dardaniumque ducem, Tyria Carthagine qui nunc
Exspectat, fatisque datas non respicit urbes,
Adloquere, et celeres defer mea dicta per auras:
Non illum nobis genetrix pulcherrima talem
Promisit, Graiumque ideo bis vindicat armis;
Sed fore, qui gravidam imperiis belloque frementem
Italiam regeret, genus alto a sanguine Teucri

39. — *Famam inanem* dei, quae non nititur aliqua dei potentia, *fovemus*, sustentamus sacris faciundis, ex quibus subesse aliquid potentiae colligi licet. Oratio haec Iarbae, barbari et Afri, signa habet hominis irati. Primum obiicit Iovi quae dederit; deinde in *adspicis haec* ostendit modo rem, non declarat; immiscetur de dii potentia dubitatio. Indignatur autem vir fortis, quod a femina spretus est, eaque pauperrima suoque beneficio devincta sibique subiecta, cui maritus esse voluerit; eam nunc sibi dominum quaerere, semivirum, mollem et enervatum; atque ea omnia videri concedere Iovem, quasi praemium sacrorum, quae ipsi tulerit.

219 — 237. Iuppiter Mercurium mittit ad Aeneam.

219. *orantem.* Mos antiquis, ut si quid maxime orabant, aras tenerent et signa amplecterentur; quare quasi deos ipsos adulari videbantur. Cf. 2, 517. 6, 124. 12, 201. Ov. Am. 1, 4, 27. Macr. Sat. 3, 2. — *aras* pl. cf. 7, 98.

221. *oblitos famae melioris* cf. 170.

222. *Mercurius* cf. 1, 297.

223. *Vade age* cf. 3, 462. — *Zephyros*, qui volatum secundent, ut 5, 607. — *labere pennis* cf. 2, 225.

225. *Exspectat* i. e. moratur verbo intransitivo cf. 1, 104. Praeter hunc locum legitur ap. Plaut. Amphitr. in suppositis sc. 2, 12. et ap. Iust. 5, 4.

226. *Celeris*, quod est in Mss., et h. l. et 357 licet accipi pro nominativo *celer* cf. Gr. § 107; et acciperem, nisi esset v. 270, ubi est accusativus pro *celeres*.

228. *Bis* ereptus est morti Aeneas, semel a Venere Hom. Il. 5, 311. dein a Neptuno 20, 291. — Potius tamen videtur intelligere illam ex urbis interitu ereptionem 2, 589, et per Graecos navigationem 3, 282. — *vindicat.* Praesenti tempore poetas saepius uti quam solutae orationis scriptores satis notum est, neque caussa latet, cur id faciant. Nostrum est modo demonstrare, quando id faciant. Attigimus iam praesens 2, 663. Alium habemus usum hoc loco. Scilicet praesens, quum tempus et rem gerentis et rem narrantis idem esse indicet, potest admitti, si quae res ante facta aut, quando narratur, ipsa permanet, ut factum aliquod continuetur; aut certe id, quod rem consequitur, ut continuetur eventus. Alterius generis habes locos 1, 79 *Tu das epulis accumbere divom* i. e. et olim dedisti et etiam nunc das. 630 *Non ignara mali miseris succurrere disco* i. e. et didici et semper disco malorum meorum recordatione. 9, 219. Alterius generis est hic locus et 1, 517 *linquant.* 2, 665 *eripis.* Sic 5, 57 *haud sine numine divom adsumus et portus delati intramus amicos*, dicit is, qui iam diu appulit. Is usus valuit etiam in enuntiatis relativis. Cf. 2, 275 *Quantum mutatus ab illo Hectore, qui redit etc.* i. e. redeunte. 10, 143 *affuit et Mnestheus, quem pulsi pristina Turni .. sublimem gloria tollit.* 9, 266 *Dabo cratera antiquum, quem dat Sidonia Dido.* 361 *Cingula Tiburti Remulo ditissimus olim quae mittit dona.* 10, 518 *Quattuor hic iuvenes, quos educat Ufens, viventes rapit.* 11, 172 *Magna tropaea ferunt, quos dat tua dextera leto.* Ex aliorum carminibus afferre exempla, quum tam multa praebuisset unus Virgilius, opus non videbatur esse. Cf. Gr. § 455. An.

229. *Gravida* est Italia *imperiis.* quae multa exercebit imperia, multis gentibus imperabit; ut 10, 87 *gravidam bellis* dixit urbem bellicosam. Simili modo Claud. Fesc. 12, 24 *Imperio feta domus* (Honorii) *Vix numerat triumphos.*

230. *Altus* quid significet cf. 9, 697.

Proderet, ac totum sub leges mitteret orbem.
Si nulla accendit tantarum gloria rerum,
Nec super ipse sua molitur laude laborem,
Ascanione pater Romanas invidet arces?
Quid struit? aut qua spe, inimica in gente, moratur,
Nec prolem Ausoniam et Lavinia respicit arva?
Naviget: haec summa est; hic nostri nuntius esto.
Dixerat. Ille patris magni parere parabat
Imperio: et primum pedibus talaria nectit
Aurea, quae sublimem alis sive aequora supra
Seu terram rapido pariter cum flamine portant:
Tum virgam capit: hac animas ille evocat Orco
Pallentes, alias sub Tartara tristia mittit;
Dat somnos adimitque et lumina morte resignat;

231. *Proderet*, ut Cic. Off. 3, 21, 84 *regno, quod a Tantalo et Pelope proditum iure obtinebatur.* — Etiamsi Aeneas Italiae imperium aliquando obtinuisse dici possit a poeta parvam rem multum augente, tamen orbem terrarum subiecisse ne ab eo quidem potest. Consulto Aeneae et Augusti personas miscet. Bene monet *Ld.* quid his verbis Iuppiter indicasset intellexisse Mercurium neque repetisse Aeneae.

233. *super ipse sua.* Idem ordo verborum ap. Ov. Am. 1, 7, 26 *poenam fortis in ipse meam.* Cf. 671.

234. *arces* cf. 2, 322. — *Pater* filium debet felicem reddere et potentem.

235. *Inimica in gente* interpositum est signatque: et quidem inimica in gente; unde defenditur hiatus. Cf. § 6. Et „praeoccupat quasi praescius.“ S.

236. *prolem Ausoniam*, Romanos cf. 274. 6, 756. „Post v. 225 et 230 abundare videtur“ *Rb.* et delet.

237. *Hic nostri nuntius esto.* Hoc loco solent duo moneri, *hic nuntius* esse huius rei nuntius (ut saepius) cf. 7, 595 *has pendetis poenas;* 12, 468. Liv. 3, 30 *is metus;* 21, 5 *quo metu perculsae civitates* pro eius rei metu. c. 46 *is pavor perculit Romanos.* Idem 3, 38. Alibi. — Deinde genitivum personalium nonnunquam, ut personae vis extollatur, esse pro possessivo, ut 654. 10, 72 *potentia nostri.* Cf. Gr. § 378. An. *Nuntius* autem non modo rem significat nuntiatam, sed saepius ita usurpatur, ut insit notio mandati, quod ad aliquem perfertur, ita ut idem sit, quod iussum. Quamquam iis in locis omnibus simplicem vocabuli significationem sufficere non negamus. Cf. Cic. Fam. 12, 24 *Nondum legati redierant, quos senatus non ad pacem deprecandam, sed ad denuntiandum bellum miserat, nisi legatorum nuntio paruisset.* Inde efficitur: Naviget, hoc uno verbo comprehensa est voluntas mea, hoc nostrum iussum esto, quod ad illum deferas. *Pl.* eiic. *hic n. n. e.*

238 — 278. Aeneam Mercurius Carthagine abire iubet.

241. *Pariter cum flamine* est venti celeritate.

242. *Virga*, ῥάβδος Hom. Od. 24, 1, saepius Mercurii caduceus appellatur Hor. C. 1, 10, 17, alibi, ob vires magicas; ita Circe virgam habet Ov. 14, 278. 295. 300. (*Wünschelruthe*). — *Evocat animas Orco*, ut Protesilaum.

243. *Sub Tartara mittit.* Nam omnes mortuos comitatur ad inferos, inde ψυχοπομπός dictus. De praep. *sub* cf. 387.

244. *Dat somnos adimitque:* idem Hom. Od. 24, 4. Cf. de Argo narrationem Ov. Met. 1, 668. — *et lumina morte resignat.* Servius *resignat* posse significare dicit aut *claudit*, *perturbat* (sic) aut *aufert signa luminibus* i. e. *signorum quibus quaeque noscuntur intellectum tollit;* aut *assignat.* Qua ex ipsa varietate, magis etiam ex ratione, qua exponit singula, ipsum de significatione dubitasse apparet. Neque minus post eum qui explicabant locum, in diversissimas opiniones abierunt. Rebus quae ante narrantur aptissima explicatio est ea, qua *resignat a morte* intelligitur, i. e. liberat, repellit a morte iam instante; ut 375 *socios a morte reduxi.* 5, 476 *revocatum a morte Dareta.* Verba autem cum *re* composita cum solo ablativo iungi vidimus 1, 358. — Quae praeterea tentata sunt, eorum summa est: *claudit in morte oculos* aut *aperit oculos post mortem*, quod propinqui solebant facere Plin. 11, 37, 55 „Morientibus

Illa fretus agit ventos et turbida tranat
Nubila. Iamque volans apicem et latera ardua cernit
Atlantis duri, caelum qui vertice fulcit,
Atlantis, cinctum assidue cui nubibus atris
Piniferum caput, et vento pulsatur et imbri;
Nix humeros infusa tegit: tum flumina mento
Praecipitant senis, et glacie riget horrida barba.
Hic primum paribus nitens Cyllenius alis
Constitit; hinc toto praeceps se corpore ad undas
Misit, avi similis, quae circum litora, circum
Piscosos scopulos humilis volat aequora iuxta.
[Haud aliter terras inter caelumque volabat
Litus arenosum Libyae ventosque secabat
Materno veniens ab avo Cyllenia proles.]

oculos operire rursusque in rogo patefacere Quiritium ritu sacrum est." Sed non magis constat, id officium fuisse Mercurii, et verba *sub Tartara mittit* certe simile indicant. Alii dederunt *limina;* alii *nocte;* alii eiecerunt haec verba ut *Pl.*, minime quidem illi probandi; neque enim interpretis est delere verba quae ipse non intelligit, sed omni studio laborare, ut intelligat. Quod si incassum sudaverit, profiteatur se non intelligere; si ab alio adiecta verba esse apud se constituerit, doceat, quomodo factum sit, ut aliena recepta sint, et qua re commotus quis quid addere conatus sit; postremo aliquam verbis inesse sententiam, quam hoc loco esse negant. Sed si quis alius adscripsit verba, voluit ea aliquid significare. *Hr. Ld.* explicant alterum esse *dat s.*, alterum *a. e. l. m. r.* i. e. adimit somnum et solvit ita ex morte (sc. somni!) oculos. *Wg. morte* ablativum dicit esse temporis et explicat „aperit oculos morte clausos, seu revocat mortuos in vitam." Stat. Theb. 1, 304 memoravit officia Mercurii, et haec habet: „virgam .. qua pellere dulces aut suadere iterum somnos, qua nigra subire Tartara et exsangues animare assueverat umbras."

245. *Illa fretus agit.* Sic dicitur Orpheus fretus cithara 6, 120. His verbis iam redit ad ea, quae facit Mercurius, a quibus declinavit a v. 242.

247. *Atlas*, in extremis terris quae cognitae erant positus, ipsum caelum ferre videbatur. Praeterea tradunt hominem Atlantem in montem esse conversum Ov. M. 4, 656; quare et hoc loco mons cum homine sene comparatur. Imitatur Sil. 1. 204 sq. De montis regione quae fabulosa tradita sint, legas ap. Plin. 5. 1, 1 qui Atlantem dicit „vel fabulosissimum".

251. *praecipitant* ita 2, 9. Cf. ad 1, 104.

252. *Paribus alis* ita 5, 657. 9, 14. est pari volatu, extensis alis, „quum alae non magnopere moventur sed linea propemodum eadem semper manent." Grg. ad Ov. Met. 2, 708 *hinc se sustulerat paribus Caducifer* (Mercurius) *alis.* Cf. 5, 217. — *Cyllenius* a monte Cyllene, de quo 8, 139.

254. *Avi similis* cf. Hom. Od. 5, 50. „incongruum heroo credidit carmini, si mergum diceret." S. cf. 1, 177. Praeceps se dat ad undas, ut avis pisce conspecto.

255. *Piscosos* est „caussa cur volet." S.

256—258. In his tribus versibus multa sunt, quae displicent. Primum autem notandum eos a Servio esse lectos. At v. 257 abest ab uno Ms. v. 258 a pluribus; deinde in aliis multis, si fides est, v. 258 ante v. 257 positus est. — *Litus arenosum ac Libyae* M. multique; sed *ac* tertio loco positum offendit, quare multi eiecerunt interpretes. Nonnulli magis veri speciem secuti ex *ad* ortum putabant; quod dat et rec. *Ld.* Quodsi tuebimur, iungemus: *volabat ad litus Libyae;* et *ventosque secabat* additum erit pro participio cf. ad 8, 125. — Praepositionis locus aliquatenus defenditur iis, quae ad 671 dicta sunt. Offendit praeterea post 252 verbosa et paene eadem Mercurii significatio, quae est 258. Sed et haec, et versuum aequaliter exeuntium sonus ferri posset, et quae est in comparato abundantia et inanitas. Tamen qui defendunt, id modo agere videntur, ut demonstrent Virgilium interdum dormitare. Favent poetae, qui eiiciunt et ab alio, qui Mercurii volatum, non ipsum deum cum ave comparari cupiverit docere, appictos volunt, adiuti etiam codicum varietate.

Ut primum alatis tetigit magalia plantis,
Aenean fundantem arces ac tecta novantem
Conspicit. Atque illi stellatus iaspide fulva
Ensis erat, Tyrioque ardebat murice laena
Demissa ex humeris, dives quae munera Dido
Fecerat et tenui telas discreverat auro.
Continuo invadit: Tu nunc Carthaginis altae
Fundamenta locas, pulchramque uxorius urbem
Exstruis! heu regni rerumque oblite tuarum!
Ipse deum tibi me claro demittit Olympo
Regnator, caelum et terras qui numine torquet;
Ipse haec ferre iubet celeres mandata per auras:
Quid struis? aut qua spe Libycis teris otia terris?
Si te nulla movet tantarum gloria rerum,
Nec super ipse tua moliris laude laborem,
Ascanium surgentem et spes heredis Iuli
Respice, cui regnum Italiae Romanaque tellus
Debentur. Tali Cyllenius ore locutus

Accedit, quod [non per v. *similis* Vgl. comparationem perfectam dare solet. Ut magis placeant, etiam sic disponuntur: *Misit. Avi similis, ... litora ... iuxta; arenosum ad Libyae, ... proles.* — Deinde *terras inter caelumque* adversatur prioribus, nam dicitur circum litora et iuxta aequora volare, et ad undas se misisse. Postremo aliqua ex iis alibi apud Vglium leguntur, ut aliquis haec collegisse et singula conglutinasse videatur, sic v. 184 *terras inter caelumque* et G. 1, 406 *ventosque secabat.*

259. *magalia* cf. 1, 421.

260. *tecta novantem*, sibi scilicet, qui iam vult remanere.

261. *Atque* saepius, ubi res nova et inopinata incidit, quae oculis subiicitur. Cf. 6, 162. 494. cf. Gr. § 480, 1. Miratur Mercurius, quod Aeneas Tyrius factus est. — *Stellatus*, distinctus, fulgens; ita *stellatus Argus* Ov. M. 1. 664. *variis stellatus corpora guttis* 5, 461. „Participium sine verbo.“ S. Recte, nam non exstat forma praeter *stellans* et *stellatus*. — *Iaspis* erat in capulo et vagina; eius versus meminit Iuv. 5, 44 *quas gemmas in vaginae fronte solebat ponere zelotypo iuvenis praelatus Iarbae.* Sic Persarum regi „ex gemma erat vagina.“ Curt. 3, 3, 18. — Esse ĭaspide legendum docet Mart. 9, 59, 20 *et pretium magnis fecit iaspidibus.*

262. *Laena* „genus vestis; est autem proprie toga duplex, amictus auguralis.“ S. — *ardebat* cf. 5, 87. Ardor autem coloris in purpura, non color, qui varius esse poterat, praestantiae erat signum.

264. *tenui discreverat auro* cf. 3, 483. 11, 73. Recte autem haec describuntur; docent enim Aeneam iam omisisse Italiam et bellum, nihil nisi Carthaginem et pacem cogitare. — *et* cf. 12, 944.

265. *Invadit* „habitum futurae orationis ostendit.“ S. *anfahren.* Ita invadere de acerba increpatione Tac. A. 6, 4.

266. *Uxorius* est, qui uxoris (Didonis) arbitrium sequitur, sic Hor. 1, 2, 18 Tiberis est *uxorius amnis*, qui Iliae se iactat ultorem.

269. *Torquet*, movet, rotat, de siderum motu cf. 9, 93 *torquet qui sidera mundi.* Cf. Cic. Ac. 2, 39 123 *terra quum circum axem se summa celeritate convertat et torqueat, eadem effici omnia, quae si stante terra caelum moveretur.*

271. *Terere tempus* plerumque dicitur is, qui nihil agit, quo ad finem propositum perveniat.

273. Versus non legitur in MP., in aliis Mss. a manu secunda additus. Del. *Pl. Rb. Ld.*, servat *Wg.*

274. *Ascanium surgentem* i. e. crescentem cf. 6, 364 *per spes surgentis Iuli* et *surgens urbs* 1, 366. 437, *messis* G. 1, 161, *herba* G. 4, 12. Ecl. 5, 39. Nuntii in carmine epico ea ipsa verba quae acceperunt eodem modo solent reddere, quae est epica simplicitas, ex rerum natura probata. Cf. 231. *Pl.* coni. *At natum surgentem et spes* (intelligit *Pl.* posteros) *her. Iul. respice quis* (pro quibus sc. posteris) etc. (!)

276. *Rb.* qui v. 252 Cyllenius scripsit consulto, idem consulto dat h. l. *Cullenius!* secutus errores Mssorum.

Mortales visus medio sermone reliquit,
Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.
At vero Aeneas adspectu obmutuit amens,
Arrectaeque horrore comae, et vox faucibus haesit.
Ardet abire fuga dulcesque relinquere terras
Attonitus tanto monitu imperioque deorum.
Heu quid agat? quo nunc reginam ambire furentem
Audeat adfatu? quae prima exordia sumat?
Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
In partesque rapit varias, perque omnia versat.
Haec alternanti potior sententia visa est:
Mnesthea Sergestumque vocat fortemque Serestum,
Classem aptent taciti, sociosque ad litora cogant,
Arma parent, et quae rebus sit caussa novandis
Dissimulent; sese interea, quando optima Dido
Nesciat et tantos rumpi non speret amores,
Tentaturum aditus et quae mollissima fandi
Tempora, quis rebus dexter modus. Ocius omnes
Imperio laeti parent ac iussa facessunt.

277. *mortales visus.* Formam hominis assumpserat, ut posset conspici. Discedens suum numen indicat cf. 1, 402. Non exspectat Mercurius, dum Aeneas proferat aliquid; neque enim id erat ei mandatum, neque Aeneas quidquam habere poterat, quod contra Iovis voluntatem proferret. — *medio sermone* i. e. antequam alter posset respondere. Ita 9, 657. „Medius sermo est, quum persona, cum qua quis loquitur, non respondet.“ S. cf. 388, 6, 479. 10, 657.

279—295. Aeneas clam parat fugam.

279. Horroris signa cf. 3. 30. — *Amens* est subito terrore mente captus, ut 2, 314.

280. *arrectae* sc. sunt et haesit cf. 5, 362.

281. Aeneas, deorum observantissimus, ubi eo modo monitus est, iam non dubitat quin parendum sit, sed quomodo Didonis evitet furores, id nescit; atque ita quum summa anxietate pressus esset, tandem hanc putavit potiorem esse sententiam, socii clam pararent classem, ipse interea aucuparetur tempus quo Didoni posset rem fateri cum minima offensione. Et in hoc inest culpa Aeneae et rerum cardo, non quod Aeneas facit, quod iubet Iuppiter, sed quod celare studet Didonem, id quod minime iussum est a Iove. — *ardet abire* cf. 2, 105.

283. *Ambire* est „blanditiis circumire.“ S. Sic 7, 313. Hor. C. 1, 35, 5 *te pauper ambit prece.* Val. Fl. 7, 256 *dumque illam variis maerentem vocibus ambit.* Inde etiam illud *ambire cives* et crimen *ambitus.*

285. 286. Iidem v. sunt 8, 20. 21. Sed sunt hoc loco aptissimi, et in Mss. leguntur omnibus. Quod autem Vaticanus eos non habet, non debebat afferri ad versus improbandos; nam a v. 287 novum fragmentum incipit. Versum 286 del. *Hu. Ld. Gr. Rb.* v. 285 et 86 del. *Pl.* servat *Wg.*

288. Iam sequitur statim quod facit, ut poetam decet narrare cf. 1, 50. — *Serestum* M. al. opt. — *Cloanthum* al. ortum ex v. 1, 510, unde etiam pro *Mnesthea* in aliquot Mss. irrepsit *Anthea.* — In *vocat* inest monendi signum, inde coniunctivus ut 8, 505. Idem v. 12, 561.

289. *sociosque* FM. al. — *que* alii omittunt.

290. *Quae rebus sit* FM. S. al. melius h. l. cadit, quam quod in al. Mss. est, *quae sit rebus*, ortum hoc fortasse e 2, 350 *quae sit rebus fortuna videtis.* G. 2, 178 *et quae sit rebus natura ferendis;* quibus in locis illud *quae sit rebus* aliter cadit ex sententiae ratione.

292. *amores* cf. Gr. § 362, 2. Liebeserweisungen.

293. Tentaturum et aditus et exploraturum, quando et quomodo possit optime alloqui, remque narrare. Laudat *Wg.* Hor. S. 1, 9, 56 *Difficiles aditus primos habet; ... tempora quaeram.*

295. *facessunt.* Studium inest faciendi, sic 9, 45 *praecepta facessunt,* G. 4, 548 *matris praecepta facessit.*

At regina dolos — quis fallere possit amantem? —
Praesensit motusque excepit prima futuros
Omnia tuta timens; eadem impia Fama furenti
Detulit armari classem cursumque parari:
Saevit inops animi totamque incensa per urbem
Bacchatur, qualis commotis excita sacris
Thyias, ubi audito stimulant trieterica Baccho
Orgia nocturnusque vocat clamore Cithaeron.
Tandem his Aenean compellat vocibus ultro:
Dissimulare etiam sperasti, perfide, tantum
Posse nefas, tacitusque mea decedere terra?
Nec te noster amor, nec te data dextera quondam,
Nec moritura tenet crudeli funere Dido?

296—330. Dido Aeneam arguit perfidum esse et ingratum.

296. Dolos *sensit*, antequam perfecerunt Troiani; (admodum enim difficile est fallere amantes, qui solent esse suspiciosi) et prima inter omnes *excepit* abitum parari, quae vel tum, quum tuta videbantur omnia, timebat. *Excipere* autem, ut in capiendo est voluntatis notio cf. 3, 332, significat studere et curare aliquem ut quid audiat, *belauschen*. Liv. 2, 4 *quum coniurati remotis arbitris multa inter se de novo consilio egissent, sermonem eorum ex servis unus excepit, qui iam antea id senserat agi. Eadem*, quae iam senserat, armari classem cursumque parari, detulit Fama. Iam rem putans certissimam furore capitur Dido.

297. „*motus futuros*, i. e. quid moturus, acturus esset Aeneas; Liv. 1, 17 *Quum sensissent ea moveri* (agi) *patres*“ *Wg*.

298. *Pl.* coni. *Omina cuncta timens*, coniectura inutili, nam qui tuta timet, is timebit etiam intuta, i. e. ubi timendi caussa adest. *impia Kl.* habet accusativum. Male, neque enim clam Aeneas eam relinquere cupiebat; sed fama est impia, quae solet ea quae fiunt malitiose interpretari. *Pl.* coni. *et iam improba* pro *eadem impia. furenti* pro ei cf. 31. De voce *furere* 3, 313.

299. *armari:* Ita 290 arma sunt navium armamenta, remi, vela etc. cf. 5, 15. — *detulit* cf. 2, 75.

300. *Saevit* et furit, ut Baccha; quae comparatio etiam ap. Ov. Fast. 4, 457; ubi Ceres filia rapta *mentis inops rapitur, quales audire solemus Threicias passis Maenadas ire comis.*

301. *Bacchari* est vagari furibundum cf. 666. 6, 78. 10, 41 *medias bacchata per urbes.* — *Commoveri sacra* dicuntur, quae portantur in pompa Bacchica. „Moveri sacra dicebantur quum solemnibus diebus aperiebantur templa instaurandi sacrificii caussa.“ S. ut Val. Fl. 3, 232 *motis ululantia Dindyma sacris* dixit de pompa Cybeles. — *Excita Thyias* audito sacrorum strepitu; ita Hor. C. 3, 15, 10 *pulso Thyias uti concita tympano.*

302. Thyias, Evias, Maenas, Baccha vocatur mulier, quae in Bacchicis sacris est. — Bacchi nomina multa attulit Ov. M. 4, 12. — *stimulant.* Cf. in hanc rem Eurip. Bacch. 64 sq.

303. *Orgia* dicuntur nocturnae commissationes in Bacchi honorem factae cf. Serv. ad *trieterica* „Liberi enim sacra (Thebis) tertio quoque anno innovabantur. Sane sciendum *orgia* apud Graecos dici sacra omnia, sicut apud Latinos *caerimoniae* dicuntur. Sed iam abusive sacra Liberi orgia vocantur.“ S. Cf. ad 7, 385 sq. — *Nocturnus* i. e. noctu 490. G. 3, 538 ut *matutinus* Aeneas se agit i. e. mane 8, 465. Cf. Gr. § 367. — In Cithaerone, Boeotiae monte, maxime erat Bacchi cultus cf. Ov. Met. 3, 702.

305. *Spero* cum infinitivo praesentis iungitur ut 338. 2, 658. 5, 18. Ita *promittere* 487. Cf. Gr. § 469, An. 1.

307. *Nec te* etc. neque me amas, neque fidem a te datam curas, neque te mei miseret, quae mori cogor. Ita autem festinas, ut vel hieme (i. e. sidere hiberno; siderum enim et ortu et occasu antiqui anni tempora distinguebant cf. Tac. An. 1, 70 *sidere aequinoctii*) velis navigare, ubi omnia maris pericula impendent. Vel si patriam peteres, morandum esset; nunc vero, quum ignotae terrae quaerendae sunt, quarum amor esse non potest: nullam ob caussam abire cupis aliam, quam quod me fugis; tantumque remotus es ab amore mei, ut bona omnia relinquas, modo ut absis a me.

Quin etiam hiberno moliris sidere classem
Et mediis properas Aquilonibus ire per altum,
Crudelis? Quid? si non arva aliena domosque
Ignotas peteres, et Troia antiqua maneret,
Troia per undosum peteretur classibus aequor?
Mene fugis? Per ego has lacrimas dextramque tuam te —
Quando aliud mihi iam miserae nihil ipsa reliqui —
Per connubia nostra, per inceptos Hymenaeos,
Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quidquam
Dulce meum; miserere domus labentis, et istam,
Oro, si quis adhuc precibus locus, exue mentem.
Te propter Libycae gentes Nomadumque tyranni
Odere, infensi Tyrii; te propter eundem
Exstinctus pudor, et, qua sola sidera adibam,
Fama prior. Cui me moribundam deseris, hospes?
Hoc solum nomen quoniam de coniuge restat.
Quid moror? an, mea Pygmalion dum moenia frater
Destruat, aut captam ducat Gaetulus Iarbas?
Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset
Ante fugam suboles, si quis mihi parvulus aula
Luderet Aeneas, qui te tamen ore referret,
Non equidem omnino capta ac deserta viderer.
    Dixerat. Ille Iovis monitis immota tenebat

311. *Crudelis* „etiam in te odio mei. Sic Lucanus de Caesare 5, 687 *Saevitia est voluisse mori.*“ S.

312. *et. Rb.* dat *set.*

314. *Mene fugis?* Nondum audet sibi ipsa fateri, cur proficisci velit Aeneas.

315. *quando*, quandoquidem iam nihil mihi miserae restat, quo te moveam, quam lacrimae et preces.

317. *Si bene* etc. *Si bene quid merui* Stat. Theb. 1, 60; ita Soph. Aj. 520 *ἀνδρί τοι χρεὼν μνήμην προσεῖναι, τερπνὸν εἴ τί που πάθοι.* *Si* cf. 9, 406.

320. *te propter.* Iam transit ad res molestas et adversas, quas attraxerit Aeneas, quasque propulsare debeat.

321. *Infensi Tyrii* sunt, quod parere cogantur externo homini; per te etiam famam pudicitiae, qua flourueram, amisi.

322. *qua sidera adibam.* De ea formula 1, 287.

323. *Deseris* cf. 2, 677 et Ov. Her. 3, 61 *Ibis et o miseram cui me violente relinquis?* — Ubique ellipsis est: *cui me permittis, dum relinquis.*

324. *hoc solum:* Non iam coniugem sed hospitem modo te appellare licet. „Dicitur ingenti affectu hos versus pronuntiasse, cum privatim paucis praesentibus recitaret Augusto. Nam recitavit primum libros tertium et quartum.“ S.

325. *Quid moror* (de indicat. cf. 368) sc. non est caussa morandi; *an morer, dum?* — A fratre Pygmalione semper erat timendum, cf. 1, 346 sq. nunc etiam ab Iarba, ob praelatum Aeneam infenso.

327. „Qui v. 327 sq. reprehendunt, nostris moribus rem aestimant, quod in vetere poeta et heroum vita non recte fit.“ *Hn.* v. 327—330 ne memorant quidem posse spurios haberi *Pl. Wg. Ld. Rb.*

329. *Te tamen* M. al. Habet consolandi vim cf. 9, 248. — *te tantum* vulg. in Edd. — *Ore referre* est ore novare, repetere i. e. pari esse figura tecum; ita 5, 564 *nomen referre avi;* 12, 348 *nomine avum referens, animo manibusque parentem.* Plin. Ep. 7, 19 *matrem eius refert nobis.* Versum hunc legit Iuvenalis, qui 5, 138 *nullus tibi parvulus aula luserit Aeneas nec filia dulcior illis.*

330. *Capta* explicat v. 326 et Ov. Her. 7. 125 *Quid dubitas vinctam Gaetulo tradere Iarbae?*

331—361. Excusat se Aeneas.

331. Aeneae, qui ipse invitus decedit, vincenda est ea difficultas, ut amanti persuadeat feminae, invitum se abire, sed non posse remanere, quum femina eum et quae velit perficere et quae nolit repellere eum posse putet. — Ipse autem,

Lumina, et obnixus curam sub corde premebat.
Tandem pauca refert: Ego te, quae plurima fando
Enumerare vales, nunquam, regina, negabo
Promeritam, nec me meminisse pigebit Elissae,
Dum memor ipse mei, dum spiritus hos regit artus.
Pro re pauca loquar. Neque ego hanc abscondere furto
Speravi, ne finge, fugam, nec coniugis unquam
Praetendi taedas aut haec in foedera veni.
Me si fata meis paterentur ducere vitam
Auspiciis et sponte mea componere curas,
Urbem Troianam primum dulcesque meorum
Reliquias colerem, Priami tecta alta manerent,
Et recidiva manu posuissem Pergama victis.
Sed nunc Italiam magnam Gryneus Apollo,

ne magis etiam conturbetur, eam adspicere vitat. *imm. t. l.* Verba autem, quum ipse amans amantis sedare cupiat ardorem, magis frigent quam vult, cf. 334. 5. — *Immota tenebat lumina*, qua in re Dido 369 ne minimo quidem eum moveri amore opinatur.

332. *premebat* cf. 1, 209.

333. *Pauca refert* hoc loco admodum displicet; quod 337 Aeneas se pauca locuturum promittit. Ingratum etiam h. l. est verbum repetitum. Haec Vgl. emendaturus erat. *Pl.* coni. *dictu (!)*

335. *Elissa* est Dido.

337. *pro re:* pro mea agendi ratione. — *Furtum* omne, quod clam fit cf. 6, 568.

338. *speravi* cf. 305. Consulto repetit verbum Didonis. — *Coniugis taedas* i. e. coniugales, cf. 18, *praetendi* meae agendi rationi i. e. promisi nuptias, cf. Ov. Rem. Am. 240 *praetendens culpae splendida verba suae.* Itaque est: Neque me te in matrimonium ducturum promisi, neque ea conditione huc veni, ut tuus coniux essem. Ipse enim primo die tibi narravi me in Italia alteram ducturum uxorem 2, 783.

339. *nec — nec — aut* cf. 3, 43.

340. *Meis auspiciis* est mea voluntate, cf. 3, 20. Sic suis auspiciis rem gerere dicitur imperator, alienis legatus.

342. *Reliquiae meorum* sunt, quae ex meis restant, sacra, tumuli. Itaque haec est sententia: Libentius colerem rite et sacris faciendis locum, quo sepulti sunt maiorum et amicorum meorum Manes, esset iam iterum alta Priami domus, a me restituta *(manerent)*, et reddidissem urbem victis Troianis, neque fugere eos coegissem. Recte igitur et *colerem* et *manerent* et *posuissem* iunguntur; et quamquam *manerent* recte usurpatur de re, quae per temporum durat continuitatem; recte etiam dicitur manere res, quae ante fuit et nunc est, etiamsi aliquando per breve tempus interrupta fuerit. Iure haeseris in *mansissent.* Tamen v. *Priami t. a. manerent* delent *Pl. Rb.* nihil curantes interruptam versu imperfecto structuram; in eo perstantes *manere* esse *durare*, non *exstrui*, quod nemo negat.

344. *Manu* hoc loco ex abundantia quadam dictum videtur, qua Virgilius et Latini ablativum addunt, ut rationem, qua quid fiat, indicent, quae iam ex ceteris verbis aliquatenus potest intelligi, cf. Gr. § 494, c. Sic 1, 614 notatum est *ore loqui.* — Sic *voce vocare* 6, 247; et multa alia, semel tantum lecta, quae afferre opus non est. Aliqua tamen addere liceat: 3, 147 *nox erat et terris animalia somnus habebat*, 363 *cuncti suaserunt numine divi*, 4, 46 *cursum vento tenuisse carinas;* qualia si accuratius rem disquirimus, non sine caussa addita esse videmus. Sic hoc loco *manu* indicat ipsum Aeneam suam praestaturum fuisse operam, non modo curaturum, ut alii facerent. Sic 3, 659 *manu* vidimus minime esse supervacuum; nec 5, 499. 6, 395. 7, 604. 11, 453. Aliis in locis ut 2, 459. 717 *cape sacra manu* non erat necessarium, at nos etiam ita dicere solemus. Sic 9, 702. 773. Cf. 2, 645. — Quod eandem rem variatis sententiis repetit, in eo est vis affirmandi cf. 1, 547. — *Recidiva Pergama*, sic 7, 322. 10, 58. *Pl.* pro *victis* dat *Teucris*, quod melius Virgiliano.

345. *nunc — iussere. Nunc* cum perfecto vero, i. e. cuius effectum manet tempore praesenti, recte iungitur ut 356. 8, 99. 381, al. Tib. 2, 3, 3 *iam nunc migravit in agros.* — *Gryneus Apollo.*

Italiam Lyciae iussere capessere sortes.
Hic amor, haec patria est. Si te Carthaginis arces
Phoenissam Libycaeque adspectus detinet urbis,
Quae tandem Ausonia Teucros considere terra
Invidia est? Et nos fas extera quaerere regna.
Me patris Anchisae, quotiens humentibus umbris
Nox operit terras, quotiens astra ignea surgunt,
Admonet in somnis et turbida terret imago;
Me puer Ascanius capitisque iniuria cari,
Quem regno Hesperiae fraudo et fatalibus arvis.
Nunc etiam interpres divom, Iove missus ab ipso —
Testor utrumque caput — celeres mandata per auras
Detulit. Ipse deum manifesto in lumine vidi
Intrantem muros, vocemque his auribus hausi.
Desine meque tuis incendere teque querelis;
Italiam non sponte sequor.
    Talia dicentem iamdudum aversa tuetur,
Huc illuc volvens oculos, totumque pererrat

Clazomenae civitas est Asiae. Iuxta hanc „nemus est Grynaeum, ubi Apollo colitur. Inde ergo nunc epitheton dedit, licet in Delo acceperit oraculum.“ S. Ap. Paus. 1, 21, 9 templum dicitur *Γρυνιαῖον. Γρύνεια* oppidum Aeolidis dicitur ap. Herod. 1, 149. Grynia ap. Plin. N. H. 5, 30, 32 „Fuit et Grynia, nunc tantum portus.“ Idem oppidum Aeolidis *Γρύνιον* dicitur a Xenoph. Hell. 3, 1, 6, ubi a Thimbrone, et Diod. 17, 7, ubi a Parmenione vi capta dicitur; is incolas vendidit. Factum id, antequam Alexander in Asiam transiit. Strabo 13, 3 *πολίχνιον Γρύνιον καὶ ἱερὸν Ἀπόλλωνος καὶ μαντεῖον ἀρχαῖον καὶ νεὼς πολυτελὴς λίθου λευκοῦ.*

346. *Lyciae sortes* cf. 143. — Quum etiam sortibus ducendis antiqui solerent futura exquirere, sortes etiam oracula dicta sunt cf. Cic. Div. 2, 33, 70 *sortes eae, quae ducuntur, non illae, quae vaticinatione funduntur, quae oracula verius dicimus.* Ita sortes 377. 6, 72. 7, 254. 269 et ap. scriptores, ut Liv. 5, 15 *Patres decrevere, legatos sortesque oraculi Pythici exspectandas* et 1, 56 *responsa sortium* est de Apollinis Delphici responso. al. — *Capessere terram* est petere navigatione; ita 5, 703. Cic. Att. 10, 9 *Melitam igitur capessamus;* ut *tenere* est viam in terram tenere cf. Ov. Met. 3, 690 *Diam tene.* Quo autem iure tu quae novo tuo regno gaudes, mihi invides, qui meum peto fato debitum?

350. *Invidia* est c. inf. cf. 5, 638; nam *invidere* etiam inf. assumit Ov. Met. 4, 157 *componi tumulo non invideatis eodem.*

351. Ad rem ab omnibus, qui quidem iusti sint, concessam hortatur me noctu pater, hortatur filius, hortatur Iuppiter.

353. *turbida imago (verstört)*, quod timet, ne filius fatum negligat aut omittat.

354. *Ascanio* haec se omnia laborare dicit, ut a se removeat suspicionem ambitionis, quam nefas erat amicitia esse potiorem.

356. *interpres divom* cf. 10, 175.

357. *utrumque caput*, et meum et tuum cf. Ov. Her. 3, 107 *perque tuum nostrumque caput.* Cf. 492. 9, 300. *Hck.* in *u. c.* intelligit Ascanium et Anchisen.

358. *manifesto in lumine* cf. 3, 151.

359. *vocem hausi auribus* cf. 661.

360. *incendere:* „exagitare“ S. quae duo verba iunxit Sall. Cat. 38, cf. 5, 455.

361. *Italiam sequor;* ita *sequi* terram aliquam 381. 5, 629. Val. Fl. 1. 3. Orationem claudit in eo, in quo maxima est vis.

362 — 392. Dido orationem Aeneae redarguit.

362. Amans femina nunquam movetur rationibus, nam res, quae in se neque modum neque consilium habet, eam consilio regere non potes. Ipsum modo oblique adspicit, neque inter verba Aeneae ipsum audit, sed quid sibi impendeat cogitat; tandem erumpit. Cf. Ov. Met. 9, 27 *Talia dicentem iamdudum lumine torvo spectat.* — *iamdudum* „ab initio orationis“ S.

Luminibus tacitis; et sic accensa profatur:
Nec tibi diva parens, generis nec Dardanus auctor,
Perfide; sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanaeque admorunt ubera tigres.
Nam quid dissimulo aut quae me ad maiora reservo?
Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?
Num lacrimas victus dedit aut miseratus amantem est?
Quae quibus anteferam? Iam iam nec maxima Iuno,
Nec Saturnius haec oculis pater adspicit aequis.
Nusquam tuta fides. Eiectum litore, egentem
Excepi et regni demens in parte locavi;
Amissam classem, socios a morte reduxi.
Heu furiis incensa feror! Nunc augur Apollo,

364. *luminibus tacitis:* cf. Ov. A. A. 3, 512 *Saepe tacens odii semina vultus habet.*

365. Neque a dea, amores fovente, neque ab homine omnino, sed a rupe es generatus et feris bestiis nutritus et altus.

367. *Hyrcania* prope Caspium mare et Caucasum, ubi et alii tigres inventas narrant; ita Sil. 4, 334 *Caucascis tigris se protulit antris;* Stat. Theb. 9, 15 *Nonne Hyrcanis bellare putatis tigribus?* et signatur tigris verbis, quae sunt ap. Sen. Herc. Oet. 145 *fera Caspias, quae virgata tibi praebuit ubera. Armeniae tigres* ap. Ov. M. 8, 121 et tigres ad Caucasum etiam nunc visae sunt. Simile est E. 8, 43. Catull. Epith. 64, 154. Ov. Trist. 3, 11, 3 *Natus es e scopulis, nutritus lacte ferino.*

368. „*Quid dissimulo?* tacitae quaestioni occurrit, ne quis eius nimiam iracundiam reprehenderet, dicens, Aenean posse mitigari forsitan precibus.“ S. Scilicet oratione a conviciis ordiente non recte capi initium ad retinendum Aeneam intelligit, sed nolle se in ea re frustra niti dicit, neque iam locum esse reticentiae et continentiae, sed omnia se ut sentiat elocuturam profitetur. Hinc est *quid dissimulo* cf. 12, 637. Si autem dissimulaverit, i. e. si blanditiis usa fuerit, et quid agat Aeneas quasi ignorans delenimentis eum studuerit retinere, quum Aeneas talibus amoris signis non moveatur cf. v. 369: vel maiore afficietur iniuria, quae maiore fraude et per longius tempus se circumveniri passa sit. Ea sunt *maiora, ad quae reservare* se non vult, sc. ad illa, ut subito abeunte Aenea omnes Didonem ita amore caecatam fuisse clament, ut Aeneam nihil nisi fugam agitare non senserit.

369. *Num fletu ingemuit* cf. 331. Ne alloquitur quidem Aeneam.

370. *victus* cf. 2, 699. Si modo precibus meis et amore victus meo infortunio illacrimasset, ut invitum eum decedere appareret! — *Aut* non respondet particulae *num*, ut sit pro *an;* sed interrogationem unam in duas partes dividit, ita ut alterum altero explicetur. Simile Sall. Iug. 14 *Quo accedam aut quos appellem* . . fragm. *Quis mihi vivo cruciatus satis est? aut quae poena mortuo?* cf. 3, 43 et Gr. § 419, An. 8.

371. *Quae quibus anteferam*, „quid prius, quid posterius dicam.“ S. Potior visa est sententia: *quibus quae anteferam* i. e. quae possunt his esse duriora, quae crudelitas tua crudelitate non vincatur. De forma interrogationis cf. Gr. § 419, An. 1.

372. *non adspicit aequis oculis* cf. 9, 209.

373. *Nusquam tuta fides.* Iam nunc, ubi qui tot tantaque accepit beneficia fallit, cuinam credi licet? — Equidem eum naufragum omnibusque rebus egentem excepi et vel in regni partem recepi. — *Eiectum litore*, abl. loci ubi eiectus est et versatur, non minus recte dici potest quam *in litus* cf. 3, 292. Sic dixit scriptor C. BG. 5, 10 *Nuntiant maxima coorta tempestate prope omnes naves afflictas atque in* l i t o r e *eiectas esse.* Eiectus dicitur naufragus cf. 1, 578. Cic. RA. 26.

375. *Amissam classem* sc. servavi, quod e *reduxi a morte* facile suppletur. Cf. 1, 356. Simile illud Phyllidis ap. Ov. Her. 2, 45 *At laceras etiam puppes furiosa refeci, Ut qua desererer tuta carina foret.* Ita hoc loco Dido: Si non servassem naves, ne potuisses quidem me relinquere; itaque ipsum meum beneficium mali mei caussa est. Tamen v. eiic. *Rb. A flammis classem* coni. *Pl.* Id est corrigere poetam.

376. *Furiis incensa feror* cf. 110.

Nunc Lyciae sortes, nunc et Iove missus ab ipso
Interpres divom fert horrida iussa per auras.
Scilicet is superis labor est, ea cura quietos
Sollicitat. Neque te teneo, neque dicta refello.
I, sequere Italiam ventis, pete regna per undas.
Spero equidem mediis, si quid pia numina possunt,
Supplicia hausurum scopulis, et nomine Dido
Saepe vocaturum. Sequar atris ignibus absens,
Et quum frigida mors anima seduxerit artus,
Omnibus umbra locis adero. Dabis, improbe, poenas.
Audiam et haec Manes veniet mihi fama sub imos.

Concitatae autem orationis est saepe abrumpi, pergere deinde novo sententiarum genere. Revocando autem sibi in animum merita in Aeneam translata et quam referat gratiam reputando ira abripitur. — *Nunc* saepe cum vi pronuntiatum est ita 5, 748. E. 8, 43. Nunc tandem quum me es relicturus, affers eam deorum voluntatem, de qua antea nihil dixisti; quare falsa ea sunt omnia et excogitata modo quibus culpam tegas. Cf. similem locum 11, 403. *Scilicet* cum ironia dictum: quasi dii curent tantopere sortem tuam, ut omnes anxii et solliciti quietem non capiant, antequam te in Italiam adduxerint. Eodem pertinent *horrida iussa* i. e. quibus te terreri simulas. Quocirca non est quod argumentis tu confuteris, neque enim iis tu moveris, sed voluntate; quare i, sequere Italiam. Sed poena non deerit; ego a te relicta, quae mortem mihi consciscam, umbra tibi adstabo ubique et te persequar.

381. *I sequere.* De imperativo *i* viam alteri praemuniente cf. Gr. § 422, An. 5. *pete regna:* Id etiam cum vi dictum, quasi ea regnandi cupido maxima profectionis caussa sit. Cf. 356.

382. *pia numina.* De deorum pietate 1, 603.

383. *Supplicia hausurum scopulis;* i. e. concepturum. Sic Stat. Achill. 1, 667 *haurire poenas.* Hor. Sat. 1, 2, 78 *unde laboris plus haurire mali est.* Cic. Tusc. 1, 35, 86 *Propagatione vitae quot, quantas, quam incredibiles hausit calamitates!* Itaque mediis in scopulis ob nostram iniuriam eum spero interiturum et meum nomen vocaturum, memorem me propter talia se a diis pati. — *Hausurum* pro *hausturum* ap. poetas cf. Gr. § 186.

384. *Atri ignes*, fumidi, ut 8, 198 cf. 255 et 7, 456 *atrum lumen.* Sic dicitur *ignis picea crassus caligine* G. 2, 309. Inde ignes sunt atri in funeribus 11, 186. Cf. Luc. 2, 299 *Iuvat ignibus atris inseruisse manus constructoque aggere busti ipsum atras tenuisse faces.* Ov. F. 2, 561 *Conde tuas Hymenaee faces et ab ignibus atris aufer; habent alias maesta sepulcra faces.* Inde *atrum* omne dicitur, quod infelix, sic *dies ater* dicitur, et ignibus atris persequuntur maleficos Furiae i. e. mala conscientia cf. 3, 331. — Vel absens sequitur, i. e. imago et memoria mei derelictae te anget et cruciabit; nunquam excuties, sed ut umbra tibi adhaerebo, etiamsi mortua sim. Sic umbra ap. Plaut. Cas. 1, 1, 3 *Certum est mihi, quasi umbra, quoquo ibis tu, te persequi. Pl.* ita ordinat versus: *Sequar* etc. 384. 386. 385. 387.

385. *anima seduxerit artus:* Corpus igitur animae quasi vestimentum est.

386. *Adero* sc. ut te angam. *Adesse* enim vox media est, et quo quis animo adsit additur. Ita legitur *infensum adesse* Sall. Ing. 50, *infestum* Liv. 25, 34. Hoc autem loco satis animus Didonis notus est, ut quidquam addi opus non sit. — Erat antiqua opinio, qua mortuorum Manes ab eo, qui mortis caussa fuerant, poenas repetere putabant. Cf. Hor. Ep. 5, 91 *Quin ubi perire iussus exspiravero; nocturnus occurram furor, petamque vultus umbra curvis unguibus; (quae vis Deorum est Manium) et inquietis assidens praecordiis, pavore somnos auferam.* Sic Nero est „saepe confessus exagitari se materna specie, verberibus Furiarum ac taedis ardentibus." Suet. Ner. 34. Quin et facto per Magos sacro evocare Manes et exorare tentavit. Unde facilior ea videtur esse explicatio, qua eum ipsa, quum mortua sit, persequatur. Verum eadem apud Inferos audituram se poenas Aeneae sperat. Haec contraria sunt. Ex his difficultatibus non possumus satis extricari, nisi sumimus *umbram* occurrere Aeneae eumque terrere, *animam* apud inferos audire Aeneae poenas. „Aut 386 aut 387 abundat" *Rb.* v. 387 uncis inclusit.

387. *Manes sub imos* ut 11, 181 i. e.,

His medium dictis sermonem abrumpit, et auras
Aegra fugit, seque ex oculis avertit et aufert,
Linquens multa metu cunctantem et multa parantem
Dicere. Suscipiunt famulae, collapsaque membra
Marmoreo referunt thalamo stratisque reponunt.
At pius Aeneas, quamquam lenire dolentem
Solando cupit et dictis avertere curas
Multa gemens magnoque animum labefactus amore,
Iussa tamen divom exsequitur classemque revisit.
Tum vero Teucri incumbunt et litore celsas
Deducunt toto naves. Natat uncta carina;
Frondentesque ferunt remos et robora silvis
Infabricata, fugae studio.
Migrantes cernas, totaque ex urbe ruentes,
Ac veluti ingentem formicae farris acervum
Quum populant, hiemis memores, tectoque reponunt:
It nigrum campis agmen, praedamque per herbas
Convectant calle angusto; pars grandia trudunt

ad Manes qui in parte ima sunt; sic *sub Tartara mittere* 243. 8, 563 est: in Tartara quae infra sunt. Sic *sub* c. abl. 9, 244 *Vidimus obscuris primam sub vallibus urbem, unten im Thal* 11, 23. E. 1, 57. Cf. 6, 283. — Simili modo ap. Pind. Ol. 14, 29 fama ad inferos parenti nuntiat victoriam filii.

388. *medium sermonem* cf. v. 277. — Iam furore abrepta decedit, sed statim eam vires deficiunt, ut famularum egeat auxilio.

390 *Metu*, ne magis moveat iram, multa removet, quae dicturus erat, multa parat dicere alia; sed qui deliberat, multum relinquitur ab eo, qui animi furore abripitur. — *paranten Wg. Rb. volentem Ld.* Mss.?

391. *collapsa membra;* collabi 8, 584 ut *labi* 3, 309 de eo, quem subito anima deficit; de morientibus Ov. M. 10, 186. 196. — *suscipiunt.* Sic *suscipere labentem* 11, 806.

393—415. Troiani parant abitum.

393. *Pius Aeneas* iam vocatur iterum, quod reverentia deorum movetur, ut nolens nolentem relinquat; antea *dux Troianus* 124. Omnino in eo ars est poetae, quod singulis locis aptat nomina.

395. *labefactus* cf. 8, 390. Versum eiic. *Rb.*

397. *tum vero* cf. 2, 105 „regis praesentia.“ S. — *Incumbunt*, magno studio laborant; ita *incumbere* absolute 9, 73 *Tum vero incumbunt, urguet praesentia Turni.*

398. *uncta* „pice delibuta“ S.

399. Pro *remis* infert *Br. ramos*, idque praefert *Pl.*

400. *Infabricata* videtur esse ἅπαξ λεγόμενον.

401. *Cernas*, si velis, ut 8, 691 *credas innare.*

402. *veluti* Mac. sec. *Rb.* Quid in aliis? *velut Wg. Rb.* — His particulis *ac veluti quum* saepius comparatum adiungitur ut 441. 1, 148 et similibus ut 6, 707 *ac veluti ubi*, 12, 103 *veluti quum*, 749 *v. si quando*, 7, 528. 12, 587 *ut quum*, 7, 462. 699. 9, 32 *ceu quum* etc., 2, 626. 6, 707. Plenum esset: *ac ruunt, veluti ruunt, quum.* Usus est in parvis bestiis gravibus verbis et maxime militaribus.

403. *populant* cf. G. 1, 185 *Populatque ingentem farris acervum curculio.* „*Populant* antique dixit. Nam hoc verbum apud veteres activum fuit, nunc tantum deponens est“ S.; cf. 12, 263. — *hiemis memores.* Hanc formicarum curam quam habent de hieme lepide describit Hor. Sat. 1, 1, 35. — *tecto:* Ita *tectum penetrale* de formicarum cavernis dixit G. 1, 379.

404. *It nigrum campis agmen* „hemistichium Ennii de elephantis dictum, quo ante Accius est usus de Indis.“ S. Festiva placet ea ad minora translatio. — *Praedam convectare* non minus militare cf. 7, 749 *Convectare iuvat praedas et vivere rapto.*

405. *Callis angustus* ut G. 1, 380 et *gracilis limes* Ov. Tr. 5, 6, 40 dicitur de itinere formicarum. Nam quivis scit,

Obnixae frumenta humeris; pars agmina cogunt,
Castigantque moras; opere omnis semita fervet.
Quis tibi tunc, Dido, cernenti talia sensus!
Quosve dabas gemitus, quum litora fervere late
Prospiceres arce ex summa, totumque videres
Misceri ante oculos tantis clamoribus aequor!
Improbe amor, quid non mortalia pectora cogis!
Ire iterum in lacrimas, iterum tentare precando
Cogitur, et supplex animos submittere amori,
Ne quid inexpertum frustra moritura relinquat.
Anna, vides toto properari litore: circum
Undique convenere; vocat iam carbasus auras,
Puppibus et laeti nautae imposuere coronas.
Hunc ego si potui tantum sperare dolorem,
Et perferre, soror, potero: miserae hoc tamen unum
Exsequere, Anna, mihi; — solam nam perfidus ille
Te colere, arcanos etiam tibi credere sensus;
Sola viri molles aditus et tempora noras —

formicas omnes eodem itinere progredi neque exspatiari. Nota, quomodo spondeorum tarditas pingat vehendi difficultatem. — *Trudunt*, quae portare non possunt; obnituntur humeris, ut homines, si magnas moles protrudere volunt. Ov. F. 1, 565 *Nititur hic humeris et vastum motu collabefactat onus.*

406. *Agmina cogere* dicuntur ii milites, qui sequuntur, ut morantes et tardos impellant et vagos a rapinis coerceant; inde castigant moras i. e. tarditatem.

407. *fervet.* Quum celeres motus fervorem soleant excitare, fervere dicuntur loca, in quibus magna agitatur multitudo cf. 409. 8, 677 *Marte fervere Leucaten.* Mart. 2, 64, 7 *Fora litibus omnia fervent.*

408. *Pl.* dat *tum*, quaeritur num *tunc* libris firmetur.

411. *Misceri aequor* est vario et mixto clamore impleri; ita 2, 298. „Si in aliquo esset *laetis*, arriperem“ *Pl.*

412. *quid cogis.* De structura cf. 3, 56.

413. *ire in lacrimas.* Cogitur amore iterum ad lacrimas confugere et preces ac deposita animi superbia omnibus modis supplicare, ne moriatur *frustra*, antequam necesse sit, et experta omnes modos retinendi Aeneae. Ad hanc dicendi formulam cf. Ov. M. 5, 668 *ibimus in poenas*, puniemus. Similia 5, 782.

416—436. Annam iubet Dido petere ab Aenea, ut aliquamdiu remaneat.

416. Oratio ipsa statim incipit, nullo addito signo, quale est *inquit.* Sic saepissime ut 1, 335. 370. 2, 42. 657. 675. 3, 84. 4, 702. 5, 870. 6, 560 etc.; nec non in oratione soluta. — *Properari* est impersonale.

417. *convenere*, cf. v. 289. — *Carbasus*, velum, vocat austrum, si iam intentum est, ut eum excipiat. Cf. 3, 357. Audacius et insolens illud Senecae Troad. 105 *Iam nuda vocant pectora planctus* i. e. Nudata sunt pectora, quae dextris lanientur.

418. Nautae iter incepturi coronabant deum tutelarem totamque puppim, in qua stabat, sertis et verbenis et vittis. Cf. Ov. M. 15, 695 *caesoque in litore tauro torta coronatae solvunt retinacula navis.* Idem fecerunt redeuntes cf. G. 1, 304, qui v. idem est, quare iam hunc l. improbat Probus et *Rb.* — Post *coronas* *Rb.* infert v. 548. 9 *Tu lacrimis — obiicis hosti.* „Sed quoniam vel sic hiat oratio, non absolvisse locum putandus est poeta.“ *Rb.* Quid igitur tantis conatibus efficitur, nisi ut hiet oratio?

419. *sperare* cf. 1, 543. Ipsum *si* satis ambigue dixit Dido, ne proderet animi statum; tamen ex verbis quae sequuntur patet, id voluisse eam dicere: Si, quum potuerim talem dolorem exspectare (quae omnia tuta timebam 298), etiam sufferre potero viresque acquiram, ut rem provisam tolerem. Id tamen ab eo peto, ut per aliquod tempus remoretur, quo me ad eius discessum parem; ne tam celeriter abeat, ut ne exspectet quidem ventos secundos. Eaque celeritate abeundi maxime offendi se simulat.

422. *colere* inf. hist. cf. 2, 132.

423. *Molles aditus* ut 293. Anna igi-

I, soror, atque hostem supplex adfare superbum:
Non ego cum Danais Troianam exscindere gentem
Aulide iuravi, classemve ad Pergama misi;
Nec patris Anchisae cinerem Manesve revelli.
Cur mea dicta negat duras demittere in aures?
Quo ruit? extremum hoc miserae det munus amanti:
Exspectet facilemque fugam ventosque ferentes.
Non iam coniugium antiquum, quod prodidit, oro,
Nec pulchro ut Latio careat regnumque relinquat:
Tempus inane peto, requiem spatiumque furori,
Dum mea me victam doceat fortuna dolere.
Extremam hanc oro veniam, miserere soròris.
[Quam mihi quum dederis, cumulatam morte remittam.]

tur nuntii officia exsecuta est. Hanc ab Aenea praestitam fidem invidet Annae eamque incusat, quasi cum perfido consilia iniisset. Exstat apud antiquos fama huc pertinens. „Sane sciendum Varronem dicere Aeneam ab Anna amatum" S. ad 5, 4.

424. *Hostem* iam dicit, non *hospitem* ut 323. *Superbus*, quum non flectatur precibus et miseriis Didonis.

425. Iam nihil se commisisse demonstrat, quo potuerit offendi Aeneas. Simul studio retinendi abrepta ipsum alloquitur (*non ego*), non praecipit Annae, quid sibi dicendum videatur. — *exscindere gentem* ut 9, 137.

426. Aulide, Boeotiae portu, quo Graeci Troiam profecturi convenerant, nisi Troia eversa non reversuros se iuraverunt.

427. Si revellitur cinis, etiam manes revelluntur cf. 29. Id vero erat summum nefas, scelusque contra cognatos commissum quod ulcisci debebant. Cic. Tusc. I, 12, 27. — Tale aliquid committere debebam, ut Aeneas, quod nullis movetur precibus, posset excusare. *cinerem* M. *cineres* Pγ. rec. *Rb.* — *negat* M1P2 *neget* M2P1 rec. *Rb.*

429. *Quo ruit* „properat sine respectu salutis." S. Non ita me oderit, ut me fugiens vel suam salutem negligat. — Et fecerit mihi gratum, si modo salvum eum in Italiam perventurum sperare possim.

430. *Facilis fuga* est, in qua non est labor aut periculum, quae fit ventis ferentibus. De *que* cf. I. exc. — *ventos ferentes* cf. 3, 473.

431. Nolit timere, ne velim omnino retinere, neque spero etiam nunc coniugium, quod perfide reliquit; peto modo tempus aliquod, quod Aeneae, qui tamdiu volens ab Italia abest, non potest esse magni momenti.

432. *Pulchro*, „quod illi pulchrum videtur." S., cum ironia dictum, quum ne noverit quidem.

433. *tempus inane.* Cf. Ov. Rem. Am. 277 *Ne properes oro, spatium pro munere posco; Quid minus optari per mea vota potest.* Her. 7, 178 *Pro spe coniugii tempora parva peto, dum freta mitescunt et amor, dum tempore et usu fortiter edisco tristia posse pati.*

435. *veniam;* „beneficium." S. Ter. Hec. 4, 2, 29 *Mi gnate, da veniam hanc mihi, reduc illam* cf. 1, 519.

436. *quam mihi quum dederis cumulatam morte remittam.* „Haec nemo unquam intellexit, neque intelliget." *Pl.* qui v. 435 et 436 delet. „Mihi quidem fateor nondum videri expeditum hunc locum; ac vereor, ne in desperatis habendus sit." *Wg.* Haec VV. sagacium sententia adhuc valet. Iam antiqui interpretes haerebant, ut Servius, et varie verba tentabant, ut scriberent etiam: *quam mihi quum dederit cumulata morte*, quum plerique Mss. exhibeant *dederis cumulatam;* nec minus in *remittam* et *relinquam* variant libri. Quodsi Servius in eum errorem inductus est, ut a Vario et Tucca varias lectiones additas esse putaret, qui si Aeneidem edidere et recensuere, certe non addidere varias lectiones: non est absonum sumere, hos duos versus additos ab alio et ab interpretibus antiquis genuinos esse habitos. — Addidit fortasse aliquis, cui Dido in mortis periculo non satis impense rogare videbatur. Is addidit: Peto a te hanc gratiam extremam (ea in re), „quod beneficium quum mihi cumulatum (i. e. post multa alia) dederis (quod post *oro veniam, miserere sororis* unice verum est, non *dederit*), *sola* morte derelinquam." S. Sed ubi legitur hoc *sola? Schraderus* coni. *sorte*, quem sequitur *Wilms Prog. Duisb.* 65. *Rb. dederit*, *cumu-*

Talibus orabat; talesque miserrima fletus
Fertque refertque soror. Sed nullis ille movetur
Fletibus aut voces ullas tractabilis audit;
Fata obstant placidasque viri deus obstruit aures.
Ac velut annoso validam quum robore quercum
Alpini Boreae nunc hinc nunc flatibus illinc
Eruere inter se certant; it stridor et altae
Consternunt terram concusso stipite frondes;
Ipsa haeret scopulis, et, quantum vertice ad auras
Aetherias, tantum radice in Tartara tendit:
Haud secus adsiduis hinc atque hinc vocibus heros
Tunditur, et magno persentit pectore curas:
Mens immota manet; lacrimae volvuntur inanes.
Tum vero infelix fatis exterrita Dido
Mortem orat; taedet caeli convexa tueri,
Quo magis inceptum peragat, lucemque relinquat.

latam monte r. Additque „Magnos conieci reginam promisisse montes auri argentique aliorumque praemiorum in tam exigui beneficii gratiam". At si quis *mons* dicit, quis potest intelligere auri montes, et si *dederit* A. eam veniam, quis *tibi* supplebit ad *remittam! Ld. dederit* et explicat: Dies ist die letzte Gunst, um die ich *ihn* bitte; — (sed quo iam pertinent: miserere sororis?) gewährt er sie mir, so will ich sie durch meinen Tod reichlich vergelten. Den letzten Worten liegt die Vorstellung zu Grunde, dass Aen. durch den Tod der ihm verhassten Dido von schweren Sorgen befreit werden wird (!) Sed quomodo hanc concipere poterat Dido sententiam? *Wg.* nunc explicat, Anna si tu mihi hoc gratum feceris, remunerabor ita, ut plus feras a me, quam ego a te accepero (scilicet testamento), *morte*, quum moriar, memoratque morem Romanorum legando in testamentis suum indicare amorem. At quid iudicas de regina sorori pecunias testamento quae promittit? Et quid est *remittam?*

437—469. Nec Annae precibus cedit Aeneas.

438. *fert refertque* (Simile est *itque reditque viam*) i. e. iterum et saepius fert, ut 12, 866. Ov. Trist. 1, 7, 6 *in digito qui me fersque refersque tuo.* Ita Cic. Att. 2, 13 *tibi epistolam iussi referri*, i. e. iterum mitti. Cf. 556.

439. *aut*, *Rb.* dedit *haut.*

443. *Certant* cum infinitivo iungitur eodem modo 2, 64. 5, 194. 6, 178. 9, 520. 533. 557. 10, 130. G. 2, 100. E. 5, 9 et ap. Lucr. Hor. Ov. Stat. Sil. deinde Pl. Pan. 81. Curt. 9, 4, 23. Cf. ad 2, 33. — *altae* FM. al. *alte* Serv. Altae frondes vi venti ad terram deprimuntur.

445. *auras: Lch.* mavult oras.

445. 446. leguntur G. 2, 292.

447. *hinc atque hinc*, cf. 1, 162.

449. *Lacrimae* sc. Aeneae, nam quercus est *mens immota* i. e. Aeneas firmus ille et diis parens, frondes decussae sunt lacrimae vehementis motus signa. *Hck.* vult esse lacrimas Didonis.

450—473. Mortis futurae omina Dido cognoscit.

450. Dido, quum omnes conatus retinendi Aeneae frustra cecidissent, iam vitam perosa multa cognoscere sibi videtur omina, quibus ad mortem impellatur. — *fatis exterrita.* Nam exterremur, si subita aliqua res incidit: fata autem, quae iam diu fuere, nunc demum ei accidere dicuntur, quod nunc demum fata esse intelligit, quibus Aeneas ad Italiam, ad mortem vocetur ipsa.

451. *Mortem orat*; petit, ut sibi detur; propter ea quae sequuntur: *quo magis peragat*, *Pl.* vult *optat*, additque „cur oraret, quod sibi ipsa dare poterat et dare decreverat". *Caeli convexa* saepius poetae dixerunt. Praeivit ut videtur Cicero in Arateis v. 314: ubi *convexus caeli orbis.*

452. *quo peragat — vidit:* „quo magis inceptum peragat, eo impellitur, quod vidit." *Wg.* Periculosis eius modi machinis opus non est, ut leges grammaticae serventur, si verba iungis, ut supra factum esse vides. — *lucem*, vitam cf. 631. 12, 62.

Vidit, turicremis quum dona imponeret aris —
Horrendum dictu — latices nigrescere sacros
Fusaque in obscenum se vertere vina cruorem.
Hoc visum nulli, non ipsi effata sorori.
Praeterea fuit in tectis de marmore templum
Coniugis antiqui, miro quod honore colebat,
Velleribus niveis et festa fronde revinctum.
Hinc exaudiri voces et verba vocantis
Visa viri, nox quum terras obscura teneret;
Solaque culminibus ferali carmine bubo
Saepe queri et longas in fletum ducere voces.
Multaque praeterea vatum praedicta piorum
Terribili monitu horrificant. Agit ipse furentem
In somnis ferus Aeneas; semperque relinqui
Sola sibi, semper longam incomitata videtur
Ire viam et Tyrios deserta quaerere terra:
Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus,

453. Inter sacrificandum videt vinum converti in cruorem. Simile accidisse dicitur Xerxi cf. Val. Max. 1, 6, ext. 1. — Sic Lucr. 3, 353 *turicremas dixit aras* (cf. *accendere aram* 1, 704) et Ov. Her. 2, 18 *focos*, sed Luc. 9, 989 *t. ignes*. De turis in sacris usu cf. 1, 416.

455. *obscenum* cf. 12, 876.

456. *Est* prob. *Rb.* sed abest a MP.

457. *Templum* i. e. sacellum erat in domo regia, in quo Manes Sichaei colebat Dido; ex eo voces audit, quibus se ad inferos putat invitari. Idem Ov. Her. 7, 99. Voces auditae saepius malum omen cf. G. 1, 476. Liv. 1, 31. 6, 33 *vox horrenda edita templo cum tristibus minis.*

458. *Antiquus* est, qui antea fuit, cf. 2, 137 et Ov. Met. 4, 445 ubi *antiquae imitamina vitae* Manes exercere dicuntur. — Cognatis autem post mortem aras et sacella condere Romanis usitatum erat; diis Manibus sacra esse ea dicebantur.

462. Bubo infelicis habebatur ominis, ut etiamnunc fit; nec minus noctua cf. 12, 862. Sic est ap. Ov. M. 10, 453 *Ter omen funereus bubo letali carmine fecit.* 15, 791 *Tristia mille locis Stygius dedit omina bubo.* Adde Plin. N. H. 10, 16. „*Bubo funebris et maxime abominatus publicis praecipue auspiciis. Eo viso urbs lustrabatur.*“ — Femininum fecit Vgl. bubonem, quod est avis; quum masculinum sit apud ceteros. Novavit etiam aliis in vocibus genus; sic feminina fecit *finis* cf. 2, 554; *silex* cf. 8, 233; *obex* 10, 377; *palumbes* Ecl. 3, 69; *cortex* 6, 62; masculina voces *talpa* G. 1, 183; *dama* E. 8, 28. Cf. *ales* 12, 247, *stirps* 12, 208, *specus* 7, 268. Cf. de ea re Quint. 1, 6, 2. 9, 3, 6 et Gr. § 70, An. 3, § 78, 2. 4.

463. *Queri* cum *visa* iungitur; quamquam enim revera voces edit, Didoni tamen maxime queri videtur; non ei, qui felicia omnia exspectat. Solet enim homo res externas ex suo animi statu considerare. — *Longae voces* et productae esse tristes videntur; ita ap. Ov. M. 3, 706 *longi ululatus.*

464. *piorum* M. al. quos ob pietatem sperni a Didone fas non fuerat, *priorum* FP. al. i. e. eorum quos antea neglexerat dicta nunc meminit, quum accidunt ea, quae praedixerant. Potest tamen *priorum* ex *pr* bis in eodem versu scripto ortum videri. *Nck.* praefert *priorum*, eam ob alliterationem rec *Ld. Pii vates* cf. 6, 662.

466. *in somnis* cf. 2, 271. — Dido in somnis ab Aenea infesto animo peti sibi videtur, ab aliis autem relinqui, vel a Tyriis suis. Cf. somnium ap. Ennium, quod legitur Cic. de div. 1, 20.

468. *ire viam* cf. 5, 235.

469. *agmina:* Agmen huc illuc discursitans plurali potuit signari. *Agmina* autem de tribus Furiis dici saepe legitur; sic *agmina Eumenidum* dicuntur 6, 572 Val. Fl. 2, 227. 7, 147. — Pentheus, rex Thebarum, Bacchi contemptor, a deo in insaniam vel temulentiam versus haec ap. Eur. Bacch. 916. *καὶ μὴν ὁρᾶν μοι δύο μὲν ἡλίους δοκῶ, δισσὰς δὲ Θήβας.* „Apud Pacuvium inducitur Pentheus furens, qui videt duos soles et duas Thebas.“ Pomp. Sabinus. Sic Cassandra furore abrepta: *gemino*, inquit, *sole prae-*

Et solem geminum et duplices se ostendere Thebas;
Aut Agamemnonius scenis agitatus Orestes,
Armatam facibus matrem et serpentibus atris
Quum fugit, ultricesque sedent in limine Dirae.
Ergo ubi concepit furias evicta dolore
Decrevitque mori, tempus secum ipsa modumque
Exigit, et, maestam dictis adgressa sororem,
Consilium voltu tegit ac spem fronte serenat:
Inveni, germana, viam — gratare sorori —
Quae mihi reddat eum vel eo me solvat amantem.
Oceani finem iuxta solemque cadentem
Ultimus Aethiopum locus est, ubi maximus Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.

fulget dies, geminumque duplices Argos attollit domos Sen. Agam. 727.

471. *Agamemnonius* possessivum pro patronymico cf. 10, 123. — *scenis* Mss. *furiis* aliquot, ex coniectura scilicet ob 474, inferiore illa, quam proposuit Marklandus *Poenis* a *Ποινή*, ultrix, furia. Novissime *Pl.*, qui non minus quam multi alii interpretes in v. *scenis* offensus est, dedit *scelere exagitatus*, quod si quando apud Virgilium lectum fuisset, nemo in *scenis agitatus* mutasset; ita planum et perspicuum est illud, quod Pl. excogitavit. Iam vero etiam *Poenis* ob vocem *Dirae* 472 displicet; neque verisimile est poetam intra sex versus quattuor Furiarum nomina comprehendisse. Restat igitur ut *scenis* quocunque modo explicemus. Est autem aut saepe in scenis repraesentatus, aut ut in scenis fugit agitatus Orestes matrem. Hoc praestat, quamquam Orestis fatum erat multarum fabularum argumentum; neque enim ad sensum quidquam refert eandem fabulam saepius agi; movemur modo eo tempore, quo spectamus. Ea igitur est sententia: Dido vanis somniis terretur, ut Pentheus, si videt duplices Thebas, et Orestes, quando anxius a matre invadi se putat, (cf. Suet. laud. ad v. 386) neque a templo audet egredi, quod in limine sedeant Furiae. Itaque insanit, ut illi, qui in scenis insaniae exempla producuntur. Servius „A Pacuvio, inquit, Orestes inducitur Pyladis admonitu propter vitandas Furias ingressus Apollinis templum, unde quum vellet exire, invadebatur a Furiis.“ Neque Romani hanc comparationem ab epica dignitate alienam putaverunt, neque offensus est Servius; et oratores etiam de scenis saepissime similitudines quaerunt, et Pentheus de scena desumptus est. Quare non dubitavit poeta rem ponere notam omnibus et quae id quod volebat explicaret. Et quum rem quae saepe in scena fit describat, utitur praesenti *fugit*, *sedent*. Pro *scenis* Hildebrandus *saevis*.

473. *Dirae* cf. 12, 845. *Gt.* coni. *sequenti nemine Diras!*

474--503. Dido mortem parat.

476. *exigit*, constituit re diu multumque deliberata. — *maestam* ob Didonis furores.

477. *Consilium vultu tegit*, ita *vultu tegere* et *celare gaudium*, *dolorem* dixere Latini et Cicero (expl. Btl. Hor. Sat. 2, 5, 104).

478. *Inveni viam* ut 3, 395 *fata viam invenient*. — Paratur sacrum magicum, quale est E. 8, et cui magnas vires esse erat opinio; quo sororem facile potest celare consilium suum; mortem tamen ipsam tamdiu removet, quamdiu spes ulla est Aeneam remansurum.

479. *eum*, *eo*. Pronomen hoc magis logicum, rarum est ap. poetas gravioris argumenti, neque tamen ut eo plane abstineant. Rarissimum videtur esse *eius*, quod pro significationis tenuitate nimis est ponderosum. Hoc loco bis positum placet. — *Solvere* c. abl. cf. 1, 562.

481. *Aethiopes* ubique in extremis terrae finibus fingebantur habitare; secundum antiquissimos poetas erant duplices, et ubi sol oriebatur et ubi occidebat, quam ob solis vicinitatem nigri esse putabantur. Ita hoc loco Mauretaniae intelligit regionem; inde sacerdos, quae ante Hesperidum templum et hortos servabat, adest, perita incantationum. — *Atlas* cf. v. 247.

482. *Stellis aptum* legitur 6, 798. 11, 202; et secundum Macr. 6, 1 ex Ennio haec: *qui caelum versat stellis fulgentibus aptum*. Ita Enn. ap. Cic. Off. 3, 29 *o fides alma apta pennis*; inde *aptare* cf. 3, 472 est instruere, ornare.

Hinc mihi Massylae gentis monstrata sacerdos,
Hesperidum templi custos, epulasque draconi
Quae dabat et sacros servabat in arbore ramos
Spargens humida mella soporiferumque papaver.
Haec se carminibus promittit solvere mentes,
Quas velit, ast aliis duras immittere curas;
Sistere aquam fluviis et vertere sidera retro,
Nocturnosque movet Manes; mugire videbis
Sub pedibus terram, et descendere montibus ornos.
Testor, cara, deos et te, germana, tuumque
Dulce caput, magicas invitam accingier artes.
Tu secreta pyram tecto interiore sub auras
Erige, et arma viri, thalamo quae fixa reliquit

Itaque est caelum stellis instructum, ornatum.

483. *Monstrata* ei est, non ab ipsa quaesita, sed ab alio ei oblata.

484. Hesperidum horti ubi essent non satis constabat apud antiquos, ut par est; in eo tamen consentiebant esse prope Atlantem. „Hesperides, Atlantis filiae, nymphae, secundum fabulam hortum habuerunt, in quo erant mala aurea Veneri consecrata, quae Hercules, missus ab Eurystheo, occiso pervigili dracone sustulit.“ S.

486. *spargens:* „Spargebat in via mella et papaver, quibus advenientes ab horto arceret et poma Hesperidum servaret.“ *Jh.* Sacerdos igitur ramos defendebat et dracone et melle ac papavere. Idem videtur intelligere *Ld.* qui soporiferum dicit papaver *hominibus* i. e. irrumpentibus. Id quidem nemo alius narrat, inde interpretes traxere *spargens* ad *dabat*, ut draconi darentur mella. Sed tamen iam Servius est offensus, quod soporiferum papaver draconi datur, ut vigilet; quam offensionem removere se putant, quum dicunt modo dulces cibos signari, papaver autem Graecis in deliciis fuisse. Et simplicissima est *Wgi* ratio, qui „draconem hunc tantae feritatis fuisse putabimus, ut vel custodi illi terribilis esset; dabat igitur ei papaver, non quo sopiretur sed quo mitigaretur.“ Tamen de illa feritate nihil traditur nec soporiferum potest dici id, quod soporem non fert. *Rb.* h. v. eiicit et post v. 517 *ipsa — iuxta* infert. *Pi.* pro *custos* v. 484 dat *succos*, atque ita mederi se opinatur. Praestat tamen Servii explicatio: „Haec se promittit curas solvere, spargens h. m. etc. i. e. miscens ut: *et spargere venena dedicerunt* [Cic. Catil. 2, 10]. Nec incongrue ad amaritudinem amoris mel adhibet, ad oblivionem papaver.“ At vero id apparet a voce *Haec se* novum nasci enuntiatum. Itaque nulla adhuc explicatio sua caret difficultate. Cf. 6, 420.

487. Notantur eae res, quae maxime incantationibus effici posse putabantur. Multi sunt in iis poetae cf. Ecl. 8. Hor. Ep. 5. 17. Tib. 1, 2. et Ov. M. 7, 180 sq. — *Solvere mentes* sc. amore. Cf. Tib. l. l. 59 *eadem se dixit amores cantibus aut herbis solvere posse meos.* — *Promittit* c. inf. praesentis cf. Gr. § 469, An. 2.

488. *Curae durae* sunt ap. Tib. 3, 6, 6. Sil. 11, 374. Nem. Ecl. 1, 59.

489. *Sistere aquam.* Tib. 1, 2, 45 *Hanc ego de caelo ducentem sidera vidi, fluminis haec rapidi carmine vertit iter: haec cantu finditque solum, Manesque sepulcris elicit* (cf. 3, 68) *et tepido devocat ossa rogo.* Cf. Prop. 1, 1, 24.

490. *nocturnos.* Noctu apparent Manes et spectra, noctu ars magica valet. — *movet* FMP. — *ciet* F2P2 ex errore ortum videtur, neque enim *movet* potest pro interpretamento verbi *ciet* haberi, cui aptius esset *vocat*, *elicit*. — *Movet* i. e. excitat Hor. Ep. 17, 3. *Oro regna per Proserpinae, per et Dianae non movenda numina* i. e. quae excitare fas non est. Sagae autem mortuorum animos excire posse putabantur. Hor. Sat. 1, 8, 28. — *Mugit terra* 6, 99, *solum* 256. Ov. M. 7, 206. Cf. 3, 92. *Mugire videbis* cf. 2, 301.

492. *testor.* Excusat se, quod ad artem confugiat magicam; „nam quum multa sacra Romani reciperent, semper magica damnarunt.“ S. — *deos et te;* per alios iurat cf. 357.

494. *secreta*, ut vulgus non noscat. — *sub auras erige*, exstrue cf. 3, 422.

495. *Arma*, ut postea ensis memora-

Impius, exuviasque omnes, lectumque iugalem,
Quo perii, superinponant. Abolere nefandi
Cuncta viri monumenta iuvat, monstratque sacerdos.
Haec effata silet, pallor simul occupat ora.
Non tamen Anna novis praetexere funera sacris
Germanam credit, nec tantos mente furores
Concipit aut graviora timet quam morte Sychaei.
Ergo iussa parat.
At regina, pyra penetrali in sede sub auras
Erecta ingenti taedis atque ilice secta
Intenditque locum sertis et fronde coronat
Funerea, super exuvias, ensemque relictum
Effigiemque toro locat haud ignara futuri.
Stant arae circum, et crines effusa sacerdos
Ter centum tonat ore deos Erebumque Chaosque

tur. Ita autem loquitur, quasi iam profectus sit Aeneas. Impietas aliqua spectatur, quod in thalamo arma reliquit.

496. *Impius* ille est, qui pii nomine gaudere solet. — *Exuviae* sunt vestes, alia, quae ab eo accepi cf. 651.

497. *Quo perii* cum pudore pronuntiata. „propter exstinctum pudorem.“ S. — *Superimponant* sc. famuli, cuius rei curam mandat Annae, ita FM. — *superimponas* P. rec. *Rb.*, non minus quidem probabile, nam qui quid faciendum curaverat, eum Latini fecisse dicebant; sed ortum videtur ab eo, qui *ponant* subiecto omisso improbavit.

498. *Abolere* inde a Vglio = delere sic 11, 789. G. 3, 559. Liv. 3, 38. 25, 1, 6. Pl. Ep. 5, 5. 7, 6 al. *Abolere cuncta monumenta* inter remedia amoris recte referebatur, ut omnino ea facilius obliviscimur, quorum signum nullum videmus. Ov. Rem. Amor. 719 *Omnia pone feros, quamvis invitus, in ignes; et dic: ardoris sit rogus iste mei.*

499. *Pallor* est „ex conscientia cogitatae mortis.“ S.

500. *Praetexere* est abscondere 6, 4. Utrumque enim recte dicitur *praetexere funeri sacra* (cf. 172) et *sacris* (abl.) *funera*. Cf. 6, 229.

501. *non* — *nec* — *aut* cf. 3, 43.

502. *Concipit* tantos esse posse amantium furores cf. Ov. M. 10, 403 *Nec nutrix etiamnum concipit ullum mente nefas.* — *Morte Sychaei* est, quum Sychaeus mortuus erat, quo tempore Dido immoderate lugebat; sed tamen a luctu recessit postea.

504—521. Magicum sacrum.

504. Cum hoc sacro cf. E. 8 de re eadem. *Pyra* (cf. 11, 185) exstruitur, quibus imponantur res ab Aenea relictae, ut crementur; prope ponuntur arae, in quibus sacra fiant, quae amore solvant. — *sub auras erecta* cf. 494. — *penetrali in sede*, cf. 7, 59. — *Penetralis* adiectivum cf. 2, 297. *Taedis erigitur pyra*, cf. 3, 134.

506. *Intenditque locum sertis* non minus recte, quam intendere serta loco cf. 500.

507. *funerea* i. e. qua funus suum futurum indicat Dido; ubi Anna intelligit fictum quasi funus Aeneae significari. — *Exuvias, ensemque* etc. cf. 498.

508. *Haud ignara futuri.* Ignarae erant Anna et sacerdos; nolebat enim Aeneam Dido sibi conciliare, quod sacro magico simulabat, sed mortem sibi inferre.

509. *crines effusa* de acc. cf. 1, 228. In rebus magicis magae solvebant crines, quasi deorum numine implerentur, qui vincula non tolerant cf. 3, 370. — *Sacerdos* illa quae v. 483 memoratur.

510. *Tonare* signat obscurum illum sonum, quo incantationibus uti solent magae. *Tonare* verbum h. l. ut 8, 419 et saepius est personale, siquidem qui tonet constat; et accusativum assumit cf. 2, 31, ex significatione qua est hoc loco. — Alium accusativum, scilicet verborum, quae tonitru proferuntur, dat Prop. 4, 1, 134 *verba tonare*. Claud. R. P. 1, 83 *tunc talia celso ore tonat.* — *Tonat* igitur est *vocat*, quo verbo usus est Silius, ubi hunc expressit 1, 94 sq. Idem *ter* cum *tonat* iunxit, et iungi iubet Servius, et ternarius numerus in incantationibus vim habet. *Centum deos* explicat Servius ἑκατὸν, Ἑκατῆς numina; mos tamen erat plures deos invocare, inter quos potentissima Hecate, quare eius no-

Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianae.
Sparserat et latices simulatos fontis Averni;
Falcibus et messae ad lunam quaeruntur aenis
Pubentes herbae nigri cum lacte veneni;
Quaeritur et nascentis equi de fronte revolsus
Et matri praereptus amor.
Ipsa mola manibusque piis altaria iuxta
Unum exuta pedem vinclis in veste recincta
Testatur moritura deos et conscia fati
Sidera; tum, si quod non aequo foedere amantes
Curae numen habet iustumque memorque, precatur.
Nox erat, et placidum carpebant fessa soporem

men poeta extremo loco posuit. Cf. Ov. M. 7, 192 sq.

511. *Tergeminam Hecaten*, *τριπρόσωπος*, *τρίμορφος*, *tria v. ora Dianae* „iteratio est, Lunae, Dianae, Proserpinae.“ S.

512. *simulatos fontis Averni*. „In sacris quae exhiberi non poterant, simulabantur et erant pro veris. Bene autem de Averno, per quem descensus ad inferos dicitur.“ S. Ita ap. Hor. Ep. 5, 26 in eadem re sparguntur aquae Avernales. — De voce *simulatus* cf. 3, 349.

513. *Aeneae falces* in magicis artibus adhibebantur Ov. M. 7, 227. — Herbae ad lunam collectae maiorem vim habere vulgo putantur etiam nunc. — *Ad lunam*, ut nostrum *bei* est: dum luna splendet; ut 6, 411 *ad lumina*, *bei Lichte*; ut Ov. F. 1, 438 *ad lunae lumina*. *Quoties raucos ad litoris ictus deficiam*, Val. Fl. 1, 330. Cf. 663.

514. *Pubentes herbae* legitur G. 3, 126 (tamen *Wg. Rb.* „ex libris“ praeferunt *florentes*) et A. 12, 413 *puberibus foliis*, et explicat Serv. adolescentes, florentes summo vigore, ut e contrario florere dicuntur iuvenes; atque ita dicitur G. 2, 390 *hinc omnis largo pubescit vinea fetu*. — Quum tamen puberes sint, quibus prima crescit barba, intelligunt alii herbas lanuginosas, quarum in re magica usus fuerit. — *Lac nigri* (fusci) *veneni* intelligitur sucus venenatarum plantarum, quem nos etiam lac dicimus. Sic Ov. M. 11, 606 *innumerae herbae quarum de lacte soporem nox legit*. — *cum lacte* cf. 11, 681.

515. Hippomanes hoc loco indicatur. Quid esset antiqui dubitabant ut in re ad artem magicam pertinente. Est „vel herba Arcadica, qua gustata equi in furorem incidunt (Theocr. 2, 48) vel liquor virulentus ab inguine equae, ardore coeundi flagrantis destillans. (Plin. 28, 11. Vgl. G. 3, 280), vel caruncula nigra, caricae magnitudine fronti pulli recens editi adhaerens, quam feta statim edito partu devorare quaque praerepta in rabiem olfactu agi nec partum ad ubera admittere dicitur (Plin. 8, 42)“. Rup. ad Iuv. 6, 133.

517. *Ipsa* Dido, quae magicam non exercet, quam una curat sacerdos. — *Mola* i. e. mola salsa, salsae fruges, cf. 2, 133. — *mola manibusque piis*: „farre et sale et manibus puris.“ S. *Pius* vocabulum saepe in rebus sacris ut *pia vitta* 637, *far pium* 5, 745. Tib. 3, 4, 10. Ita etiam *castus* usurpatur cf. 7, 71. Ad structuram cf. 5, 745 *farre pio venerari*, Pl. NH. 78, 2 *mola salsa supplicare*. Inter v. 517 et 518 inculcat *Rb.* v. 486 *sp. h. m. s. papaver*, quem ex suo loco expulit, et scribit *molam*.

518. *exuta pedem*. Uno pede nudo et veste recincta videntur fuisse Hecatae sacrum facientes. Cf. Medeam ap. Ov. Met. 7, 182 *Egreditur tectis vestes induta recinctas, nuda pedem, nudos humeris infusa capillos*. Tib. 1, 5, 15 *Tunicis solutis vota novem Triviae nocte silente dedi*. — *in veste* cf. 5, 37.

519. *Sidera conscia fati* sunt, quod omnia, quae in terra fiunt, videre atque etiam praevidere putantur, unde astrologiae ars nata est. Cf. *conscius aether* 167.

520. Deinde numen si quod curam habet spreti amoris, imprecatur; neque enim aequo foedere amor est, ubi non par amor datur et redditur, ut aequum foedus non est, ubi qui in foedus coeunt, non iisdem legibus adstringuntur cf. 11, 321. 12, 190.

521. *Curae habere* aliquem dixit Coel. ap. Cic. Fam. 8, 8, 10 *Eos tibi et rem de qua misi velim curae habeas*. Suet. Oct. 48 *nec aliter universos quam membra partesque imperii curae habuit*.

522—553. Didoni iam mori decretum est.

522. Noctis tacitae splendida descriptio,

Corpora per terras, silvaeque et saeva quierant
Aequora, quum medio volvuntur sidera lapsu,
Quum tacet omnis ager, pecudes, pictaeque volucres,
Quaeque lacus late liquidos, quaeque aspera dumis
Rura tenent, somno positae sub nocte silenti.
[Lenibant curas, et corda oblita laborum.]
At non infelix animi Phoenissa, nec unquam
Solvitur in somnos oculisve aut pectore noctem
Accipit: ingeminant curae, rursusque resurgens
Saevit amor, magnoque irarum fluctuat aestu.
Sic adeo insistit, secumque ita corde volutat;
En, quid ago? rursusne procos inrisa priores
Experiar, Nomadumque petam connubia supplex,
Quos ego sim totiens iam dedignata maritos?
Iliacas igitur classes atque ultima Teucrum
Iussa sequar? quiane auxilio iuvat ante levatos,

(Alias cf. 2, 9. 250. 268. 3, 508. 512. 4, 80. 5, 738. 835. 6, 539. 8, 26. 280. 369. 9, 224. 10, 215.) quae „protenditur ad exaggerationem vigiliarum Didonis.“ S. — *carpebant* cf. ad 1, 388.

523. *quierant: Quiesco* enim inchoativum est, itaque *quierant* i. e. quietae erant. Claud. in Rufin. 2, 327 *Labitur in somnos. Vix toto corde quierat: ecce videt diras alludere protinus umbras, quas dedit ipse neci. Requiesco* vel activum est Ecl. 8, 4.

524. *medio lapsu* i. e. medio per caelum cursu ad speciem dictum, qua videmus.

526. Volucres sunt intelligendae et per *quaeque — quaeque* explicantur aves aquaticae et silvestres, non pisces et serpentes intelliguntur, (quod vult *Weichert*) scripsit enim Vgt. *positae* non *posita.*

527. *Positae somno* est ablativus non dativus cf. Ecl. 6, 14 *Silenum pueri somno videre iacentem;* non est ad somnum compositus, sed per somnum prostratus. Dativum habet *Ld.*

528. Hic versus abest a MP, ad marginem adscriptus in γac, est in b, omittitur a Servio. Facile quis poterat versum ex 9, 225 memoria fallaci repetitum adscribere. Eiic. versum *Wg. Ld. Rb.* Versus si abest, non requiritur; si genuinus esset, posset aliqua ratione defendi.

529. *At non.* Verbum antecedens supplendum est; ita G. 4, 530 *At non Cyrene ..,* sc. lenibat curas. — *nec* Mss. ut videtur omnes. — *neque* vulgatum in Edd. — *infelix animi* cf. 1, 14.

530. *Noctem* i. e. somnum nec oculi accipiunt, nec mens. „*Oculisve* quia potest aliud esse sine alio, ut si quis dormiens mente turbetur.“ S.

531. *ingeminant* v. neutrum cf. 1, 104.

532. *fluctuat.* Idem v. 564 cf. 8, 19. 12, 486. 527. Simile Lucr. 3, 299 *Nec capere irarum fluctus in pectore possunt.* Cat. 64, 62 *Magnis irarum fluctuat undis.* Sil. 8, 32 *Insanos irarum comprime fluctus.* Val. Fl. 3, 637 *Ingenti Telamon fluctuat ira.*

533. *Sic adeo* cf. 2, 567. — *Insistit* mente et cogitatione, *bleibt dabei stehen.*

534. *inrisa* sc. ab Aenea. Nunc ab Aenea despecta ad eos confugiam, quos ipsa sprevi, et eorum superbiam et contemptum feram? Deinde *Nomadum*, et *supplex* notat rei indignitatem. Explicatur etiam *irrisa* a procis, sc. qui me irrideant, quod nunc peto, quos antea spreverim. Neque tamen hoc inest participio perfecti. *Rursus* iunge cum *petam* cf. Sen. Med. 218 *Petebant tunc meos thalamos proci, qui nunc petuntur. Petere* autem viros feminae non honestum erat cf. Sall. Cat. 25. *Libido sic accensa, ut saepius viros peteret, quam peteretur.* — *quid ago* i. e. quam ad insaniam me patior abripi? Cf. 12, 637.

537. *igitur:* Nullo modo potest fieri, ut petam Nomades, quum eos toties spreverim, restat igitur ut Troianis me adiungam. — *ultima Teucrum iussa. Ultimus* est infimus cf. Pomp. Sab.: „Puta quod loquatur ad miserationem, quasi quod si navigat cum Troianis, sit futura serva.“ Ita Ariadne famula saltem vult esse Thesei Cat. 64, 161. Idemque de se promittit Dido Ov. Her. 7, 167.

538. *Quiane*, an quia, quasi vero hoc iuvet; quasi vero mihi aliquid prodesse

Et bene apud memores veteris stat gratia facti?
Quis me autem, fac velle, sinet, ratibusve superbis
Invisam accipiet? nescis, heu perdita! necdum
Laomedonteae sentis periuria gentis?
Quid tum? sola fuga nautas comitabor ovantes?
An Tyriis omnique manu stipata meorum
Inferar et, quos Sidonia vix urbe revelli,
Rursus agam pelago et ventis dare vela iubebo?
Quin morere, ut merita es, ferroque averte dolorem.
Tu lacrimis evicta meis, tu prima furentem
His, germana, malis oneras, atque obiicis hosti.
Non licuit thalami expertem sine crimine vitam
Degere, more ferae, tales nec tangere curas!
Non servata fides cineri promissa Sychaeo!
Tantos illa suo rumpebat pectore questus.
 Aeneas celsa in puppi, iam certus eundi,
Carpebat somnos, rebus iam rite paratis,
Huic se forma dei voltu redeuntis eodem

possit, quod eos auxilio levavi meo, et memores ii sint accepti beneficii; neque omnino me recipient ii, quorum iam maiores periurio infames sunt. De *ne* relativo quod adiungitur cf. 10, 673.

540. *Fac velle*, cogita te velle.

542. *Laomedontea* gens cf. 3, 248.

543. Quid faciendum, solane sequar, an cum Tyriis meis? — *Ovantes*, quod victores sunt mei. Omittit nomen Aeneae nec Teucros iam nominat, *nautas* modo dicit, quo ipso verbo miseram suam indicat conditionem, qua tales regina homines precibus adire cogatur.

545. *Inferar* i. e. me inferam, passivum pro reflexivo cf. 152. Ita *inferre se* 1, 439. 10, 575. — *revelli:* Vix quietem adeptos iterum omnibus navigationis casibus obiiciam? Non ita, ipsa ego, non qui insontes sunt, poenas luam.

546. *Ventis dare vela* cf. 3, 9. — *Iubebo* ut 20.

548. Culpam transfert in sororem, quae lacrimis moveri non debuerit, facitque ex hominum more, qui si ulla probabili specie possunt, infortunii sui caussas in alios solent transferre.

549. *Prima oneras* i. e. Tu prima malorum meorum caussa es. Cf. 31 sqq. *Hosti* invidia est plenum nomen. — V. 548 et 549 ex hoc loco expulit *Rb.* et transtulit post v. 418.

551. *more ferae* cf. Quint. 9, 2, 64. „Est Emphasis etiam inter figuras, quum ex aliquo dicto latens aliquid eruitur: ut apud Vgl.: *Non licuit — ferae?* Quamquam enim de matrimonio queritur Dido, tamen huc erumpit eius affectus, ut sine thalamis vitam non hominum putet sed ferarum“. — Nolumus repetere varias huius loci explicationes, sed eam proponere, quae ceteris videtur praestare. Non licuit, mihi homini, ferarum more vivere, i. e. expers connubii, et abrepta curis vel cupidinibus, quibus flagrabam, crimine carere non potui, nec servavi fidem promissam Sychaeo. Cf. H. S. 1, 3, 109 *Venerem incertam rapientes more ferarum. Pl.* coni. *degere, vae miserae!*

552. *cineri Sychaeo*, cf. 1, 686. Sed *Sichaei* M. quod videtur praeferendum esse. *Fides promissa* legitur 6, 356.

553. *Rumpere questus* dixit Val. Fl. 1, 508. Cf. 2, 129. — „Oratio tumultuans in deliberatione ab animo spe spoliato: interceptae sententiae, concisae, contortae. Fertur, refertur, rapitur; crebrae interrogationes, consiliorum mutationes, petitio, repetitio, correctio.“ Scaliger.

554—570. Mercurius monet Aeneam, ut statim abeat.

554. Iam Aeneas rebus quibus opus erat paratis navibusque instructis ventum exspectans secundum altero die abiturum se sperabat, quum noctu Mercurius advenit eumque monet, ut quae sint a femina irata pericula cogitet; simul felicem ventum esse denuntiat. Qua re ita composita et Aeneae consilio maior est auctoritas et iis quae Dido postea facit maior gravitas. De dei interventu cf. 1, 535. — *Certus eundi* cf. 564.

555. *Carpebat somnos* cf. 1, 388.

556. *forma dei:* „Bene non deus, sed forma. Raro enim numina sicut sunt,

Obtulit in somnis, rursusque ita visa monere est,
Omnia Mercurio similis, vocemque coloremque
Et crines flavos et membra decora iuventa:
Nate dea, potes hoc sub casu ducere somnos,
Nec quae te circum stent deinde pericula cernis?
Demens! nec Zephyros audis spirare secundos?
Illa dolos dirumque nefas in pectore versat,
Certa mori, varioque irarum fluctuat aestu.
Non fugis hinc praeceps, dum praecipitare potestas?
Iam mare turbari trabibus saevasque videbis
Collucere faces, iam fervere litora flammis,
Si te his attigerit terris Aurora morantem.
Heia age, rumpe moras. Varium et mutabile semper

possunt videri." S. — *Redeuntis* est iterum euntis ut 438 *referre* est iterum ferre; ita *redeunt anni* 8, 47, *redeunt iam gramina campis arboribusque comae* Hor. Carm. 4. 7. 1, *arboribus frondes* Ov. Fast. 3, 237. Vides tamen *redire* poni maxime in rebus, quae stato tempore recurrunt, ut G. 2, 401 *redit agricolis labor actus in orbem.* Adde 1, 249. 336. 339. 440. 458.

558. *Omnia* acc. graec. cf. 1, 229. — *Color* est oris. Mercurius autem pulcher deus, qualis esse solet iuvenis qui omnibus corporis exercitationibus curam impendit. Est autem deus artis gymnicae cf. Hor. C. 1, 10, 3: Qui feros cultus hominum recentum voce formasti catus et *decorae* more *palaestrae*.

559. *Flavi crines* feminis Romanis pulchri videbantur esse, quare Romanae imperatorum temporibus crinibus Germanorum tegebant suos; etiam „flavo cinere unctitabant." Cf. Tib. 1, 5, 44 *flavis nostra puella comis. Flava Minerva* Ov. Met. 2. 749. Vel rutuli capilli laudantur Met. 2, 319. — *iuventa* FM. al. — *iuventae* P. i. e. membra, qualia esse solent iuvenum; alterum est membra decora iuventute.

560. *Casum* iam vocat quod modo imminebat periculum, quod tamen revera accidit, nisi e somno experrectus esset Aeneas. — *Ducere somnum* cf. 2, 641.

561. *te circum stent:* Cf. H. Od. 14, 270 περὶ γὰρ κακὰ πάντοθεν ἔστη. Sil. 8, 169 *Indulgere quieti heu nimium secura potes, nec quae tibi fraudes tendantur, quae circumstent discrimina cernis?*

562. *Zephyros:* „ventos, de Africa enim Zephyro navigare non poterat." S. Sed *Goebel Jhrb.* 1864 p. 663 Zephyris docet abeundum fuisse Aeneae.

563. *dirum nefas:* Vide quid Dido patratura sit v. 601, 602.

564. *Certus* et ad homines pertinet ut 1, 576; et est fidus aut certus consilii, fortis et intrepidus; et ad res: sic dicitur telum, hasta, sagitta, securis *certa* et *incerta* saepissime, ut exempla afferre opus non sit. Iam cum gerundio legimus adiectivum 554, hoc loco cum infinitivo iunctum. Sic ap. Ov. Her. 7, 9 *Certus es Aenea cum foedere solvere naves.* 9, 43 *certi non cedere.* Luc. 3, 586. Val. Fl. 8, 316. Cf. 7, 807 *proelia virgo dura pati.* 11, 738 *segnes exspectare.* 6, 164 *quo non praestantior alter acre ciere viros.* 12, 290 *avidus confundere foedus. felix* 9, 772. *praesens* 12, 152; Quum vero nec gerundium nec quae sunt in soluta oratione dicendi formulae in his adiectivis usitatae versui tam facile aptarentur, infinitivus autem et aptior esset forma et exquisitiorem brevioremque dicendi modum subministraret et simili Graecorum commendaretur usu, receperunt eum poetae, eosque secuti sunt posteriores scriptores, et adiectiva, dummodo iis responderet participium, quod infinitivum regeret, cum infinitivo iunxerunt. Cf. Gr. § 426, 2. — *Fluctuat*, cf. 532.

565. *Potestas* c. inf. cf. 5, 638, de verbo omisso 5, 362.

566. Nisi celeriter aufugis, naves tuas fractas et incensas a Poenis videbis. — *iam* cf. 11, 708.

568. *Attigit Aurora*, sive sol locum, quem collucet, quem sua luce attingit.

569. *Heia* cf. 9, 38. — *Rumpe moras* sic 9, 13. G. 3, 42. Sil. 8, 215 *heia age, segnes rumpe moras.* Sen. Med. 54 *rumpe iam segnes moras.* Sic *moras rumpere* Val. 1, 306. 4, 626. *varium ... femina* ut *Triste lupus stabulis* Ecl.

Femina. Sic fatus nocti se immiscuit atrae.
Tum vero Aeneas, subitis exterritus umbris,
Corripit e somno corpus sociosque fatigat:
Praecipites vigilate, viri, et considite transtris;
Solvite vela citi. Deus, aethere missus ab alto,
Festinare fugam tortosque incidere funes
Ecce iterum stimulat. Sequimur te, sancte deorum,
Quisquis es, imperioque iterum paremus ovantes.
Adsis o, placidusque iuves, et sidera caelo
Dextra feras. Dixit; vaginaque eripit ensem
Fulmineum, strictoque ferit retinacula ferro.
Idem omnes simul ardor habet, rapiuntque ruuntque;
Litora deseruere; latet sub classibus aequor.
Adnixi torquent spumas et caerula verrunt.
Et iam prima novo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile:
Regina e speculis ut primum albescere lucem

3, 80. *Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη.* Cf. Gr. § 242, 2.

570. *Nocti se im. a.* i. e. evanuit.

571—583. A Carthagine Aeneas solvit.

571. *Subitae umbrae* sunt, quae subito incidunt, ubi deus abit. Cf. 2, 680.

572. *Corripere e somno corpus* est ap. Lucr. 3, 164 et *corpus de terra corripere* 4, 998. *Corripere* autem ubique motus significat celeritatem cf. *corripere viam* 1, 418. *se corripere* 6, 472. 11, 462 *sich aufraffen*. *Corpus* corripere cf. 132. — *Fatigat socios* sc. hortando.

574. *Praecipites* cf. 5, 137. — *Solvite vela*, quae erant contracta.

576. *Sancte deorum* „secundum Ennium dixit: *Respondit Iuno Saturnia sancta dearum*" S. cf. Gr. § 264, e. *stimulat* c. inf. Gr. § 425 An. 3.

577. *Quisquis es*, qui me id facere iussisti cf. 9, 22. Quando enim non satis constabat, quis deus auxilium attulisse vel afferre posset, Romani precantes malebant addere formulam, qua se deum nescire indicarent, quam falso nomine offendere. „Secundum Pontificum morem, qui sic precantur: Iuppiter omnipotens, vel quo alio nomine appellari volueris." S. cf. Cat. 34, 21. Hor. C. S. 15. — Eodem modo Graeci precabantur cf. Aesch. Ag. 155. *Ζεὺς, ὅστις ποτ' ἐστίν, εἰ τόδ' αὐτῷ φίλον κεκλημένῳ, τοῦτό νιν προςεννέπω.* Plat. Cratyl. p. 400 E. *Ἐν ταῖς εὐχαῖς νόμος ἐστὶν ἡμῖν εὔχεσθαι, οἵτινές τε καὶ ὁπόθεν χαίρουσιν ὀνομαζόμενοι, ταῦτα καὶ ἡμᾶς αὐτοὺς καλεῖν, ὡς ἄλλο μηδὲν εἰδότας.* — Addiderunt etiam: *sive deus, sive dea es.* Cf. Gell. 2, 28. — *Ovantes* cf. 10, 690.

578. *Adsis* cf. 1, 734. — *Sidera dextra feras*, propitia. Iam vero si sidera, ex quorum ortu et occasu venti cognoscuntur, prospera sunt, navigatio prospera sit, necesse est. Inde fit, ut sidera ipsa dicantur movere tempestates ut 1, 535, et sidus sit pro tempestate ut 11, 260. 12, 451.

579. Festinatio indicatur et sono versuum et multis rebus, quas antea fieri necesse erat, omissis.

580. *Ferit* cf. 1, 103.

581. Sic 7, 393 *Idem omnes simul ardor agit.*

582. *latet aequor.* Aequato ordine videmus incedentes naves.

583. *Caerula verrunt* cf. 3, 208.

584—629. Aeneae abeunti Dido diras imprecatur.

584. Diluculum descriptum cf. 7. Lucr. 2, 143 *Primum Aurora novo quum spargit lumine terras.*

585. Aurora Tithonum, Laomedontis fratrem, amavit eique aeternitatem petiit, sed omisit etiam perpetuam orare iuventutem; inde senex decrepitus fingitur Cic. CM. c. 17, et modo vox remansisse c. 16.

586. Ut *primum* Mb. *primam* sed correctum Pγ. rec. *Rb.* *Albescere lumen* ex rerum natura dixit. Ita Caes. BC. 1, 68. *albente caelo omnes copias castris educit.* „Bene hanc primum inducit vidisse crepusculum, quae quasi amatrix tota vigilaverat nocte." S. — *E speculis*, ex edito loco arcis, ubi reginae aedes erant. Quum orti diei bis fiat

Vidit et aequatis classem procedere velis,
Litoraque et vacuos sensit sine remige portus,
Terque quaterque manu pectus percussa decorum,
Flaventesque abscissa comas, Pro Iuppiter! ibit
Hic, ait, et nostris inluserit advena regnis?
Non arma expedient, totaque ex urbe sequentur,
Deripientque rates alii navalibus? Ite,
Ferte citi flammas; date tela, impellite remos! —
Quid loquor? aut ubi sum? Quae mentem insania mutat?
Infelix Dido! nunc te facta impia tangunt.
Tum decuit, quum sceptra dabas. — En dextra fidesque,
Quem secum patrios aiunt portare Penates,
Quem subiisse humeris confectum aetate parentem! —
Non potui abreptum divellere corpus et undis

mentio, languidum in iis inesse videtur; quare quum v. 584 et 585 iterum 9. 459. 460 legantur, *Pl.* huc eos ab alio putat illatos. At vero illo etiam loco 461: *iam sole infuso, iam rebus luce retectis*, repetitur lucis ortus, et eodem modo per particulam *iam* duo enuntiata alibi iunguntur et nulla in apodosi particula addita 2, 801. 3, 356. 5, 763. 9, 459, et sequente *quum* 3, 137. 5, 835. 7, 105; et post ea, quae noctu facta sunt, „temporis designatio," ut iam iudicavit Servius, ex re esse videtur. Quare caussam non videmus, cur hos versus a Virgilio non esse scriptos putemus.

587. *Aequatis velis* est optimo ordine. Cf. 5, 844 *Aequatae spirant aurae. arquatis* coni. *K. Fr. Hermann.*

588. *Sensit* „est cum tacito ac gravi maerore cernit." *Pl.* — *vacuos sine remige portus:* Talis abundantia saepius ut 10, 636 et Sil. 10. 582 *vacuum sine corpore nomen.* Ov. M. 10, 245 *sine coniuge caelebs.* — *Vacuos* etiam ad *litora* pertinet. Cf. Gr. § 235 An. 2.

590. *Flaventes* cf. 559. — *Abscissa* et *percussa* cum acc. graeco cf. 2, 273. — *abscisa* Mss. plures? — *abscissa* M. al. Hoc praestat, evellit enim comas, non cultro demetit.

591. *illuserit.* De tempore cf. 9, 785. Illudit, quod tutus abit et intactus post tantas reginae minas.

592. *Expedient* sc. Poeni. Dido exspectat suos non esse permissuros, ut Aeneas incolumis abeat, quos ubi quietos esse videt, ipsa male sana imperat, quasi ex conclavi eius vocem Poeni possent audire. Cf. Schill. Jungfr. 5, 11.

593. *Diripient* in Mss. videtur esse, etsi non certo constat. Rec. *Rb.* Tamen unice verum *deripient* quod restituit *Hs.*; neque enim dilacerare suas naves, sed a navalibus in altum celerrime deducere iubentur, ut persequantur Troianos.

594. *date tela* Mss. *vela*, quod esse dicitur in uno libro „arridet" *Rb.*; sed Dido excitat ad pugnam iam, non ad iter faciendum. *Date tela* sic 9, 37: *Ferte citi ferrum, date tela, ascendite muros.*

595. *Quid loquor?* Iam redit quasi ab insania et se ipsa colligit. Insani vero si sui compotes fiunt atque insanisse se intelligunt, tristitia angi solent.

596. *fata* P. al. — Fata autem non sunt impia. — *facta* M. al. Quaeritur utrius facta impia dicantur, Aeneae an Didonis. Ad Aeneae periurium refertur, ut ap. Tib. 3, 6, 42 Ariadne in Theseo *ingrati referens impia facta viri*, et ap. Cat. 30, 4 *Nec facta impia fallacum hominum caelicolis placent. Tangunt* autem nos ea, quarum vis ad nos pertinet. Itaque ea est sententia: Nunc sentio, quem in casum Aeneae periurio inciderim. Sed nunc sero est; tum decuit ferro irruere in Aeneam, quum recepi in regnum meum; sed quis hominem pietate insignem quem ferebant in deos et patrem, tam perfidum fore putavisset? Perstat enim Dido fraudatam se esse ab Aenea contra v. 338. 9.

597. *Dextra fidesque* sc. eius, *quem.* Id pronomen demonstrativum saepius omittitur apud Vgl. 5, 291 *Hic* (eorum) *qui forte velint rapido contendere cursu, invitat dictis animos;* 11, 81 *Vinxerat et post terga manus* (eorum), *quos mitteret umbris inferias;* 172.

598. *Portare* non pro *portasse* dictum, nam adhuc secum ducere dicitur. — *Aiunt* cum ironia dictum, nimirum etiam hoc falsum est.

599. *subiisse.* De forma cf. 3, 603.

600. *Divellere corpus* Baccharum more, quod fecerunt in Pentheo et Orpheo. —

Spargere? non socios, non ipsum absumere ferro
Ascanium patriisque epulandum ponere mensis? —
Verum anceps pugnae fuerat fortuna. — Fuisset;
Quem metui moritura? Faces in castra tulissem,
Implessemque foros flammis, natumque patremque
Cum genere exstinxem, memet super ipsa dedissem. —
Sol, qui terrarum flammis opera omnia lustras,
Tuque harum interpres curarum et conscia Iuno,
Nocturnisque Hecate triviis ululata per urbes,
Et Dirae ultrices, et di morientis Elissae,
Accipite haec, meritumque malis advertite numen,
Et nostras audite preces. Si tangere portus
Infandum caput ac terris adnare necesse est,
Et sic fata Iovis poscunt, hic terminus haeret:
At bello audacis populi vexatus et armis,

Undis spargere ut 3, 605. Crudelissima in mortuos saeviendi ratio, qua etiam, quominus ab aliis sepelirentur, impediebantur.

602. *Epulandum*, ut Procne filium Ityn patri Tereo, Harpalyce Clymeno patri filium Presbonem, vel Atreus Thyestae filios comedendos apposuit.

604. *Quem metui moritura.* Qui mori decrevit, nihil habet, quod amplius metuat. — *Castra* neque hoc loco, neque 3, 519 aut 5, 669 *classem* signat; sed nautae nondum conscensis navibus (573) in litore habebant castra.

606. *Genere* i. e. Troianis. — *Exstinxem* cf. 5, 786. — *Super ipsa dedissem* sc. morti. Cf. Soph. Aj. 389 *πῶς ἂν τὸν αἱμυλώτατον ἐχθρὸν ἄλημα, τοὺς δὲ δισσάρχας ὀλέσσας βασιλεῖς τέλος θάνοιμι καὐτός;* Sen. Herc. Oet. 345. — Transit ad imprecationes, qua in re ars poetae cognoscitur, qui omnia quae Aeneae postea adversa fuerunt ipsamque mortem et quae bella erant Romanis cum Poenis, quasi in ultionem desertae Didonis facta simulet.

607. *Sol* qui omnia videt et audit ut Hom. Il. 3, 277 *Ἠέλιος ὃς πάντ' ἐφορᾷς καὶ πάντ' ἐπακούεις* in diris advocatur, ut qui iurisiurandi testis ipse periurio laesus videtur. Saepe in testimonium vocatur 12, 176. Ov. Met. 1, 766. — *Lustras* cf. 6.

608. *Harum*, quibus nunc premor; cf. de Iunone pronuba 59. — *Interpres* „hoc est media et conciliatrix.“ S. cf. 10, 175.

609. *Hecate* infernalis dea maxime in imprecationibus advocatur cf. 511. — *Ululata* i. e. ululatu vocata cf. 6, 794. Sic Stat. Theb. 3, 158 *nulloque ululata dolore respexit Lucina domum*; et activum est apud Mart. 5, 41, 3 *quem ululat Gallus*. Cf. simile *tonare* 510. — „Hecaten caussa invocat ultionis. Unde etiam Furias vocat: sed usurpative modo Diras dixit. Nam Dirae in caelo (cf. 12, 845) Furiae in terris, Eumenides apud Inferos, unde et tres esse dicuntur(?): sed haec nomina confundunt poetae.“ S.

610. „Quidam hoc quod dicit: *dii morientis Elissae* secundum eos tradunt, qui dicunt habere nos singulos deos nostros, ut 12, 539 *nec di texere Cupencum Aenea veniente sui*“ S. (cf. ad locum). Res quam tangit satis est nota. Cf. Plin. N. H. 2, 5, 7: „Maior coelitum populus etiam quam hominum intelligi potest, quum singuli quoque ex semet ipsis totidem deos faciant Iunones Geniosque adoptando sibi.“ Genii virorum, Iunones feminarum dicebantur. — Noti versus sunt Menandri: *Ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαρίσταται εὐθὺς γενομένῳ μυσταγωγὸς τοῦ βίου.* Empedocles duos cuivis homini genios attribuit, alterum bonum, malum alterum. Multae sunt in gemmis, nummis, vasis, aliis Geniorum imagines. — De Genio loci cf. 5, 95. *Pl.* coni. *Divae ultrices.*

612. *si tangere* etc. cf. Hom. Od. 9, 532 Polyphemi in Ulyssem diras. Animadverte praeterea absurdam esse imprecationem; nam si necesse est Aeneam pervenire in Italiam, culpandus non est, quod Carthaginem reliquit.

613. *Infandum caput*, cf. 132. — *Terris adnare* ita 1, 538. — *Necesse est* sc. fato, quod flecti nequit.

614. *Fata Iovis* quae dat cf. 2, 257; de re 3, 250. — *His terminus haeret:* „Si hoc est immutabile“ Serv., quoniam terminos moveri fas non est. Ita *terminus haerens* ap. Lucr. 6, 65.

615. *Audax populus* est Rutulorum.

Finibus extorris, complexu avolsus Iuli,
Auxilium imploret, videatque indigna suorum
Funera; nec, quum se sub leges pacis iniquae
Tradiderit, regno aut optata luce fruatur;
Sed cadat ante diem, mediaque inhumatus arena.
Haec precor, hanc vocem extremam cum sanguine fundo.
Tum vos, o Tyrii, stirpem et genus omne futurum
Exercete odiis; cinerique haec mittite nostro
Munera. Nullus amor populis, nec foedera sunto.
Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor,
Qui face Dardanios ferroque sequare colonos.
Nunc, olim, quocunque dabunt se tempore vires,
Litora litoribus contraria, fluctibus undas
Imprecor, arma armis; pugnent ipsique nepotesque.
    Haec ait, et partes animum versabat in omnes,

616. *finibus extorris.* Coactus est decedere e Latio et Evandri Tuscorumque implorare auxilium, relicto in castris Ascanio.

617. *Videat indigna suorum funera*, „Pallantis dicit et ceterorum." S.

618. Conditiones pacis Troiano nomini iniquas vide 12, 823.

619. *nec regno fruatur.* „Tribus tantum annis regnavit; in tertio anno submersus in fluvio Numico." S. *Nec* pro *neve* 12, 801.

620. *Ante diem* ut 620 „ante fati necessitatem" S. pereat morte violenta. Ad rem cf. 1, 259. Ex *cadat* facile ad *inhumatus* suppletur *sit* cf. 5, 362. *Gt.* coni. *iaceatque* pro *mediaque*, et *Pl.* addit hemistichium *Praeda feris iaceat!*

621. *vocem cum sanguine.* De structura cf. 2, 72. „Quasi imprecationes ipsas suo consecraret sanguine." S. Sanguini enim magna tribuebatur vis, sed maxima in artibus magicis. Scythae foedera sanguinis ex paciscentibus exempti et permixti haustu sanciebant Mela 2, 1. Idem fecit Catilina Sall. 22, ubi sanguinem bibere magnum habetur facinus.

622. *Exercere odiis*, cf. 3, 182.

624. *Munera.* Id a vobis exoptatissimum munus erit, si ad me nuntius perpetui vestri in Romanos odii pervenerit. Placatur enim anima ultione cf. 386 et 11, 180. Umbrae autem res in terra actas curant cf. 6, 690 sq. — *nec foedera sunto.* Semper hostes erant Romani et Carthaginienses, neque foederum inter eos ulla fides erat.

625. *exoriare aliquis.* Secunda persona iungitur pronomini *aliquis*, quod alloquitur eum, qui qualis futurus sit nescit. Cf. Gr. § 241 et Hor. C. 3, 27, 51 *O deorum si quis haec audis.* Ter. Ad. 4, 4, 26 *Aperite aliquis actutum ostium.* — Hannibalem significari, non est quod moneamus. *Pl.* Hannibalem a Didone ortum esse negans, proponit *Ex. a. nostris hinc ossibus u.* Sed *ex ossibus* probe dictum; nam quasi ex ipsius membris reparari vult aliquem sui ultorem; non agitur de vera generatione. Acutior etiam *Gt.*, qui pro *ex* dat *rex!*

626. *Face ferroque* pro vulgari *ferro et igni.*

627. Quum ultorem advocasset Dido v. 625. 6. iam perpetuum (*nunc*, *olim*) imprecata est Romanis et Carthaginiensibus bellum tam acre, ut vel inanima hostilia sint, (litora, fluctus, arma) [Nonne Romani vetabant ne in loco Carthaginis nova urbs conderetur, ut locum tam adversum haberent, ex quo qui incolerent (ipsi enim Carthaginienses erant deleti) inimicum in Romanos animum haurirent.] maxime autem animati. Et versu hypermetro i. e. infinito Dido indicat inimiciarum se certum finem deprecari. *Pl.* coni. *natique nepotesque(!)* — *Dabunt se vires* ut Liv. 28, 5 *pollicitus prout tempus ac res se daret, omnibus laturum se auxilium*, et Ter. Hec. 3, 3, 20 *ut res dant sese.* Itaque quando poterunt, pugnent; quando vires resumpserint, iterum pugnent et ipsi et nepotes, neve unquam pacis fruantur dulcedine. In *ipsi* est *Dardanii* et *Tyrii.*

630 — 662. Ultima Didonis verba.

630. Barcen, quae adest, dimittit ad Annam arcessendam sacrumque parandum, ut sola esset sibique posset mortem inferre. — *partes animum v. in o.* Similia ad 5, 418.

Invisam quaerens quam primum abrumpere lucem.
Tum breviter Barcen nutricem adfata Sychaei;
Namque suam patria antiqua cinis ater habebat:
Annam cara mihi nutrix huc siste sororem;
Dic corpus properet fluviali spargere lympha
Et pecudes secum et monstrata piacula ducat.
Sic veniat, tuque ipsa pia tege tempora vitta.
Sacra Iovi Stygio, quae rite incepta paravi,
Perficere est animus finemque imponere curis
Dardaniique rogum capitis permittere flammae.
Sic ait. Illa gradum studio celerabat anilem
At trepida et coeptis immanibus effera Dido
Sanguineam volvens aciem maculisque trementes
Interfusa genas et pallida morte futura
Interiora domus inrumpit limina et altos
Conscendit furibunda rogos ensemque recludit
Dardanium, non hos quaesitum munus in usus.

631. *Abrumpere lucem* ut 8, 579 *abr. vitam.* Cf. Sil. 2, 593 *abrumpere vitam ocius attoniti quaerunt, lucemque gravantur.*

633. Hic versus, a nonnullis eiectus, abesse nequit. Iure enim quaeritur, cur non suam nutricem secum habeat. Nutricum autem apud antiquos magnus honos erat cf. 7, 1. — *suam.* Pronomen quo referatur, intelligitur ex opposito. Cf. 3, 493. — *Cinis ater habet mortuum*, i. e. cineri inest anima corporis cremati.

634. *Mihi* ad *siste* trahas, non ad *cara.* — *Huc siste*, „huc adduc, ut (8, 85) *Et cum grege sistit ad aram.*“ S.

635. *Spargere* pro conspergere ut 20. 665. 7, 754. 8, 645. 11, 82. Ov. Met. 7, 415. 845. Hor. Carm. 2, 13, 6 *penetralia sparsisse cruore.* Simplex pro composito cf. 5, 154. — Quod fluvialis aquae in sacris usus est cf. 2, 719.

636. *Piacula*, *monstrata* a sacerdote Massyla cf. 483.

637. *Sic veniat* „ne praemitteret, aut praecederet“ S. atque ita necem impediret.

638. *incepta* cf. 504. — *Iuppiter Stygius* Pluto est cf. 6, 138.

640. *Rogum Dardanii capitis* est, „in quo eius imago fuerat.“ S. cf. 508.

641. V. „obscurus et Virgilio indignus“ deletur a *Pl. Studio anili* MIP ut testatur *Rb.* al. „pro industria, qua utuntur aniculae.“ S. Sic *Ld. Rb* — *gradum anilem* in optimis post M. esse testatur *Wg.* Neque hoc absurdum. Cf. *passu processit anili. gradum anilem* Ov. M. 13, 533. Barce anilem gradum, qui iam lentus esse solet, studiose accelerat. Sic *studio* dictum esse docent 6, 781 et Ov. Trist. 3, 4, 41 *Nunc quoque submotum studio defendis amicum.* Cic. pr. RA. 32 *Omnes intelligant, me non studio accusare, sed officio defendere.* — *celerabat Hn. Wg. Ld.* „Alii celebrabat legunt, quia antiqui hoc verbum in velocitate ponebant; Attius *Celeri gradu gressum accelebrasse decet*“ S. Sic Nonius: „Celebre non solum frequens sed etiam velox. Attius Aegistho: *Celebri gradu gressum accelerasse decet.*“ Habes doctrinam grammaticorum in uno loco haerentium et in eo ipso dissentientium; illud *b* etiam in M. suprascriptum esse testatur *Rb.*, unde minus accurate traditam apparet esse Medicei scripturam ab Heynio, aqud quem *celebrabat* ita affertur, ut prima videatur lectio. Tamen *celebrabat anili* rec. *Rb.*

642. *Trepida* „festina (cf. 10, 283) Nam moritura nihil timebat.“ — *Coeptis immanibus* (cf. 7, 562) *effera*, „furiata saevis cogitationibus.“ S. Sic Val. Fl. 2, 104 *effera et ingens et maculis suffecta genas* de furibunda femina.

643. *Oculi sanguinei* cf. 2, 210.

643. 44. Haec signa futurae caedis vera esse dicuntur. De maculis non supervacaneum esse videatur afferre quae monuit *Pl.* „Observatum est nuper in Francia, eos, quibus crines et pars tunicae in cervicibus abscinduntur, ut mox securi Guillotina percutiantur, plerumque in vultu flavas et caeruleas maculas contrahere.“

647. *ensem Dardanium*, etc. Non licet explicari, ut solet, de armis ab Aenea celeriter abeunte relictis cf. 495; neque enim haec munera sunt: neque de ense, quem Dido dederat Aeneae 261 et quem

Hic, postquam Iliacas vestes notumque cubile
Conspexit, paullum lacrimis et mente morata,
Incubuitque toro dixitque novissima verba:
Dulces exuviae, dum fata deusque sinebat,
Accipite hanc animam meque his exsolvite curis.
Vixi et quem dederat cursum fortuna peregi;
Et nunc magna mei sub terras ibit imago.
Urbem praeclaram statui, mea moenia vidi,
Ulta virum poenas inimico a fratre recepi;
Felix, heu nimium felix, si litora tantum
Nunquam Dardaniae tetigissent nostra carinae!
Dixit et os impressa toro, Moriemur inultae,

reliquisset Aeneas. Sed si poetas Romanos respicimus, non possumus quin accipiamus ensem ab Aenea donatum Didoni. Cf. Ov. Her. 7, 184 *gremio Troicus ensis adest.* v. 186 *quam bene conveniunt fato tua munera nostro.* 195 *praebuit Aeneas et caussam mortis et ensem.* et Sil. 8, 41 sq. et 52 *Corripit ensem,* (Dido) *Certa necis; profugit donum exitiale mariti* et 149 *Haec dicens* (Dido) *ensem media in praecordia adegit, ensem Dardanii quaesitum in pignus amoris.* Nec absonum est, Didonem reginam gladium gestasse, si non in usum, certe ad ostentandam suam potestatem; quare potuit ab Aenea sibi petere *(quaesitum)* gladium illum, quo ad Troiam certaverat, et dare alium 261. — *In* c. acc. finem significat cf. 4, 42.

648. *Iliacas vestes* cf. 1, 648.

650. *que — que* cf. 11, 840.

651. Conspectis rebus ab Aenea donatis et memoria praeteritae laetitiae revocata iam in lacrimas dissolvitur; et mitiore animo quae factura est expendit et probare conatur. — *Exuviae* cf. 496, *dulces*, dum i. e. quamdiu *fatum sinebat*, *accipite animam meam;* in iis enim incubans erat moritura. — *sinebat* M. al. — *sinebant* FP. al. rec. *Rb.* cf. 1, 16.

653. Instante morte ipsa se consolatur rerum gestarum gloria; deinde quum res ita ceciderint, (fortuna) ut mori sit ipsi melius, non dubitat oppetere mortem. Non defuerunt, qui hunc versum frigere dicerent; neque tamen habebant assentientem Heynium, qui hunc versum et sequentes in Munchhusii illius, qui Georgiam Augustam condidit, laudes contulit; nec Schillerum, qui: *ich habe gelebt* noto in loco non sine vi dixit; neque antiquos. Nam ut omittam Hor. C. 3, 29, 43. Seneca dixit Benef. 5, 17 „Quis sine querela moritur? quis extremo die dicere *audet:* Vixi et quem dederat cursum fortuna peregi? quis non recusans, quis non gemens exit.“ Vides etiam Senecam locum ita intelligere, ut nos supra indicavimus. Alius versuum propositus est ordo: 653. 55. 56. 54, quem rec. *Rb.* At si recipitur, qui sequuntur versus multo minus cohaerent. Neque ex eo, quod Sil. 8, 144 sq. habet: „Aeneae coniux Veneris nurus, ulta maritum vidi constructas nostrae Carthaginis arces; nunc ad vos magni descendet corporis umbra“ satis docetur in hoc loco, ex quo sua hausit Silius, eodem ordine sententias esse prolatas; nam et illud *ulta virum* Silius anteposuit. Et qualis fuerit Silius poeta, qui ne ab ordine quidem sententiarum ausus sit discedere?

654. *nunc ibit.* *Nunc* cum futuro potest iungi, si quod futuro indicatur, statim sequitur, ut iam praesenti tempore esse videatur 10, 582. E. 6, 6. — *Magna imago*, aut quod umbra maior est homine vivo, cf. 2, 772. aut, idque praefero, magna dicitur ea, quae egregiis factis magnam se praestitit. Quid enim in corporis magnitudine gloriosum est, praesertim si omnes eadem ornantur. — Serv. h. l. multis verbis docet animam mortuorum ad caelum permeare, apud inferos modo esse imaginem et simulacrum. — *mei* cf. 237.

656. *Ulta virum*, Sychaeum, „puniendo eius interfectorem. Nam ideo addidit *p. i. a. f. r.;* nec revera ulla avari maior est poena, quam amittere pecuniam, propter quam commiserat scelus.“ S. Cf. 1, 360.

658. Cf. Cat. 64, 171 *Utinam ne tempore primo Gnosia Cecropiae tetigissent litora puppes.* — *Tangere* est pervenire ad, sic 9, 135 *t. arva.* O. M. 4, 778 *domos.* F. 1, 519 *litora.*

659. *os impressa toro.* „Quod interdum in summo corporis dolore fieri solet,

Sed moriamur, ait. Sic, sic iuvat ire sub umbras.
Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto
Dardanus et nostrae secum ferat omina mortis.
Dixerat; atque illam media inter talia ferro
Collapsam adspiciunt comites ensemque cruore
Spumantem sparsasque manus. It clamor ad alta
Atria; concussam bacchatur fama per urbem.
Lamentis gemituque et femineo ululatu
Tecta fremunt; resonat magnis plangoribus aether:
Non aliter quam si immissis ruat hostibus omnis
Carthago aut antiqua Tyros, flammaeque furentes
Culmina perque hominum volvantur perque deorum.
Audiit exanimis trepidoque exterrita cursu
Unguibus ora soror foedans et pectora pugnis
Per medios ruit ac morientem nomine clamat:
Hoc illud, germana, fuit? me fraude petebas?
Hoc rogus iste mihi, hoc ignes araeque parabant?
Quid primum deserta querar? comitemne sororem
Sprevisti moriens? Eadem me ad fata vocasses,
Idem ambas ferro dolor atque eadem hora tulisset.

hoc Dido fecit in dolore animi ac desperatione.“ *Pl.* Cf. Val. Fl. 8, 9 *Haec impresso gemuit miseranda cubili.*

661. *Hauriat oculis*, ut 12, 946 *exuvias oculis hausit.* 10, 899 *Suspiciens hausit caelum.* G. 2, 340 *lucem pecudes hausere. Haurire auribus vocem* v. 359. Simile 10, 648 *animo spem hausit inanem.* 12, 26 *haec animo hauri* — Gaudeat ille crudelis homo sua crudelitate, qua me ad mortem compulit; simul habeat omen infaustum navigationis. — Hac cum narratione Virgilii cf. Ov. Her. 7. et Sil. 8, 40 sq.

663—687. Luctus Carthaginiensium et Annae.

663. *media inter talia.* Idem 12, 318: quum talia diceret. Saepius enim praepositiones, cum suis nominibus iunctae, ad tempus aliquod significandum aptae sunt, vicemque sustinent totius enuntiati secundarii. — Sic *inter* Sall. Iug. 40. Liv. 24, 19. Val. Fl. 2, 428 *has inter lacrimas* i. e. dum lacrimat. *ad* 513. — Ita amatum ab Ovidio illud *ab his:* statim postquam haec dicta sunt, M. 3, 273. 4, 329. 8, 611. — *ante:* 11, 424 *ante tubam* Stat. 6, 147. Sil. 9, 52 *ante tubas*, i. e. antequam tuba proelii dat signum. Val. Fl. 7, 11 *ante tuos vultus* i. e. antequam te vidi. — *per* Val. Fl. 1, 767 *talia per lacrimas*, i. e. dum lacrimat. — *post* cf. Ov. M. 8, 538 *post cinerem*, i. e. postquam cinis factus est. Val. Fl. 1, 139 *pulsatque chelyn post pocula Chiron*, postquam biberunt. *in* c. abl. 6, 547 *in verbo*, dum verbum loquitur.

666. *Bacchatur*, cf. 301, per urbem *concussam*, quae re audita terrore concutitur; et est prolepsis ut 22.

667. *Tecta fremunt* cf. 11, 453.

671. Praepositionem poetae etiam ante genitivum ponunt a voce ad quam pertinet aptum, ut h. l.; sive ad alium casum ad vocem ad quam pertinet, describendam additum ut O. F. 3, 13 *Ventum erat ad molli declivem tramite ripam* (cf. Gr. § 518) nonnunquam etiam ante verbum aliquod nulla ratione ad praepositionem pertinens ut 223. 2, 278. 5, 312. E. 6, 19 *Iniiciunt ipsis ex vincula sertis.* Quod si fit, relatio praepositionis ex versus apparet ratione certisque in sedibus vox et ipsa praepositio ponitur cf. Gr. § 520.

675. *Me fraude petebas*, me sororem tuam tui amantissimam fefellisti. *Fraude petere* ad formulam *telis petere aliquem* dictum; ita *petere aliquem bello* 3, 603. *veneficio* A. ad Her. 4, 16. *falsis criminibus* Tac. A. 4, 31. *fraude et insidiis* Liv. 40, 55.

678. *Sprevistine* me tibi comitem assumere, quae per vitam fui? — *Vocasses* optantis est: utinam vocasses! Sic 8, 643. 11, 162. *Hck. vocasses* vult protasin esse, *tulisset* apodosin. Nihil moror.

679. *Idem dolor* sc. vulneris. — *Tulisset* pro abstulisset cf. 2, 554.

His etiam struxi manibus, patriosque vocavi
Voce deos, sic te ut posita crudelis abessem?
Exstinxsti te meque soror populumque patresque
Sidonios urbemque tuam. Date, volnera lymphis
Abluam et, extremus si quis super halitus errat,
Ore legam. Sic fata gradus evaserat altos
Semianimemque sinu germanam amplexa fovebat
Cum gemitu atque atros siccabat veste cruores.
    Illa, graves oculos conata attollere, rursus
Deficit; infixum stridit sub pectore volnus.
Ter sese attollens cubitoque adnixa levavit;
Ter revoluta toro est, oculisque errantibus alto
Quaesivit caelo lucem ingemuitque reperta.
Tum Iuno omnipotens, longum miserata dolorem
Difficilesque obitus, Irim demisit Olympo,
Quae luctantem animam nexosque resolveret artus.

680. *Patrios vocavi voce deos*, ipsa sacra paravi, quibus tu interires. Cf. v. 504 *ergo iussa facit.*

681. *Te sic posita* i. e. quum tu mortua iaceres cf. 2, 644. — *Crudelem* se vocat Anna quod abfuit; sic *duram* se dicit Iuturna 12, 873 et Sil. 13, 656 *Hei mihi, nam cur ulla fuere adeo, quibus a te saevus abessem, momenta?* Annae sortem narrat Ov. Fast. 3, 523 sq. Sil. 8, 51 sq.

683. *date, vulnera lymphis abluam:* recte Serv.: „Date lymphas, (ut) iis vulnera abluam“. Quid dari velit, omittitur ut 6, 884. Simile Ov. M. 13, 531 *Quid moror interea crudelia volnera lymphis abluere?* Praestat ea explicatio alteri, qua *date vulnera lymphis* hypallage dictum habetur pro *date lymphas vulneribus. Hck.* explicat *date* per lasst mich.

685. *ore legam.* Cf. Ov. M. 12, 423 *Hylonome morientes excipit artus Impositaque manu vulnus fovet oraque ad ora Admovet atque animae fugienti obsistere tentat.* Non est huc trahendus mos ille, quo os admovebant carissimi morientibus, ut extremum eorum spiritum excipere viderentur. Cic. Verr. 5, 45, 118 *Orabant ut filiorum extremum spiritum ore excipere sibi liceret.*

686. *semianimem.* In omnibus vocabulis, cum particula *semi* compositis, vocalis i ante vocalem mutari videtur in consonantem, unde solent scribere *semustus*, *semanimis.* — *Fovebat* si posset reducere animam. Cons. ad Liv. 96 *Frigida nec fovit membra tremente sinu.*

688—705. Iuno dolorem miserata Didonis animam solvit corpore.

688. *Graves oculi* sunt, qui moveri vix possunt morte instante.

689. *Stridit* sanguis e vulnere erumpens. Rem illustrat comparatione Ov. Met. 4, 120 sq. *stridit* M. *stridet* P. Cf. Gr. § 184.

690. *adnixa* M. *innixa* P. „et vulgo in Edd. Sed innititur etiam qui iacet, annititur, qui tentat exsurgere“ *Hu.*

691. *Oculi errant*, qui non possunt certo intendi cf. Val. Fl. 6, 277 *extremus quum lumina corripit error.* Sil. 6, 11 *frustra seminecum quaerentia lumina caelum.*

692. *reperta* M. al. — *repertam* γbc. Sed non lucem gemit, sed quod lucem ultimum videt. Omnes autem, vel qui vitam exosi sunt, ubi ex ea excedendum est, eius moventur dulcedine eamque relinquere quod coguntur dolent. — Confer cum hoc loco, Ovid. Met. 4, 137 sq. Eur. Alc. 203 sq. — Communis erat opinio, qua putabant, iis qui morti destinati essent, desecari a Proserpina crines aliquot; ita certe Graecorum tragici tradiderunt. Cf. Eur. Alc. 74. Macrob. 5, 19. Hor. C. 1, 28, 20 *Nullum saeva caput Proserpina fugit.* Moriens enim est deo quasi victima, ea consecratur pilis inter cornua evulsis et in ignem coniectis cf. 6, 244. Hinc de moriente Stat. Silv. 2, 1, 147 *Iam complexa manu crinem tenet infera Iuno.* At vero quum Dido sua voluntate, antequam fato est tempus constitutum, ad mortem festinaverit, nescit Proserpina; itaque Iuno miserata Didonem Irim mittit, ministram et nuntiam deorum.

695. *animam nexosque resolveret artus* cf. 1, 78. — Corpore autem eiusque iuncturis concluditur quasi anima; cui si excedendum est, aperiantur et resolvantur antea necesse est corporis artus cf. 703.

Nam quia nec fato merita nec morte peribat,
Sed misera ante diem subitoque accensa furore,
Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem
Abstulerat, Stygioque caput damnaverat Orco.
Ergo Iris croceis per caelum roscida pennis,
Mille trahens varios adverso sole colores,
Devolat, et supra caput adstitit: Hunc ego Diti
Sacrum iussa fero, teque isto corpore solvo.
Sic ait, et dextra crinem secat. Omnis et una
Dilapsus calor, atque in ventos vita recessit.

11, 829 et Lucr. 2, 948 *donec materies omnes concussa per artus vitaleis animae nodos e corpore solvit.*

696. *meritus* pass. cf. 3, 118. — Nec fato iam, nec facinore capitali commisso mori meruit Dido. Ea de re disputat Gell. 13, 1.

697. *ante diem* cf. 620.

699. *Caput damnaverat Orco* i. e. devoverat, addixerat cf. 12, 727. Sil. 5, 241 *Quem deus ima colentum damnasset Stygiae nocti*, et 15, 76 *Degeneres tenebris animas damnavit Avernis*, Luc. 6, 413. 641. Hor. C. 3, 3, 22 *Minervae damnatum Ilion.*

700. Iride ap. antiquos caeli arcus signatur; hinc virgo *discolor* est Stat. Theb. 10, 119 et ap. Ov. Met. 1, 270 *Nuntia Iunonis varios induta colores concipit Iris aquas alimentaque nubibus affert.* Omninoque eam ob caussam dicitur *roscida*, quod nunquam est sine pluvia. Adde M. 11, 589.

701. *adversus* cf. 1, 420. — *Trahens* ut 2, 694 *stella facem ducens* i. e. pone sequentem ducens, trahens. Ita Val. Fl. 4, 97 *Sol diem trahit.*

705. *in ventos.* Cf. 11, 617 *vitam dispergit in auras.* Non sine fructu comparabis doctrinam, quam proposuit Vgl. G. 4, 213.

P. VIRGILII MARONIS
AENEIDOS
LIBER QUINTUS.

Interea medium Aeneas iam classe tenebat
Certus iter fluctusque atros aquilone secabat
Moenia respiciens, quae iam infelicis Elissae
Collucent flammis. Quae tantum accenderit ignem
Caussa latet; duri magno sed amore dolores

Iam animus vehementissimis et gravissimis agitatus affectibus relaxatur et reficitur hilari ludorum descriptione. Ludi funebres apud antiquos sollemnes, ludisque et Graeci et Romani maxime delectabantur, quare non mirum est, si descriptos haud minore legebant studio et voluptate. Itaque iam Homerus ornavit ludos in Patrocli funere factos eumque secuti Graeci et Latini, inter quos Vgl. fingendi arte et narrandi suavitate insignis multum vincit eos, qui post eum eadem tentarunt, Silium 16, 249 sq. et Statium Theb. 6; quos cum Homero et Virgilio conferas, ut quantum praestent intelligas imitatoribus suis poetae. Neque Vgl. in his ludis Homerum est imitatus sed morem Romanum depinxit potius; sic iam Scipio Africanus in Hispania certamina edidit in honorem patris et patrui Liv. 28, 21. Ipsa vero ludorum occasio paene ultro se offerre videtur, ubi Aeneas post annum ad Anchisae patris tumulum revertitur. Praeterea quum fabulas, quae de Troianis exstabant, in suam transferre vellet narrationem, summo artificio et Erycis pugilis et navium incensarum et Segestae urbis a Troianis conditae memoriam complexus est.

1—34. Troiani a Carthagine profecti tempestate ad Siciliam appellere coguntur.

1. *Interea*, dum ea geruntur, quae narrantur 4, 584 sqq. *Interea*, quod valet ad narrationem continuandam incipit etiam librum X et XI. — *Iter tenere* idem est quod *cursum tenere* 3, 686. *Medium* autem omne dicitur, quod post initium est cf. 1, 505. 2, 240. 3, 665. Cf. *sermonem medium* 4, 277.

2. *atros aquilone fluctus secabat.* Antiqui observarunt „Austris spirantibus mare fieri glaucum et caeruleum, Aquilonibus obscurius atriusque.“ Gell. 2, 30.

3. *moenia respiciens.* In locum enim magni gaudii magnive doloris testem, praesertim quem inviti reliquimus, abeuntes solemus respicere. Sic ap. Sil. 8, 108 *Respiciens aegerque animi tum regna reliqui vestra.*

4. *collucent flammis.* Dido sive Elissa in ipso rogo se interfecerat, eum postea incensum esse ad cremandum Didonis corpus probabile; quam flammam vident Troiani, qui flante aquilone non poterant esse longe progressi.

5. *magno amore polluto.* Dolores ex eo, quod magnus amor pollutus, laesus est. *Polluitur* enim quod non sincerum et castum sanctumque servatur cf. 2, 686. Amor polluitur, si fallitur fides; ita *pax polluta* dicitur 7, 467. Quamquam amorem falli potius, quam pollui ab Aenea videmus. *Pl.* coni. *abrupto.*

Polluto notumque, furens quid femina possit,
Triste per augurium Teucrorum pectora ducunt.
Ut pelagus tenuere rates, nec iam amplius ulla
Occurrit tellus, maria undique et undique caelum:
Olli caeruleus supra caput adstitit imber,
Noctem hiememque ferens, et inhorruit unda tenebris.
Ipse gubernator puppi Palinurus ab alta:
Heu! quianam tanti cinxerunt aethera nimbi?
Quidve, pater Neptune, paras? Sic deinde locutus
Colligere arma iubet validisque incumbere remis,
Obliquatque sinus in ventum ac talia fatur:
Magnanime Aenea, non, si mihi Iuppiter auctor
Spondeat, hoc sperem Italiam contingere caelo.

6. Enuntiatum, in quo subiectum est *dolores et notum*, ex omni parte recte constructum, habet aliquid novi, quod subiecto continetur id, quod alias indicatur enuntiato causali. Nam usitatius esset dicere: Sed quum duri esse soleant ex polluto amore dolores, notumque sit etc., Troes tristia omnia augurantur. Neque tamen sine exemplo est, quod neutrum participii, ut h. l. *notum*, pro substantivo abstracto positum subiecti loco continet caussam cf. Liv. 1, 53 *ni degeneratum in aliis huic quoque decori offecisset.* 7, 8 *Diu non perlitatum tenuerat dictatorem, ne ante meridiem signum dare posset.* 22, 1. Tac. H. 1, 18 *Observatum id antiquitus comitiis dirimendis non terruit Galbam, quominus in castra pergeret; et* ut h. l. neutrum iunctum aliis substantivis Hist. 2, 82 *Sufficere videbantur adversus Vitellium pars copiarum et dux Mucianus et Vespasiani nomen ac nihil arduum fatis.* Cf. Gr. § 446, An. 4.

7. *Ducunt pectora Teucrorum per augurium*, sc. Carthagini quid factum sit. — *per* cf. 786. — *augurium*, *Ahnung* ap. Cic. Tusc. 1, 15, 35 etc.

8. *Pelagus*, quod poetis in usu est, altum mare signat, oppositum litori proximaeque maris parti cf. 1, 181 *Prospectum late pelago petit. Aequor* et *marmor*, vocabula non minus poetica, pacatum significant mare. *Oceanus* est magnum mare, quod terram amplectitur, *salum* ad litus appulsum, hinc *spumans salum* 2, 209; in *ponto* profundi praevalet significatio.

Versus 8—11 iam 3, 192 sq. lecti sunt paucis verbis mutatis.

12. *Ipse gubernator* qui aliorum animos firmare debebat, in tanto tempestatum periculo deficit animo.

13. *nimbus* cf. 1, 51. — *quianam* Serv. ad 10, 6: „quianam, cur, quare, sermo Ennianus: *quianam legiones caedimus ferro?*“; compositum ad formam *quinam*, *quisnam.* Ita Plaut. Truc. 1, 2, 34 *quianam arbitrare?* Cf. Fest. s. v. qui locum affert Naevii.

14. *Neptune pater* cf. 1, 155. — *sic deinde locutus. Deinde* et *tum*, ut de *sic* notatum est 1, 225, saepius post participia tempus significantia adduntur cf. Cic. Off. 2, 5, 16 *collectis ceteris caussis — deinde comparat.* Ita *tum* 382. 12, 5. (Etiam *tum vero* cf. 720.) *deinde* 2, 391. 8, 481. Hoc autem vocabulum ponitur etiam ante participium ita h. l. et 400. 7, 135, et post relativum ut 1, 195. 3, 609. Additur *deinde* etiam interrogationibus nude prolatis, et indicat iustam interrogandi subesse caussam, quum eum qui interrogatur ex rebus multo aliter quam faciat facere debere sit consentaneum; sic 741. 4, 561. 9, 781. 12, 889. Unde est particula consecutiva, simile nostris *nun*, *denn.* Sic *dehinc* post *postquam* 3, 464.

15. *Colligere arma* i. e. vela; et classis *armari* dicitur 4, 299. Cf. 1, 119. — *Incumbere remis* ita 8, 108. 10, 294. Simile est *insurgere* 189.

16. *Obliquat sinus in ventum*, vela torquet in ventum, quem transverse flantem excipiat; *laviren.* Cf. Lucan. 5, 426 *tortosque rudentes Laxavere sinus et flexo navita cornu Obliquat laevo pede carbasa etc.* Liv. 26, 39 *Aliae ad incertos ventos hinc atque illinc obliqua transferentes vela in altum evectae sunt.* — „Eleganter gubernatorem ostendit ante omnia tentare, quam ad confessionem descendat.“ S.

17. *auctor* „Nec si huius rei auctorem se Iuppiter faciat.“ S.

18. *Sperem* cum infinitivo praesentis cf. 4, 305.

Mutati transversa fremunt et vespere ab atro
Consurgunt venti, atque in nubem cogitur aer.
Nec nos obniti contra nec tendere tantum
Sufficimus. Superat quoniam Fortuna, sequamur,
Quoque vocat, vertamus iter. Nec litora longe
Fida reor fraterna Erycis portusque Sicanos,
Si modo rite memor servata remetior astra.
Tum pius Aeneas: Equidem sic poscere ventos
Iamdudum et frustra cerno te tendere contra.
Flecte viam velis. An sit mihi gratior ulla,
Quove magis fessas optem demittere naves,
Quam quae Dardanium tellus mihi servat Acesten,
Et patris Anchisae gremio complectitur ossa?
Haec ubi dicta, petunt portus, et vela secundi
Intendunt Zephyri; fertur cita gurgite classis,
Et tandem laeti notae advertuntur arenae.
  At procul ex celso miratus vertice montis
Adventum sociasque rates occurrit Acestes,
Horridus in iaculis et pelle Libystidis ursae,
Troia Crimiso conceptum flumine mater

20. *In nubem cogitur aer*, cf. 1, 587.

22. *Sufficere* c. infinitivo cf. 2, 539.

24. *Eryx frater*, cf. 1, 570. — *fida fraterna.* Duo adiectiva inter se componuntur apud Latinos bene, si alterum cum substantivo in unam quasi notionem coit, cui notioni alterum adiectivum subiungitur ut h. l. cf. 11, 775. Sall. Iug. 38 *Cum paucis gregariis militibus transiere.* Cf. Gr. § 369. — *portusque Sicanos.* Sicani enim a Graecis qui postea immigraverant devicti, in occidentale litus recesserunt cf. Thuc. 6, 2.

25. *Si modo rite remetior* astra, quae antea, quum in Siciliam venissemus, observavi. — *Servata* pro observata cf. 154.

27. *iamdudum* cf. 12, 217.

28. *Flecte viam velis*, immuta cursum; ita *flectere iter* 7, 35. „In terra enim a via deflectimus nos, in mari ipsam deflectimus viam." S. Simile 131 et 3, 431 *circumflectere cursus.* — *an* cf. Gr. § 419, 3.

29. *Demittere*, nam quum medium mare altum dicatur, litus inferius esse fingitur. — *dimittere Rb.*

31. *gremio complectitur ossa.* Ita Lucr. 1, 136. 4, 738 *quorum morte obita tellus complectitur ossa.*

32. *Secundi* sunt cursu mutato.

34. *tandem laeti* cf. 3, 131.

35 — 41. Aeneas ab Aceste benigne excipitur.

37. *Horridus* licet iungere cum *in iaculis et pelle*, ut ap. Stat. Theb. 4, 221 *Procul ipse gravi metuendus in hasta Eminet.* Quamquam praestat accipere *horridum* incultum, nullo ornatu comptum, ut legitur 7, 669 et Ov. M. 1, 514 de eo, qui est indutus pellibus. Deinde praepositione accipias indicari id, quo quis vestitur vel circumdatur cf. *in veste* 179. 4, 518. 7, 167. Suet. Vitell. 8 *ut erat in veste domestica.* Cic. Fin. 2, 20, 65 *potans in rosa Thorius* (corollis redimitus roseis). Cf. Tusc. 3, 18. 5, 26. Ita *in armis* 550. 11, 464. Ov. Met. 12, 65. *ibat in armis* 9, 269. 376. *stabat in armis* 581. 11, 173 et Ennius: *levesque sequuntur in hastis.* — *Libystidis ursae* ita 8, 368. Nomina virorum propria saepius adiectivorum vices sustinent cf. 1, 686, sed feminarum etiam ita usurpantur, si femininum satis prodit extrema syllaba, quod fit in patronymicis Graeco more formatis. Ecl. 4, 1 *Sicelides Musae.* G. 4, 463 *Actias Orithyia.* Ov. F. 2, 94 *Ausonis ora.* M. 13, 109 *Pelias hasta.* — Ursos in Africa esse, negat Plin. N. H. 8, 54, qui haec scribit: „Annalibus notatum est M. Pisone M. Messala Css.... Domitium Ahenobarbum, aedilem curulem ursos Numidicos centum ... in circo dedisse. Miror adiectum Numidicos fuisse, quum in Africa ursum non gigni constet." Sed memorant Herod. Strab. Iuv. 4, 99, et in antiqua Mauretania ursos hodie esse sunt qui testentur. Cf. 1, 184. — Acestes venationi deditus erat cf. 300. Fama erat eum natum esse

Quem genuit. Veterum non immemor ille parentum,
Gratatur reduces et gaza laetus agresti
Excipit ac fessos opibus solatur amicis.
  Postera quum primo stellas Oriente fugarat
Clara dies, socios in coetum litore ab omni
Advocat Aeneas tumulique ex aggere fatur:
Dardanidae magni, genus alto a sanguine divom,
Annuus exactis completur mensibus orbis,
Ex quo reliquias divinique ossa parentis
Condidimus terra, maestasque sacravimus aras.
Iamque dies, nisi fallor, adest, quem semper acerbum,
Semper honoratum — sic di voluistis — habebo.
Hunc ego Gaetulis agerem si Syrtibus exsul,
Argolicove mari deprensus et urbe Mycenae,

fluvio Crimiso et Troiana virgine, Hippotis filia, Segesta, quae effugerat, „ne ad cetos religaretur," S. immissum a Neptuno, quem Laomedon fraudaverat. „Quae antiquissima ignotae stirpis deducendae ratio est, ut pater edatur fluvius eius terrae, in qua gens aliqua sedem habuit." *Hn.* Crimisus et Crimissus fluvii nomen, ad quem vicit Timoleon Carthaginienses. Sed *Criniso* est in Mss., et rec. *Rb.*

39. *veterum parentum*, quum e Troia originem ducat.

40. *gaza* cf. 1, 119.

42 — 71. Aeneas indicit ludos funebres in patris honorem.

42. *Oriens* est sol cf. v. 739. — *Stellas fugat*, de caelo deturbat i. e. abscondit, adspectui eripit. Similitudo est a re militari sumpta. Ita *Lucifer statione novissimus exit* vel *claudit agmina stellarum.* Matutinum tempus varie descriptum vide ad 4, 6.

44. *tumuli ex aggere.* De structura cf. 52. Ex aggeribus duces ad milites solebant concionari. *Stanger* eiic. *tumulique* etc.

45. *Dardanidae genus* etc. Dardanus Iovis filius Troiam condidit. Incolae autem urbis a conditore nomen accipiunt, quasi eiusdem sint gentis. Cf. Aeneadae 1, 157.

46. *annuus orbis.* Per partem hiemis apud Didonem commoratus est cf. 4, 52. 193. 309. Quantum temporis ab Anchisae morte usque ad illam tempestatem, qua in Africam delatus est, effluxerit, modo ex hoc loco potest coniici. De orbe annuo cf. 3, 284.

47. *divinique:* De loco particulae *que* cf. 12, 904. — Divinus autem est Anchises, quod vates erat cf. 3, 373. Id testantur iam Naevius et Ennius in scholiis Virgilianis. Naevius: *doctus Anchisa quem Venus pulcerrima divum Fata docet, divinum ut pectus haberet.* Paene idem Ennius ap. Prob. ad E. 6, 31. Vates Anchises est 2, 701. 3, 9. 58. 102. 144. 525. 539. 5, 723. 7, 123. Sed iam hominibus mortuis ubique maiestas est; quare ut Manes et Genii inferni colebantur mortuorum animae, iisque arae dicabantur cf. 4, 458, nec mirum, si post mortem Imperatorum Manes sacris a toto populo placabantur.

48. *aras maestas* cf. 3, 62 — 64.

49. Addit *nisi fallor*, quod diem prope adesse concludit modo e siderum statione, in qua sine arte reconditiore nihil certi potest constitui.

50. *Sic di voluistis.* „Semper enim de diis salva veneratione conqueritur." S.

51. *Hunc ego* festum diem ubicunque agerem, et quacunque conditione uterer, nulla re impedirer, quominus omni celebrarem honore. Cicero etiam dixit *agere annum*, *aetatem* et 10, 235 est *agitare aevum. Gaetulis Syrtibus* cf. 4, 40.

52. *Deprensus* „proprie navigantium est." S. cf. G. 4, 421 *Deprensis olim statio tutissima nautis.* Catull. 25, 12 *Et insolenter aestues, velut minuata magno deprensa navis in mari vesaniente vento.* Hor. C. 2, 16, 1 *Otium divos rogat in patenti prensus Aegaeo.* — *urbe Mycenae.* De Genitivo definitivo cf. Gr. § 254. Sic ap. Vgl. est *urbs Patavi* 1, 247. *Troiae* 565. *Buthroti* 3. 293. — *fons Timavi* 1, 244. *amnis Eridani* 6, 659. *flumen Himellae* 7, 714. *mons Cimini* 7, 697. *Aventini* 8, 231. — *arbor mali* 5, 504. *agger tumuli* 5, 44. 7, 6. *viae* 5, 273. *murorum* 10, 24. *ara sepulcri* 6, 177. — *labor domus* 6, 27. *minae murorum* 1, 168. *morae loricae* 10, 485. *metae*

Annua vota tamen sollemnesque ordine pompas
Exsequerer strueremque suis altaria donis.
Nunc ultro ad cineres ipsius et ossa parentis
Haud equidem sine mente reor sine numine divom
Adsumus et portus delati intramus amicos.
Ergo agite, et laetum cuncti celebremus honorem:
Poscamus ventos; atque haec me sacra quotannis
Urbe velit posita templis sibi ferre dicatis.
Bina boum vobis Troia generatus Acestes
Dat numero capita in naves; adhibete Penates
Et patrios epulis et quos colit hospes Acestes.
Praeterea, si nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit radiisque retexerit orbem,
Prima citae Teucris ponam certamina classis;
Quique pedum cursu valet, et qui viribus audax
Aut iaculo incedit melior levibusque sagittis,

mortis 12, 546. Sic Graecis est *ἕρκος ὀδόντων* Hom. Il. 9, 409 *στεφάνωμα πύργων* Soph. Ant. 122. — *Mycenae.* Quum vulgatum sit *Mycenae*, *arum*, singularem Vgl. fecit *Mycene*, quod Latino more declinavit; ut Ovidius Met. 13, 423 habet *Hecube* et 577 *Hecubae*, Trist. 5, 5, 52 *Penelope*, Met. 13, 511 *Penelopae.* Cf. Gr. § 91. 92, An. 1.

54. *Struere altaria donis*, quum vulgare esset *dona altaribus.* Cf. 6, 229. — *suis* „congruis.“ S. Cf. 3, 493.

55. *Ultro* cf. 12, 1.

56. *mens* i. e. consilium cf. 1, 676. — *numen*, potestas cf. 1, 8.

57. *intramus.* De praesentis vi cf. 4, 228. Sunt qui formam habent contractam ex *intravimus.* Cf. § 10.

58. *Laetum honorem celebremus* aut laetum, gratum Anchisae, aut, quod magis convenit, alacri animo, laetemur quod nobis liceat celebrare.

59. *Poscamus ventos* post sacra facta (quod fit v. 772) sc. ut in Italiam nos ferant, ubi *urbe posita* „constituta, ut 8, 53“ S. quotannis honorem Anchisae sollemnem dare possimus. Itaque, si haeserunt interpretes in ventis commemoratis, difficultatem removebimus fortasse hac sententia accepta: Et nunc et in posterum propitius accipiat honorem, velitque ut sedibus certis et mansuris ferre possimus. Has autem sedes non nisi ventis secundis assequi potuit, quare illud *poscamus ventos* ut rem secundariam, non ut primariam adiecit. Neque huic loco profutura censeo quae de Anchise ventorum deo a viro docto Klaussenio proferuntur; certe etiamsi vera sint, tamen nihil opus fuisse in sacris faciendis ventos commemorare satis apparebit.

62. *Adhibete Penates* ut Hor. C. 4, 5, 32 *Te mensis adhibet deum.* Ov. F. 4, 829 *Quosque pium est adhibere deos, advertite cuncti.* In epulis colite et vestros et Acestis Penates.

64. „Apud maiores ubiubi quis fuisset extinctus, ad domum suam referebatur et illic septem erat diebus, octavo incendebatur, nono sepeliebatur.“ S. sc. apud ditiores cf. Hor. Ep. 17, 47 *neque in sepulcris pauperum prudens anus novemdiales dissipare pulveres.* Apud Romanos instituebatur novemdiale sacrum ad expianda prodigia. Sequuntur etiam epulae funebres et ludi. — *almus dies* cf. 1, 306.

65. *Radiis retegere orbem*, 4, 119.

66. Apud divites Romanos mos erat ludos edere in honorem parentium defunctorum. — *Certamen ponere* etiam G. 2, 530.

68. *aut — seu.* *Aut* positum, quod alia est ars iaculandi et currendi; *iaculo* et *sagittis* per *que* iunctum est, quod utroque eadem ars significatur, iactu velocium sagittarum“ S. cf. 10, 754. Neque enim iaculo certatur sed sagittis. Deinde caestus subiungitur per *seu.* Neque enim certum erat quemquam descensurum in tale periculum, quale affertur caestus certamine. Itaque *sive* et *aut* non sunt opposita, sed his particulis adiungitur sequens enuntiatum priori. Cf. 12, 685 et Gr. § 481, An. 2. *Pl.* quod virium audacia magis caestui quam sagittis conveniat, scribit *audax Se crudo f. p. c. c. Aut arcu i. m. l. s.* Ordo versuum placet, et per *se* pro seu tollitur difficultas quae videtur esse in *aut* et *seu* coniunctis, et *arcu*, quae in *iaculo.* At nascitur nova, ut demonstretur, quo-

Seu crudo fidit pugnam committere caestu,
Cuncti adsint meritaeque exspectent praemia palmae.
Ore favete omnes et cingite tempora ramis.
Sic fatus velat materna tempora myrto.
Hoc Helymus facit, hoc aevi maturus Acestes,
Hoc puer Ascanius, sequitur quos cetera pubes.
Ille e concilio multis cum milibus ibat
Ad tumulum, magna medius comitante caterva.
Hic duo rite mero libans carchesia Baccho
Fundit humi, duo lacte novo, duo sanguine sacro,
Purpureosque iacit flores, ac talia fatur:
Salve, sancte parens, iterum; salvete recepti
Nequidquam cineres, animaeque umbraeque paternae.
Non licuit fines Italos fataliaque arva,
Nec tecum Ausonium, quicunque est, quaerere Thybrim.
Dixerat haec; adytis quum lubricus anguis ab imis
Septem ingens gyros, septena volumina traxit,

modo verba ita composita potuerint in ea, quae in Mss. leguntur, mutari.

70. *Meritae* passive dicitur cf. 3, 118. — *palma* cf. 7, 655.

71. *Ore favete*, *εὐφημεῖτε;* sollemnis in sacris formula, qua male ominatis verbis parcere praecipiebatur. Id vero certissime fiebat, si silebant. — *cingite tempora* Mss. fere omnes. — *tempora cingite* R. et aliquot. Videntur verba esse transposita, quod *ra* iteratum habere putabatur sonum minus dulcem; sed est ră et rā. Cf. 2, 27. 3, 183.

72—103. Anchisae sacrum.

72. In sacris solebant coronari et velari, quae vox in his sollemnis cf. 3, 405. 8, 277. „Festis ludis omnis aetas coronata spectabat." S. Cf. 7, 154. Myrtus Veneri sacra cf. 3, 25. G. 1, 28. Ov. Fast. 4, 15 *Cytheriaca myrtus.*

73. Helymus ante Troiae excidium emigrasse dicebatur et Elymorum genti nomen dedisse Thuc. 6, 2. Dion. 1, 52. „Princeps Troianorum, qui dicitur tres in Sicilia condidisse civitates." S. — *aevi maturus.* De genitivo cf. 1, 14.

77. *Rite* „secundum ritum sacrificii, quod exigebat, ut libaret de mero Baccho. *Carchesia* autem genus poculorum est." S. Cf. G. 4, 380. Ov. Met. 7, 247. — *duo* cf. 3, 63. — *Libare carchesia* cf. 3, 354. De ablativis *Baccho*, *lacte* cf. 3, 618. — De hac libatione cf. 3, 66. — Quid sit ritus 3, 369.

79. „*Purpureosque iacit flores* ad sanguinis imitationem, in quo est sedes animae. Sic in sexto (885): *Purpureos spargam flores.*" S. Flores et serta spargi in sepulcris saepe memorant antiqui cf. E. 5, 40. Cic. pr. Fl. 38. Tib. 2, 4, 58. Suet. Ner. 57. Iuv. 7, 207. Inde apud Stat. Theb. 6, 58 sepulcrum est *picturatus morituris floribus agger.*

80. *Salve*, *Χαῖρε:* venerationis vox, qua numen solet compellari cf. 8, 301 G. 2, 173. Hor. C. 1, 32, 15 *Mihi salve rite vocanti.* Liv. 1, 16 *Deum salvere universi Romulum iubent, pacem precibus exposcunt* (cf. 3, 261), *uti volens propitius suam sospitet progeniem.* *Sanctus* recte dicitur ut mortuus, sic 11, 158. Nos *verklärt.* — Sed deum iam putat esse Anchisen; inde eius sepulcrum dicitur *adytum* 84, et 54. 95 eius memorantur *altaria.* — *recepti* cf. 1, 178. *Nequidquam* ex Troia servatus est Anchises, quum in Italiam non perveniat. — *Pl.* et *Ld.* ita disponunt *S. s. parens; iterum s.* *Salve* iam semel dixerat patri sepulto, quum abiret; nunc *iterum*, quum praeter spem regressus est.

81. *cineres*, *animaeque umbraeque:* „In tria hominem dividit, animam, quae in caelum abit, umbram, quae ad inferos, corpus quod traditur sepulturae." Schol. A. Maii.

85. Serpentes et dracones saepius in sacris apparere dicebantur; cf. 2, 203. Hom. Il. 2, 308; vel dii eam formam induebant, ut Aesculapius apud Ovid. Met. 15, 660 sq. — *septem*, *septena*, *sieben;* cf. 560. Omen autem est de fine errorum, quibus per septem annos detenti erant ut ap. Hom. Il. 1. 1. simile est omen. „Annus enim secundum Aegyptios indicabatur ante inventas litteras picto

Amplexus placide tumulum lapsusque per aras,
Caeruleae cui terga notae maculosus et auro
Squamam incendebat fulgor, ceu nubibus arcus
Mille iacit varios adverso sole colores.
Obstipuit visu Aeneas. Ille agmine longo
Tandem inter pateras et levia pocula serpens
Libavitque dapes rursusque innoxius imo
Successit tumulo et depasta altaria liquit.
Hoc magis inceptos genitori instaurat honores,
Incertus, Geniumne loci famulumne parentis
Esse putet: caedit binas de more bidentes,
Totque sues, totidem nigrantes terga iuvencos;
Vinaque fundebat pateris animamque vocabat
Anchisae magni Manesque Acheronte remissos.
Nec non et socii, quae cuique est copia, laeti
Dona ferunt, onerant aras, mactantque iuvencos;
Ordine aena locant alii, fusique per herbam

dracone caudam suam mordente." S. cf. 3, 284. Utut hoc est, facile poetam his septem gyris annos indicasse apparet.

86. *Per aras* legitur 2, 501. 4, 56 cf. 102. — *Labi* proprium serpentibus cf. 2, 225. *Kl.* v. 86 ponit post 90 quo facto rerum ordo melius procedit.

87. *Fulgor auro incendebat squamam.* Simile Sil. 15, 681 *Et gemmis galeam, clipeumque accenderat auro* et 679 *Ardebat gemma vestis.* Sic 4, 262 *ardet laena murice Tyrio; ardere auro* G. 4, 91. 99. Nos *brennende Farben.*

89. *Iacit colores* M. al. mel. cf. nostrum *Strahlen werfen* et Lucretii *iacere odorem* 2, 845. — *trahit* P. e 4, 701 illatum, huic loco non aptum. — *adverso sole* cf. 1, 420.

90. *agmine* „impetu" S. cf. 211.

92. *Dapes* quod divo Anchisae ponuntur cf. 6, 225. Ad rem cf. Val. Fl. 3, 457 *Libavitque dapes, placidi quas protinus angues, umbrarum famuli, linguis rapuere coruscis.*

94. Visum si quid inexspectatum apparuerat, sacra solebant instaurari cf. 4, 63.

95. *Genius loci* ut 7, 136. „Nullus enim locus sine genio est, qui per anguem plerumque ostenditur." S. Haec autem doctrina ab Etruscis ad Romanos dicitur transisse. — *ne — ne* cf. ad 1, 308. — *famulumne*, nam serpentes famuli deorum habentur et custodes templorum, ita draconem Silius dicit 6, 288 famulum sororum Naiadum. Cf. Val. Fl. 3, 457 ad v. 92 allatum. Hic etiam non ab re erit afferre Ovidii locum, M. 15, 389 ubi Pythagoras: „Sunt qui cum clauso putrefacta est spina sepulcro, mutari credant humanas angue medullas." Cf. Plin. 10, 86 „Anguem ex medulla hominis spinae gigni accepimus a multis."

96. *binas de more bidentes* cf. 8, 544.

97. *Nigrantes*, quod Manibus sacra fiunt. Cf. 3, 118. Intelliguntur autem his verbis *Suovetaurilia*, quibus more Romano lustrabatur. Cf. Varr. RR. 2, 1: „Populus Romanus quum lustratur suovetaurilibus, circumaguntur verres, aries, taurus." Cf. Dion. 4, 22 *Καθαρμὸν αὐτῶν* i. e. totius populi per ordines dispositi militares *ἐποιήσατο* rex Tullius *ταύρῳ καὶ κριῷ καὶ τράγῳ· τὰ δὲ ἱερεῖα ταῦτα τρὶς περιαχθῆναι περὶ τὸ στρατόπεδον κελεύσας ἔθυε τῷ κατέχοντι τὸ πεδίον Ἄρει* etc. Adde Liv. 1, 44. Tac. A. 6, 37. H. 4, 53.

99. *Acheronte remissos.* Credebant enim antiqui animas ex inferis acciri posse; simul sacrificiis deos ipsos interesse, quibus fiebant; itaque Manes etiam intersunt suis sacris. Cf. 81.

100. *nec non et.* Saepe ita apud poetas iunctae particulae cf. 1, 707. 748. 3, 352. 4, 140. 6. 595. 7, 521. 8, 461 etc. G. 1, 212. Ov. M. 1, 613 et scriptores recentiores cf. Hand 4, 111 sq.

101. *Dona*, cf. ad 6, 224. — *onerant* cf. G. 4, 378 *pars epulis onerant mensas.* — Postremo laetae epulae parantur; cf. ad 1, 210, ubi similis apparatus describitur.

102. *Per* locum signat, quo est, simulque eius ambitum et longitudinem, per quam quid extenditur cf. *per aras* 86. *Mittimus per amplum Elisium* 6, 743. 2, 249 *Delubra per urbem velamus.* —

Subiiciunt veribus prunas et viscera torrent.
Exspectata dies aderat, nonamque serena
Auroram Phaethontis equi iam luce vehebant,
Famaque finitimos et clari nomen Acestae
Excierat: laeto complebant litora coetu,
Visuri Aeneadas, pars et certare parati.
Munera principio ante oculos circoque locantur
In medio, sacri tripodes, viridesque coronae,
Et palmae, pretium victoribus, armaque, et ostro
Perfusae vestes, argenti aurique talentum;
Et tuba commissos medio canit aggere ludos.
Prima pares ineunt gravibus certamina remis
Quattuor ex omni delectae classe carinae.
Velocem Mnestheus agit acri remige Pristim,
Mox Italus Mnestheus, genus a quo nomine Memmi;

lacuit per antrum 3, 631. *Sus per silvam procubuit* 8, 82. *Di quibus est tutela per agros* Prop. 3, 11, 41. — Inter *per herbam* quod legitur 1, 214. 3, 236. 7, 109. 9, 164. 316, et *per herbas* quod est 3, 221. G. 3, 162, hoc interest, quod pluralis solet praeferri, si singularum plantarum magis innuitur notio; itaque recte dicuntur armenta pasci per herbas, quas devorant; homines iacere per herbam. Cf. Gr. § 351, 1.

103. *veribus* cf. ad 1, 212.

104—285. Navium certamen.

105. Phaethontis equi sunt Solis, sive Phaethontem filium Solis intelligis cf. Ov. M. 2, 1 sq., qui unum diem equos rexit, sive ipsum solem, ut apud Homerum et Hesiodum est Ἥλιος φαέθων, lucens. Sic Val. Fl. 3, 213 Phaethon pro Sole dicitur. Omnino autem e deorum epithetis antiqui saepe fecerunt filios et heroas, cf. 12, 401.

107. *complebant* M. rec. *Wg. Ld.* *complerant* Pγ. rec. *Rb.*

108. *Visuri Aeneadas;* vide quanta sit in his laus Troianorum. — *pars* — *parati* cf. Gr. § 235, c.

110. *Sacri tripodes*, quorum in sacris usus esset, saepe etiam praemia dabantur cf. 9, 265. Hor. C. 4, 8, 4 *Donarem tripodas*, *praemia fortium Graiorum.*

112. *talentum*, MPγ., defenditur, quod unum auri, unum argenti talentum proponitur. — *talenta* FR. prob. *Rb.* facile potuit inferri et quod alias legitur *a. a. talenta* 9, 265. 10, 526. 531, et quod pluralis desiderabatur, quum duo essent, et res reliquae plurali proferebantur.

113. *Tuba* „Romano more, sicut hodieque videmus omnibus ludis funebribus." S. cf. Plin. Ep. 2, 7 „Nunquam tubarum sonum nisi in spectaculis audierunt." Hunc morem Romanum Vgl. ad Troiana tempora transtulit cf. 2, 313. — *Ludos committere* habes ap. Cic. ad. Q. Fr. 3, 4. Fin. 3, 2. *Commissos* propria perfecti vi dictum est, ut ubique cf. Gr. § 444, An. 2. — Apud Homerum plurimis verbis describitur certamen curruum, eorum enim in bello Troiano praecipuus usus; Vgl. autem eos qui plures iam annos mari iactati erant recte instituit navibus certantes, currus vero equosque habere vix poterant Troiani, neque habebant cf. 573.

114. *Pares* celeritate eliguntur, quum de navigandi peritia sit certamen, non de praestantia navium. — „Punico bello primum naumachiam ad exercitium instituere Romani coeperunt." S.

116. *Pristim* Nonius et Mss. FR. — *Pristin* M. Latinam terminationem in his dicitur Vgl. praetulisse; quamquam eius rei difficilis est quaestio. — Navibus etiam antiquorum singulis singula erant nomina ab imaginibus quae in navibus erant, (παράσημα, *insigne* Tac. An. 6, 34) quae solebant esse bestiarum et monstrorum; ita h. l. Pristis, Centaurus, Chimaera, Scylla. — Diversus est deus tutelaris cf. 3, 527. Praeterea etiam totae naves coloribus pingebantur Sen. Ep. 76.

117. *Mox Italus* „subaudis *futurus*. Ipse enim familiam Memmiorum constituit (a μνησθῆναι. meminisse). Et bene laudat familias nobilium. Nam a Sergio Sergia familia fuit, a Cloantho Cluentia, a Gya Gegania." S. — Geganii inter Albanorum principes Romae in patricios recepti sunt Liv. 1, 30. Huius gentis ultimis reipublicae temporibus non fit mentio, quare Vgl. etiam h. l. non memorat. — Etiam Iuvenalis tempore a Tro-

Ingentemque Gyas ingenti mole Chimaeram,
Urbis opus, triplici pubes quam Dardana versu
Impellunt, terno consurgunt ordine remi;
Sergestusque, domus tenet a quo Sergia nomen,
Centauro invehitur magna; Scyllaque Cloanthus
Caerulea, genus unde tibi, Romane Cluenti.
Est procul in pelago saxum spumantia contra
Litora, quod tumidis submersum tunditur olim
Fluctibus, hiberni condunt ubi sidera Cori;
Tranquillo silet, immotaque attollitur unda
Campus et apricis statio gratissima mergis.
Hic viridem Aeneas frondenti ex ilice metam
Constituit signum nautis pater, unde reverti
Scirent et longos ubi circumflectere cursus:
Tum loca sorte legunt; ipsique in puppibus auro
Ductores longe effulgent ostroque decori;
Cetera populea velatur fronde iuventus
Nudatosque humeros oleo perfusa nitescit.
Considunt transtris, intentaque brachia remis;
Intenti exspectant signum, exsultantiaque haurit
Corda pavor pulsans laudumque arrecta cupido.

ianis Romanae gentes originem ducebant Iuv. 1, 99.

118. Duplicato adiectivo magnitudo navis extollitur.

119. *Urbis opus* i. e. „tam magnam ut urbem putares." S. Cf. Cic. Verr. 5, 34 „*Quae* (navis) *si in praedonum pugna versaretur, urbis instar habere inter illos piraticos myoparones videretur.*" — *Triplici versu*, „omnes enim triremes fuerunt." S.

120. „*T. c. o. r.* quum mera sit antecedentium interpretatio, vereor ut poeta scripserit" *Rb.*

122. *Centauro magna* cf. Gr. § 66, e.

123. *unde*, a quo cf. 8, 71.

124. *procul* cf. 10, 835.

125. *Olim* cf. 1, 203, significat *alio aliquo tempore*, inde est *interdum*, et saepius locum habet in comparationibus cf. 8, 391. Confer nostrum *sonst*, quod eadem significatione cum praesenti iungitur. Ita *quondam* cf. 2, 367. — *Tunditur* et *silet; tumidis fluctibus* et *immota unda*, *submersum* et *attollitur* opponuntur.

127. *tranquillo*, abl. abs. Ita solum adiectivum raro quidem, sed aliquando tamen ponitur, cf. Gr. § 451.

128. *Campus* „saxi latitudo" S. qui quum paululum modo ex mari exsurgeret, opus erat signo altiore.

129. *Ilice* „haec enim arbor in tutela Iovis est." S.

131. *Circumflectere.* „Bene uno sermone et profectionem complexus est et reversionem." S. Simile 3, 430.

132. *sorte.* In eadem quidem linea statuuntur; interest tamen, si longius aut arctius flectendum est. Ita Hom. Il. 23, 352.

133. *Ductores* sunt „domini navium, non gubernatores." S.

134. *Populea fronde* ornantur, „quia ludi funebres sunt et haec arbor ab Hercule ab inferis allata est, quum canem Cerberum extraheret." S.

136. *Intentaque* sc. sunt. Repetita voce *intentus* summa alacritas indicatur, qua signum exspectant, ut iam brachiis admotis remos teneant, statim impulsuri dato signo. *Pl.* in repetito *intentus* haerens coni. *attoniti exsp. (!)*

137. *Intenti exspectant*, non intente exspectant. Sic 5, 387 *gravis castigat.* 1, 515 *avidi ardebant.* 2, 53 *insonuere cavae cavernae* et 680 *subitum oritur monstrum.* 4, 573 *praecipites vigilate viri.* 10, 788 *fervidus instat*, al. Non mutatur haec ratio, si accedit obiectum, ut 2, 1 *intenti ora tenebant.* 8, 520 *defixi ora tenebant*, cf. Gr. § 367, 6.

138. Cf. G. 3, 105 *Quum spes arrectae iuvenum exsultantiaque haurit corda pavor pulsans.* Hom. Il. 23, 370 *πάτασσε δὲ θυμὸς ἑκάστου νίκης ἱεμένων.*

Inde, ubi clara dedit sonitum tuba, finibus omnes,
Haud mora, prosiluere suis; ferit aethera clamor
Nauticus, adductis spumant freta versa lacertis.
Infindunt pariter sulcos, totumque dehiscit
Convolsum remis rostrisque tridentibus aequor.
Non tam praecipites biiugo certamine campum
Corripuere ruuntque effusi carcere currus,
Nec sic immissis aurigae undantia lora
Concussere iugis pronique in verbera pendent.
Tum plausu fremituque virum studiisque faventum
Consonat omne nemus, vocemque inclusa volutant
Litora; pulsati colles clamore resultant.
Effugit ante alios primisque elabitur undis
Turbam inter fremitumque Gyas; quem deinde Cloanthus
Consequitur, melior remis; sed pondere pinus
Tarda tenet. Post hos aequo discrimine Pristis

139. *sonitum dedit* cf. 2, 698.

140. *Finibus*, e carceribus et ex loco, qui unicuique erat definitus. Hanc lectionem, in Mss. omnibus traditam, ineptam iudicavit *Pl.* et scripsit *tuba*, *sedibus omnes* sc. nautae *Haud mora prosiluere suis*. Negat autem *prosilire* posse dici naves, quod verbum si premimus, recte dicit, sed id ipsum ineptum est. *Funibus* coni. *Rb.* docetque exemplis, quod notum est, funibus naves alligari. Naves igitur, quae ordine positae sunt, ut dato signo excurrant, funibus alligantur! — *Clamor nauticus* invicem se exhortantium cf. 3, 128.

141. *Versa* a voce verrere cf. 3, 290.

143. *rostrisque tridentibus*. Idem v. 8, 690. Tridentibus, trifidis rostris ornatas naves habebant antiqui cf. Val. Fl. 1, 688 *Volat immissis cava pinus habenis*, *Infinditque solum et spumas vomit aere tridenti*. — *Stridentibus*, quod est in Mss. aliquot, metro improbatur.

144. *campum corripere* cf. 1, 418.

145. *Carcere* post Ennium ap. Cic. Div. 1, 48 pro plurali dictum, qui in prosa locum habet; secutus est Ov. Her. 18, 166. — Concutiunt lora in tergis equorum, ut incitent, simul proiecto corpore verbera infligunt. Habes aurigas omni modo et studio equos incitantes.

146. *Undantia lora* ita 12, 471. — *nec sic* cf. 2, 496.

147. *In verbera pendent* i. e. ut verbera dent cf. 10, 586 *Lucagus et prono pendens in verbera telo*. Sil. 8, 283 *pendens in verbera*. — *Verbera* autem etiam remorum dicuntur; *Ruderschlag* cf. Ov. M. 3, 662 *illi remorum in verbere perstant*. Lucanus autem ausus est dicere 3, 536 *Praetoria puppis verberibus senis agitur* i. e. sex remorum ordinibus instructa est, et Sil. 11, 492 *Centeno fractus spumabat verbere pontus*.

148. Studia faventium produnt se plausu fremituque. Applaudunt et acclamant proximi qui vident excurrentes; deinde iterum proximi, qui clamore excitati sunt ad spectandum iamque eos conspiciunt, et sic per totum litus, ut ipsa litora vocem volutare dicantur.

149. *vocem volutare* cf. 1, 725.

150. Simile 8, 305 *Consonat omne nemus strepitu collesque resultant*; moventur quasi strepitu. Amplificat Claudianus formulam in Probini et Ol. cons. 174 *Colles canoris plausibus impulsi septena voce resultant*. Tac. A. 1, 65 *Quum barbari laeto cantu aut truci sonore ... resultantes saltus complerent*. Avien. descr. terr. 182 *Gemitu loca cuncta resultant*; qui etiam *persultare* habet: *Nullis pecorum balatibus agri persultant* 938. *Arva canoris persultant cycnis* 997. Calp. Sic. E. 1, 28 *Nihil armentale resultat*.

151. *Effugit* de celeri cursu dicitur. Cf. 1, 317. Primus Gyas (Chimaera) est, secundus Cloanthus (Scylla) navis mole moratus; eum pari intervallo sequuntur Pristis (Mnestheus) et Centaurus (Sergestus), quae contendunt altera alteram vincere et prior evadere, ut iam altera, iam altera superior sit, iam pares sint, ita ut proris aequatis navigent.

154. *Tarda tenet*, retinet. Antiqui enim verbis simplicibus latiore sed minus

Centaurusque locum tendunt superare priorem.
Et nunc Pristis habet, nunc victam praeterit ingens
Centaurus, nunc una ambae iunctisque feruntur
Frontibus et longa sulcant vada salsa carina.
Iamque propinquabant scopulo metamque tenebant,
Quum princeps medioque Gyas in gurgite victor
Rectorem navis compellat voce Menoeten:
Quo tantum mihi dexter abis? huc dirige gressum,
Litus ama et laevas stringat sine palmula cautes;
Altum alii teneant. Dixit. Sed caeca Menoetes
Saxa timens, proram pelagi detorquet ad undas.
Quo diversus abis? iterum: Pete saxa, Menoete!
Cum clamore Gyas revocabat, et ecce Cloanthum
Respicit instantem tergo et propiora tenentem.
Ille inter navemque Gyae scopulosque sonantes
Radit iter laevum interior, subitoque priorem
Praeterit et metis tenet aequora tuta relictis.
Tum vero exarsit iuveni dolor ossibus ingens,
Nec lacrimis caruere genae, segnemque Menoeten

distincta significatione utebantur; postea peculiaribus relationibus singulare aliquod compositum aptabatur; unde factum est, ut sensim ipsum simplex ea vi non usurparetur. Itaque iam Seneca queritur (Ep. 58.), quod multis simplicibus quae antea trita fuerint, uti non liceat. Poetae autem, qui ad augendam et gravitatem et copiam tum revocabant antiqua, tum minus usitata retinebant, usi sunt saepe simplicibus, quae soluta oratio vitat, ipsa brevitate fortioribus. Idque iure suo quodam fecerunt; simplici enim eadem necesse est insit significatio, quae composito fit magis perspicua.

156. *Habet* sc. locum priorem.

157. *Una* et ad *feruntur* et ad *sulcant* referas.

158. *longa carina* ut 10, 197 *et longa sulcat maria alta carina*. *Pl.* pro *carina* coni. *lacuna*.

159. *Scopulus* idem, qui est meta. Meta enim in extremo circo ea erat columna, quam circum flectere debebant currus. Ita h. l. iam ad eum scopulum, ubi vertere debebant naves, pervenerant cf. 124. Ibi Menoetes, Chimaerae gubernator, quod prope scopulum obscura saxa timet, longiore circuitu navigans Scyllae locum dat, ut inter ipsam Chimaeram et scopulum breviore via evadat in mare apertum et tutum.

162. *dexter*, *so weit rechts ab.* De structura *dexter abis* et *diversus abis* 166, et 11, 855. Cf. 4, 22. Solebant autem laeva currus metam circumflectere, quod ita usitatum erat, ut Servius ad 10, 695 *cludit gyro interior* explicet: „sinisterior scilicet breviore circulo“; qui quo propior ad metam fit, eo est brevior. Is mos ex eo natus videtur, quod dextra flagellum, sinistra lora tenentur. — *Dirige gressum*, quod etiam 1, 401. 11, 855 legitur, est M1PRγ *cursum* M2, quod est usitatius, *derige* coni. *Rb.*

163. *Litus ama*, cupide tene, serva cf. Hor. C. 1, 25, 3 *amatque ianua limen* i. e. adhaeret limini. *laevas* dat *Wg.* *laeva Rb. Ld.* *Laeva* dicitur esse in MPγb *laevas* in Rγ2b2c; quae librorum diversitas fere nulla est. Scriptum enim antiquitus LAEVASTRINGAT. Laeva opponeretur dextrae, quod ineptum; melius tene litus quod laevum.

164. *Caeca saxa*, latentia cf. 6, 715.

165. Vides *pelagus* et *altum* idem esse cf. 8.

167. *revocabat* ecce *R.* probat Fleckeisen, ut longa sit syllaba extrema cf. 364 et Gr. § 56.

168. *Propiora* sc. scopulo loca. Cloanthus inter saxum et Chimaeram propiore via in altum evadit.

170. *Priorem*, navem Chimaeram. — *interior* cf. 162. — *radit* cf. Prop. 3, 2, 23 *Alter remus aquas, alter tibi radat arenas.*

171. *Tuta*, ubi iam nulla saxa vel aliud periculum timendum erat. — Ira etiam lacrimas potest movere maxime in infantibus omninoque, quando imbecillitatem sentit suam is, qui, quod adversum accidit, in melius non potest convertere.

Oblitus decorisque sui sociumque salutis
In mare praecipitem puppi deturbat ab alta;
Ipse gubernaclo rector subit, ipse magister,
Hortaturque viros, clavumque ad litora torquet.
At gravis, ut fundo vix tandem redditus imo est
Iam senior madidaque fluens in veste Menoetes,
Summa petit scopuli, siccaque in rupe resedit.
Illum et labentem Teucri et risere natantem,
Et salsos rident revomentem pectore fluctus.
Hic laeta extremis spes est accensa duobus,
Sergesto Mnestheique, Gyan superare morantem.
Sergestus capit ante locum, scopuloque propinquat,
Nec tota tamen ille prior praeeunte carina;
Parte prior; partem rostro premit aemula Pristis.
At media socios incedens nave per ipsos
Hortatur Mnestheus: Nunc, nunc insurgite remis,
Hectorei socii, Troiae quos sorte suprema
Delegi comites; nunc illas promite vires,
Nunc animos, quibus in Gaetulis Syrtibus usi
Ionioque mari Maleaeque sequacibus undis.
Non iam prima peto Mnestheus, neque vincere certo;
Quamquam o! — sed superent, quibus hoc, Neptune, dedisti;
Extremos pudeat rediisse: hoc vincite cives,

174. *Oblitus decoris sui* est, cui turpe est tam graviter irasci et manus iniicere seni; nec cogitat se imparem gubernaculo omnes socios ire perditum.

177. *Litora*, scopulum, qui erat meta.

178. *vix tandem redditus.* Longum erat tempus, antequam emersit.

179. *fluens in veste* cf. 37.

182. *Pl.* „Inter *lapsum* et *vomitionem* non tantum temporis (!) intercessit, ut antea *riserint* et nunc *riderent*. Pro *rident* mallem *tremulo*.“ Id est nodum in scirpo quaerere et turbare narrationem lepidissimam.

184. De dativo *Mnesthei* cf. § 10. — *Gyan morantem* gubernandi imperitia. — *Spes* est *superare* cf. 638 et 4, 305.

185. *Nck. antelocum* hyphen putat esse. Est autem ante capit locum quam Mnestheus.

187. *partem* M. *partim* videntur Mss. dare plures. Sed haec forma dudum in adverbium abiit. Quod docet Gell. 10, 13.

189. *Insurgite remis*, omni vi incumbite. Sic 3, 207. 560. „Exsurgentes fortius remigamus.“ S. Luc. 3, 543 *In transtra cadunt et remis pectora pulsant.* Val. Fl. 2, 13 *Vela legunt, remis insurgitur.* Qui vidit remiges in mari remos propellentes, quid sit *insurgere* intelligit.

190. *Hectorei socii* i. e. Hectoris. Sunt igitur fortissimi. Cf. 2, 584.

191. In exhortationibus militum ubique laudes rerum gestarum adduntur.

192. *Syrtes Gaetulae* ut 51. *usi* sc. estis cf. 362.

193. *Malea* erat Laconiae promontorium, naufragiis infame; inde proverbium: *Μαλέας δὲ κάμψας ἐπιλάθου τῶν οἴκαδε.* — *Sequaces undae* et *flammae sequaces* 8, 432 sunt quae nimio impetu sequuntur, ubi unda undam propellit, quod fit maxime turbato mari, navique est periculosissimum cf. Gr. § 210, 1.

194. *Mnestheus* erat post Aeneam fortissimus Troianorum cf. 9, 171. 306. 779 etc. Cum indignatione nomen addit, cf. 1, 49. Ego, tanti nominis qui sum, iam contentus ero, si invictus abiero. Invitus tamen cedit; quare addit: *quamquam o!* sed suppressa voce statim subiungit: *sed superent*, addit tamen quibus se ipse consolatur: *quibus hoc N. dedisti;* non igitur sua virtute, sed dei auxilio me vincunt.

195. *Quamquam o* sic 11, 415 (in simili Turni oratione).

196. *rediisse.* De forma cf. 3, 603. — *Hoc* noli iungere cum *nefas* cf. Sil. 4, 432 *primum hoc vincat servasse parentem.*

Et prohibete nefas. Olli certamine summo
Procumbunt; vastis tremit ictibus aerea puppis,
Subtrahiturque solum; tum creber anhelitus artus
Aridaque ora quatit; sudor fluit undique rivis.
Attulit ipse viris optatum casus honorem.
Namque furens animi dum proram ad saxa suburguet
Interior spatioque subit Sergestus iniquo,
Infelix saxis in procurrentibus haesit.
Concussae cautes, et acuto in murice remi
Obnixi crepuere, inlisaque prora pependit.
Consurgunt nautae et magno clamore morantur,
Ferratasque trudes et acuta cuspide contos
Expediunt fractosque legunt in gurgite remos.
At laetus Mnestheus, successuque acrior ipso,
Agmine remorum celeri ventisque vocatis
Prona petit maria et pelago decurrit aperto.
Qualis spelunca subito commota columba,
Cui domus et dulces latebroso in pumice nidi,
Fertur in arva volans plausumque exterrita pennis

197. *Prohibete nefas;* ita Ov. M. 10, 323. Stat. Theb. 6, 181 *Hoc prohibete nefas.* Sil. 2, 373 *Di procul o prohibete nefas.* 4, 415 *Hoc arcete nefas.* Sed *nefas* nimis acerbe dixit, quasi sit peccatum in deum Anchisen vinci in certamine, quod in eius honorem instituitur.

198. Navium rostra plerumque trifida (cf. v. 143. 8, 69. Inde rostrum dicitur aes tridens Val. Fl. 1, 689) aere obducebantur, inde memorantur aeratae naves 1, 35. 8, 675. 9, 121. 10, 214. 11, 329. G. 3, 29. Hor. C. 2, 16, 21. Caes. BC. 2, 3.

199. *Solum* navis est mare; quod subtrahi videtur, quum navis celeriter percurrit.

200. *Fluit rivis*, *in Strömen*, „more rivorum, ac si rivatim diceret.“ S.

201. *optatum h.* Quicunque enim certat, optat victoriam eiusque decus.

203. *interior*, cf. 162. — *Iniquo* est ob saxa periculoso et pernicioso. Similiter 11, 531 *silvae iniquae* sunt saltuosae et iugosae.

204. *in saxis in mare procurrentibus* a scopulo magno, qui meta erat. Saxa probabile est subter aquam fuisse, quae prudens vitaturus erat Menoetes. *Procurrere.* Nos *springt vor.* Sic Ov. F. 4, 419 *Terra tribus scopulis vastum procurrit in aequor.* Pl. Ep. 6, 20 *Miseni quod procurrit.*

205. *Murex* „cochlea est in dorso fastigata instar acuti saxi ita, ut torno acuminata videatur. Ab hac muricis conchylii similitudine vocavit acumen saxi eminens et asperum, cui remi et verberando impacti dissiliere.“ *Tb.* Ita ap. Sil. 17, 281 *Increpuere ictu prorae, tum murice acuto dissiliens sonuit rupta compage carina.*

207. *Morantur*, haerent, *magno clamore:* Ubi sentiunt se scopulis appulsos, statim, ut solet, vel sine consilio clamores edunt.

208. *Trudes* „sunt perdicae robustae, quibus vado inhaerens navis impellitur, aut alia moles iners promovetur.“ Cf. Tac. A. 3, 46. *Tb.* Alii *sudes* intulere, notius vocabulum. — *Conti* sunt acuminati, quibus capiuntur remi.

211. *agmine remorum: Agmen* de ipso motu dicitur 90 et 2, 212. Sall. Iug. 45 *ne miles gregarius in castris, neve in agmine, auf dem Marsche, servum aut iumentum haberet.* Et alii scriptores. Inde *agmen* dicitur de exercitu, qui est in itinere 8, 595, de fluvio 2, 782. — *ventis vocatis* in auxilium cf. 8, 707.

212. *Prona* sunt, in quibus pronus et celer est cursus. — *Apertum pelagus* dicitur ut *patens* G. 2, 42; sic nos *offene See*, non impeditum scopulis. *Caelum apertum*, nubibus non coopertum dicit 1, 155, et in quo nihil impedit cf. 1, 394. Sic campus apertus est *offenes Feld* 9, 28. — *Decurrit* vel cum accusativo iunctum est ap. Cat. Epith. 6 *Ausi sunt vada salsa decurrere puppi* et audacius G. 2, 39 *inceptum decurre laborem*, quo loco navigandi labor signatur.

214. *pumex* cf. 12, 587.

Dat tecto ingentem, mox aere lapsa quieto
Radit iter liquidum celeres neque commovet alas:
Sic Mnestheus, sic ipsa fuga secat ultima Pristis
Aequora, sic illam fert impetus ipse volantem.
Et primum in scopulo luctantem deserit alto
Sergestum brevibusque vadis frustraque vocantem
Auxilia et fractis discentem currere remis.
Inde Gyan ipsamque ingenti mole Chimaeram
Consequitur; cedit, quoniam spoliata magistro est.
Solus iamque ipso superest in fine Cloanthus,
Quem petit, et summis adnixus viribus urguet.
Tum vero ingeminat clamor, cunctique sequentem
Instigant studiis, resonatque fragoribus aether.
Hi proprium decus et partum indignantur honorem
Ni teneant, vitamque volunt pro laude pacisci:
Hos successus alit; possunt, quia posse videntur.
Et fors aequatis cepissent praemia rostris,
Ni palmas ponto tendens utrasque Cloanthus
Fudissetque preces divosque in vota vocasset:
Di, quibus imperium est pelagi, quorum aequora curro,

217. Dulcis et venusta comparatio cum celeritate columbae exterritae, quae quum incipit volare, dat ingentem strepitum, inde ita quieta volat, ut non videatur movere alas, etsi celerrime volat; est id quod dicitur *paribus alis volare* 4, 252. Ita Mnesthei navis quum remis et velis summo labore incitata in cursu esset, ita pergit volare remigibus vel minus intentis. Cf. Cic. de or. 1, 33, 153: „Concitato navigio, quum remiges inhibuerunt, retinet tamen ipsa navis motum et cursum suum, intermisso impetu cursuque remorum.“

220. *Scopulus* idem qui 204.

221. *frustra:* Nemo enim certantium aemulum adiuvat. — *brevibus vadis;* ita *brevia* 1, 111.

222. *discentem;* qui coactus est navigare fractis remis.

224. *cedit*, praeteriri se sinit. — *spoliata magistro* cf. 175.

225. *ipso in fine* totius cursus.

226. *urguet*, quum proxime succedat.

227. *ingeminat* cf. 1, 104. — Spectatores solent ei favere, qui subito et insperato, resumptis viribus anteriores in eo est ut superet; amant enim in certamine vicissitudines, quibus maiores excitantur certantium contentiones, quod ipsum spectatorum est oblectamentum.

229. *Indignantur*, nisi obtineant honorem, quem iam proprium, suum cf. 1, 73. et partum putabant. — *indignantur, ni* cf. 9, 805.

230. *vitamque pacisci.* Volunt inire pactionem, qua laudem ut consequantur vita sit danda. Ita 9, 206 *vita emere honorem.* 12, 49 *letumque sinas pro laude pacisci*, eadem sententia, qua hic est locus (ut ap. nos *Lebens-* et *Todesstrafe* de eadem re) sed mutata verbi significatione; ut *mutare aliquid aliqua re* est et *eintauschen* et *austauschen.* Cf. 6, 229.

232. *Fors* adverb. cf. 11, 50. — *aequatis rostris:* una fortasse ad finem pervenissent, ita ut alterum alteri non antecederet rostrum.

233. *ponto* dat. cf. 451. Ad marinos deos qui precabantur, manus ad mare porrigebant cf. Hom. Il. 1, 351. Pind. Ol. 1, 71. 5, 58. Adde 3, 176. — *Palmae* sunt manus supinae sic 1, 94. 2, 153. 9, 16. — *palmas utrasque;* pluralis pro singulari ut 6, 685. et *utraque tempora* 5, 855. Cf. Gr. § 387, 2.

234. *Divos in vota vocare* ut 514. 7, 471 est advocare et invocare deos, ut vota audire velint. Contra *votis vocare* est votis prolatis invocare, ut pro pacto votis praemio auxilium praestent. Cf. 1, 290.

235. *imperium pelagi*, ut (6, 264) *Dii quibus imperium est animarum.*“ S. — *Aequora curro* ut 3, 191. De accusativo viae, qua itur cf. Gr. § 294, 2. Sic *ire viam* 4, 468. 6, 122. *ire iter* G. 4, 208. (*redire iter* Cic. Mur. 12, 26). *vehi maria* 1, 524. *navigare aequor* 1,

Vobis laetus ego hoc candentem in litore taurum
Constituam ante aras, voti reus, extaque salsos
Porriciam in fluctus et vina liquentia fundam.
Dixit, eumque imis sub fluctibus audiit omnis
Nereidum Phorcique chorus Panopeaque virgo,
Et pater ipse manu magna Portunus euntem
Impulit. Illa Noto citius volucrique sagitta
Ad terram fugit, et portu se condidit alto.
Tum satus Anchisa, cunctis ex more vocatis,
Victorem magna praeconis voce Cloanthum
Declarat, viridique advelat tempora lauro;
Muneraque in naves ternos optare iuvencos
Vinaque et argenti magnum dat ferre talentum.
Ipsis praecipuos ductoribus addit honores:
Victori chlamydem auratam, quam plurima circum

67. Huc etiam pertinet 6, 369 *innare flumen*, 7, 580 *insultare nemora thiasis; errare terras* cf. 3, 690.

236. *Neptuno* cf. 3, 118.

237. *constituam.* Hostia dicitur ad aram *constitui* 6, 243 *statui* 9, 627 *sisti* 8, 85. Neque enim invitam admovere aris licebat hostiam; sed ipsa stare debebat ad aram, ut a numine volenti accipi sacrum putaretur. — *Voti reus*, „haec vox propria sacrorum est, ut *reus* vocetur, qui suscepto voto se numinibus obligat, *damnatus* autem, qui promissa vota non solvit.“ Macr. Sat. 3, 2. Dicuntur etiam *vota deberi* et *solvi.* — Omnia enim in hanc rem possunt ex iure transferri vocabula, quae in pactis conventis recte adhibentur. *Votum* enim est pactum, quod solvere damnatus est homo, si deus praestitit suum; itaque deus *damnat votis*, (Ecl. 5, 80) qui vota exaudiit; *civitas damnata voti est*, quae nondum solvit Liv. 5, 25. — *voti reus* Stat. Theb. 6, 198.

238. *Porriciam* M2 „et ex disciplina haruspicum et ex praecepto pontificum verbum hoc sollemne sacrificantibus est; sicut Veranius ex primo libro Pictoris ita dissertationem huius verbi exsecutus est: *Exta porriciunto, diis danto in altaria, aramve, focumve, eove, quo exta dari debebunt. Porricere* ergo non proiicere proprium sacrificii verbum est.“ Macr. Sat. 3, 2. Cf. Liv. 29, 27: „Secundam eas preces cruda exta victimae, uti mos est, in mare porricit, tubaque signum dedit proficiscendi.“ et Cic. ND. 3, 20 „Nostri duces mare ingredientes immolare fluctibus consueverunt.“ *Proiiciam* tamen est M1PR rec. *Rb.* Et Serv.: „Exta *proiiciuntur in fluctus*, *aris porriciuntur*, hoc est porriguntur. Nisi forte dicamus etiam fluctibus offerri. Quod si est, *porriciam* legendum.“ — *fundam.* Nullum sacrificium sine libatione.

240. Phorcus Ponti et Terrae filius, deus marinus, qui praeest illis inferioribus maris diis, quales sunt Nereides; ita *Phorci exercitus* memoratur v. 823. — *Panopea virgo*, una ex Nereidibus nominatur (cf. Hes. Theog. 250. Georg. 1, 437.) ut 1, 144 Cymothoe. Noli arcanam aliquam nominum caussam quaerere.

241. Portunus pater dicitur ut deus cf. 14. — Nomen deducitur a portu ap. Cic. ND. 2, 26, 66. „Voluntate numinum in deos versi sunt Melicerta in Portunum qui Graece Palaemon dicitur, (cf. Ov. M. 4, 541.) Ino in matrem Matutam, quae Graece dicitur Leucothea.“ S. — *Magna manu*, ut deus.

243. *Fugit* praes. hist. signat rem quae fit summa celeritate, *condidit* rem effectam, qua omne certamen finitum est. De voce *fugit* cf. 1, 317. — Ita deorum marinorum opera conspicitur 1, 144.

244. *ex more*, ut mos est in certaminibus.

247. *optare*, eligere cf. 1, 425.

248. *dat ferre* cf. 1, 66.

250. De chlamyde cf. 3, 484. 9, 582. — *plurima purpura Melib.* Duplex adiectivum facile fertur, et quod unum est numerale, et quod aliis verbis disponuntur. Cf. 24. — *Meliboea purpura* cf. Lucr. 2, 499: *Meliboeaque fulgens Purpura Thessalico concharum tincta colore* et Serv.: „Est civitas Thessaliae Meliboea.“ „Sita est in radicibus Ossae montis, qua parte in Thessaliam vergit, opportune imminens super Demetriadem.“ Liv. 44, 13.

Purpura Maeandro duplici Meliboea cucurrit;
Intextusque puer frondosa regius Ida
Veloces iaculo cervos cursuque fatigat,
Acer, anhelanti similis, quem praepes ab Ida
Sublimem pedibus rapuit Iovis armiger uncis:
Longaevi palmas nequidquam ad sidera tendunt
Custodes, saevitque canum latratus in auras.
At qui deinde locum tenuit virtute secundum,
Levibus huic hamis consertam auroque trilicem
Loricam, quam Demoleo detraxerat ipse
Victor apud rapidum Simoenta sub Ilio alto,
Donat habere viro, decus et tutamen in armis.
Vix illam famuli Phegeus Sagarisque ferebant
Multiplicem, connixi humeris; indutus at olim
Demoleos cursu palantes Troas agebat.
Tertia dona facit geminos ex aere lebetas,
Cymbiaque argento perfecta atque aspera signis.
Iamque adeo donati omnes, opibusque superbi

251. „*Maeandro duplici:* flexuoso. Et hoc dicit: Erat in chlamyde flexuosa et in se remeabilis purpura, in modum Maeandri fluminis Cariae provinciae.“ S.

252. Intextus erat raptus Ganymedes. Dum tollitur ab aquila, potuit ex ore eius conspici, cui rei intentus fuisset; poterant in pictura adesse cervi fugientes. Ipse magis venationi studet quam turbatur periculo. Contra custodes, quasi repetituri, manus tollunt; maxime autem saeviunt canes, domino erepto, cui quum succurrere non possint, latrando produnt rabiem. Haec ut dixi omnia in una pictura inesse possunt. Quod si cui minus probatur, accipiat picturam per plura loculamenta dispositam ut 6, 20. Idem argumentum in poculo positum describit Stat. Theb. 1, 548.

254. *Pl.* pro *quem* coni. *tum. Praepes*, celeri volatu cf. 6, 15. — *Ab Ida* non placuit, non solum, quod *Ida* repetitur, (At cf. 6, 901) sed quod ab Ida non potest devolare aquila in eum, qui in Ida est. Inde *Br. ab alto*, Schrader *ab aethra* emendavit. Utrumque bonum. Sed Vgl. sine dubio scripsit *Ida;* quare iungendum est non *praepes ab Ida*, sed *rapuit ab Ida.*

255. *Iovis armiger* ut 9, 564. Explicat Ov. Met. 12, 560 *volucris quae fulmina curvis ferre solet pedibus.* Observatum est tempestate aquilam nubes petere et intactam fulmine per aethera volare. — *sublimem rapuit* cf. 4, 22.

256. *Ad sidera* cf. 3, 599.

258. *Secundum* locum tenet Mnestheus.

259. *Loricam consertam* ternis hamis aureis i. e. *trilicem*, ut 3, 467; 7, 639; bilicem 12, 375. — „*hamis auroque*, hamis aureis *ἓν διὰ δυοῖν*; (cf. 1, 61.) hamis autem catenis significat.“ S. Varro LL. 5, 116 ed. O. M. „Lorica (dicitur) quod e loris de corio crudo pectoralia faciebant: postea succidit Gallica e ferro sub id vocabulum, ex anulis ferrea tunica.“ Alia est lorica squamis contexta sive plumata 11, 770 (*Kettenpanzer, Schuppenpanzer*).

260. *Demoleus* vel Demoleos Graecus non reperitur apud Homerum, apud quem eius nominis est Antenoris filius Il. 20, 395. Finxit igitur sibi poeta, eumque vel inter fortissimos numerat 265; ut Aeneae, qui eum devicit, maior sit virtus.

261. *Ilio alto* cf. § 3.

262. *huic — viro* cf. 609. — *Donat habere* ut *donat ferre* 10, 701. cf. 1, 66.

263. Quae de pondere loricae dicuntur, nimia sunt; si duo famuli vix ferunt loricam, qua utendum est Mnestheo. Cf. 12, 700.

265. *palantes agebat.* Cf. Sil. 2, 162 *A moenibus actos palantesque fuga praeceps ad litora cursu egerat.*

266. Lebetes saepe donantur cf. 3, 466.

267. *Cymbia*, ut 3, 66; unde eorum usum cognoveris. — *Aspera signis* ut 9, 263 sunt caelata Ov. M. 13, 701 *crater erat asper acantho.* 12, 235 *signis exstantibus asper Antiquus crater.* Pind. Isthm. 5, 40 *οἰνοδόκον φιάλαν χρυσῷ πεφρικυῖαν.*

268. *Superbus* est, qui super alios elatus est vel animo vel re, inde et *stolz* est et *prächtig* et utrumque; ablativus

Puniceis ibant evincti tempora taeniis:
Quum saevo e scopulo multa vix arte revolsus
Amissis remis atque ordine debilis uno
Inrisam sine honore ratem Sergestus agebat.
Qualis saepe viae deprensus in aggere serpens,
Aerea quem obliquum rota transiit, aut gravis ictu
Seminecem liquit saxo lacerumque viator,
Nequidquam longos fugiens dat corpore tortus;
Parte ferox, ardensque oculis, et sibila colla
Arduus attollens; pars volnere clauda retentat
Nixantem nodis seque in sua membra plicantem:
Tali remigio navis se tarda movebat:
Vela facit tamen et velis subit ostia plenis.
Sergestum Aeneas promisso munere donat,
Servatam ob navem laetus sociosque reductos.
Olli serva datur, operum haud ignara Minervae,
Cressa genus, Pholoe, geminique sub ubere nati.
Hoc pius Aeneas misso certamine tendit
Gramineum in campum, quem collibus undique curvis
Cingebant silvae, mediaque in valle theatri

rem significat, qua quis extollitur, qua quis superbit; ita *tauro superbus* 473, *spoliis superbus* 8, 202. 2, 504, *populis s.* 2, 556, *s. bello* 1, 21. Sic *ostro superbus* dicitur homo 12, 126 et *ostro superbae* vestes 1, 639.

269. Ut ex v. 119 et 494 apparet, victores coronis lemniscatis ornati erant, quae erant de frondibus et fasciis discoloribus.

271. *ordine uno debilis.* Sinistrae enim partis remos scopulus detersit.

272. Fuerunt, qui dicerent, propterea Sergestum ea ignominia affectum esse a poeta, quod ex Sergia gente fuisset Catilina!

273. *Saepe* in comparationibus cf. 1, 148. — „*viae in aggere:* Agger est media viae eminentia, coaggeratis lapidibus strata. Unde viae aggerem dixit." S. cf. 9, 567.

276. *dat tortus*, cf. 2, 698.

277. *sibila* c. 2, 211.

278. *Arduus sich hoch erhebend* ut 8, 298. 10, 917; de struct. cf. 137. — *Claudae* naves dicuntur, si fractae et quassatae sunt cf. Tac. An. 2, 24 *claudae naves raro remigio revertere.*

279. *nixantem* M1. — *nexantem* al. Simile 4, 217.

281. *Vela facit*, pandit; formula usitata, quod apparet e Cic. Tusc. 4, 4, 9; cll. 5, 9. Adde Sen. Herc. Fur. 869. — *Tamen* in *tandem* mutat *Pl.* — *et plenis s. o. velis* M. rec. *Ld. Rb.; et velis s. o. plenis* PRNγ rec. *Wg.* Totum eiicit Bryant.

282. *Promisso munere*, quicunque enim, qui certamen init, donatur cf. 70. 305. 365.

285. *Geminique s. u. n.* eiicit *Schwenck* Mus. Rhen., defendit *Rb.* Non ex nostro more id donum iudicandum est. Nos non putamus homines esse pecora. Cf. 3, 323. Etiam apud Homerum Il. 23, 263 serva donatur, et Stat. Theb. 6, 549. Quae sint opera Minervae cf. 8, 805. — *Cressa genus* cf. 8. 114.

286 — 361. Cursus certamen.

286. *misso*, dimisso. Cic. Fam. 5, 12 *ante ludorum missionem.*

288. Aeneas tendit in campum collibus silva tectis cinctum; eaque in valle media (campo montibus clauso) erat circus theatri, i. e. caveae cf. 340. „*Quo* (pro huc; relativo continuat orationem cf. 12, 65.) se Aeneas medium tulit cum multis millibus et *exstructo consessu resedit.*" S. Similis ordo verborum 8, 306 *Exin se cuncti divinis rebus ad urbem perfectis referunt.* Praeterea id novum, quod *consessus* dicitur de sede. Eum verborum ordinem improbantes alii putant *consessu* ablativum posse de loco, quo quis tendit, intelligi; quam rationem omnem loquendi usum pervertentem probare conantur loco 4, 373 *eiectum litore*, ubi significari aliquem qui iam *eiectus est in litore*, non *qui eiicitur in litus*

Circus erat, quo se multis cum milibus heros
Concessu medium tulit exstructoque resedit.
Hic qui forte velint rapido contendere cursu,
Invitat pretiis animos et praemia ponit.
Undique conveniunt Teucri mixtique Sicani;
Nisus et Euryalus primi,
Euryalus forma insignis viridique iuventa,
Nisus amore pio pueri; quos deinde secutus
Regius egregia Priami de stirpe Diores;
Hunc Salius simul et Patron; quorum alter Acarnan,
Alter ab Arcadio Tegeaeae sanguine gentis;
Tum duo Trinacrii iuvenes, Helymus Panopesque,
Adsueti silvis, comites senioris Acestae;
Multi praeterea, quos fama obscura recondit.
Aeneas quibus in mediis sic deinde locutus:
Accipite haec animis laetasque advertite mentes.
Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit.
Gnosia bina dabo levato lucida ferro
Spicula caelatamque argento ferre bipennem.
Omnibus hic erit unus honos: tres praemia primi
Accipient, flavaque caput nectentur oliva.
Primus equum phaleris insignem victor habeto;
Alter Amazoniam pharetram plenamque sagittis

facile videmus. Alii habebant *consessu* dativum cf. 3, 541, finem motus signantem. *Rb* qui non vult *exstructo* ad *consessu* adiungere, post *resedit* versum sumit excidisse, quod sequitur *Ld.* Similis locus describitur Stat. Theb. 6, 255.

292. *Animos* sc. eorum qui velint cf. 4, 597. Quam structuram „parum castigatam" ut vitet *Pl.* delet *animos — ponit*, et versus imperfectos proxime positos esse sumit, rem quae nusquam facta est.

293. *Sicani* cf. 108.

295. *Viridis* dicitur res omnis, in qua est vis vegeta, cuius in plantis signum est viriditas. Non color significatur sed vigor. Inde Charonti tribuitur *cruda viridisque senectus* 6, 304, quae verba repetiit Tac. Agr. 29. Apud Ovidium est *viridis iuventus* A. A. 3, 557. Posteriores poetae vel ad homines transferunt. Sic apud Silium est *consilio viridis sed bello serus* 3, 255, ap. Claud. Laud. Stil. 1, 324 *viridis miles*, Val. Fl. 1, 77 *Te viridem videt immunemque senectae*, et Stat. dixit *virides genas* Theb. 6, 199. et *Schill.: Wem die Locken noch jugendlich grünen.* Nisus et Euryalus amici sunt, quorum l. 9. mors describitur.

297. Regius Diores est, quod est e regia stirpe. Diores a Turno est occisus 12, 509.

298. *Salium*, cuius mors narratur 10, 753, ex Tegea Arcadiae urbe oriundum facit; alii Solium aliquem Aeneae comitem ex Mantinea deducunt cf. ad 8, 285. Omnino Arcades multis fabulis cum Dardanis iuncti sunt cf. 8, 165. — *Patron* secundum Dion. Hal. 1, 51 erat unus ex iis, qui ab Heleno dati, (cf. 3, 470.) Aeneae iter in Italiam monstraverant. Is ubi ad Italiam ventum est, quum ceteri reverterentur, Aeneae precibus motus remansit.

302. *fama obscura recondit* cf. 3, 70.

305. *Donatus abibit* ut 314 *contentus abito*, et 2, 169. Res primaria est donatio, non abitus.

306. *Gnosia* MR. *Cnosia* P. rec. *Rb.*

307. *caelatam.* Nam in ligno formatae erant ex argento figurae. — *bipennem* cf. 11, 651.

308. Haec, quae nominavi, omnes, qui certamen inierint, accipient; qui tres primi erunt, etiam coronam oleaginam; praeterea primus equum armatum, secundus pharetram Amazoniam aurato balteo, tertius galeam auferet.

310. Equus phaleratus donatur a senatu Romano Liv. 43, 5. 44, 14. Phalerae equorum argenteae memorantur Liv. 22, 52 in praeda Cannensi. De phaleris militum cf. 9, 359.

311. Et Amazones cf. 1, 490 et Thra-

Threiciis, lato quam circumplectitur auro
Balteus, et tereti subnectit fibula gemma.
Tertius Argolica hac galea contentus abito.
Haec ubi dicta, locum capiunt, signoque repente
Corripiunt spatia audito, limenque relinquunt,
Effusi nimbo similes; simul ultima signant.
Primus abit longeque ante omnia corpora Nisus
Emicat, et ventis et fulminis ocior alis.
Proximus huic, longo sed proximus intervallo,
Insequitur Salius; spatio post deinde relicto
Tertius Euryalus;
Euryalumque Helymus sequitur: quo deinde sub ipso
Ecce volat calcemque terit iam calce Diores
Incumbens humero; spatia et si plura supersint,
Transeat elapsus prior, ambiguumve relinquat.
Iamque fere spatio extremo fessique sub ipsam
Finem adventabant, levi cum sanguine Nisus
Labitur infelix, caesis ut forte iuvencis

ces Troianis tulerunt auxilium, et in Creta ipse commoratus est Aeneas per aliquod tempus cf. 3, 131 sq. Itaque et Amazonias pharetras et Thracios enses et Gnosia spicula potuit habere Aeneas. Quamquam concedimus, poetas Latinos saepius ut eximias sui generis res esse significent, ex ea esse dicere terra, qua optimae sint. Sic Thracii enses, Amazoniae pharetrae, Gnosia spicula sunt res sui generis optimae. Sic Lycia est pharetra 7, 816. Lyciae sagittae 8, 166. Lycium cornu 9, 773. funda Balearis G. 1, 309. Simili modo grues sunt Strymoniae G. 1, 120, canes Amyclaei 3, 345, columbae Chaoniae E. 9, 13, taxi Cyrneae 9, 30, glacies Hyperboreae. pruinae Rhipaeae G. 4, 517. Adde Voss ad G. p. 611: *Es braucht kaum gesagt zu werden, dafs solche Beiworte blofs Trefflichkeit, nicht Herkunft anzeigen.* — Thraces, natio bellicosa, bonis armis studebant.

312. *circumplectitur* M. *circum amplectitur* PR prob. *Rb.*

314. Honos non tam in pretio est galeae. quam quod est hosti detracta.

316. *Corripiunt spatia* cf. 1, 418. — *Limen* idem, quod *finis* dicebatur 139, carceres sunt sive locus, citra quem consistunt ii, qui currendi signum exspectant. — *limenque relinquunt* cf. 8, 125.

317. *nimbo similes, wie ein Wetter. Ultima signant* „Intuentur et notant ultima spatia aviditate vincendi." S.

319. *Primus — longeque Nisus* cf. 8, 168.

319. *Emicat* i. e. exsurgit et prosilit lucis et fulminis celeritate cf. 2, 175. 12, 327. Ov. M. 1, 27. Flor. 1, 18, 4. *Alae* omnibus rebus assignantur, quae moventur celeriter; ita Aurorae alas tribuit psalmistes et 8, 430 est *ales auster* et fulmini *alae* dantur a Val. Fl. 2, 97. Claud. RP. 2, 229.

320. *Duobus summis* (oratoribus) *Crasso et Antonio L. Philippus proximus accedebat sed longo intervallo tamen proximus* Cic. Br. 46.

323. *Deinde* repetitum ingratum est cf. 6, 901.

324. *Calcemque terit iam calce incumbens humero* i. e. tam prope est, ut pes eius prior, Helymi in cursu posteriorem aequet, (sic *calcem premit calce*) quare quum prope ab illo currat, humerum Helymi alterum paene tangit. Itaque si longior cursus supererit, facile poterit aemulum vincere aut certe aequare. Cf. Sil. 16, 490 *Prima stringit vestigia planta praegressae calcis.* Hom. Il. 23, 764. 765. *ambiguumque* dedit *Rb.*

327. Iam quum in fine essent, *fessique* ita, ut ei, qui prior erat, non esset, cur timeret, ne ab aliis vinceretur; atque ex eo certissima videretur esse Nisi victoria: accidit, ut collapsus rueret. — *finis* femininum est cf. 2, 554. — *sub ipsam* cf. 3, 6. — *adventabant quum labitur* cf. 3, 590.

329. *infelix* „quia parata victoria caruit" S. — „*caesis ut forte iuvencis*; bene rem notam per transitum tetigit. Agonalis enim moris fuerat, post sacrificia ad certamen venire." S.

Fusus humum viridesque super madefecerat herbas.
Hic iuvenis iam victor ovans vestigia presso
Haud tenuit titubata solo, sed pronus in ipso
Concidit immundoque fimo sacroque cruore.
Non tamen Euryali, non ille oblitus amorum.
Nam sese opposuit Salio per lubrica surgens;
Ille autem spissa iacuit revolutus arena.
Emicat Euryalus, et munere victor amici
Prima tenet plausuque volat fremituque secundo.
Post Helymus subit et nunc tertia palma Diores.
Hic totum caveae consessum ingentis et ora
Prima patrum magnis Salius clamoribus implet,
Ereptumque dolo reddi sibi poscit honorem.
Tutatur favor Euryalum lacrimaeque decorae
Gratior et pulchro veniens in corpore virtus.
Adiuvat et magna proclamat voce Diores,
Qui subiit palmae, frustraque ad praemia venit
Ultima, si primi Salio redduntur honores.
Tum pater Aeneas: Vestra, inquit, munera vobis
Certa manent, pueri, et palmam movet ordine nemo:
Me liceat casus miserari insontis amici.
Sic fatus tergum Gaetuli immane leonis
Dat Salio, villis onerosum atque unguibus aureis.

331. *Victor ovans* cf. 10, 690.

332. *Titubata*, participium perfecti sive passivi a verbo intransitivo significatione non passiva cf. Gr. § 176, 3. Apud Virgilium sunt *cretus* cf. 4, 191. *desuetus* 2, 509. 7, 693. *placitus* 4, 38. 10, 15. *praeteritus* 8, 560. *fluxus* 10, 88 (*insuetus* 8. 92).

333. Qui v. 333, 357 legit naso adunco, is nescit hoc loco hilaritatis plena esse omnia, quae in re seria inepta essent, hic aptissima sunt. Si quis autem haec omnino indigna iudicaverit poeta, nescit molliculo et delicatulo suo animo comprehendere antiquorum simplicitatem et probitatem, qui quae facta erant verbis aequare non dubitabant, neque dicere inhonestum habebant ea, quae factu non erant turpia.

334. *ille* cf. 457. — *amorum*. De plurali cf. 359.

338. *Prima tenet* i. e. primum locum cf. 10, 157. — *plausuque secundo* Favetur in certamine ei, qui aetate minimus est.

339. *Palma* ipse dicitur qui vicit; sic G. 1, 59 *palmae Eliadum equarum* sunt equae victrices; ita Sil. 16, 502 ubi nostrum imitatus est: *et modo postremus, nunc ordine tertia palma*, et 572.

340. *Caveae* dixit ad similitudinem theatri et amphitheatri Romani. „Nam cavea est, ubi populus spectat" S. ad 8, 636. Inde hoc loco patres a caveae consessu distinguit; ut senatores et equites ap. Romanos a populo segregati erant, spectantes ad podium Iuv. 2, 147.

343. *Lacrimae* pueri, ne sibi praemia eriperentur petentis, *decorae* sunt, quod eius modestiam produnt; aliter Diores. In eadem re Stat. Theb. 6, 623 *Accessit lacrimarum gratia formae*.

344. *veniens* „crescens ut G. 1, 54 *hic segetes, illic veniunt felicius uvae*." S.

345. *Diores*, qui si Salius victor est, quartus est. adiuvat Euryali preces neque tamen lacrymis sed clamore.

347. *redduntur* M2 *Wenn gegeben werden. ist zu spät gekommen.* Ratio dicendi simplicissima. *reddantur* M1R. *reddentur* P. prob. *Rb.*

350. *miserari* M. et illatum in P. prob. *Wg. misereri Rb.* prob. *Ld. Rb.* Difficilis in talibus rebus, quae una littera nituntur. quaestio. *Ld.* vult *misereri* esse factis probare misericordiam, *miserari* dictis et sensu.

351. Velleribus heroes vestiri solebant bestiarum ferocium. Cf. 37. Praestat autem vellus densis villis, quod ornabant unguibus auratis, ut 8, 553.

Hic Nisus: Si tanta, inquit, sunt praemia victis,
Et te lapsorum miseret, quae munera Niso
Digna dabis? primam merui qui laude coronam,
Ni me, quae Salium, fortuna inimica tulisset.
Et simul his dictis faciem ostentabat et udo
Turpia membra fimo. Risit pater optimus olli,
Et clipeum efferri iussit, Didymaonis artes,
Neptuni sacro Danais de poste refixum.
Hoc iuvenem egregium praestanti munere donat.
Post, ubi confecti cursus, et dona peregit:
Nunc, si cui virtus animusque in pectore praesens,
Adsit, et evinctis attollat brachia palmis.
Sic ait, et geminum pugnae proponit honorem:
Victori velatum auro vittisque iuvencum;

355. *laude*, facto laudabili cf. 1, 461.

357. Haec etiam imitatus est Stat. 6, 622. — *simul his dictis* cf. 10, 856.

359. *Artes* pluralis suum habet locum, nam sunt variae artis species, quae in opere conspiciuntur; sic *palaestrae* 3, 281, *ruinae* 3, 571, *amores* 4. 28, *mortes* 10, 854, *metus* 1, 463. Gr. § 362, 2. Clipei laus potest esse duplex, et ab eo qui fecit, et ab eo qui possedit. Hunc Graeci Neptuno suspenderant, unde detraxerunt Troiani. — De appositione *clipeum* — *artes* cf. 8, 729. *artes* Mbc rec. *Hn. Wg. Ld*, *artem* PRγ rec. *Rb.*

360. *Refigere* cf. 6, 622. Solebant autem Romani spolia foribus templorum affigere cf. 3, 288.

362—484. Pugilatus certamen.

362. *confecti* sc. sunt cf. Gell. 5, 8 „Et *est* et *erat* et *fuit* plerumque absunt cum elegantia sine detrimento sententiae." Solent enim Latini ex verbo arctioris significationis latioris aliud supplere cf. de zeugmate 1, 356; ut ex hortandi verbo dicendi aliquod intelligi volunt. *Esse* autem verbum ita generale est, ut ad quodvis verbum possit suppleri, quum nihil significet singulare, sed formam modo indicet praedicati. Praedicatum autem sumimus in quovis esse enuntiato, idque etiamsi copula abest, facile cum subiecto copulamus. Et antiquissimi populi saepissime omittunt. Conferas eam in rem linguam Hebraicam. Hinc patet facile omitti posse verbum *esse*, nisi accedat personae, modi, temporis significatio, verbo auxiliari indicanda; itaque tertia persona facilius omittitur aliis, indicativus coniunctivo, praesens praeterito et futuro. Quando tamen iam aliunde modus aut tempus aut persona constat, eae etiam formae omittuntur. Ita *sum* 1, 2. 2, 792. es 1, 237. 10, 827. 5, 687. *sumus* 2, 25. 651. *estis* 5, 192. 11, 737. et aliae formae. — Apparet post *est* et *sunt* saepissime omitti *esse*, quod iam accusativus participii sufficiat, ita ut post participium in *urus* paene semper omittatur. — Iam vero illae formae omittuntur maxime, ubi est sententia communis: *Summum ius, summa iniuria. Quid dulcius, quam habere, quicum audeas omnia sic loqui, ut tecum.* — Saepissime etiam in praeceptis ut 2, 118. G. 2, 365. 371. 399, quos cf. cum 5, 731. 6, 719; quibus in locis est verbum; etiam in exclamationibus, ut 1, 460. 6, 721. 866. — Saepissime etiam participium perfecti, omisso verbo auxiliari iungitur per *et* cum verbo finito, sive praecedit participium ut h. l. 1, 2. 448. 2, 544. 3, 53, sive sequitur 1, 367. 3, 298. 7, 486 et per *que* — *que* 7, 375. Sed patet non posse ita iungi participia plura cf. 3, 136. Etiam in enuntiato secundario post coniunctiones omittunt poetae, rarissime scriptores. Ita Vgl. post *postquam* 1, 216. 520. 723. multis aliis locis. — *dum* 4, 565. 10, 283. — *quum* 4, 527. 6, 125. *si* 2, 349. 5, 363. 6, 133. — *ubi* 3. 69. *ut* 3, 53. — post pronomen relativum E. 1, 58. 8, 24. G. 4, 89. De prosa cf. Gr. § 498, 2.

363. *animus praesens*, „fortis" S. cf. 12, 152. Sen. Ep. 92 hunc versum laudat.

364. *Adsit et vinctis* P. promptus est *Rb.* recipere, sc. quod est contra leges metricas. Cf. 167. — *evinctis palmis* i. e. caestu. Pugiles enim loris manus et brachia innectebant, quo et augerentur ictus ipsorum et retardarentur adversariorum.

366. *velatum auro vittisque*, „coro-

Ensem atque insignem galeam solatia victo.
Nec mora; continuo vastis cum viribus effert
Ora Dares, magnoque virum se murmure tollit;
Solus qui Paridem solitus contendere contra.
Idemque ad tumulum, quo maximus occubat Hector,
Victorem Buten immani corpore, qui se
Bebrycia veniens Amyci de gente ferebat,
Perculit et fulva moribundum extendit arena.
Talis prima Dares caput altum in proelia tollit,
Ostenditque humeros latos, alternaque iactat
Brachia protendens, et verberat ictibus auras.
Quaeritur huic alius; nec quisquam ex agmine tanto
Audet adire virum, manibusque inducere caestus.
Ergo alacris cunctosque putans excedere palma,
Aeneae stetit ante pedes, nec plura moratus
Tum laeva taurum cornu tenet atque ita fatur:
Nate dea, si nemo audet se credere pugnae,
Quae finis standi? quo me decet usque teneri?
Ducere dona iube. Cuncti simul ore fremebant
Dardanidae reddique viro promissa iubebant.
Hic gravis Entellum dictis castigat Acestes,

natum." S. Vittae enim lamellis aureis distinctae erant, et est Hendiadys. — Licet etiam explicare per zeugma, ut sit bos vittis velatus et auratus cornu. Mos enim erat hostias auratis cornibus adducere ad aras cf. 9, 627. Tib. 4, 1, 15 *Caelestibus semper inaurato taurus cadit hostia cornu*, et Liv. 25, 12 et Macr. 1, 17, deinde Plin. 33, 12 *Deorum honori in sacris nihil aliud excogitatum est, quam ut auratis cornibus hostiae, maiores duntaxat, immolarentur;* et auratae boves iam in carmine fratrum Arvalium reperiuntur et ap. Hom. Od. 3, 384. 426.

369. *murmure* admirantium.

370. *Paris* apud Homerum ignaviae accusatur ab Hectore, sed multa facit egregia cf. Il. 3, 340. 11, 580. 13, 765, et apud alios poetas maxime laudatur propter fortitudinem, qui post Hectoris mortem Graecorum sustinuit impetus, ad quem occidendum Philoctetes erat arcessendus. Iam agnitus est a patre, quum in pugilatus certamine vicisset omnes.

371. *quo occubat* cf. 1, 547.

372. *immani corpore* cf. 1, 71. — Amycus, rex Bebryciae, filius Neptuni, vel Pollucem caestu principem, quum Argonautae ad Bithyniam appulissent, provocaverat cf. Apollon. 2, 1. Val. Fl. 4, 90 sq. Ex eius igitur gente, quae pugilatu erat insignis, Butes erat, qui omnes devicerat (*victorem*). Eum Dares perculit.

375. *Prima in proelia:* Nam si ad primum certamen se admitti curabat, statim post verba Aeneae surgere debebat. Quod non exspectat, quales surgant, fisus satis viribus suis deprehenditur.

378. *Quaeritur.* Nemo enim sponte audet se opponere.

379. *Adire* ut aggredi in re ardua et periculosa dicitur; ita *adire pericula, labores, inimicitias;* atque inde *adire aliquem pugna* (cf. Ter. Phorm. 1, 4, 52 *nunc primum adito tu, ego in subsidiis hic ero, succenturiatus, si quid deficias*) ut *coire* est congredi proelio cf. 12, 709. Ov. M. 9, 42 et Ter. Phorm. 2, 2, 32 *prima coitio est acerrima.* Pl. Ep. 5, 14 *coire in lites.*

380. *Alacris* „nam (Vgl.) *alacer* nusquam, *acris* nusquam dixit." S. cf. 6, 685 et Gr. § 107.

382. *moratus — tum* cf. 14.

385. *Ducere iube* cf. 2, 3. — *C. s. o. f. D.* idem 1, 559. — *fremere* cf. 11, 453. Troiani gaudent, ex sua victorem esse gente.

386. *Reddi* „quasi debita, promissa." S.

387. *Gravis castigat* cf. 137. — Entelli nomen fortasse finxit poeta, quod erat Entella, oppidum Siciliae, quae Troianorum colonia habebatur cf. Sil. 14, 205. Huc pertinet quod S dicit „Sane sciendum, hunc secundum Hyginum, qui

Proximus ut viridante toro consederat herbae:
Entelle, heroum quondam fortissime frustra,
Tantane tam patiens nullo certamine tolli
Dona sines? ubi nunc nobis deus ille magister,
Nequidquam memoratus Eryx? ubi fama per omnem
Trinacriam et spolia illa tuis pendentia tectis?
Ille sub haec: Non laudis amor, nec gloria cessit
Pulsa metu; sed enim gelidus tardante senecta
Sanguis hebet, frigentque effetae in corpore vires.
Si mihi, quae quondam fuerat, quaque improbus iste
Exsultat fidens, si nunc foret illa iuventas,
Haud equidem pretio inductus pulchroque iuvenco
Venissem; nec dona moror. Sic deinde locutus
In medium geminos immani pondere caestus
Proiecit, quibus acer Eryx in proelia suetus
Ferre manum, duroque intendere brachia tergo.
Obstipuere animi: tantorum ingentia septem
Terga boum plumbo insuto ferroque rigebant.
Ante omnes stupet ipse Dares, longeque recusat:
Magnanimusque Anchisiades et pondus et ipsa
Huc illuc vinclorum immensa volumina versat.
Tum senior tales referebat pectore voces:
Quid, si quis caestus ipsius et Herculis arma

de familiis Troianis scripsit, unum Troianorum fuisse, de quo Vgl. mutat historiam." S. — Habuit igitur is Erycem, qui vel cum Hercule contendere est ausus, pugilatus magistrum. — Cf. 1, 570.

388. *Ut* rem signat fortuitam cf. 7, 72. — *torus* cf. 6, 674.

389. *Quondam*, nunc vero non es. — *Frustra*, quid enim prodest prior fama, quam nunc non potes tueri?

391. Male commate post *ille* et *memoratus* posito ea exstitit sententia, ut de divinitate Erycis dubitaret Acestes. Non id facit; sed sine caussa gloriari dicit Entellum, quod ipsi sit ille deus Eryx magister. In *ubi nunc nobis* gravissima inest obiurgatio. Cf. Stat. Theb. 8, 672 *Ubi autem egregius dux ille mihi?*

393. De eo more cf. 7, 183.

395. *pulsa cessit* ut 305. — *Sed enim* (ἀλλὰ γὰρ) duo signat in unum contracta esse enuntiata, alterum priori aliquid opponens, alterum eius oppositionis continens caussam. Ita h. l.: Non laudis amor cessit sed vires, gelidus enim sanguis hebet senectute. Ita 1, 19 *Si qua fata sinant*, *sed* non sinere ea sciebat, *audierat enim*. Cf. 2, 164. 6, 28. Ov. M. 1, 530. 5, 636. 6, 152. 9, 248. 13, 141. F. 5, 529 etc. Ita *at enim*, *quid enim* sunt explicanda. Cf. Gr. § 485, 2. — *tardante senecta:* Sic *aevo tardante* Stat. Theb. 6, 559.

396. *Hebet* ap. Vgl. primum legitur.

397. *Improbus*, impudens „qui sine certamine postulat praemium." S.

398. *iuventas* cf. 1, 590.

399. Talis in sene excusatio et virium laudatio saepius invenitur, ut Evandri 8, 560, Nestoris Hom. Il. 7, 132. 11, 669. 23, 629, Laertae Od. 24, 375.

400. *Nec moror*, i. e. contemno. Sic ap. Plautum et Horatium. — *deinde* cf. 14. — Caestus attulit Entellus pugnaturus; sed Dares ei validior videbatur esse, quam quocum posset contendere.

401. *immani pondere* cf. 372.

403. *quibus* ... *duroque* cf. 12, 944. — *intendere brachia tergo* cf. 4, 506. *Pl.* coni. *durisque i. b. loris. Rb.* totum hemistichium vult abesse.

404. *tantorum:* Post v. *tantus*, *tot*, *tam*, *talis* particula caussae solet omitti cf. 7, 328. 447. 11, 548. G. 1, 449. C. Lael. 7, 23. — Imitatur Stat. Theb. 6, 732 *Ac dum nigrantia plumbo tegmina cruda boum, non mollior ipse, lacertis induitur*, *obstupuere animi, fecitque silentia terror.* Ex Statio *Pl.* retulit: *tanto nigrantia plumbo terga boum*, id est tanto plumbo gravatum est.

410. „Arma i. e. caestus." S.

Vidisset tristemque hoc ipso in litore pugnam?
Haec germanus Eryx quondam tuus arma gerebat; —
Sanguine cernis adhuc sparsoque infecta cerebro; —
His magnum Alciden contra stetit; his ego suetus,
Dum melior vires sanguis dabat, aemula necdum
Temporibus geminis canebat sparsa senectus.
Sed si nostra Dares haec Troius arma recusat,
Idque pio sedet Aeneae, probat auctor Acestes,
Aequemus pugnas. Erycis tibi terga remitto;
Solve metus; et tu Troianos exue caestus.
Haec fatus duplicem ex humeris reiecit amictum,
Et magnos membrorum artus, magna ossa lacertosque
Exuit, atque ingens media consistit arena.
Tum satus Anchisa caestus pater extulit aequos,
Et paribus palmas amborum innexuit armis.
Constitit in digitos extemplo arrectus uterque,
Brachiaque ad superas interritus extulit auras.
Abduxere retro longe capita ardua ab ictu,
Immiscentque manus manibus pugnamque lacessunt:
Ille pedum melior motu, fretusque iuventa;

411. *Tristis pugna*, quod Eryx amicus et magister in ea occisus est.

412. Eryx, frater Aeneae cf. 1, 570.

415. *Aemula* senectus quasi studet suis viribus infringere vires Entelli cf. 2, 638. — *sparsa canet:* Itaque iam inter crines visuntur cani in temporibus, in quibus prima canities solet apparere. Quare nondum est senex decrepidus.

417. „*Troius*, tamquam qui se non possit comparare Siculo homini, certe in hoc genere pugnae.“ *Wg.*

418. *sedet.* Romani, si nondum ad certam de aliqua re sententiam pervenere, eam animo *movent* 608. *versant* 702. *volvunt* 1, 50. 301. *animusque labat* 4, 22 et *consilium* Cic. Att. 8, 14, 2. Si ad certam pervenerunt, *constituere, statuere* eam dicunt Cic. pr. Man. 1; eaque sententia *stat;* (hinc *stat* impersonale cum infinitivo 2, 750. 12, 678. Cic. Fam. 9, 2. 5. aut *sedet* vel *alicui*, ut 7, 611. 11, 551, vel *animo* alicuius, ut 2, 660. 4, 15, vel ipsa res, de qua sententia est, *sedet*, ut h. l. et 7, 368, aut fixa, immota est sententia, neque *loco cedit* 9, 220. „*Auctor*, qui me ad hoc certamen excitavit.“ — *Pl.* pro *sedet* praefert *placet.*

419. *Tibi remitto*, in tuum commodum cf. 11, 359 *Cedat, ius proprium regi patriaeque remittat.*

420. *Solve metus* i. e. dissolve, mitte tuos metus, desine metuere. Sic 1, 463. Hor. Ep. 9, 37 *curam metumque iuvat dulci Lyaeo solvere.* Similia Cat. 31, 7 *O quid solutis est beatius curis;* Ov. M. 9, 274 *Iras solverat Eurystheus;* et Hor. C. 1, 22, 11 *expedire curas.*

421. *Duplicem amictum* „abollam, quae duplex est sicut chlamys. Horatius (Ep. 1, 17, 25) *Contra quem duplici panno patientia velat.*“ Nep. Dat. 3 *agresti duplici amiculo circumdatus.*

422. Versus hypermeter iam vires Entelli humanum modum excedentes indicat.

423. *Exuere lacertos veste* non minus recte dicitur quam *vestem lacertis* cf. Hor. Epod. 17, 15 *membra exuere pellibus* et 6, 229. — Quare non opus est coniectura *exserit* satis bona *Pli.*

426. *Constitit in digitos.* Extollunt se, quod quo altior infligitur plaga, eo est vehementior; simul quo altior est, qui excipit plagam, eo magis eam infringit. Cf. Quint. 2, 3, 8 *Statura breves in digitos eriguntur.*

429. *Lacessunt pugnam*, „Provocant potius, quam gerunt“ S. cient, movent, tentant. Ita 11, 254 *lacessere bella.* Aliud est 10, 9 *lac. bellum*, aliud *lac. aliquem bello* 11, 842. Sic C. pr. Man. 9 *quas nationes nunquam populus Romanus neque lacessendas bello neque tentandas putavit.*

Hic membris et mole valens, sed tarda trementi
Genua labant, vastos quatit aeger anhelitus artus.
Multa viri nequidquam inter se volnera iactant,
Multa cavo lateri ingeminant, et pectore vastos
Dant sonitus, erratque aures et tempora circum
Crebra manus, duro crepitant sub volnere malae.
Stat gravis Entellus, nisuque immotus eodem
Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit.
Ille, velut celsam oppugnat qui molibus urbem,
Aut montana sedet circum castella sub armis,
Nunc hos, nunc illos aditus, omnemque pererrat
Arte locum et variis adsultibus inritus urguet.
Ostendit dextram insurgens Entellus, et alte
Extulit: ille ictum venientem a vertice velox
Praevidit, celerique elapsus corpore cessit.
Entellus vires in ventum effudit, et ultro
Ipse gravis graviterque ad terram pondere vasto
Concidit, ut quondam cava concidit aut Erymantho
Aut Ida in magna radicibus eruta pinus.
Consurgunt studiis Teucri et Trinacria pubes;
It clamor caelo, primusque accurrit Acestes,
Aequaevumque ab humo miserans attollit amicum.
At non tardatus casu neque territus heros
Acrior ad pugnam redit ac vim suscitat ira;
Tum pudor incendit vires et conscia virtus;

431. *Membris et mole* est membrorum viribus et mole corporis.

432. *Quatit anhelitus artus*, ut 199 et 9, 814.

433. *vulnera*, „ictus" S. cf. 2, 529. — *nequidquam* „non profutura victoriae." S.

435. *dant sonitus* cf. 2, 698.

436. *crebra manus* cf. 2, 492.

437. *Nisu immotus* dicitur, quod non recedit neque procedit.

438. *Tela* sunt ictus Daretis. — *Exit*, evitat, quum oculis vigilet, unde plaga sit ventura. Ita 11, 750 *vim viribus exit*. Stat. Theb. 6, 802 *ecce iterum immodice venientem illudit et exit*. — *corpore* cf. Cic. Cat. 1, 6 *Tuas petitiones parva quadam declinatione et, ut aiunt, corpore effugi*.

439. *Ille*, Dares, vario modo aggreditur, ut si quis castellum obsidet, facere solet. — *Molibus* est machinis belli cf. Liv. 2, 17 *refectis vineis aliaque mole belli*.

440. *Sub armis* est armatus ut 585. Versum delet *Pl.* et *Rb.*

444. *A vertice* est desuper cf. 1, 114.

446. *ultro* cf. 12, 3.

447. „Nulla sua culpa, sed sua ipse mole gravatus decidit" *Wg.* *gravis graviterque:* Adverbium consulto appositum ad augendum. Cf. Hom. Il. 16, 776 *κεῖτο μέγας μεγαλωστί*.

448. *quondam* cf. 2, 367. — Comparatur saepius apud Homerum cadens bellator cum arbore excisa, ut Il. 4, 482. 13, 178. 14, 414. 16, 482. — *Erymanthus*, mons Arcadiae, notus illo apro, quem Hercules occidit.

450. *Consurgunt* sedibus, studio suorum abrepti, et exclamantes alii prae gaudio, alii dolore.

451. *It clamor caelo;* idem 11, 192. Dativus localis ex ethico natus est cf. Gr. § 282. Sic 2, 687 *oculos ad sidera laetus extulit et caelo palmas cum voce tetendit*. 2, 36. 186. 276. 674 al.; adde quae ad 2, 398, et 10, 555 *deturbat terrae*. 11, 87 *sternitur terrae*. 10, 401 *Ilo direxerat hastam* al. — Vel cum substantivis iungitur is dativus 6, 126 *facilis descensus Averno*. 1, 181 *Prospectum pelago* petit. — Huc trahi possunt 3, 540 *bello armantur equi*. 7, 725 *Turno rapit populos*. — Acestes curat laudem amici, quare statim accurrit.

455. *Conscia virtus* est ea, quae scit se esse virtutem; ita 12, 608. Sic apud

Praecipitemque Daren ardens agit aequore toto,
Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra.
Nec mora, nec requies: quam multa grandine nimbi
Culminibus crepitant, sic densis ictibus heros
Creber utraque manu pulsat versatque Dareta.
Tum pater Aeneas procedere longius iras
Et saevire animis Entellum haud passus acerbis;
Sed finem imposuit pugnae, fessumque Dareta
Eripuit, mulcens dictis, ac talia fatur:
Infelix, quae tanta animum dementia cepit?
Non vires alias conversaque numina sentis?
Cede deo! Dixitque, et proelia voce diremit.
Ast illum fidi aequales, genua aegra trahentem
Iactantemque utroque caput crassumque cruorem
Ore eiectantem mixtosque in sanguine dentes
Ducunt ad naves; galeamque ensemque vocati
Accipiunt; palmam Entello taurumque relinquunt.
Hic victor, superans animis tauroque superbus:
Nate dea, vosque haec, inquit, cognoscite, Teucri,
Et mihi quae fuerint iuvenali in corpore vires,
Et qua servetis revocatum a morte Dareta.
Dixit et adversi contra stetit ora iuvenci,
Qui donum adstabat pugnae, durosque reducta
Libravit dextra media inter cornua caestus
Arduus, effractoque inlisit in ossa cerebro.

Statium 6, 826 Tydeum *stimulis augit conscia virtus.* — *Incendit*, excitat. Sic *inc.* aliquem *querelis* 4, 360. *inc. clamore urbem* 11, 147. *caelum* 10, 895. — Dicitur et *inc. luctum* 9, 500 sed *regia* etiam *luctu incenditur* Iust. 38, 8. et Cat. Epith. 227 legitur *nostros luctus, nostraeque incendia mentis.* Val. Fl. 7, 243 *Perpetior durae iamdudum incendia mentis.* — Qui virtutis suae conscius est, casu illo exacerbatur, praesertim quum propter eum a Troianis honorem putet sibi negari. Versum delet *Pl.*

456. *Aequor* non maris est solum (cf. 8), sed etiam terrae; et sic *aequor* dicitur 7, 728. 738 et *aequor campi* 7, 781. 12, 710. Et omne quod planum et aequum est, *aequor* potest dici.

457. *ille*, Entellus cf. 334.

459. *crepitant* cf. G. 1, 449 *Tum multa in tectis crepitans salit horrida grando.*

460. *Dareta* est et 456 Daren cf. Gr. § 94, 4.

462. Aeneas, qui videt Entellum ira excitatum adversarii mortem quaerere, certamen dirimit consolaturque victum, quod a deo adiutus sit adversarius. — *Animis saevire* cf. 2, 386.

466. *Vires alias*, quam antea esse adversario, et deorum versam esse voluntatem ex illo casu. Tu antea victor nunc vinceris, quare quum contra numina nihil possis, desiste.

467. *dixitque et.* Ita indicatur statim eos de pugna destitisse, in summo certaminis ardore, moti monentis auctoritate. *Pl.* verba *dixit — diremit* delet.

469. *Utroque caput* iactat, quasi iam cervix fracta et laxa sit.

470. *mixtosque:* Ita Ov. M. 12, 256 *cumque atro mixtos sputantem sanguine dentes* in pugna Centaurorum et Lapitharum et Irus ab Ulysse prostratus Hom. Od. 18, 98.

471. *vocati:* „Bene eorum ostendit pudorem, vel quia erant occupati circa amicum." S.

473. *superans animis:* elatus virium confidentia. — *tauroque superbus* cf. 268.

475. *iuvenalis* cf. 2, 518.

480. *Inlisit in ossa* Mss. *Inlisit ossa* R. probat *Fleckeisen* id, quod est antiquum et contra metrum: Cf. 364.

Sternitur exanimisque tremens procumbit humi bos.
Ille super tales effundit pectore voces:
Hanc tibi, Eryx, meliorem animam pro morte Daretis
Persolvo; hic victor caestus artemque repono.
   Protinus Aeneas celeri certare sagitta
Invitat qui forte velint, et praemia ponit;
Ingentique manu malum de nave Seresti
Erigit, et volucrem traiecto in fune columbam,
Quo tendant ferrum, malo suspendit ab alto.
Convenere viri, deiectamque aerea sortem
Accepit galea; et primus clamore secundo
Hyrtacidae ante omnes exit locus Hippocoontis;
Quem modo navali Mnestheus certamine victor
Consequitur, viridi Mnestheus evinctus oliva;
Tertius Eurytion, tuus, o clarissime, frater,
Pandare, qui quondam, iussus confundere foedus,
In medios telum torsisti primus Achivos;
Extremus galeaque ima subsedit Acestes,

481. *humi* cf. 1, 193. — *exanimisque bos tremens procumbit* cf. 3, 70.

482. *effundit voces:* Sic 723. 8, 70. *fundere loquelas* 5, 842. *dicta* 7, 292. 8, 582. *preces* 6, 55. *fletus* 2, 271. *questus* 5, 780.

483. *meliorem animam:* „aptiorem; nam animalem hostiam dat." S. Saepius in alius locum substituta est alia hostia. Idque saepissime factum esse dicitur, ubi pro homine bestiam immolare consuescebant. *Pl.* dat *meliore.*

484. *Repono caestus*, quibus iam non utar, *artique* renuntio. *repono caestus et artem* cf. 1, 78.

485 — 544. Sagittandi certamen. Cf. Hom. Il. 23, 850 sq. Sil. 16, 556.

486. *Invitat* qui velint certare; non opus est ut *invitat* iungas cum infinitivo. — *Ponit* MRVbc *dicit* Pγ rec. *Rb. Hs.* — *qui forte — ponit* eiic. *Pl.*

487. *ingentique manu malum de nave:* „magna multitudine." S. Non facile quis in hanc explicationem inciderit, nisi qui reperire nequiverit aliam. Neque hoc, quod etiam non moniti suspicaremur, multos homines in malo erigendo occupatos fuisse, cur addiderit poeta, satis intelligimus. — Iam vero omnes fere interpretes in voce *ingenti* haeserunt, aliique cum *nave* iungere, alii et *Pl. ingentem* scribere et ad malum referre maluerunt. Neque tamen his machinis quidquam proficimus; omnia enim haec eodem redeunt, scilicet iis fuisse viribus Aeneam, ut malum unus posset erigere. Quod si malos antiquorum breviores putamus nostris, tamen iam quae in nostris fluviis lintres feruntur, tantae malos habent magnitudinis, ut si quis eum posse ab uno manu erigi diceret, insanum iudicaremus. Accedit quod Aeneas tali navi vectus est, quae quo maior Aeneas est qui vehitur, eo maior erit qua vehitur, ut simul cum Aenea navis augeatur magnitudo. Heroes posteris hominibus et magnitudine et viribus antecelluisse, communis opinio fuit cf. 12, 700. Quam secutus Virgilius nimium nonnunquam ausus est.

489. *Quo* „in quam, nam ponit adverbia pro pronominibus." S. Cf. 8, 71.

490. *deiicere sortes:* Caes. BC. 1, 6 *eorum sortes deiiciuntur;* i. e. iniiciuntur in urnam. Liv. 21, 42.

492. *exit:* Val. Max. 6, 3, 4 *coniectis in sortem omnibus tribubus, Polliae, quae proxima exierat. Das Loos kommt heraus.*

493. Mnestheus, victor navali certamine ornatus est oliva. — *Modo* i. e. nuper" S. Hor. Serm. 1, 1, 16 *Eris tu, qui modo miles, mercator, tu consultus modo, rusticus.*

496. Pandarus, Lycaonis filius, sagittandi arte insignis, foedus quod inter Graecos et Troianos constituebatur, a Minerva incitatus, *iussus*, Hom. Il. 4, 104; quo verbo perfidia eius excusatur, telo in Menelaum misso diremit. — Postea Diomedem vulneravit, a quo interfectus est. Il. 5, 296. — *Confundere foedus* et 12, 290 dicitur. *συγχέειν ὅρκια* Il. 4, 269.

498. *subsedit* M. — *subsidit* vulg. in Edd. — *Subsedit*, neque enim eius sor-

Ausus et ipse manu iuvenum tentare laborem.
Tum validis flexos incurvant viribus arcus
Pro se quisque viri, et depromunt tela pharetris.
Primaque per caelum nervo stridente sagitta
Hyrtacidae iuvenis volucres diverberat auras;
Et venit, adversique infigitur arbore mali.
Intremuit malus, timuitque exterrita pennis
Ales, et ingenti sonuerunt omnia plausu.
Post acer Mnestheus adducto constitit arcu,
Alta petens; pariterque oculos telumque tetendit.
Ast ipsam miserandus avem contingere ferro
Non valuit; nodos et vincula linea rupit,
Quis innexa pedem malo pendebat ab alto:
Illa notos atque atra volans in nubila fugit.
Tum rapidus, iamdudum arcu contenta parato
Tela tenens, fratrem Eurytion in vota vocavit,
Iam vacuo laetam caelo speculatus, et alis
Plaudentem nigra figit sub nube columbam.
Decidit exanimis vitamque reliquit in astris
Aetheriis fixamque refert delapsa sagittam.
Amissa solus palma superabat Acestes;
Qui tamen aerias telum contendit in auras,
Ostentans artemque pater arcumque sonantem.
Hic oculis subitum obiicitur magnoque futurum

tem duci erat necesse. *Subsedit Acestes* non minus recte dictum, quam sorte *ductus Laocoon* 2, 201.

499. *manu:* Manus enim maxime intenditur in sagittando; quamquam si abesset non desiderares, cf. 4, 344. — *Tentat laborem*, an possit sufferre et aequare.

500. *flexos incurvant* cf. 4, 22.

501. *pro se quisque viri;* idem 12, 552. „pro qualitate roboris sui." S.

504. *arbore mali* cf. 52.

505. *Timuitque exterrita pennis* „terrorem suum pennis significans, ut 8, 223 *turbatus oculis.*" S. Sed fune alligata, quo minus potest effugere, eo magis alas commovet; quo plausu omnis locus circum sonat. Cf. 215. Ex illo loco huc illata iudicat *Rb.* verba *timuitque* — *plausu.* Sed retractat eam sententiam in proleg. p. 80. deinde in ed. minore eiicit *et* — *plausu.*

508. *tendere telum* ut 520. Sic H. C. 1, 30, 9 *t. sagittas;* quum dici soleat *tendere arcum.*

509. *Miserandus*, qui victoria excidit ut 329 *labitur infelix.*

512. Notos et *in* nubila fugit. De praepositione omissa 6, 692.

513. *Pl.* dat *At rapidus* ... 515 *Tum vacuo* ....

514. *Fratrem*, Pandarum. ut heroem cultum, sagittandi arte Apollini paene parem invocat cf. 496; ita Erycem Entellus 483. — *in vota vocare* cf. 234.

516. *Figere telo* est 10, 382. Ita nudum *figere* 12, 537. E. 2, 29. G. 1, 308.

518. *Aeriis*, ut *Wg.* et *Rb.* tradunt, in Mss. est optimis; *aetheriis* in quibus legatur non dicunt. Tamen scribunt *aetheriis*, atque in aethere astra sunt, non in aere. Cic. ND. 2, 15 *Sidera aethereum locum obtinent.*

519. *superabat* cf. 3, 339.

521. *Ostentans* artem, quam alte et quam celeriter posset telum eiicere et arcum tendere, quod apparet sono. Inde est *arcumque sonantem.* Versus autem 521 non abundat, sed necessarius est, ne pueri modo lusisse videatur Acestes, nulla caussa ad sagittam iaciendam commotus. — *Pater* honoris caussa dictum est.

522. Apud Plinium legitur NH. 2, 22 „Cometas Graeci vocant, nostri *crinitas, horrentes crine sanguines et comarum modo in vertice hispidas.*" Earum genus „acontiae *iaculi modo* vibrantur, ocissimo significatu." 23 Cometes „*terrificum* magna ex parte sidus ac non leviter piatum." — „Cometes in uno totius orbis loco colitur in templo Romae, ad-

Augurio monstrum; docuit post exitus ingens,
Seraque terrifici cecinerunt omina vates.
Namque volans liquidis in nubibus arsit arundo,
Signavitque viam flammis, tenuesque recessit
Consumpta in ventos: caelo ceu saepe refixa
Transcurrunt crinemque volantia sidera ducunt.
Attonitis haesere animis, Superosque precati
Trinacrii Teucrique viri. Nec maximus omen
Abnuit Aeneas, sed laetum amplexus Acesten
Muneribus cumulat magnis, ac talia fatur:
Sume, pater; nam te voluit rex magnus Olympi
Talibus auspiciis exsortem ducere honores.
Ipsius Anchisae longaevi hoc munus habebis,
Cratera impressum signis, quem Thracius olim
Anchisae genitori in magno munere Cisseus
Ferre sui dederat monumentum et pignus amoris.
Sic fatus cingit viridanti tempora lauro,
Et primum ante omnes victorem appellat Acesten.
Nec bonus Eurytion praelato invidit honori,

modum *faustus Divo Augusto* indicatus ab ipso, qui incipiente eo apparuit ludis quos faciebat Veneri Genetrici, non multo post obitum patris Caesaris." eaque stella significari Augustus credidit Caesarem in deos esse receptum. Pergit Plin. „Haec ille in publicum, interiore gaudio sibi illum natum, *seque in eo nasci interpretatus* est, et si verum fatemur, salutare id terris fuit." De cometis dubium erat, „moverenturne et eae, quas putamus *affixas*", et „praeter ora populi *transcurrit*." et talis stella „longiorem trahit limitem." Ex his poteris conformare eam explicationem huius loci, ut illam sagittam, in cometam mutatam, indicasse dicas multo post (*sera omina*) fore nepotem Aeneae, terrae potentem, Divum, qui in terram reduceret felicitatem. Etsi igitur terrifici vates, ignorantes fatum, timorem movent, Aeneas et Acestes melius omina intelligunt. Ut sagitta in ludis, quos Aeneas dat patri, sic cometes in ludis, quos Augustus patri dat Caesari, signum est potentiae futurae. Haec simili modo iam exposuit *Cron Jhrb.* In hac re portentosa et miraculosa non absonum erit addere aliqua ex iis, quae *Plüſs Jhrb.* de arcana Virgilii docet annorum computatione: Aeneas 3 annos, Ascanius 30, Albani 300 regnant, Romani in perpetuum. Augustus victor ex Oriente redit 29 aureumque saeculum reducit, 729 ex Cincii rationibus condita est Roma, inde 1029 Alba (300 + 700) itaque Ascanius suscepit imperium 1059, Caesar consul factus est 59. Inde concludimus regnavisse Aeneam 1062 — 60, et sagittam illam prodigiosam Acestis missam esse et Aeneam in Italiam pervenisse 1063. Segesta Romanam societatem adepta est 263, Augustus natus 63. Adde quod Aeneas per 7 annos errat, per 3 regnat. *Pl.* refert hoc omen ad bellum Punicum et ad oracula Marcii cf. Liv. 25, 12.

525. *Nubes liquidae* dicuntur 7, 699.

527. *Sidera Sternschnuppen* cf. 2, 694 et ad *refixa* Hor. Ep. 17, 5 *refixa caelo devolare sidera.* — *Saepe* cf. 1, 148.

530. Aeneas et Acestes laetum sibi omen interpretantur. Romani autem omen quodcunque casu oblatum in bonam partem explicare studebant, quod si fiebat, omen bonum erat. Ita 6, 193. 7, 118. 9, 21. 12, 260.

534. *auspiciis*, sagitta incensa. — *exsortem*, extra ordinem; cf. 8, 552 *dantur equi Teucris .. ducunt exsortem Aeneae.* — *Wg.* dat *honorem.*

536. *Cratera impressum signis*, opus caelatum. — Impressis signis simul ipse crater imprimitur, quare recte dicitur: impressum signis cf. 6, 229. 10, 497.

537. *Cisseus*, Thracum rex, pater Hecubae. Cf. 7, 320. — *in munere* sic 8, 273.

540. *primum ante omnes* cf. 2, 40.

541. *praelato invidit honori:* Honos enim Acestae suo honori (Eurytionis) praelatus est. *Hr.* honorem dictum sumit hominem honoratum, Acesten; eamque

Quamvis solus avem caelo deiecit ab alto.
Proximus ingreditur donis, qui vincula rupit;
Extremus, volucri qui fixit arundine malum.
At pater Aeneas nondum certamine misso
Custodem ad sese comitemque impubis Iuli
Epytiden vocat, et fidam sic fatur ad aurem:
Vade age et Ascanio, si iam puerile paratum
Agmen habet secum cursusque instruxit equorum,
Ducat avo turmas et sese ostendat in armis
Dic, ait. Ipse omnem longo decedere circo
Infusum populum et campos iubet esse patentes.
Incedunt pueri pariterque ante ora parentum

significationem exemplis probare conatur non aptis. *Rb.* dat *honore*, quod est in **P1**, *honori* in MP2Rγbc.

542. ***Quamvis*** c. indicativo cf. Gr. § **414 NB.**

545 — 603. Ludus Troiae.

Ludus equester edebatur a iuvenibus patriciis (*εὐπατρίδας* Dio *εὐγενεῖς* Plut. dicit), qui dicebatur et ludus Troiae et Troia et Troiae decursio; in eoque illi iuvenes equitandi artem ostentabant. Sulla edidit *τὴν παιδικὴν καὶ ἱερὰν ἱπποδρομίαν, ἣν καλοῦσι Τροίαν* Plut. Cat. Min. 3 etc. Ex ea narratione et sacrum fuisse hunc ludum et antiquum apparet; quamquam praeter hunc locum non reperio alium, quo, antequam Iulia gens rerum potita est, hic ludus datus esse narretur. Sub imperatoribus autem, maxime gentis Iuliae, saepissime edebatur cf. Caes. 39. Oct. 43. Cal. 18. Claud. 21. Ner. 7. Tac. A. 11, 11. Et imprimis Augustus „Troiae ludum edidit frequentissime, maiorum minorumque delectu, prisci decorique moris existimans clarae stirpis indolem sic notescere.“ Suet. Oct. 43. Quare Iuliae genti proprium fuisse videtur hoc certamen, quod etiam e nomine Troiae fit probabile. Atque artem poetae intelligimus, qui Iulum primum lusisse illum Iulium ludum tradiderit. Eum ludum describit, ut poeta, etiam Claudianus de IV. cons. Hon. 539 — 41 et de VI. cons. Hon. 621 — 639. — Adde Sen. Troad. 781. Suetonius originem huius ludi „expressit in libro de puerorum lusibus.“ Cf. Serv. ad v. 602. *Goebel Düren* 1851 de Troiae ludo accuratissime scripsit omnesque motus, qui sunt ap. Vgl., depinxit. — Ut hoc loco ludus habetur in mortui honorem (cf. 550), sic omnino in funere videtur esse habitus. Certe iam apud Homerum est curruum decursus Il. 23, 13. Et decursiones circum rogum memorantur 11, 189. Similes sunt ludi, qui ab equitibus nobilibus medio aevo edebantur, atque etiam nunc tales ludi nonnunquam fiunt. — Qua cura a Latinis equi tractati sint cf. 7, 274.

545. *certamine misso* cf. 286. Nondum illud sagittandi certamen finitum erat, quum parare iubet Aeneas novum. Pater Aeneas dicitur h. l., quod producit filium.

546. Custodes pueris nobilibus addi solebant, qui servarent et a facinoribus cohiberent. Cf. Hor. Sat. 1, 6, 81. AP. 161 *Imberbis iuvenis tandem custode remoto gaudet equis.* — Alium custodem et magistrum intellexit Servius, qui: „*custodem*, secundum Tullium, qui dicit, ad militiam euntibus dari solitos esse custodes, a quibus primo anno regantur. Unde ait de Pallante 8, 515 *Sub te tolerare magistro militiam et grave Martis opus adsuescat.*“

548. *Vade age* cf. 3, 462.

550. *turmas:* Sic Suet. Tib. 6 est *Troianis Circensibus ductor turmae puerorum maiorum.* — *Avo* est in avi honorem. — Turmae est triginta equitum, deinde ut h. l. certus aliquis numerus. — *Sese ostentat in armis* alludit ad illam equitum ante censorem transvectionem. — *in armis* cf. 37.

551. In *fatur* — *ait* unum abundat; sic 2, 78. 3, 480. 11, 41. Liv. 7, 16 *exclamat* — *inquit.* — Populum in ludicris, quale erat caestuum et sagittarum certamen, in quo amplus campus certantibus non desiderabatur, progressum iubet recedere et „discessu populi iubet fieri campos patentes.“ S. *discedere* P. prob. *Rb.*, quod „de multitudine proprie dicitur“ sc. ea, quae in diversas abit partes non in eandem. — *decedere* MRbc.

553. Incessus equitum depingitur aequabilitate versuum.

Frenatis lucent in equis, quos omnis euntes
Trinacriae mirata fremit Troiaeque iuventus.
Omnibus in morem tonsa coma pressa corona;
Cornea bina ferunt praefixa hastilia ferro,
Pars leves humero pharetras; it pectore summo
Flexilis obtorti per collum circulus auri.
Tres equitum numero turmae ternique vagantur
Ductores; pueri bis seni quemque secuti.
Agmine partito fulgent paribusque magistris.
Una acies iuvenum, ducit quam parvus ovantem
Nomen avi referens Priamus, tua clara, Polite,
Progenies, auctura Italos; quem Thracius albis
Portat equus bicolor maculis, vestigia primi
Alba pedis, frontemque ostentans arduus albam.
Alter Atys, genus unde Atii duxere Latini,
Parvus Atys pueroque puer dilectus Iulo.
Extremus formaque ante omnes pulcher Iulus
Sidonio est invectus equo, quem candida Dido
Esse sui dederat monumentum et pignus amoris.

555. *Fremit* est „cum favore prosequitur.“ S. *Teucri clamore sequuntur laetitiaque fremunt* 9, 637. Bene primos dicit mirari Siculos.

556. *in morem* 3, 369. — *Tonsa corona* ut 774 *caput tonsae foliis evinctus olivae.* G. 3, 21. *c. t. f. ornatus o.* S. ad 774. „comptae, minutis frondibus.“ S. Folia nimis eminentia decidebantur, ut iucundiores essent adspectu coronae. Corona ambiit galeam; Ascanius enim galeam gerit 673 et 7, 751 Umbro dicitur *fronde super galeam et felici comptus oliva.*

557. *hastilia:* „Baebius Macer dicit a Caesare Augusto pueris, qui luserunt Troiam, donatas esse galeas et bina hastilia, ad quod Virgilium constat alludere.“ S. — *praefixa* MR. *praefixo* al. cf. 6, 229. Nam dicitur et *praefigere ferrum hastae* et *praefigere hastam ferro*, qui est ablativus. Sic 12, 489. Ov. M. 7, 112 *praefixaque cornua ferro.* — *bina* cf. 8, 661.

559. *Auro torto* i. e. torque aureo ornantur ita lato, ut in pectus dependeat.

560. *Terni* quod docent poetas distributiva pro cardinalibus usurpare, id certe apud Virgilium non reperitur. *Terni* autem sunt ductores tribus illis turmis praepositi. Distributivis enim locus est in rebus, quae aliqua ratione iunctae cogitantur. Cf. Gr. § 122, 2 et An. 2.

561. *Ductores* sunt pueri, ut Ascanius, Priamus, Atys; *magistri* Epytides, alii duo, qui instruxerant pueros.

564. *Polite.* „Illum dicit, quem supra a Pyrrho introduxit occisum; (2, 526) de quo Cato in Originibus dicit, quod ad Italiam venerit, et segregatus ab Aenea condiderit oppidum Politorium a suo nomine.“ S. Eius filius Priamus; itaque eodem quo avus nomine appellabatur more antiquo. Cf. Mart. 5, 17, 1. *Dum proavos atavosque refers et nomina magna.* Cf. 4, 329. *Clara* MP1Rγbc. *cara* P2. rec. *Rb.*

565. *Albus* ter repetitur cf. 1, 449. — *Albi* equi quanto in honore fuerint cf. 3, 538.

568. Atyn, a quo deducit Atios ex Aricia, Latii urbe, ortos, propterea hic inducit, quod ex ea gente mater erat Augusti. Cf. Suet. 4.

569. *pueroque puer* cf. 1, 684. Ita etiam Atiorum et Iuliorum e principibus gentium ortum amorem esse ostendit. *Rb.* cum veteribus, ut dicit „desiderat equi in quo Atys puer invectus est, descriptionem.“ et post v. 569 sumit esse lacunam et 572 tibicinis loco positum monet? Itaque quod duos descripsit equos, alterum a forma, alterum a possessore clarum, etiam tertium describere iubetur Vgl. a Rbkio, qui omisit monere, quo id modo faciendum esset. Multo melior est et loco aptior Atii cum Octavio cognationis commemoratio.

571. *Candor* pulchrae et florentis iuventutis signum et deorum, hinc *candida Maia* 8, 138. *c. Venus* 608. *candens Apollo* 720. *candidus Daphnis* E. 5, 56. *candide Bassareu* H. C. 1, 18, 11.

572. *esse dederat* cf. 1, 66.

Cetera Trinacriis pubes senioris Acestae
Fertur equis.
Excipiunt plausu pavidos gaudentque tuentes
Dardanidae veterumque adgnoscunt ora parentum.
Postquam omnem laeti consessum oculosque suorum
Lustravere in equis, signum clamore paratis
Epytides longe dedit insonuitque flagello.
Olli discurrere pares atque agmine terni
Diductis solvere choris rursusque vocati
Convertere vias infestaque tela tulere;
Inde alios ineunt cursus aliosque recursus
Adversi spatiis alternosque orbibus orbes
Impediunt pugnaeque cient simulacra sub armis;
Et nunc terga fuga nudant, nunc spicula vertunt
Infensi, facta pariter nunc pace feruntur:
Ut quondam Creta fertur Labyrinthus in alta
Parietibus textum caecis iter ancipitemque
Mille viis habuisse dolum, qua signa sequendi
Falleret indeprensus et inremeabilis error.
Haud alio Teucrum nati vestigia cursu
Impediunt, texuntque fugas et proelia ludo,
Delphinum similes, qui per maria humida nando
Carpathium Libycumque secant, luduntque per undas.

573. Omnes reliqui Siculis equis utebantur, neque enim equos praeter paucos egregios Troiani navibus secum vehebant. *Trinacriis*, quod receperunt *Hu. Wg. Ld.* al., in quo libro legatur nescire se dicit *Rb.*, qui notat *Trinacriae* ex $MP^2\gamma$. *Trinacrii* ex P^1R, quod recepit. Coniectura tamen si est, est necessaria. *Trinacriis Wg.* testatur esse in Palatino. Alteruter igitur falsus est.

575. *pavidos*, „gloriae cupiditate sollicitos.“ S. cf. 138. Aptius tamen videtur de puerorum verecundia cogitare. — *Gaudentque tuentes*, dum tuentur, non quod tuentur, cf. 2, 377. et quod agnoscunt filios clarorum parentium.

580. *Discurrere pares.* Nam solvunt ordinem et discurrunt omnes ad spectatores conversi, sed aequato ordine dispositi, (pares). In eo autem omnis ars, quod pares faciunt omnia, quod non turbantur. Deinde convertunt se et oppositi inter se tela conferunt. Post alios incipiunt cursus et recursus, vario modo discursitantes; ita ut modo pars fugiant, iidemque revertantur et spicula in eos, qui persequuntur, convertant, mox omnes simul ferantur coniuncti. Tales autem sunt incessus eorum, ea arte inter se connectuntur et dissolvuntur, ut viae, quas eunt, cum Labyrintho, multitudine et diversitate viarum inextricabili, comparari posse videantur.

581. *deductis* MR. — *diductis* „tueri videntur libri et plurimi et in his quidam sane quam praestantes.“ *Wg.* cf. 1, 211. — *vocati* a magistris.

582. Convertere viam sic c. *fugam* 12, 252.

584. *adversi* MR. — *adversis* P. sed *d* eraso. — *alternis* R. — *alternos* M. Ex sententia praestat *adversi*, neque enim spatia adversa sunt, sed ipsi adversi per spatia distant. *adversis* ortum est ex sequente *s*, *alternis* ex sequente *orbibus*; sed utrumque ob ingratum sonum et sententiam improbatur.

585. *Simulacra ciere* cf. 674, ubi est *belli simulacra ciere*, quod iam legitur Lucr. 2, 42. 324.

588. Labyrinthus, aedis a Daedalo facta, itinerum flexibus ita confusa, ut qui intraret, non posset exitum invenire. Cf. Cat. 64, 112 sq. Ov. Met. 8, 158. Adde Hom. Il. 18, 590. — *alta* cf. 6, 23. De forma comparationis cf. 12, 4.

589. *Parietibus caecis*, qui prospectum intercipiunt, textum est iter. Cf. 4, 22.

590. *mille viis — qua;* sic G. 1, 89 *vias — qua.*

591. *irremeabilis error* cf. 6, 27.

593. *impediunt* „implicant, intexunt.“ S.

595. *Carpathium mare* ab insula Car-

Hunc morem cursus atque haec certamina primus
Ascanius, Longam muris quum cingeret Albam,
Rettulit et priscos docuit celebrare Latinos,
Quo puer ipse modo, secum quo Troia pubes.
Albani docuere suos; hinc maxima porro
Accepit Roma et patrium servavit honorem;
Troiaque nunc, pueri Troianum dicitur agmen.
Hac celebrata tenus sancto certamina patri.
Hic primum Fortuna fidem mutata novavit.
Dum variis tumulo referunt sollemnia ludis,
Irim de caelo misit Saturnia Iuno
Iliacam ad classem, ventosque adspirat eunti,
Multa movens, necdum antiquum saturata dolorem.
Illa viam celerans per mille coloribus arcum

patho, quae est inter Rhodum et Cretam. — *Libycumque: Hn.* mavult legi Libycumve; sed in *que* non intelligitur utrumque delphinas mare eodem tempore permeare. — *luduntque per undas.* Haec verba omittit M1 et Mss. plurimi; in aliquot sunt adscripta ab alio. Delenda igitur sunt, praesertim quum v. 593 sit *ludo.* Ipse per se inepta non sunt, et qui delphinos observavit, non magis eorum celeritatem cognovit, quam ludendi cupidinem. De structura cf. 8, 125.

598. *Rettulit* est „innovavit," S. repetiit, iteravit; ita *referre fabulam* Ter. Hec. prol. 7. Cic. de Or. 3, 20 *nisi Atheniensibus, quod mysteria non referrent, succensuissem.* pr. Flacc. 1. *quum L. Flaccus veterem Valeriae gentis in liberanda patria laudem prope quingentesimo anno reipublicae retulisset.* Claud. Laud. Stil. 1, 328 *neglectum Stilicho per tot iam saecula morem rettulit.* Suet. Caes. 20 *antiquum rettulit morem.* Cf. 4, 329.

599. *Quo puer ipse modo* sc. celebraverat.

601. *Patrium*, a patribus traditum servat *honorem,* quo honorantur iuvenes nobiles, quum quantum sint exercitati ostendant.

602. Ludus nunc Troia dicitur, pueri Troianum agmen. *Pueri dicitur* cf. Gr. § 243, 2.

603. „Commentatorem magis quam poetam decebat versus 603 exilitas" *Rb.* At claudenda est narratio et modo simplicissimo.

604 — 699. Mulieres Troianae naves incendunt.

Fama erat, Troianas feminas naves incendisse, sed alii in Sicilia, alii in Italia inferiore, alii in Thessalia eas id fecisse memorabant. Poeta etiam huius rei caussam facit Iunonem, quae quovis modo Troianos ab Italia studet retinere.

604. *Hic* Mc. *Hinc* PRγb rec. *Rb. Fidem novare* est facere aliam, turbare. Confer formulam *res novare.* et Cic. Legg. 3, 5 *Nihil habui, quod putarem novandum in legibus,* et Ov. M. 4, 54 *nomenque simul faciemque novavit.*

606. Idem v. 11, 2. „Ex magna parte servatur, ut Mercurius ad concordiam, Iris ad discordiam mittatur. Falsum est autem, quod dicitur, ministram esse tantum dearum; quum et a Iove plerumque mittatur, ut 9, 803." S. et Val. Fl. 4, 77.

607. Dii si per aera proficiscuntur, ventos in auxilium assumunt. sic 4, 223.

608. *multa movens* sc. animo, quod additum est 3, 34. 10, 890. — *Saturare dolorem* dicitur ut Cic. in Vat. 3 *crudelitatem odiumque ... saturare.* Cat. 68, 83 *saturare amorem.* Sen. Tro. *satiare dolores.* Sil. 12, 107 *exsatiare dolorem.* Doloris caussas v. 1, 19 sq.

609. *illa — virgo.* Nonnunquam pronomini ipsum subiungitur substantivum, cuius loco pronomen est; cf. 262 *huic — viro.* 1, 256 *illi — natae.* 11, 679 *cui — pugnatori.* 12, 400 *ille — senior.* 728 *hic — Turnus.* 901 *ille — heros.* A qua ratione non differt illa, qua adverbium pronominale explicatur substantivo ut 1, 583 *huc — vestris oris.* 2, 18 *huc — lateri.* 3, 616 *hic — in antro.* 6, 305 *huc — ad ripas.* 7, 209 *hinc — a sede.* 12, 273 *qua — alvo.* E. 1, 54 *hinc — a limite.* E. 3, 12 *hic — ad fagos.* — Per arcum tanquam viam Iris (cf. 4, 700) descendit in terram et ascendit in caelum cf. 657. 9, 15. Ov. M. 11, 632 *remeat per quos modo venerat arcus.* — *per mille coloribus arcum* cf. 3, 618. *Mille coloribus* posi-

Nulli visa cito decurrit tramite virgo.
Conspicit ingentem concursum et litora lustrat,
Desertosque videt portus classemque relictam.
At procul in sola secretae Troades acta
Amissum Anchisen flebant, cunctaeque profundum
Pontum adspectabant flentes: Heu! tot vada fessis
Et tantum superesse maris! vox omnibus una;
Urbem orant, taedet pelagi perferre laborem.
Ergo inter medias sese haud ignara nocendi
Coniicit, et faciemque deae vestemque reponit;
Fit Beroe, Tmarii coniunx longaeva Dorycli,
Cui genus et quondam nomen natique fuissent;
Ac sic Dardanidum mediam se matribus infert:
O miserae, quas non manus, inquit, Achaica bello
Traxerit ad letum patriae sub moenibus! o gens
Infelix, cui te exitio Fortuna reservat?
Septima post Troiae excidium iam vertitur aestas,

tum inter *per* et *arcum* est pro adiectivo cf. Gr. § 472.

610. *Citus trames* est declivis, in quo cursus citus est.

613. *Acta*, ἀκτή, litus, quae vox etiam ap. Cic. Verr. 5, 25, 63. — *Sola* est „deserta.“ S. *Solus* enim is dicitur locus, qui ab hominibus non colitur aut frequentatur. Sic *sola nemora* 11, 545. *soli montes* 569. *soli agri* G. 3, 249. *sola rupes* E. 10, 14. *sola arva* Ov. M. 3, 10. *s. antra* 394. *s. loca* F. 1, 502. Nep. Eum. 8. Sall. Iug. 103. Cic. Div. 1, 28. Ita iam Plautus et Terentius. Cf. *noctem solam* 6, 268. — *Troades secretae* a virorum ludis *flent Anchisen*. Ad tales ludos non admittuntur mulieres. Cf. Liv. 25, 12. Suet. Oct. 44.

614. Pontum adspectant flentes, cui iterum se tradere coguntur. Facile ex Anchisae memoria ad hanc ducuntur cogitationem: scilicet et ille et alii mortui sunt in longo itinere; neque nostrum ulla certam sedem assequetur. Inde quae Beroe, sive Iris facit, facit ex animi humani natura. Cf. 4, 554.

616. *superesse:* De infinitivo 1, 37.

618. *haud ignara nocendi*, certo nocendi consilio, ut v. 1 *certus eundi* legitur, *prodigus nocendi* Stat. 6, 767.

619. *Vestem reponit*; demissam illam, ex qua dea poterat cognosci, cf. 1, 404. imprimis Iris, quae induta est „velamina mille colorum.“ Ov. M. 11, 589.

620. *Tmarii* M2R. *Ismarii* P. Utrumque dant Servii libri. *Mari* M1 al. *Tmaros* E. 8, 44, (ubi in M. legitur AUTMAROS pro AUTTMAROS ex more librariorum) est mons Thraciae. Thraces autem cum Troianis connubium habebant, quod docet 3, 15. Potuit igitur Rhoeteia cf. 646 i. e. Troiana mulier nubere Thraci, isque Troiae habitare. — Non mirum, si in nomine ignoto errarunt librarii. Vergilius autem nomen aliquod finxit, ut haberet Beroe maritum. Doryclus aliquis, Priami filius, memoratur Hom. Il. 11, 489 occisus ab Aiace Telamonio. *Kl.* coni. *Martii* i. e. ἀρηίου, fortis. *E. Hoffmann Z. f. östr. G.* 53 p. 419 sq. coni. *et miseri; Wg. Marii* „qui patrem habuit *Μάρον* Marum, quod nomen est ap. Sil. 6, 74. 98. 136.

621. Beroe et nobilitate et miseria sua magnam habebat auctoritatem. Propterea eius formam Iris sibi elegerat.

623. Ita 1, 94. 3, 321 felices dicuntur, qui Troiae perierunt. De coniunctivo *traxerit* cf. 2, 346. — Incipit a miseratione, transit 630 ad opportunum locum urbis condendae; docet idem postulare pietatem in deos 632; prodigiis se et Cassandrae (cuius tum apud Troianos magna erat auctoritas, quod omnia, quae praedixerat, facta erant) commoveri vaticinio 636, adesse etiam quasi divinitus datas faces. 639.

626. Ne offendaris, quod iam quum ad Didonem venerat Aeneas, septima aestas eum circumagere dicitur 1, 755; ita sibi videtur finxisse rem Vgl. Ante hiemem pervenit in Siciliam, ibique moritur Anchises; post exactam hiemem ex Sicilia facto discessu ad Carthaginis litus appelluntur (haec septima aestas erat) ibique usque in auctumnum commorantur; ita ut in Siciliam revertantur anno fere post Anchisae mortem, attamen septimo anno

Quum freta, quum terras omnes, tot inhospita saxa
Sideraque emensae ferimur, dum per mare magnum
Italiam sequimur fugientem et volvimur undis.
Hic Erycis fines fraterni atque hospes Acestes.
Qui prohibet muros iacere et dare civibus urbem?
O patria et rapti nequidquam ex hoste Penates;
Nullana iam Troiae dicentur moenia? nusquam
Hectoreos amnes, Xanthum et Simoenta, videbo?
Quin agite, et mecum infaustas exurite puppes.
Nam mihi Cassandrae per somnum vatis imago
Ardentes dare visa faces: Hic quaerite Troiam;
Hic domus est, inquit, vobis. Iam tempus agi res;
Nec tantis mora prodigiis. En quattuor arae
Neptuno; deus ipse faces animumque ministrat.
Haec memorans prima infensum vi corripit ignem,
Sublataque procul dextra connixa coruscat,
Et iacit. Arrectae mentes stupefactaque corda
Iliadum. Hic una e multis, quae maxima natu,
Pyrgo, tot Priami natorum regia nutrix:
Non Beroe vobis, non haec Rhoeteia, matres,
Est Dorycli coniunx; divini signa decoris,
Ardentesque notate oculos; qui spiritus illi,
Qui voltus, vocisque sonus, vel gressus eunti.

vergente. Omnino autem epici poetae non tam anxie temporis habent rationem, ut iam apud Homerum videmus.

628. *Sidera* „ait provincias quae sideribus subiacent.“ S. Potius sidera ipsa emetiuntur et post se relinquunt, si regiones quae iis subiacent peragraverunt. Cf. 6, 796.

629. *Italiam fugientem* cf. 3, 496. Recte igitur *sequimur* cf. 4, 361. — *Volvuntur undis* qui cursum dirigere non valent.

631. *qui* M1. — *quis* M2P est in Rc. Et *qui* et *quis* aptum est cf. Gr. § 385 et *quid*, sed mutata sententia. — *Muros iacere*, ut notissimum est *iacere fundamenta*, *aggerem*, *molem*, et ap. Prop. 2, 25, 62 legitur *iacta moenia*.

632. *Nequidquam*, quod nusquam sedem invenient.

633. *Dicentur*, more colonorum, qui antiquae urbis nomina in nova referebant. Cf. 3, 349.

638. *Tempus*, sc. est *agi res*. Saepe infinitivus substantiva cum verbo *esse* apposito vel intellecto sequitur; ita *tempus* 6, 45. 9, 12. 10, 441 i. e. tempestivum est, convenit. *cura* 1, 704. 7, 435. *amor* 2, 10. 3, 298. *animus* 3, 60. 11, 325. *studium* G. 1, 21. 2, 195. *cupido* 2, 349. *labor* 1, 70. G. 4, 106. *mos* 1, 336. *fas* 1, 206. 6, 266. 12, 28. *modus* G. 2, 73. *aetas* G. 3, 60. *fama* c. acc. et. inf. 3, 578. *spes* 5, 184. *potestas* 4, 565. *invidia* 4, 350. Neque ita tantum poetae loquuntur; saepe ipse Cicero cf. Gr. § 426. 1.

639. *prodigiis:* Ubi tanta sunt prodigia, non est cunctandum. — *quattuor:* „Quia singuli duces navium, qui certaverunt. singulas posuerant. — Alii tamen dicunt a Cloantho esse positas, qui promiserat se daturum.“ S.

641. *infensum ignem*. Ad rem transfertur, quod est animi eius, qui iacit. Sic 9, 793 tela infensa et 10, 521 hasta infensa memoratur.

643. Vides in v. 642. magnam inesse rei fatalis exspectationem, quae mox dactylo *et iacit* celeriter abrumpitur, ut qui sequuntur spondei animum signant, qui stupore rei factae hiscere non audet. Similia 10, 336. 12. 728. — *Arrectae* sunt, quod tantum ausa est Beroe.

645. *Pyrgo* „Non est dissuasio, ut quidam putant, sed magis hortatur persuadendo numinis auctoritate.“ S.

648. *Ardentes oculi* dei signum est, cf. ad 1, 710. — *Spiritus* altus est, qui se prodit oris specie. Etiam ex vultu, voce, gressu deus potest cognosci cf. 1, 327. 405. 592. Ov. Met. 3. 608. *Specto cultum faciemque gradumque; nil ibi quod posset credi mortale videbam.*

Ipsa egomet dudum Beroen digressa reliqui
Aegram, indignantem, tali quod sola careret
Munere, nec meritos Anchisae inferret honores.
Haec effata.
At matres primo ancipites oculisque malignis
Ambiguae spectare rates, miserum inter amorem
Praesentis terrae fatisque vocantia regna:
Quum dea se paribus per caelum sustulit alis,
Ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum.
Tum vero attonitae monstris actaeque furore
Conclamant, rapiuntque focis penetralibus ignem;
Pars spoliant aras, frondem ac virgulta facesque
Coniiciunt. Furit immissis Volcanus habenis
Transtra per et remos et pictas abiete puppes.
Nuntius Anchisae ad tumulum cuneosque theatri
Incensas perfert naves Eumelus, et ipsi
Respiciunt atram in nimbo volitare favillam.
Primus et Ascanius, cursus ut laetus equestres
Ducebat, sic acer equo turbata petivit
Castra, nec exanimes possunt retinere magistri.
Quis furor iste novus? quo nunc, quo tenditis, inquit,
Heu miserae cives? Non hostem inimicaque castra
Argivom, vestras spes uritis. En, ego vester
Ascanius: galeam ante pedes proiecit inanem,
Qua ludo indutus belli simulacra ciebat.
Adcelerat simul Aeneas, simul agmina Teucrum.
Ast illae diversa metu per litora passim
Diffugiunt silvasque, et sicubi concava furtim

652. *Inferret* est vox propria; inde *inferiae* — *meritos* cf. 3, 118.

653. *Haec effata:* Hemistichium addidit plane supervacaneum. Plura videtur addere voluisse. Abest ab uno codice.

654. *Ancipites*, num Beroen sequantur. *Oculis malignis spectant*, quod incendi vident naves, spem unicam salutis — *primo spectare* — *quum* cf. 3, 590.

656. *fatis vocantia regna*, quae vocant secundum fata, regna fatalia.

657. *paribus alis* cf. 4, 252.

658. *fuga* cf. 586. Secat arcum i. e. it per arcum. Cf. *secare viam* 6, 900. Idem versus 9, 15.

660. Ex *focis penetralibus* domorum proximarum ignem afferunt. Quo enim loco stabat classis Troiana, erant domus Siculorum, quibus recepti habitabant Troiani. Sic *foci penetrales* Cat. 68, 102. De v. *penetralis* cf. 2, 297.

662. *Immissis habenis* est libere, translata metaphora. *Wehe wenn sie losgelassen ... wälzt den ungeheuern Brand. Schill.* Cf. 6, 1.

663. *Abiete* est abl. materiae cf. 3, 618. — *pictae naves* cf. 7, 431.

664. *cuneos theatri.* Ita iam 288 consessum spectatorum theatrum dixit.

665. *perfert* cf. 2, 75.

669. *magistri* cf. 546. 562. — *Exanimes* sunt timore, ne Ascanius ardore abreptus in periculum incidat. Bene autem puero regio aliquae partes tribuuntur.

670. *Quo tenditis*, i. e. quid consilii habetis.

673. *Inanem* „capiti exutam“ ut Ov. F. 4, 209. Contra galeam plenam dixit, quae imposita est capiti, Sil. 10, 146; et *galeam implere* pro capiti imponere Claud. RP. 3, 218. *Pl.* coni. *aenam*, coniecturam vere inanem.

674. *Belli simulacra ciebat* a Lucretio habet, qui idem 2, 42. 324. Cf. 585.

676. *Diversa per litora* i. e. diversas litoris partes; non minus recte, quam *extrema platea* etc. dicitur.

Saxa, petunt; piget incepti lucisque, suosque
Mutatae adgnoscunt, excussaque pectore Iuno est.
Sed non idcirco flammae atque incendia vires
Indomitas posuere: udo sub robore vivit
Stuppa vomens tardum fumum, lentusque carinas
Est vapor, et toto descendit corpore pestis;
Nec vires heroum infusaque flumina prosunt.
Tum pius Aeneas humeris abscindere vestem,
Auxilioque vocare deos et tendere palmas:
Iuppiter omnipotens, si nondum exosus ad unum
Troianos, si quid pietas antiqua labores
Respicit humanos, da flammam evadere classi
Nunc, pater, et tenues Teucrum res eripe leto.
Vel tu, quod superest, infesto fulmine morti,
Si mereor, demitte, tuaque hic obrue dextra.
Vix haec ediderat, quum effusis imbribus atra
Tempestas sine more furit, tonitruque tremescunt
Ardua terrarum et campi; ruit aethere toto
Turbidus imber aqua densisque nigerrimus austris;
Implenturque super puppes; semiusta madescunt
Robora; restinctus donec vapor omnis et omnes
Quattuor amissis servatae a peste carinae.
　At pater Aeneas, casu concussus acerbo,
Nunc huc ingentes, nunc illuc pectore curas

678. *Lucis* taedet, nam occultant se pudore.

679. *Excussa Iunone* redit sana mens; ita Sibylla 6, 79 *excussisse deum quaerit.* Simile Claud. in Eutr. 2. 518: *Mutati stupuere diu, sensuque reducto paulatim proprii mirantur monstra furoris, avertuntque oculos.*

680. *non incendia vires indomitas posuere* cf. 4, 22.

682. *stuppa*, qua tignorum iuncturae stipatae sunt. — *tardus*, quod densior est aqua vicinà.

683. „*Corpore;* navium — *descendit pestis;* incendium.“ S. *Pestis* enim omne, quod nocet, malum magnum; sic 9. 540 ignis est, turrim devorans, cf. 3, 215. 10, 55. et 7, 505 est pestis Allecto, 11, 792 Camilla, 12, 844 Furiae, 6, 737 cupiditates. Atque ita apud Ciceronem. Semel tantum Virgilius *pestem* videtur posuisse pro *pestilentia* G. 3, 471.

684. *Gt.* coni. *Troum vires.*

685. Ubi humanis viribus incendium non potest exstingui, deorum advocatur auxilium. — *humeris abscindere vestem.* De eo more 12, 609. — Qui fuerint precandi ritus intelliges, ubi comparaveris 3. 528. 7, 132. 8, 70. 572. 9, 18. 403. 495. 625. De inf. hist. cf. 2, 132.

687. *Exosus* primus dixit Vgl.; sic 12, 517 *exosus bella*, 818 *pugnas.* Secutus est Flor. 4, 11, 1. Curt. 8, 7, 11. Sil. 6, 102. Stat. 9. 75. Ita *perosus* 6, 435 sic Liv. Suet. Cf. Gr. § 176, 6. — *ad unum.* Nota est formula *ad unum omnes.*

688. De deorum pietate 1, 603.

689. *Evadere aliquid*, effugere. Sic 9, 386. 560. Secuti sunt Tac. 14, 6 *evadere casum gravem*, 10 *facinus.* Suet. Caes. 74 *evadere insidias.* Cf. 2, 731.

690. *Letum* ad res refertur. Sic Liv. 22, 53 *Si sciens fallo, tum me, Iuppiter Optime Maxime. domum, familiam remque meam pessimo leto afficias.*

691. *quod superest:* Ita 12, 643 *id rebus defuit unum.* Nihil enim mihi aliud restat optandum, quam mors, rebus omnibus amissis.

692. *morti demitte* cf. 2, 398.

694. *sine more*, immodice; ita 7, 377.

695. *ardua terrarum* cf. 1, 422.

697. *semiusta*, cf. 4, 686.

700 — 718. Nautes suadet Aeneae, ut invalidos relinquat in Sicilia.

700. *casu concussus*, ita 869.

Mutabat versans, Siculisne resideret arvis,
Oblitus fatorum, Italasne capesseret oras.
Tum senior Nautes, unum Tritonia Pallas
Quem docuit multaque insignem reddidit arte. —
Haec responsa dabat vel quae portenderet ira
Magna deum vel quae fatorum posceret ordo. —
Isque his Aeneam solatus vocibus infit:
Nate dea, quo fata trahunt retrahuntque, sequamur;
Quidquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est.
Est tibi Dardanius divinae stirpis Acestes:
Hunc cape consiliis socium et coniunge volentem;
Huic trade, amissis superant qui navibus, et quos
Pertaesum magni incepti rerumque tuarum est,
Longaevosque senes ac fessas aequore matres
Et quidquid tecum invalidum metuensque pericli est,
Delige; et, his habeant terris, sine, moenia fessi;
Urbem appellabunt permisso nomine Acestam.
  Talibus incensus dictis senioris amici,

702. *mutabat versans*, cf. 418. *Pl.* coni. *N. h. ingenti, n. i. p. c. Nutabat versans.*

703. *Capessere* est tendere in cf. 4, 346. — *ne* — *ne* cf. 1, 308.

704. *Nautes* „Bene daturum consilium et ab aetate et a prudentia et a religione commendat. Quod autem dicit *quem docuit Pallas*, fingitur, quia ipse Romam Palladium detulit. (Idem et Minervae sacerdotem eum fuisse narrat Dion. 6, 69.) Unde Nautiorum familia Minervae sacra retinebat, quod etiam Varro docet in libris, quos de familiis Troianis scripsit.“ S.

705. *multaque insignem reddidit arte.* Haec verba explicantur versibus sequentibus; haec (Pallas) ei responsa dabat, ut intelligeret et quid ex singulorum deorum ira esset factum, et quid ex fato esset constitutum. Sic distinguit Claud. B. Get. *seu fata vocabant, seu gravis ira deum.* Ita etiam hoc loco quid illud navium incendium significaret, intellexit. Cf. 2, 182. Nota tamen structuram, quam poeta mutare et vertere quam longa periodo in scriptoris maluit modum complecti. Itaque partes orationis dissecuit nulla addita coniunctione, et levi anacolutho inchoatam orationem omisit, mox de integro orsurus. Cf. 1, 29. Sic apposuit enuntiata, quae erant componenda 6, 601 et 603.

706. *Haec* MPRγbc2 rec. *Wg.* *hac* c1 rec. *Rb. Ld.* i. e. hac arte N. dedit responsa; structura satis facili, sed auctoritate nulla. *Pl.* coni. *Et* resp. etc.

707. Poscunt fata 7, 272 et poscuntur fatis homines 8, 12.

708. *Infit* defectivum est cf. Gr. § 181, 4. — Est et cum infin. *farier* 11, 242, et sine eo 10, 100. 860 et Ovid., non apud scriptorem praeter Livium.

710. *Quidquid erit* i. e. quodcunque etiam accidet, ut 2, 77. Nam ipse nescit, neque enim vaticinandi ei est potestas, sed intelligit recte, si quae dii ostendunt. — *Ferendo* activum est cf. Gr. § 439 An. 6.

711. De Aceste cf. 37.

712. *Coniunge volentem*, ut velit tibi a consiliis esse.

713. *Superant* est „supersunt, superfluunt.“ S. cf. 2, 597.

715. Ut *longaevos senes*, ita dixit Tib. 1, 8, 50 *veteres senes.* Neque tamen ea est abundantia verborum.

716. *Quidquid* est, quicunque sunt cf. 1, 601.

718. *permisso nomine;* i. e. quo tu urbem concedes appellari. — *Acestam* fecit Virgilius, alibi est Aegesta, Egesta; Segesta Romanis. Cic. Verr. 4, 33, 72: „Segesta est oppidum pervetus in Sicilia, quod ab Aenea fugiente a Troia atque in haec loca veniente conditum esse demonstrant. Itaque Segestani non solum perpetua societate atque amicitia, verum etiam cognatione se cum populo Romano coniunctos esse arbitrantur.“ Adde 5, 47, 125. In urbe Segesta erat *ἱερὸν Αἰνείου.* Dion. 1, 53. Inde explicatur, quod eos Thucydides vocat barbaros 6, 11.

719—745. Idem praecipit umbra Anchisae.

719. *Tum vero* post participium ap. Sall. Cat. 61 *confecto proelio tum vero*

Tum vero in curas animum diducitur omnes.
Et Nox atra polum bigis subvecta tenebat:
Visa dehinc caelo facies delapsa parentis
Anchisae subito tales effundere voces:
Nate, mihi vita quondam, dum vita manebat,
Care magis, nate, Iliacis exercite fatis,
Imperio Iovis huc venio, qui classibus ignem
Depulit et caelo tandem miseratus ab alto est.
Consiliis pare, quae nunc pulcherrima Nautes
Dat senior: lectos iuvenes, fortissima corda,
Defer in Italiam. Gens dura atque aspera cultu
Debellanda tibi Latio est. Ditis tamen ante
Infernas accede domos, et Averna per alta
Congressus pete, nate, meos. Non me impia namque
Tartara habent tristesve umbrae, sed amoena piorum

cerneres. Liv. 2, 29 *quo repulso tum vero.* Saepissime *tum* antecedente particula vel participio. Cf. 14.

721. *Nox* non minus quam Sol per caelum decurrere putatur, quae si polum tenet caelique culmen, nox media est. Cf. 738. 835. 3, 512. Et bigis invehitur etiam ap. Val. Fl. 2, 295. 3, 211. Claud. RP. 1, 276 sed nigris quadrigis Tib. 3, 4, 17. Etiam nunc eo maxime tempore simulacra et spectra putantur apparere.

722. *facies* cf. 1, 658. — „*Caelo delapsa*, aut secundum quod supra (4, 654) diximus, quia animae caelum tenent, simulacra vero apud inferos sunt; aut ad errorem pertinet somnii: nam et visa ait; (?) aut certe intelligamus a Iove missam potestatem aliquam, quae se in Anchisae converteret vultum. Nam et ipse dicit: *Imperio Iovis huc venio*, et infert: *Elysiumque colo.*" S. Quod extremum posuit, nemo puto probabit.

723. *effundere voces* cf. 482.

725. *Iliacis exercite fatis;* idem 3, 182.

726. Ignem depulsum memorat, quo maiore sit iussum auctoritate, quum is deus praecipiat, qui modo benigni in Troianos animi luculentum dederat documentum.

728. *consiliis pare, quae nunc pulcherrima dat.* Sic 9, 536. Cic. CM. 14 *tempestivis conviviis delector cum aequalibus, qui pauci admodum restant.* Quamquam intelligitur, interesse aliquid, utrum dicatur *cum paucis*, *qui restant*, an ut hoc loco dictum est a Cicerone. Cf. Gr. § 249, 2.

729. *iuvenes*, *corda* cf. 751.

730. *Gens dura atque aspera cultu* cf. 8, 318.

731. *debellanda:* „Bene victoriam, non bella sola praedicit, in quibus esse poterat terror." S. *Latio est* MRγbc rec. in Edd. — *est Latio* P. rec. *Rb.*

732. *Averna* cf. 6, 242.

733. *Congressus pete meos. Sk.* monet ex hoc ipso loco apparere, inutile esse iter in Tartarum, nam Anchisen potuisse iam omnia docere; inductum esse Virgilium, ut talia faceret, modo ut imitaretur Odysseam. At non potuit Anchises secum adducere omnes Romanos, quos ostendit apud inferos Aeneae. Neque Anchises ipse h. l. adest sed eius facies. Cf. 6, 782. — *Namque* quarto loco est ut 10, 614. Ecl. 1, 14. sexto loco; tertio 6, 72. Ecl. 3, 33; secundo Flor. 1, 17, 6. 4, 12, 25.

734. *Tartara*, *tristes umbrae* M1PRγ (sic *Rb.*). Liberius id appositionis genus, quo vocabulo locum signanti additur id quod loco continetur, legitur saepius. Cf. 1, 339. 4, 40, 201. 7, 670. G. 2, 97. Ov. F. 3, 102 *Graecia, facundum sed male forte genus.* M. 14, 48 *Rhegion ingreditur, ferventes aestibus undas.* Xen. Anab. 5, 5, 3 *ἀφίκοντο εἰς Κοτύωρα, πόλιν Ἑλληνίδα, Σινωπίων ἀποίκους.* Contrarium est illud Caes. BC. 1, 18 *Caesari nuntiatur Sulmonenses, quod oppidum . . ., cupere facere quae vellet.* Flor. 2, 7, 1 *Secutae statim Africam gentes, Macedonia, Graecia, Syria.* Miscentur enim saepissime loca et qui incolunt homines. Inde terrae nomen pro incolis et incolarum pro terra dicitur, nec non locus accipit epitheta, quae propria sunt incolis. Satis igitur probatur haec appositio. Tamen quum *tristesve* M2, *tristesque* P (ut refert *Wg.*) habeant, et in altera enuntiationis parte duo ponantur: orationis videtur postulare concinnitas, ut h. l. etiam

Concilia Elysiumque colo. Huc casta Sibylla
Nigrarum multo pecudum te sanguine ducet.
Tum genus omne tuum et quae dentur moenia disces.
Iamque vale; torquet medios Nox humida cursus;
Et me saevus equis Oriens adflavit anhelis.
Dixerat, et tenues fugit, ceu fumus, in auras.
Aeneas, Quo deinde ruis? quo proripis? inquit,
Quem fugis? aut quis te nostris complexibus arcet?
Haec memorans cinerem et sopitos suscitat ignes,
Pergameumque Larem et canae penetralia Vestae
Farre pio et plena supplex veneratur acerra.
    Extemplo socios primumque arcessit Acesten,
Et Iovis imperium et cari praecepta parentis
Edocet, et quae nunc animo sententia constet.
Haud mora consiliis; nec iussa recusat Acestes.
Transcribunt urbi matres, populumque volentem

duo memorentur; *ve* autem ante *u* facile potuit absorberi. *tristesve Wg. Ld.*

735. *casta* cf. 6, 661.

736. *Nigrae pecudes* Inferis immolantur et Tempestatibus. Cf. 3, 118. — *Sanguine* sc. victimarum efficiet, ut te ad Elysium ducere liceat. — Iam parat exspectationem praestantissimi loci Romanoque acceptissimi, in quo Romanorum magnos viros enumerat.

737. *genus*, Romanos — *moenia*, Roma cf. 6, 782. „Hae sunt caussae, propter quas Aeneas descendit ad inferos, generis agnitio et civitatis nomen; quod ei nullus unquam praedixerat, sed solus indicat pater. Latet enim verum urbis nomen, unde et pater quasi pro mysterio ait: *illa incluta Roma* 6, 782.“ S.

739. *Oriens afflavit* ut G. 1, 250 *Nos ubi primus equis Oriens adflavit anhelis.* Ita *Oriens* est sol 42. Ov. Fast. 1, 653. — Itaque est: Iam propinquat dies, nam Solis equi lumen elatis naribus efflant 12, 115. In circo autem saepe equus equum anhelitu urgebat cf. G. 3, 111; atque inde ducta est comparatio. — Solis equi constanti epitheto anheli dicuntur cf. Ov. Met. 4, 632, ob eam qua fertur Sol rapiditatem. — Saevus sol dicitur ab Anchise, quod umbras pellit. Semper autem valuit opinio mortuorum umbras fugere lucem. Sic ap. Claud. talis *dixit et afflatus vicino Sole refugit* B. Gild. 348. Val. Fl. 3, 213 *Trepidam Phaethon afflavit ab alto Tisiphonen.*

740. *tenues in auras* cf. 861. 2, 791. G. 4, 499.

741. *deinde* cf. 14. — *proripis* cf. ad 2, 492 et 1, 104.

743. Ubique post visum sacra fiunt cf. 3, 177. — *sopitos suscitat ignes* cf. 8, 410.

744. *cana Vesta* ut 9, 259. Cf. 1, 292 *cana Fides.* Sic Varro Sat. fr. 31. 29 ed. Oehl. *cana Veritas Atticea philosophiae alumna;* videtur esse pura, incorrupta, infucata, casta, sancta. — Quod Vesta Penatibus iuncta colitur cf. 3, 12. Macr. 3, 4. — *Larem.* Lares saepe pro Penatibus dictum cf. 1, 704 (siquidem Romani discrimen, quod inter utrosque statuitur, omnino tenebant). Lar etiam singulari dicitur, non Penates. His autem diis farre et ture supplicatur cf. Hor. C. 3, 23, 3 *si ture placaris et horna fruge Lares avidaque porca.* 19 *mollivit aversos Penates farre pio et saliente mica.* — *penetralia:* Templum vel sacellum ipsum Aeneas veneratur, neque enim imago Vestae, qualis Laris esse solebat.

745. De *farre pio* cf. 4, 517. De veneratione post somnium 3, 177.

746—761. Urbs Segesta conditur.

746. *primumque*, i. e. primum omnium, antequam alios docet; ita adiectivum primum iam legisti 3, 58 (*delectos populi ad proceres primumque parentem ... refero*) „primum, principem.“ S. Habes iubentem et imperantem regem.

748. *Edocet* duplici structura cf. 3, 180. — *Nunc*, cf. 4, 376. — Iam post longam demum dubitationem certum cepit consilium, quod aperit sociis, qui iussa capessunt. Non adhibet eos ad consilium; sed sine mora ii id exsequuntur.

750. *Transcribunt urbi matres* „Romani moris verbum est. Transscripti

Deponunt, animos nil magnae laudis egentes.
Ipsi transtra novant, flammisque ambesa reponunt
Robora navigiis; aptant remosque rudentesque
Exigui numero sed bello vivida virtus.
Interea Aeneas urbem designat aratro,
Sortiturque domos; hoc Ilium et haec loca Troiam
Esse iubet. Gaudet regno Troianus Acestes
Indicitque forum et patribus dat iura vocatis.
Tum vicina astris Erycino in vertice sedes
Fundatur Veneri Idaliae, tumuloque sacerdos
Ac lucus late sacer additur Anchiseo.
  Iamque dies epulata novem gens omnis, et aris
Factus honos: placidi straverunt aequora venti,
Creber et adspirans rursus vocat Auster in altum.
Exoritur procurva ingens per litora fletus;

enim in colonias deducebantur." S. — *volentem*, quicunque remanere voluit cf. 712. G. 4, 561 *victorque volentes per populos dat iura.*

751. *Deponunt* „quasi de navibus" S. Potius quasi onus. — *Animos* appositum est ad populum eodem modo, quo 729 *lecti iuvenes*, *fortissima corda* et 2, 348 *iuvenes*, *fortissima pectora* dicitur; neque hoc appositionis genus diversum ab eo, quod est ad 734 notatum.

752. *Reponere* est reparare, iterum ponere, ut non eadem res, sed quae idem valet restituatur. Sic Tac. A. 1, 63 *ruptos vetustate pontes reponeret. Pl.* coni. *l. t. novant flammis ambesa*, *Reponunt*.

753. *Aptant* cf. 3, 472.

754. *Bello vivida virtus*; sic *vivida virtus* 11, 386. Facile supplebis *iis est*; sed *virtus* ipse homo virtute praeditus dicitur, nec minus recte, quam *palma* 338 et *scelus* 11, 407 et *potestas* 10, 18. Sic *dignitates* cf. Fbr. ad Liv. 22, 40.

755. *Urbem designat aratro* „quem Cato in originibus dicit morem fuisse. Conditores enim civitatis taurum in dextram, vaccam intrinsecus (simile 162) iungebant; et incincti ritu Gabino i. e. togae parte caput velati, parte succincti tenebant stivam incurvam, ut glebae omnes intrinsecus caderent. Et ita sulco ducto loca murorum designabant, aratrum suspendentes circa loca portarum." S. — Ita *designare* 157 cf. Liv. 1, 10 *In Capitolium escendit Romulus et simul cum domo designavit templo Iovis fines.* — *Domos*, loca, in quibus domus exstruerent. — *hoc Ilium* cf. 3, 302.

757. *Urbs Acesta* (vel Egesta vel Segesta) dicitur in Acestae honorem; singula vero loca signat nominibus Troianis. Ita etiam prope Segestam erant fluvii Simois et Scamander.

758. Leges et iura, quibus regatur nova urbs, ipse constituit et patribus praescribit. Nam Aeneas ubique non modo dux est, sed rex cf. 1, 38. et regium exercet imperium, ut Dido 1, 507. Comitiorum in Aeneide nulla est mentio; memoratur senatus, ut h. l. 1, 426. 8, 105. 11, 234, sanctus ille quidem, cuius tamen modo consilium cupit audire Aeneas, 3, 58. (ut ap. Hor. C. 4, 5, 4 est *sanctum consilium* sc. Augusti.) neque tenetur eius auctoritate; neque Latinus 7, 249, aut 11, 335; quamquam is inconstantia sua partium fit ludibrium. Satis apparet antiquitate poetam voluisse commendare eam formam reipublicae, quam Augustus inducere est conatus, ut populi maiestas ad unum conferretur, tollerentur comitia, senatus autem concilium esset ministrorum. Ita Aeneas omnibus sacris praeest, more regum Romanorum (Liv. 2, 2) et Augustus sibi sumpsit pontificatum.

759. Veneris in Eryce monte templum nobilissimum, cf. 1, 570. unde Venus Erycina dicitur, cui templum erat etiam Romae cf. Liv. 22, 10. — Idalia cf. 1, 681.

760. Ipsi, Anchisae, tanquam deo flamen datur, ita flamen vel Caesari vivo erat cf. Cic. Phil. 2, 43. Suet. Iul. 76. Quare non mirum, si id in mortuo factum esse fingit Virgilius.

762—778. Aeneas e Sicilia solvit.

763. *Placidi venti straverunt* mare, ut aequor fieret, cf. 3, 70.

764. *Creber Auster*, cf. 3, 530. De *creber A. v. adspirans* 3, 70.

Complexi inter se noctemque diemque morantur.
Ipsae iam matres, ipsi, quibus aspera quondam
Visa maris facies et non tolerabile numen,
Ire volunt omnemque fugae perferre laborem.
Quos bonus Aeneas dictis solatur amicis
Et consanguineo lacrimans commendat Acestae.
Tres Eryci vitulos et Tempestatibus agnam
Caedere deinde iubet solvique ex ordine funem.
Ipse, caput tonsae foliis evinctus olivae,
Stans procul in prora pateram tenet extaque salsos
Porricit in fluctus ac vina liquentia fundit.
Prosequitur surgens a puppi ventus euntes.
Certatim socii feriunt mare et aequora verrunt.
At Venus interea Neptunum exercita curis
Adloquitur, talesque effundit pectore questus:
Iunonis gravis ira nec exsaturabile pectus
Cogunt me, Neptune, preces descendere in omnes;

766. *inter se* cf. Gr. § 380.

767. *Iam* in protasi, nulla sequente particula in apodosi, cf. 857. — *Ipsae iam matres*, *ipsae*, quod inest in Mss. alqt., improbatur sequenti *quos* 770; neque *quos* explicatur ex antecedente *complexi* 766. Complexi enim sunt inter se remanentes et abeuntes; solatur Aeneas modo remanentes. Remanserunt autem multae feminae, quarum de maris odio iam satis dictum est supra, ut h. l. repetere noluerit poeta; sed etiam viri cf. 715. 716. 750. 758.

768. *Maris facies* ut 848 *vultus salis.* — *Numen* M2 al. mari recte tribuitur, quod inest divini numinis aliqua pars, nam est elementum quod dicitur. Neque tamen de certo maris deo sermo est. — *nomen* Nonius sub *fuga* p. 307 M1. Recepit *Rb.* probatque quod ad hunc ipsum locum dicit *Hn.:* „Adeo fluctuat criticorum opera in multis, ut, quod alter reposuit, alter reiiciat, reiectum alius reducat.“ Ne nomen quidem sine horrore audiunt. — *lumen* al. — *caelum* R.

769. *Fuga* est *Irrfahrt.*

772. *Eryci, ut heroi.* — *Agna* Tempestatibus cf. 3, 120. et Hor. Epod. 10, 24 *Immolabitur agna tempestatibus.* Cic. ND. 3, 20, 51 *Tempestates, quae populi Romani ritibus consecratae sunt ... Nostri quidem duces mare ingredientes immolare hostiam fluctibus consueverunt.*

773. *ex ordine* cf. 7, 177. — *caedere* — *solvi* cf. 3, 60.

774. *Tonsa oliva* quae sit cf. 556. Oleagina corona sacerdotum est perpetuo cf. 6, 809. 7, 418. 750. et sacrificantium ad tempus G. 3, 21. Tib. 2, 1, 16. et eorum qui in certaminibus vicerunt 309. 493.

775. Mari libatur, ubi naves solvuntur. Quod *in prora* stat, haec caussa est, quod prora in mare protenditur, altumque mare ante se habere vult, qui mari libat; qui appellitur, sacra facit in puppi 3, 527.

776. *porricit* cf. 238.

777. *Prosequi* dicuntur ii, qui magistratus in provinciam proficiscentes usque ad portam sequuntur, honoris caussa. Inde translatum est verbum ad similia. *Rb.* v. 778 ponit ante 777.

779—798. Petit a Neptuno Venus, ut incolumem in Italiam Aeneam deferat.

Iam prospero cursu in Italiam perveniunt, quod ut fieri posset, quum Iuno irata esset et adventum impeditura videretur: alius dei auxilio id effici necesse erat, absente Iunone cf. 7, 286 sqq.

779. *At* cf. 4, 1. — *exercita* cf. 3, 182.

780. *effundit* cf. 482.

781. *nec exsaturabile* M. al. — *et inexsaturabile* P. vulg. — *Exsaturabile* non legitur alias, *exsaturatus* 7, 296. Cic. Tusc. 5, 35, 101 in versu. Cf. 608 *saturata dolorem.* Pectori inest animus ut capiti mens, νοῦς, hinc saepe *pectus placidum*, *fidum* etc. Tamen quod sine caussa pectus repetitur, non placet cf. 6, 901. Schraderus coni. *numen* probatque *Pl.*

782. *preces descendere in omnes:* Cf. 4, 413 *ire in lacrimas.* Ov. M. 8, 188 *ignotas animum dimittit in artes.* H. C. 3, 29, 58 *Decurrere ad miseras preces.*

Quam nec longa dies, pietas nec mitigat ulla,
Nec Iovis imperio fatisque infracta quiescit.
Non media de gente Phrygum exedisse nefandis
Urbem odiis satis est, nec poenam traxe per omnem
Reliquias Troiae: cineres atque ossa peremptae
Insequitur. Caussas tanti sciat illa furoris.
Ipse mihi nuper Libycis tu testis in undis,
Quam molem subito excierit. Maria omnia caelo
Miscuit, Aeoliis nequidquam freta procellis,
In regnis hoc ausa tuis.
Per scelus ecce etiam Troianis matribus actis
Exussit foede puppes, et classe subegit
Amissa socios ignotae linquere terrae.
Quod superest, oro, liceat dare tuta per undas
Vela tibi, liceat Laurentem attingere Thybrim;
Si concessa peto, si dant ea moenia Parcae.
    Tum Saturnius haec domitor maris edidit alti:
Fas omne est, Cytherea, meis te fidere regnis,

Ov. Rem. 287 *Assuctas Circe decurrit ad artes.* M. 9, 62 *Inferior virtute meas devertor ad artes.* Caes. BC. 1, 9 *ad omnia descendere.* In omnes autem preces Venus descendere dicitur, ut recte *Ld.*, quod vel Neptunum, hostem Troianorum cogitur adire.

783. *longa dies:* „Nullus enim dolor est quem non longinquitas temporis minuat ac molliat." S. ex Cic. Ep. 4, 5. — De v. *longa dies* cf. 6, 744. — *Pietate* Aeneas Iunonem studebat placare.

784. *Infracta* a voce *infringere* ducitur; sic 9, 499. 10, 731. 12, 1. Flor. 2, 2, 23. — „*Infracta*, valde fracta." S. nusquam est *non fracta* cf. Gr. § 196.

785. Pluralem *odia* et Cicero et Livius dixerunt saepissime, ut 21, 1. Lael. 7. — *Exedere:* Cf. Curt. 3, 4, 10 *monimenta vetustas exederat.* — „*media de gente*, i. e. totius gentis potentem." S. Erat enim Troia quasi cor corporis, totiusque regionis caput.

786. *Traxit per omnem poenam*, i. e. omnem poenam perferre coegit. Simile 7 *triste per augurium ducunt.* — Sic *ire per* valet ad circumscribendum verbum aliud cf. Ov. A. A. 3, 87 *ite per exemplum*, i. e. imitamini. Fast. 1, 15 *Annue conanti per laudes ire tuorum*, laudare tuos. Trist. 2, 168 *Nepotes per tua perque tui facta parentis eant* i. e. idem faciant, quod tu et pater tuus. — De forma *traxe* cf. Gr. § 173. B.

787. „In M. post *Troiae* interpungitur, post *omnem* nulla distinctio. In F. post *omnem* et *Troiae*, etiam post *cineres*, distinguitur." *Wg.* Ipse Wagnerus scribit *omnem: Troiae*,. Nos secuti sumus Mediceum. Non contenta est Iuno, quod media e gente Phrygum Troiam exstinxit, non quod Aeneae manus, reliquias Troiae, omnibus malis est persecuta; iam cineres et ossa peremptae insequitur, iam paucos qui ex Aeneae sociis supersunt, studet delere. *Pl.* coni. *satis est: poenam traxisse p. o. r. ardet: cineres.*

788. *Caussas sciat illa*, formula dicendi, qua rei caussas subesse probabiles negamus. Caussae sunt expositae 1, 8. 10, 62. 12, 826.

789. *ipse etc.* Res narratur 1, 50—156.

793. *per scelus* adverbii loco. Compara *per summum dedecus* Cic. RA. 11. Cf. Gr. § 351, 6. Sed melius iunges *per scelus actis* cf. 786.

795. *ignotae* Fγ2bc, *ignota* MPRγ1, *terrae* FRbc, *terra* MγP. — *terrae Rb. Wg. Ld.*

796. *Quod superest*, sc. e Troianis. Illud *quod* quasi collectivum de hominibus dicitur cf. 1, 601. — *dare vela* cf. 3, 9.

797. Liceat dare, committere vela ut tuta sint, tibi non Iunoni. *Gt.* coni. *vela illis.* — *Laurens*, qui Laurentinos agros alluit. Sic saepe dicitur Tuscus amnis cf. 11, 316. — Venus etiam haec subiungit semper, sibi ea quae petat fatis esse concessa; neque Neptunum vult temere contra fatum impellere.

799—826. Neptunus magno comitatu stipatus mare placat.

800. *Fas* locum habet, ubi dii loquuntur cf. 1, 77. — *Cytherea* cf. 1, 680.

Unde genus ducis; merui quoque: saepe furores
Compressi et rabiem tantam caelique marisque.
Nec minor in terris, Xanthum Simoentaque testor,
Aeneae mihi cura tui. Quum Troia Achilles
Exanimata sequens impingeret agmina muris,
Milia multa daret leto, gemerentque repleti
Amnes, nec reperire viam atque evolvere posset
In mare se Xanthus: Pelidae tunc ego forti
Congressum Aenean nec dis nec viribus aequis
Nube cava rapui, cuperem quum vertere ab imo
Structa meis manibus periurae moenia Troiae.
Nunc quoque mens eadem perstat mihi; pelle timorem.
Tutus quos optas portus accedet Averni.
Unus erit tantum, amissum quem gurgite quaeret;
Unum pro multis dabitur caput.
His ubi laeta deae permulsit pectora dictis:
Iungit equos auro genitor, spumantiaque addit
Frena feris, manibusque omnes effundit habenas.

801. *Unde genus ducis;* nam e maris spuma orta dicitur Cypris, *ἀναδυομένη*. Idem Venus Neptuno dicit Ov. Met. 4, 535 *aliqua et mihi gratia ponto est, Si tamen in dio quondam concreta profundo spuma fui, Graiumque manet mihi nomen ab illa* (*Ἀφροδίτη*); et alio loco Her. 19, 160. Venus ipsa favebit, Sternet et aequoreas, *aequore nata*, vias. — *Saepe:* Ter Aeneas in mari tempestate pressus est 1, 125. 3, 192. 5, 10; unde quum servatus esset, non potuit id fieri sine Neptuni voluntate, et 1, 125 ipse Neptunus succurrit. — Furor et rabies iungitur Flor. 2, 19, 4 *quasi per rabiem et furorem.*

805. *impingeret:* Tac. H. 2, 41 *quo minus in vallum impingerentur.* al. Cf. *gekeilt in drangvoll fürchterliche Enge.*

806. *gemerentque — Xanthus.* Ap. Hom. Il. 21, 219 Xanthus dicit: *Πλήθει γὰρ δή μοι νεκύων ἐρατεινὰ ῥέεθρα· οὐδέ τί πῃ δύναμαι προχέειν ῥόον εἰς ἅλα δῖαν.* — Xanthus idem qui Scamander Troadis fluvius est.

808. *Pelidae — rapui:* cf. Il. 20, 156 — 350.

809. *Nec dis nec viribus aequis:* 20, 334 ὅς (Ach.) σεῦ (Aen.) ἅμα κρείσσων καὶ φίλτερος ἀθανάτοισιν.

810. *rapui* M. al. i. e. abstuli. Cf. Liv. 4, 28 *Quid hic stantibus spei est? an Deum aliquem protecturum vos rapturumque hinc putatis?* — *eripui* RP. est interpolatum. — *vertere ab imo* cf. ad 1, 20.

811. *Periura Troia* cur dicatur cf. 3, 248. Neptunus ap. Homerum stat a parte Graecorum.

813. *Portus Averni* est Cumanus, quem prope lacus est Avernus.

814. *Unus* est Palinurus. — *Quaeret*, quod abest, *vermissen;* desiderare cf. 1, 217; adde Hor. C. 4, 5, 16 *quaerit patria Caesarem*, Ov. M. 2, 239 *quaerit Boeotia Circen*, Prop. 1, 9, 12. Tib. 2, 3, 26. Cic. Verr. 3, 18, 47 *ut in uberrima Siciliae parte Siciliam quaereremus.*

816. *laeta pectora permulsit* cf. 4, 22. „permulsit et laeta fecit, ut *animumque labantem impulit.*" S.

817. *iungit auro.* Nomen materiae nonnunquam ponitur pro re, quae inde fit. Facile autem intelligitur e verborum connexu apparere debere, quae ea potissimum res sit. Ita *aes* pro signis aeneis 6, 648, *ferrum* pro gladio et de quovis telo, ita *argentum* de vasis argenteis 1, 640, *aurum* pro poculo aliisque rebus; hoc loco pro *curru*, quod facile e *iungit equos* apparet; ut 7, 279 ex *mandunt aurum equi* nec minus ex *auro frenat equum* Claud. Id. 1, 86 aurea esse frena intelligimus. Sic 3, 517 *armatus auro* est armis aureis; 4, 138 *crines nodantur in aurum*, in aureum rete. Audacius Claud. RP. 2, 69 *madidae auro* i. e. ebriae vino ex aureis poculis hausto. Omnia autem superorum deorum aurea sunt. Nulla igitur in hoc loco inest ambiguitas. Eam tamen opinati sunt alii removendam coniecturis. Sic *Wg.* coniecit *iungit equos auro genitos* i. e.

Caeruleo per summa levis volat aequora curru.
Subsidunt undae, tumidumque sub axe tonanti
Sternitur aequor aquis, fugiunt vasto aethere nimbi.
Tum variae comitum facies; immania cete,
Et senior Glauci chorus, Inousque Palaemon,
Tritonesque citi, Phorcique exercitus omnis;
Laeva tenet Thetis, et Melite, Panopeaque virgo,
Nesaee, Spioque, Thaliaque Cymodoceque.
  Hic patris Aeneae suspensam blanda vicissim
Gaudia pertentant mentem; iubet ocius omnes
Attolli malos, intendi brachia velis.
Una omnes fecere pedem; pariterque sinistros,

vento creatos i. e. celeres. *Pl.: haud mora iungit equos genitor. Ld.: curru.*

819. *Levis* de volante dicitur v. 838. 6, 17. Ecl. 1, 60. Cf. Hor. C. 4, 2, 25 *Dircaeum levat aura cycnum* i. e. sublimem fert.

820. „Nisi versus excidit, non *tumidum* sed *placidum* videtur poeta scripsisse" *Wg.* At si tumidum sternitur, fit placidum.

821. *Rb.* testatur *fugiunt vasto aethere* esse in MPR, in M autem suprascriptum *Q ex. Vastus* autem dicitur aether, quod nubibus obductus est; itaque et undae placantur et nubes recedunt, quibus undae solent moveri. Stanger totum hemistichium delet.

822. *Rb.* „Non potest integra haberi sententia 822—24 versuum; deest et verbum, quod ex vicinis suppleri nequit (sc. adsunt) et dextri lateris significatio." Sed si a v. 225 memorantur ii, qui laeva a parte sunt, qui ante nominantur, sunt a dextra. — *comitum facies* cf. 4, 132. — *Cete* (graeca forma pluralis) in deorum marinorum comitatu pascit Proteus G. 4, 430.

823. *Glauci chorus.* Quum non satis appareat, cur *senior* dicatur, *Pl.* coniicit *sequitur.* „Glaucus piscator fuit, qui quum captos pisces supra herbam abiecisset et eos recepisse vidisset quam amiserant vitam: intellecta herbarum potentia, decerptam herbam gustavit et se ipse praecipitavit in maria et in deum marinum commutatus est. Cuius hic chorum ideo senem dicit, quia ipse etiam senex fuerat. Aut certe seniorem dicit propter spumarum colorem, sicut paene omnes dii finguntur marini." S. De Glauco cf. Ov. M. 13, 898 sqq. — *Inousque Palaemon.* cf. 241.

824. *Phorcus* cf. 240. — *Exercitus* dicitur translata significatione pro multitudine ut *exercitus* corvorum G. 1, 382. Ita *chorus* Phorci 240 et *cohors* fratrum 10, 328 et *populus totus* familiae Plin. 35, 2. *populus* natorum Ov. M. 6, 198.

825. Multas praeterea Nereides nominat, quum plures etiam fuerint. *tenent Rb.* cur?

826. Legitur G. 4, 338 et illic eiicit *Wg.* Nereidum nomina ap. Hom. Il. 18, 39 sqq. — Dulcis autem species deorum aequora vehentium. Cum his verbis conferre placet opus Scopae ap. Plin. 36, 9, 25 „Scopae laus cum his (Praxitele, Agoracrito) certat: is fecit ... Sed in maxima dignatione Cn. Domitii delubro in Circo Flaminio Neptunus ipse et Thetis atque Achilles, Nereides supra Delphinos et cete et hippocampos sedentes. Item Tritones, chorusque Phorci et pristes ac multa alia marina, omnia eiusdem manus, praeclarum opus, etiam si totius vitae fuisset."

827—871. Palinurus navi excutitur.

827. *Suspensam* de navigatione mentem gaudio implent *vicissim* venti secundi increbrescentes; quare velis tantum opus est, non remis: itaque mali, quibus tenentur vela, attolluntur. Malum enim, quem qui appellunt deponunt (cf. Luc. 3, 45 *Et posito remis petierunt litora malo)* erigunt navigaturi. Deinde intenduntur brachia antemnarum velis i. e. vela expanduntur. *Pes* autem est funis in cornibus alligatus, quo vela reguntur ut *πούς*; inde *facere pedem* est *vela dirigere.* Itaque omnia vela sursum tracta et alligata sunt, ut ventum omnem excipiant; et quum ventus a puppi oriatur, velum malo affixum mox in dextrum latus, mox in sinistrum vertitur, et ventus ita captus sinum efficit. *Cornua* sunt antemnarum cf. 3, 549. Ea ipsa huc illuc versant, ut ventum capiant.

828. *pertentant gaudia mentem* cf. 1, 502.

Nunc dextros solvere sinus; una ardua torquent
Cornua detorquentque; ferunt sua flamina classem.
Princeps ante omnes densum Palinurus agebat
Agmen; ad hunc alii cursum contendere iussi.
Iamque fere mediam caeli nox humida metam
Contigerat; placida laxabant membra quiete
Sub remis fusi per dura sedilia nautae:
Quum levis aetheriis delapsus Somnus ab astris
Aera dimovit tenebrosum et dispulit umbras,
Te, Palinure, petens, tibi somnia tristia portans
Insonti; puppique deus consedit in alta,
Phorbanti similis, funditque has ore loquelas:
Iaside Palinure, ferunt ipsa aequora classem,
Aequatae spirant aurae, datur hora quieti:
Pone caput, fessosque oculos furare labori.
Ipse ego paulisper pro te tua munera inibo.
Cui vix attollens Palinurus lumina fatur:
Mene salis placidi voltum fluctusque quietos
Ignorare iubes? mene huic confidere monstro?
Aenean credam quid enim fallacibus auris,
Et caeli totiens deceptus fraude sereni?
Talia dicta dabat, clavumque adfixus et haerens
Nusquam amittebat, oculosque sub astra tenebat.

832. *sua flamina* „prospera" S. cf. 3, 493.

833. Palinurus, Iasii filius aut nepos, gubernator erat Aeneae, cuius navis ante alias fertur, ad quam ceterae cursum dirigunt.

835. *Iam — quum* cf. 4, 586. — *Metam* in circo qui attigit, medium cursum confecit. Itaque media est nox; omnes circum dormiunt remiges, neque enim remis opus erat; unus superest Palinurus, quem in tantis silentiis somno oppressum esse mirum non est.

738. *Somnus* per tenebras et umbras pervolat ad Palinurum, id est *dimovit* et *dispulit*.

841. *insonti:* Itaque Palinurus pro omnibus sacrificatur, *unum pro multis datur caput* et datur insons, qualis esse debet, qui pro aliis detur.

842. *Phorbas* aliquis in navi Aeneae fuisse putandus est, artis gubernandi non imperitus. — *loquelas*, verba Varr. LL. 6, 57 „Hinc quidam loquelam dixerunt verbum, quod in loquendo efferimus".

846. *paulisper* cf. 6, 382.

847. *vix attollens lumina:* Ita suae rei intentus est, ut ne adspiciat quidem Phorbantem. Aliter Serv.: „numinis praesentia praegravatus. Nam et sequens eius oratio turbata est, quod et semiplenae indicant elocutiones." Servium multi secuti sunt, qui etiam cum eo verba Palinuri ita dissecuerunt, ut modo semiplenae restarent sententiae.

848. *mene.* Cf. Lucr. 2, 557 *Infidi maris insidias viresque dolumque ut vitare velint, neve ullo tempore credant, subdola quum ridet placidi pellacia ponti.*

850. Quid ego credam Aeneae salutem ventis fallacibus? Id enim est, quod me iubes facere. — Nam Palinurus non putat alium regendae navis tam peritum esse, quam se. De iunctis *quid enim* cf. 395: *quid* et *enim* postponi post verba plura exemplis probat, et rationem qua fiat aperit Hand Turs. II p. 397 sq.

851. Et me iubes facere id, qui saepissime maris expertus sum fallaciam. Iam apertius caussam indicat, quare *mene* cum vi dixerit; et explicat hic versus priora. — *et* pro *et quidem* cf. 2, 49. — Itaque non est haec obdormiscentis oratio. — *auris et caelo*, *Rb.*

853. *Nusquam* sic Plaut. Men. 5, 2, 30 *Nusquam equidem quidquam deliqui.* Neque tamen *nusquam* pro *nunquam* dictum esse uno ex loco demonstrari potest, quum obstet vera ratio. Itaque velim explicare: gubernaculum tenuit ambabus. Et hi versus docent v. 847 nos ex Virgilii mente esse interpretatos.

Ecce deus ramum Lethaeo rore madentem
Vique soporatum Stygia super utraque quassat
Tempora cunctantique natantia lumina solvit.
Vix primos inopina quies laxaverat artus:
Et super incumbens cum puppis parte revolsa
Cumque gubernaclo liquidas proiecit in undas
Praecipitem ac socios nequidquam saepe vocantem.
Ipse volans tenues se sustulit ales ad auras.
Currit iter tutum non setius aequore classis
Promissisque patris Neptuni interrita fertur.
Iamque adeo scopulos Sirenum advecta subibat,
Difficiles quondam, multorumque ossibus albos.
Tum rauca adsiduo longe sale saxa sonabant,
Quum pater amisso fluitantem errare magistro
Sensit, et ipse ratem nocturnis rexit in undis,
Multa gemens, casuque animum concussus amici:
O nimium caelo et pelago confise sereno,
Nudus in ignota, Palinure, iacebis arena.

854. *Lethaeo rore madentem:* Hoc finxit poeta et recte quidem; nam Lethaea aqua facit oblivionem, ut Somnus. Cf. virgam Mercurii 4, 244. Imitatus haec Sil. 10, 354 sq. Val. Fl. 8, 84.

855. *vi soporatum Stygia* „morte plenum". S.

856. *Cunctanti*, reluctanti ut 6, 211. 12, 940. Omni vi resistit somno Palinurus, sed vincitur a deo. — *natantia lumina.* Oculi natare dicuntur incerti vel somno vel vino vel morte instante; sic somno G. 4, 496. Ov. M. 5, 71 *oculis sub nocte natantibus;* vino Lucr. 3, 479. Ov. F. 6, 673; morte Sil. 2, 122. — *solvit* cf. 6, 422.

857. *Vix* in protasi — *et* in apodosi 6, 497; *vix* in pr. — *que* in ap. 2, 692. 8, 520. 11, 296; *vix* in prot. — in apodosi nulla particula 3, 90 *vix ea fatus eram*, *tremere omnia visa repente.* 2, 171. 10, 659. 12, 650. Ov. M. 2, 47. 3, 14. 5, 67 etc. Cf. Gr. §. 417 An. 4. *Vix — quum* 3, 8. 635; *iam* in protasi, in apodosi nulla particula 763. 9, 459.

858. *cum puppis parte etc.* „pro oeconomia, ut triduo natare potuerit." S. cf. 6, 349. *Pl.* eiicit *cum puppis — gubernaclo.*

864. „Sirenes secundum fabulam tres, parte virgines fuerunt, parte volucres, Acheloi fluminis et Calliopes musae filiae. Harum una voce, altera tibiis, alia lyra canebat. Et primo iuxta Pelorum, post in Caphereis (Capreis) insulis habitaverunt, quae illectos suo cantu in naufragia deducebant" S.

865. *difficiles quondam* cf. Hom. Od. 12, 39. Non longe a Capreis in Paestano sinu tres Sirenum scopuli erant adversus promontorium Surrentinum. *quondam* i. e. Ulyssis et Aeneae temporibus. Itaque monet hoc versu Virgilius suo tempore scopulos iam non esse periculosos. Habemus igitur versum, qualis est 1, 109. 6, 242.

866. *rauca sonabant* cf. 2, 53. — *Tum sonabant, quum sensit:* Sonitus undarum ad scopulos allisarum tantus est iam, ut e somno Aeneas excutiatur. — Male v. 865 et 866 iungunt, unde eam efficiunt sententiam; quondam i. e. Ulyssis tempore periculosa fuisse saxa, post, quando Aeneas advenerit (qui annum fere postea haec loca adiit cf. 3, 612 sq.) aliam regionis eius fuisse naturam. *Pl.* delet v. 865. 866.

870. *Inquit* omissum est saepe cf. 4, 416.

871. *Nudus* i. e. insepultus, non terra iniecta; et *ignota* in terra: triste enim longe a patria mori et iacere insepultum. Palinuri mortem intexuit, quod antiqua de eius morte fama erat, et promontorium eius nominis prope urbem Veliam. cf. 6, 337 sq.; studet autem Vgl. eas fabulas suo adiungere carmini, ita l. VI. Miseni l VII. Caietae mortem; ut hoc libro Nauten memoravit. Attende praeterea mortuum esse Palinurum, quando eo non iam erat opus. Laudatur praeterea fides et constantia Palinuri et inde laudatur Aeneas, cui tales sunt ministri cf. 850. — *Pl.* delet 870. 871.

P. VIRGILII MARONIS
AENEIDOS
LIBER SEXTUS.

Sic fatur lacrimans, classique immittit habenas,
Et tandem Euboicis Cumarum adlabitur oris.
Obvertunt pelago proras; tum dente tenaci
Ancora fundabat naves, et litora curvae
Praetexunt puppes. Iuvenum manus emicat ardens
Litus in Hesperium; quaerit pars semina flammae

v. 1 — 13. Aeneas Cumis appulsus Apollinis petit templum.

1. *Lacrimans* cf. 1, 465. — *Immittit habenas* qui equos celerius ferri vult. Inde translatum ad res alias: cf. 5, 662. Val. Fl. 1, 687 *Volat immissis cava pinus habenis*, et Lucr. 5, 784 *Arboribusque datum est variis exinde per auras crescendi magnum immissis certamen habenis*, ut G. 2, 364. Adde A. 12, 499. Lucr. 9, 454 *Auster Aeoliam rabiem totis exercet habenis.* Quid autem fecerit Aeneas, concludes ex 8, 708 i. e. vento pandit vela funibus immittendis. Totum versum eiec. *Pl.*, quod iam prius felix et celer cursus memoratus esset. *Rb.* v. 1. 2 adiungit libro quinto. hunc incipit per *Obvertunt*. Nihil proficimus conaminibus talibus.

2. *Tandem* cf. 3, 131, qui versus huic est simillimus. — *Et tandem* „ad Aeneae desiderium retulit, Italiam venire cupientis. Ceterum mora non congruit de Capreis (cf. 5, 864) Cumas usque in tanta vicinitate tam longam fuisse navigationem, praesertim accedente favore Neptuni.“ S. Igitur illud *tandem* refertur ad totam a Troia navigationem. — *Euboicis Cumarum oris.* Cumae non procul a lacu Averno, octavo lapide distans a Neapoli; ibi etiamnunc servatum est Apollinis templum. — Liv. 8, 22 „Cumani a Chalcide Euboica originem trahunt.“ Vell. 1, 4 „Chalcidenses, Hippocle et Megasthene ducibus Cumas in Italia condiderunt.“

3. *Obvertere* est contra aliquem vertere, quae semper *ob* praepositionis in compositis est significatio. Itaque *proras*, quas inter navigandum in terram adverterant, ubi appellunt, *vertunt in pelagus;* quod facere solebant, ut facilis esset decessus. Sic *obvertere remos* Ov. M. 3, 676 est converso remigio retrorsum ire.

4. *ancora dente tenaci.* De re cf. 1, 168. — *fundare*, sistere, ut Claud. de Mall. cons. 113 *Iam tibi compositam fundaverat ancora puppim.*

5. *Praetexunt* litora, ut non possint conspici. Luc. 10, 537 *Densae praetexunt litora classes* cf. ad 4, 500.

6. *Litus in Hesperium* per septem annos petitum iam tandem captum, non mirum, si emicat ardens iuventus. — *semina flammae.* Scintilla autem, quae latere fingitur in silice et quasi sanguis venas silicis permeare, recte dicitur flammae semen, ex quo nascitur et crescit flamma, ut planta ex semine. Aliter haec res describitur 1, 174. Cf. G. 1, 135, ubi Iuppiter e terra ignem removit, *ut*

Abstrusa in venis silicis; pars densa ferarum
Tecta rapit, silvas, inventaque flumina monstrat.
At pius Aeneas arces, quibus altus Apollo
Praesidet, horrendaeque procul secreta Sibyllae,
Antrum immane, petit, magnam cui mentem animumque
Delius inspirat vates aperitque futura.
Iam subeunt Triviae lucos atque aurea tecta.
Daedalus, ut fama est, fugiens Minoia regna,

silicis venis abstrusum extruderet ignem homo.

8. *Rapit* est celeriter percurrit, ut *acrior et campum sonipes rapit* Stat. Theb. 5, 3 et quae ad 1, 418 et *rapidus* 1, 644. Sed recte observatum est, *silvas* densas *rumpi* potius quam *rapi; rapidae* celeritatis ibi potestatem non dari. Iam vero quae potest caussa reperiri tam rapidi per silvas cursus, statim postquam appulerunt? Quod si *Wg. rapere silvas* explicat *colligere arborum ligna*, exemplis non probat. Ac ne is quidem *tecta ferarum* cur dicantur h. l., nec cur addatur epexegesi *silvas*, satis ieiunum, poterit explicare. Aliter v. 179 *Itur in antiquam silvam, stabula alta ferarum.* Deinde sibi invicem monstrant flumina inventa, sed cur? Iidem qui *silvas* explicat *ligna*, h. l. intelligunt aquam, ut laventur et alios ad usus necessariam! Neque alibi 7, 130 sq., ubi ad terram fatis sibi concessam se pervenisse intelligunt, tantopere festinant; sed postero die iubet per certos homines ordine exquirere regiones Aeneas. Certe hoc loco satis temere in terra ignota omnibus se periculis opponere videntur. Multa igitur sunt in his versibus, quae emendare debebat poeta. Neque mirum. Singulos composuerat Vgl. libros, quos cogebatur iungere, sed iunctura nonnunquam difficilis, conglutinatio potius quam coniunctio, arte non spiritu poetico facienda. *Pl.* igitur eiecit 1. 3—8, etiam quod simile est 1, 174 sqq.

9. Sociis circa viliora occupatis *pius Aeneas* templum petit, memor mandati a patre accepti. At multo dignior est hic versus, qui totius libri sit princeps. — *arces* i. e. montem cf. 2, 322. — *Altus* Apollo dici potest et propter numinis potentiam et dignitatem, (idque placet; ita 10, 875 dicitur *altus Apollo.* Ov. M. 3, 284 *Quantusque et qualis ab alta Iunone excipitur.* Pont. 2, 3, 63 *Caesar altus*) et ad simulacri magnitudinem, quod testatur Caelius, qui de bello Punico secundo scripsit fuisse, „altum non minus pedes quindecim“.

10. *Horrendae* „venerandae“ S. ut 7, 172; et *metuere* et venerari Ov. M. 1, 323, ut Liv. 22, 3 *metuens deorum;* et religio terret Aen. 8, 349; ita *metus* de veneratione dicitur 7, 60; Hor. C. 2, 19, 5. Neque enim externis signis valde differunt aut dignosci possunt. De verbo *horrere* 3, 195. — *Sibylla* cf. ad 3, 452. In litore Cumano appulerant, procul in monte erat templum Apollinis et antrum Sibyllae; circum lucus Triviae. In antris autem Sibyllae habitabant; et Gergithe, Troadis in oppido, Sibyllae antrum Apollinis templo iunctum erat. — *Procul* a ceteris Troianis.

11. *Mentem animumque* iungunt etiam alii, Hor. Ep. 1, 14, 8 *mens animusque fert*, Cic. CM. 11 *Non corpori solum subveniendum est, sed menti atque animo multo magis;* et *mens animi* legitur Cat. 65, 4. Plaut. Cist. 2, 1, 6. Epid. 4, 1, 4, saepe ap. Lucr. qui 3, 615 iunxit *animi mentem consiliumque* cf. 1, 676. 2, 519. Mens, νοῦς, (cf. amentiam, dementiam) pars animi, ψυχῆς. Cf. Cic. Tusc. 3, 5, 11 „Mens, cui regnum animi a natura tributum est.“ Fin. 5, 13, 36 „Animi autem et eius animi partis, quae princeps est, quaeque mens nominatur, plures sunt virtutes.“

12. *Delius vates* cf. 3, 251.

13. *Triviae* cf. 4, 511.

14—41. Quae in foribus templi picta fuerint.

14. Daedalus (a v. δαιδάλλω) Atheniensis, quum propter caedem Tali, qui eius discipulus maiora et pulchriora fecerat, morte damnatus Cretam ad regem Minoem profugisset, Labyrinthum exstruxit. Postea autem quod Theseum et Ariadnen adiuverat, ipse eo inclusus ceratis pennis cum Icaro filio effugit et Icaro amisso tandem Cumas delatus est. Cf. Ov. Met. 8, 183. Sil. 12, 94 sq. — *Ut fama est.* Timebat fortasse idem, quod Cicero et Livius, quum similia addebant, ne quae fabulosa et mira referebant, ipsi credere viderentur. Cf. 3, 551.

Praepetibus pennis ausus se credere caelo,
Insuetum per iter gelidas enavit ad Arctos,
Chalcidicaque levis tandem super adstitit arce.
Redditus his primum terris, tibi, Phoebe, sacravit
Remigium alarum, posuitque immania templa.
In foribus letum Androgeo; tum pendere poenas
Cecropidae iussi — miserum! — septena quotannis
Corpora natorum; stat ductis sortibus urna.
Contra elata mari respondet Gnosia tellus.
Hic crudelis amor tauri, suppostaque furto
Pasiphae, mixtumque genus prolesque biformis

15. *Praepetibus pennis* item 3, 361. et ap. Cic. in Mario de div. 1, 47, 106. Et omnino *praepes* signat celeritatem 5, 254. Claud. in Ruf. 1, 262 *volucris praepete cursu vectus equi.* — Ad rem cf. Hor. C. 1, 3, 34 *expertus vacuum Daedalus aera pennis non homini datis.* — *credere caelo:* Cycnus ap. Ov. Met. 2, 377 *nec se caeloque Iovique credit; stagna petit.*

16. *enavit.* Ut v. 1. ob eam, quae est in currus et navis motu et rectione similitudo, verba alteriutri propria facile ad alterum referuntur, sic reciproca est etiam metaphora navium et avium; ita volare naves dicuntur cf. Val. Fl. ad v. 1. et *nare volantes* ut h. l. 4, 245. 10, 265. G. 4, 59. Lucr. 3, 590. Hom. Od. 11, 124 ἐρετμά, τάτε πτερὰ νηυσὶ πέλονται; et *remigium alarum* 19. 1, 301. Lucr. 6, 743. *remi alarum* Ov. M. 5, 558. Adde Eur. Iph. Taur. 290 πτεροῖς ἐρέσσει. — *Arctos*, Ursas. nam utraque ex femina mutata est cf. ad 1, 744. — *Gelidae*, quod prope polum sunt. — *Ad est versus*, non indicatur usque ad eas eum pervenisse; quare neque Cumas ad Arcton esse sitas. neque Daedalum, quum ad eas pervenisset, in eam urbem reversum esse voluit Virgilius.

17. *levis* cf. 5, 819.

18. *Sacravit* ex more qui memoratur 5, 484. Poteris huc referre etiam morem naufragorum, cuius mentio fit 12, 768.

19. *Posuitque templa* ex voto ut videtur, more Romano.

20. Fores templorum antiqui opere caelato ornare solebant, ut etiam maiorum nostrorum mos ferebat valvas ornare, maxime in templis. Hinc variae earum rerum et egregiae descriptiones G. 3, 26. Cf. Ov. Met. 2, init. Sil. 3, 32. Equidem has imagines probabile est Virgilii tempore in foribus templi Cumaei fuisse. In altera parte res repraesentantur, quae Athenis; altera, quae Cretae acciderunt, suntque plures imagines in diversis tabulis sculptae, ut indicatum est hoc loco. Sic 8, 630. Cf. Stat. Theb. 1, 548. Sil. 2, 406. — *Androgeum*, Minois filium, Athenis ludis Panathenaicis in omnibus certaminibus victorem occidit Aegeus; quam mortem ultus pater iussit Athenienses quotannis septenos iuvenes et septenas virgines dare. a Minotauro devorandos, inter quos Theseus Ariadnae et Daedali ope adiutus Minotaurum interfecit. Cf. Ov. 8, 152—82. Catull. Epithal. 52—267. *Androgeo*, cf. Gr. § 94, 3., hoc loco probatum ab antiquis grammaticis, Servio, Charisio, Prisciano. inventum in bc; *Androgei* MPRγ; sed 2, 392 *Androgei* constanter servant Mss. omnes. — *Poenas corpora* appositum explicat, qualis poena fuerit. Cf. 1, 358. — Cecropidae a Cecrope dicti Athenienses, ut Romulidae Romani 8, 638. — *septena quotannis* cf. 5, 560.

22. *stat ductis sortibus urna.* Saepius licet observare antiquos poetas nec non Virgilium rem aliquam paucis modo lineis designare malle, quam accurate et omnibus coloribus depingere. Cf. 1, 168. 502. al. Sic vides hoc loco ductis sortibus plorantes liberos. luctu furentes matres, tristes patres, qui complexi inter se morantur, noluntque discerni. Alii laeti, quod mortis periculum effugerunt, cum gaudentibus cognatis domum redeunt.

23. *Gnosia*, Creta cf. 3, 115.

24. *furtum* cf. 568. — *que* cf. 1, 2. — Pasiphae. quae tauro concubuit, Minotaurum enixa est. Amor is bestiae, quod contra naturam est, *crudelis* dicitur et *venus nefanda.* Cf. v. 442. — „*Crudelis* appellatur is amor, qui a Venere offensas suas crudeliter ulciscente Pasiphaae iniectus est“ *Wg.* Contorte!

25. *Proles biformis:* Ov. M. 8, 169 *tauri geminam iuvenisque figuram.*

Minotaurus inest, Veneris monumenta nefandae:
Hic labor ille domus et inextricabilis error;
Magnum reginae sed enim miseratus amorem
Daedalus ipse dolos tecti ambagesque resolvit
Caeca regens filo vestigia. Tu quoque magnam
Partem opere in tanto, sineret dolor, Icare, haberes.
Bis conatus erat casus effingere in auro,
Bis patriae cecidere manus. Quin protinus omnia
Perlegerent oculis, ni iam praemissus Achates
Adforet atque una Phoebi Triviaeque sacerdos,
Deiphobe Glauci, fatur quae talia regi:
Non hoc ista sibi tempus spectacula poscit:
Nunc grege de intacto septem mactare iuvencos
Praestiterit, totidem lectas de more bidentes.
Talibus adfata Aenean — nec sacra morantur
Iussa viri — Teucros vocat alta in templa sacerdos.
Excisum Euboicae latus ingens rupis in antrum,
Quo lati ducunt aditus centum, ostia centum;
Unde ruunt totidem voces, responsa Sibyllae.
Ventum erat ad limen, quum virgo, Poscere fata

26. *monumenta* plur. appositum singulari cf. 8. 729.

27. *labor domus*, de genitivo cf. 177.. quamquam *labor* potest etiam per *opus* explicari. Cf. 7. 248. — *inextricabilis error:* Ita 5, 591 *irremeabilis error.* Catull. 64, 115 *inobservabilis error* de Labyrintho. De voce *error* cf. 2, 48.

28. *Regina* dicitur Ariadne. quae Theseum amavit, quod est regis filia. Cf. 9, 223. — *sed enim* cf. 5. 395.

30. *vestigia caeca*, i. e. incerta, per locum obscurum.

31. *sineret dolor.* Subiunctivus conditionalis omissa particula *si* cf. 1, 572. — Etiam Icari filii casum pingere volentem maeror detinuit. Habuit ante oculos Ausonius in Mosella 300: *Non hoc spernat opus Gortynius aliger aedis conditor Euboicae, casus quem fingere in auro Conantem Icarios patrii pepulere dolores.*

33. *omnia* grammatici et Mss. optimi FM. *omne* R. *omnem*, *omnes* al. cf. § 12.

34. *perlegerent.* Aeneas enim praeter Achaten alios secum duxit cf. 40. Nove autem dixit *legere picturam.*

35. *Phoebi Triviaeque sacerdos;* sic Haemonides est Phoebi Triviaeque sacerdos 10, 537.

36. *Deiphobe Glauci;* vides inde Sibyllam non hominis, sed muneris esse nomen. De genitivo cf. 3, 319. Glaucus deus marinus est fatidicus. — *regi:* Aeneas saepe rex dicitur. Cf. 1, 38.

38. *grege de intacto*, iugo non presso; ita G. 4, 540 *intacta cervice iuvencas;* eae hostiae *iniuges* dicuntur a Macrob. 3, 5.

39. *lectas de more bidentes* cf. 8, 544.

42 — 55. Aeneae precatio.

42. Erat excisum (cf. 1, 429) rupis latus in antrum. Praepositio *in* quum motum in locum signet qui petitur, atque inde finem rei, ut 11, 731 *reficit in proelia pulsos:* potest etiam id indicare, quod effici quis cupit: *urit in lumina cedrum* 7, 13; urit cedrum, ut luceat cf. 1, 587. 4. 647. 5, 20. 8, 260. 11, 771. 12, 854. Sic hoc loco excisum est, ut antrum fieret. Ov. M. 4, 618 *guttas animavit in angues.* Sic audacter sed bene Claud. in Ruf. 1, 312 *cornipedes in pocula vulnerat audax Massagetes* i. e. equos mactat, ut eorum sanguinem bibat. Claud. IV cons. Hon. 623 *Gruthungi in lintres fregere nemus*, eo consilio, ut lintres facerent. Huius usus exemplum simplicissimum est *mutatur in lapidem.* Cf. Gr. § 356, 3.

45. *Ventum erat.* Maior inest passivo impersonali maiestas, cf. illud: *ventum est in curiam* — *poscere tempus est* cf. 5, 638. Eodem modo dicitur *poscere fata* is qui quod fatum sit sibi quaerit, quo *dare fata* dicitur qui edicit cf. v. 66.

Tempus, ait; deus, ecce, deus! Cui talia fanti
Ante fores subito non voltus, non color unus,
Non comptae mansere comae; sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument; maiorque videri,
Nec mortale sonans: adflata est numine quando
Iam propiore dei. Cessas in vota precesque,
Tros, ait, Aenea? cessas? neque enim ante dehiscent
Attonitae magna ora domus. Et talia fata
Conticuit. Gelidus Teucris per dura cucurrit
Ossa tremor, funditque preces rex pectore ab imo:
Phoebe, graves Troiae semper miserate labores,
Dardana qui Paridis direxti tela manusque
Corpus in Aeacidae; magnas obeuntia terras
Tot maria intravi duce te penitusque repostas

46. *Deus, ecce deus.* Iam in introitu sentit dei praesentiam. Cf. Ov. M. 15, 677 *Et, deus en. deus en, linguisque animisque favete.* Avien. desc. terr. 6 *deus en, deus intrat Apollo pectora.*

47. Cum hoc loco, ubi sacerdos divino numine impleta est, cf. Luc. 5, 163 sq. de Pythia. In quo maxime memorandum: *mentemque priorem expulit atque hominem toto sibi cedere iussit pectore.* et Sen. Agam. 709 — 18 de Cassandra. Quicunque autem deo impletur, *ἐνθουσιάζει*, insanus est cf. 3, 443. *μαίνεται*, unde *μάντις* et *furere* dicitur cf. 2, 345; quum maiore quam sanus potest homo percipere, concitus sit motu. *Προφήτης* autem a *φάναι*, *fari (vates)*, is est, qui profatur aliquid pro altero, qui dei dicta pronuntiat. De eo furore quid senserint antiqui, docet Cic. de div. 1, 1 sq.

48. *Non comptae.* „nam propter sacra resolutae sunt." S. cf. 3, 370. Sen. Oed. 230. Sed hoc loco solvuntur ipsae.

49. *rabie* cf. 80. — *maiorque videri* cf. Hor. C. 1, 19, 7 *lubricus adspici.* 4, 2, 59 *Vitulus fronde niveus videri, cetera fulvus.* Infinitivus hic non est explicandus e loco 4, 564, sed ut Horatius docet apposito *cetera fulvus*, infinitivus est eadem ratione dictus, qua alter accusativus *cetera* cf. 3, 594. *Ld.* addit sic primum Vglium usum fuisse infinitivo cf. Gr. § 426 An. 8. Etiam in hoc usu Graecos auctores fuisse non est quod moneam. — Maior autem videtur, quod deo impleta est atque dea fit cf. 2, 772.

50. *nec mortale sonans* cf. 1, 328. Sic Pythiae *emicat vasto fragore maior humano sonus* Sen. Oed. 232. — *adflata* cf. 1, 591.

51. *Cessas in vota* cf. 12, 71. „Tardus es ad vota facienda" S. Te ne cesses hortor, neque enim patefient, ante quam vota feceris. „Trahit hoc de Matris deum templo, quod non manu sed precibus aperiebatur." S. In Castoris et Pollucis „aedes (Romae) nullius hominum manu reserata patuit" Val. Max. 1, 8, 1. „Thebis in templo Herculis valvae clausae repagulis subito se ipsae aperuerunt" C. de div. 1, 34, 74. „*Tros* principale pro derivativo, pro Troius." S. cf. 57 *Dardana tela.* Adde 1, 686.

53. *Attonita domus*, explicat *Ld.*, ut ipsam sumat, quasi quae mente utatur, propinquitate dei commoveri, affertque locum Lucan. 2, 21 *sic funere primo attonitae tacuere domus.* Sic iam *Wg.* — *dehiscent attonitae* est prolepsis cf. 4, 22. — *Et talia fata* cum aliis malim abesse, sed eiicienda non sunt.

54. *dura.* Homines in proeliis, incendiis, tempestatibus omnique mortis periculo exercitati et intrepidi, percussi rei novitate et horrore timent et tremunt.

55. *fundere preces* cf. 5, 482.

56 — 76. Preces Aeneae.

56. *Phoebus Apollo* per totum Troianum bellum Troianis favebat; eius ductu Paridis sagitta potuit Achillem attingere cf. Hom. Il. 22, 359 *ἤματι τῷ, ὅτε κέν σε Πάρις καὶ Φοῖβος Ἀπόλλων, ἐσθλὸν ἐόντ' ὀλέσωσιν ἐνὶ Σκαιῇσι πύλῃσιν.* Soph. Phil. 334 *τέθνηκεν, ἀνδρὸς οὐδενὸς, θεοῦ δ' ὕπο, τοξευτὸς, ὡς λέγουσιν, ἐκ Φοίβου δαμείς.*

58. *Obire*, circumire, circumflecti. poetis tantum in usu cf. 10, 483. Ov. Met. 5, 51 *Chlamydem limbus obibat aureus.*

59. *Penitus repostae* gentes sunt, quae longe a terra remotae sunt. Ita *repositus* 655. 3, 364 al. Sil. 3, 325. — *Massyli*, gens Africa cf. 4, 132. — *duce te*, quod oraculum Apollinis secuti sunt cf. 3, 154 sq.

Massylum gentes praetentaque Syrtibus arva;
Iam tandem Italiae fugientis prendimus oras.
Hac Troiana tenus fuerit fortuna secuta.
Vos quoque Pergameae iam fas est parcere genti,
Dique deaeque omnes, quibus obstitit Ilium et ingens
Gloria Dardaniae. Tuque, o sanctissima vates,
Praescia venturi, da, non indebita posco
Regna meis fatis, Latio considere Teucros,
Errantesque deos agitataque numina Troiae.
Tum Phoebo et Triviae solido de marmore templum
Instituam festosque dies de nomine Phoebi.
Te quoque magna manent regnis penetralia nostris;
Hic ego namque duas sortes arcanaque fata,
Dicta meae genti, ponam, lectosque sacrabo,
Alma, viros. Foliis tantum ne carmina manda,

60. *praetenta syrtibus* cf. 3, 692.

61. *Italiae fugientis* cf. 3, 496. — *prendimus*, ut fugientem, est appellere; ut *capessere* erat terram aliquam petere cf. 4, 346.

62. *Troiana fortuna* i. e. adversa. Cf. Hor. C. 3, 3, 61 *Troiae renascens alite lugubri Fortuna tristi clade iterabitur.* — *Fuerit* optantis est et coniunctivus illius perfecti, quod erat 2, 325 *fuit Ilium.* Iam peto finiatur Troiana fortuna, occipiat Romana.

63. Ii etiam dii, qui inimici erant Troiae; ubi maxime Iunonem intelligit, sed latiore utitur formula, more Romano, ne quod numen omittat.

64. *Quibus obstitit Ilium gloria* cf. Sil. 17, 550 *Tantumne obstat mea gloria divis.*

65. *Dardaniae* cf. 2, 281.

66. *da* cf. 3, 85. — *Da* cum inf. 1, 66.

67. Neque sibi soli et Troianis, sed diis ipsis etiam sedes petit quietas.

69. *Phoebo:* Alludit Vgl. ad magnificum templum, quod Augustus exstruxit Apollini in monte Palatino; dedicatum anno 37 (726), Suet. 29. In eam rem carmen scripsit Hor. 1, 31.

70. *festosque dies de n. Phoebi.* Ludi Apollinares magnis sumptibus edebantur. Liv. 25, 12. 27, 23. Macr. Sat. 1, 17 „Ludos Apollinares, qui secundum quosdam (Livium) bello Punico secundo instituti sunt, secundum alios tempore Sullano ex responso Marciorum fratrum, quorum exstabant Sibyllina oracula.“ S. — *instituam:* Ita Val. Fl. 1, 15 *Ille tibi cultusque deum delubraque genti Instituet.* Verbum positum duplici relatu cf. 1 78.

71. *penetralia magna.* Ita Ov. Met. 14, 128 Aeneas Sibyllae dicit: *Templa tibi statuam, tribuam tibi turis honorem.* Sibyllae oracula servata in Capitolio, una cum eo anno 670 a. u. concremabantur; quare nova omni e terra collecta sunt. Postea ex iis quae placuerant recepta, crematis reliquis, Augustus, sub Apollinis Palatini statua iussit deponi Suet. Aug. 31. Tac. An. 6, 12.

72. *namque:* de loco cf. 5, 733. — *Sortis arcanaque fata* sunt oracula Sibyllae, libri Sibyllini qui magnis in reipublicae calamitatibus aut periculis iussu Senatus inspiciebantur; qui semper sacra facienda esse indicabant. — Sed ea fata eloqui vetitum erat, ut quum rege Tarquinio duumvir ea aliis describenda tradidisset, culeo insutus in mare abiectus sit Val. M. 1, 1, 13. Dion. H. 4, 62.

73. *lecti viri.* Antiquitus erant duumviri sacris faciundis patricii cf. Dion. l. l.; sed a Sextio et Licinio tribunis cautum fuit, ut decemviri *sacris faciundis* crearentur, quinque patrum, quinque plebis Liv. 6, 37. Eorum officia docet 10, 8. A Sulla inde erant quindecimviri Serv. ad h. l. Unde est quindecimvirale sacerdotium Tac. A. 11, 11. 16, 22. Cf. Gell. 1, 19. Alex. ab Al. 3, c. 16.

74. *Tantum*, ut nostrum *nur* saepius est optantis ut 8, 78. — *Carmina*, vaticinia, ut 3, 445. Ecl. 4, 4 *Ultima Cumaei venit iam carminis aetas.* Liv. 1, 45. al. *Carmen* autem est omne dictum, quod certa forma conceptum est; itaque carmen est unus versus et totum poema, quum certo metro sit compositum, et est oraculum, quae certa quadam formula proferebantur, et titulus cf. 3, 287. et lex Liv. 1, 26. 3, 64. Cic. Legg. 2, 23, 59 *Discebamus enim pueri duodecim* (tabulas) *ut carmen necessarium*, et certa

Ne turbata volent rapidis ludibria ventis;
Ipsa canas oro. Finem dedit ore loquendi.
At Phoebi nondum patiens immanis in antro
Bacchatur vates, magnum si pectore possit
Excussisse deum: tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.
Ostia iamque domus patuere ingentia centum
Sponte sua, vatisque ferunt responsa per auras:
O tandem magnis pelagi defuncte periclis!
Sed terrae graviora manent. In regna Lavini
Dardanidae venient; mitte hanc de pectore curam;
Sed non et venisse volent. Bella, horrida bella,
Et Thybrim multo spumantem sanguine cerno.
Non Simois tibi, nec Xanthus, nec Dorica castra
Defuerint. Alius Latio iam partus Achilles,
Natus et ipse dea. Nec Teucris addita Iuno
Usquam aberit. Quum tu supplex in rebus egenis
Quas gentes Italum aut quas non oraveris urbes!
Caussa mali tanti coniunx iterum hospita Teucris,
Externique iterum thalami.

aliqua precatio Liv. 39, 15 *quum sollemne carmen precationis, quod fari priusquam populum alloquantur, magistratus solent, consul peregisset.*

76. Quod petit, petit ex praecepto Heleni cf. 3, 443. — *ore loqui* cf. 1, 614.

76 — 101. Sibyllae vaticinium.

77. Sibylla comparatur cum equo, qui insidentem studet deiicere; ut ap. Luc. 5, 174 Pythia. — *At* in transitu cf. 4, 1. — *Phoebi nondum patiens* est, quamquam iam patitur Phoebum. Sic Phoebum pati dicitur Sibylla Sen. Oed. 231. — *immanis* cf. 49.

78. *bacchatur* cf. 4, 301. — *si* cf. 1, 578.

79. *excussisse* cf. 3, 431. *Excutere deum* 5, 679. Sen. Agam. 791 *Dum excutiat deum* Cassandra, *retinete.* — *Tanto magis*, quanto magis illa resistit.

80. *domat, fingitque premendo.* Non est simplex premit, sed premendo cogit, ut ita se habeat Sibylla, quomodo vult. Similitudo de equis sumpta; ita Varius ap. Macr. 6, 2, 19 *Angusto prius ore coercens insultare docet campis fingitque morando. Fingere zureiten, premere zügeln.*

81. *patuere:* Poetarum more effectum statim indicatur quod fit cf. 2, 442.

82. *sponte sua* cf. ad v. 52.

83. *defungi* cf. 9, 98.

84. *terrae* MPγ. *terra* Rbc. „*Terra* legitur et *terrae;* unum tamen est.“ S. cf. 10, 270; ubi *terrae* locum signare posse docetur; sed praestat habere genitivum a *pericula* pendentem. — *Lavini* Mss., alii *Latini.* „*In regna Lavini;* alii *Latini* legunt, cuius tunc erant: sed quia divina loquitur; futura praeoccupat.“ S. cf. 4, 236.

85. *mitte curam.* Cf. Hor. C. 3, 8, 17 *mitte civiles super Urbe curas.* Liv. 30, 3 *curam ex animo miserat.*

86. *venisse volent* Gr. § 468, 3.

87. *cerno:* Nam quod instat iam quasi praesens animo videt.

88. *Dorica castra* cf. 2, 27. Non minus atrox bellum orietur, quam prius fuit.

89. *alius Achilles:* Turnus, filius nymphae Veniliae cf. 10, 76. — *defuerint — oraveris:* Si quid volebant Romani quod futurum erat, ut certum, simul tamen cum aliqua urbanitate edicere, futuro exacto dicebant. Cf. Gr. § 460. Caes. BG. 4, 25 *Ego certe meum officium praestitero.* Cf. 9, 154. 281. 10, 334. 12, 316.

90. *nec addita Iuno aberit.* Neque in *addi* nec in *abesse*, nec magis quam in *adesse* cf. 4, 386, animi quo quis est signum reperitur. Iunonis autem animus notus erat Aeneae.

91. *quum — quas — quas.* Ex narratione per *quum* instituta, transit in exclamationem. Itaque non opus est emendatione levissima *Pli. quam — quas — quas.*

93. *hospita*, externa, Lavinia.

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito,
Quam tua te Fortuna sinet. Via prima salutis,
Quod minime reris, Graia pandetur ab urbe.
Talibus ex adyto dictis Cumaea Sibylla
Horrendas canit ambages antroque remugit
Obscuris vera involvens; ea frena furenti
Concutit et stimulos sub pectore vertit Apollo.
Ut primum cessit furor et rabida ora quierunt,
Incipit Aeneas heros: Non ulla laborum,
O virgo, nova mi facies inopinave surgit;
Omnia praecepi atque animo mecum ante peregi.
Unum oro. Quando hic inferni ianua regis
Dicitur et tenebrosa palus Acheronte refuso:
Ire ad conspectum cari genitoris et ora
Contingat; doceas iter et sacra ostia pandas.
Illum ego per flammas et mille sequentia tela
Eripui his humeris medioque ex hoste recepi;
Ille meum comitatus iter maria omnia mecum
Atque omnes pelagique minas caelique ferebat
Invalidus, vires ultra sortemque senectae.

95. *contra audentior ito.* Sic Sen. Ep. 59 *interritus contra illa ibit;* Sall. I. 31 *Neque ego vos hortor, uti contra iniurias armati eatis.*

96. *quam* Mss. — *qua* in Edd. ab Aldina propagatum. *Quam* unice probum est, estque sententia haec: Tu contra Latinos et Italos audentior ito, quam tua te fortuna i. e. opes tuae, copiarum tuarum paucitas sinet; nam a parte tibi erit auxilium, a qua minime reris, sc. a Graia urbe. Tua fortuna opponitur Graiae urbi. Altior insurgit *Spf.* audentior ito quam tua i. e. Troiana adversa fortuna, quae etiamnunc te persequitur, sinit. Itaque audacter ferendo fortiter audendo victoriam tibi parabis. *qua* prob. *Rb. Hr. Wd.* Est Pallanteum Evandri cf. 8, 131. — *via salutis* cf. 3, 684.

98. *adyto* cf. 3, 92.

99. *remugit* cf. 4, 490. — *Ambages* dicimus, si res non propriis verbis, sed dubiis et obscuris indicatur; ea autem est ubique ratio oraculorum; cf. Luc. 1, 637 *Flexa sic omina Tuscus involvens multaque tegens ambage canebat.* (Ita ambages dicuntur Sphingis aenigmata Ov. Met. 7, 761.) Hinc etiam Apollo Graecis dicebatur *Λοξίας* a *λοξός*. Tac. An. 2, 54 *et ferebatur Germanico per ambages, ut mos oraculis, maturum exitium cecinisse.*

102—123. Aeneas petit, ut ad Anchisen sibi liceat adire.

103. Non ut novum laborum aut aerumnarum genus, quod mihi impendeat, cognoscam, te adii; nam omnia iam audivi (sc. ab Heleno 3, 458 et Anchise 5, 730) et apud animum meum perpessus sum. Sed unum est quod peto, ut adire liceat Inferos.

105. *praecepi.* Id explicat Cic. Off. 1, 23, 81: „Ingenii magni est praecipere cogitatione futura et aliquanto ante constituere quid accidere possit in utramque partem." Praecipimus enim rem, quae facta nondum est. Sic ap. Caes. BC. 3, 87 *ac iam animo victoriam praecipiebant.* et Cic. Ph. 13, 20 dixit *praecipere gaudia.*

107. *Palus* efficitur Acheronte refuso, in se ipsum recurrente. — *refuso.* Ita Luc. 8, 797 *Qua terra extrema refusum tendit in Oceanum*, quae verba signant sinum Pelusiacum, in quo refringitur mare et repellitur. Itaque palus oritur, inde quod Acheron de terra in inferum delabens rursus revertitur atque stagnat. Apud oratores esset palus orta Acheronte refuso, neque quoad grammaticam diversus est ille ablativus qui dicitur materiae cf. 3, 618. Erat autem „Acherusia palus Cumis vicina" Plin. N. H. 3, 5, 9.

109. *sacra ostia* cf. 2, 686.

110. Ad rem cf. 2, 721. — *recepi* cf. 1, 178.

112. His rebus factis mutuum inter se amorem vult ostendere.

Quin ut te supplex peterem et tua limina adirem,
Idem orans mandata dabat. Gnatique patrisque,
Alma, precor, miserere, potes namque omnia, nec te
Nequidquam lucis Hecate praefecit Avernis:
Si potuit Manes arcessere coniugis Orpheus,
Threicia fretus cithara fidibusque canoris;
Si fratrem Pollux alterna morte redemit,
Itque reditque viam totiens. Quid Thesea, magnum
Quid memorem Alciden? Et mi genus ab Iove summo.
    Talibus orabat dictis arasque tenebat,
Quum sic orsa loqui vates: Sate sanguine divom,
Tros Anchisiada, facilis descensus Averno —
Noctes atque dies patet atri ianua Ditis —
Sed revocare gradum superasque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est. Pauci, quos aequus amavit
Iuppiter, aut ardens evexit ad aethera virtus,

116. *mandata dabat* 1. 5, 735.

119. *Orpheus. Cithara fretus* ut 4, 245 est *confisus.*

121. *alterna morte.* Pollux, patre Iove natus atque inde immortalis, ita amavit Castorem fratrem, Tyndarei filium, ut a Iove peteret, ut inde partita immortalitate per sex menses alter in caelo, alter apud inferos esset. Ea de re auctores collegit antiquos Jan ad Macr. Sat. 1, 21.

122. *it viam* cf. 5, 235. — *redit* cf. 4, 438. 556. — *Theseus* cum Pirithoo descendit Proserpinam rapturus. — *Thesea, magnum* scribitur et *Th. magnum,* ne versus incidatur. Sed Theseus non magnus est, si cum Hercule comparatur, neque erat aptum ullo modo laudare eum, qui facinus patraturus descenderat. Quare tantum nominat; et Hercules etiam ap. Hor. C. 4, 5, 36 *Magni nomine quasi suo gaudet.*

123. *Hercules* Cerberum in lucem protraxit cf. 396. — Si illis licuit, mihi etiam licebit, qui non minus a Iove duco originem, et si Orpheus uxorem, Pollux fratrem, si Hercules custodem, Theseus reginam ex Orco trahebant, ego videre in Orco patrem cum eoque colloqui si licebit, contentus ero.

124 — 155. Sibylla dicit quae ante sint peragenda.

124. *aras tenebat* cf. 4, 219.

125. *quum* Mss. opt. cf. 3, 590. — *tum* alii.

126. *Anchisiada* M1 al. rec. *Wg.* — *Anchisiade* MPRγbc prob. *Rb.* cf. 9, 653. Utraque forma apud poetas Latinos in usu fuit. — „*Descensus Averni* legitur et *Averno* i. e. ad Avernum.“ S. *Rb.* refert *Averno* esse in MP1. *Averni* in P2Rγc. Utrumque Latinum et *Averno* 5, 451 et *Averni* cf. 3, 684. Quo fretus Aeneas petierat, id ipsum Sibylla allocutione sua firmat: *sate s. divom, Anchisiada.*

127. *atri ianua Ditis.* Omne quod in inferis est, atrum est, ita vel ipse Dis Ov. M. 4, 438 *nigri fera regia Ditis;* Her. 2, 72 *nigri regia vacca dei* et *Proserpina* Hor. C. 2, 13, 21. *furva* dicitur, et animae, quae sunt in Orco, *umbrae* sunt.

128. *superas ad auras* cf. v. 481.

129. Ex his verbis patet Aeneam, quum remeaverit, esse eximium virtute et deorum amore. — *aequus:* propitius, 1, 479. 9, 209. Ea vox paene in proverbium abiit cf. Plin. Ep. 1, 2, 3 *nam vim tantorum virorum pauci* quos aequus amavit *assequi possunt.*

130. *ardens evexit ad aethera* nam: „Virtus recludens immeritis mori Caelum negata tentat iter via“ Hor. C. 3, 2, 21. Ita Hercules ap. Sen. Oet. 192 „Virtus mihi in astra et ipsos fecit ad superos iter.“ Cic. in lege sancit: (Legg. 2, 8.) „Colunto et ollos, quos endo caelo merita locaverunt, Herculem, Liberum, Aesculapium, Castorem, Pollucem, Quirinum; ast olla, propter quae datur homini adscensus in caelum, mentem, virtutem, fidem, earumque laudum delubra sunto.“ Itaque non admittuntur nisi qui Diis geniti sunt, et ex his pauci, nec nisi adiuvantur Iovis favore aut excellenti virtute. Utrum in Aenea statuas poeta tibi concedit.

Dis geniti potuere. Tenent media omnia silvae,
Cocytosque sinu labens circumvenit atro.
Quod si tantus amor menti, si tanta cupido,
Bis Stygios innare lacus, bis nigra videre
Tartara, et insano iuvat indulgere labori,
Accipe, quae peragenda prius. Latet arbore opaca
Aureus et foliis et lento vimine ramus,
Iunoni infernae dictus sacer; hunc tegit omnis
Lucus et obscuris claudunt convallibus umbrae.
Sed non ante datur telluris operta subire,
Auricomos quam qui decerpserit arbore fetus.
Hoc sibi pulchra suum ferri Proserpina munus
Instituit. Primo avolso non deficit alter
Aureus, et simili frondescit virga metallo.
Ergo alte vestiga oculis et rite repertum
Carpe manu; namque ipse volens facilisque sequetur,
Si te fata vocant; aliter non viribus ullis
Vincere, nec duro poteris convellere ferro.
Praeterea iacet exanimum tibi corpus amici,
— Heu nescis! — totamque incestat funere classem,
Dum consulta petis nostroque in limine pendes.
Sedibus hunc refer ante suis et conde sepulcro.
Duc nigras pecudes; ea prima piacula sunto.

131. Silvae enim omnia tenent loca. Itaque porta difficilis est inventu redeunti. Contra qui descendit, porta relicta, magis magisque penetrat silvas eoque certius pervenit in Orcum inferiorem.

132. *Cocytos* M. — *tus* vulg.

134. *Bis* i. e. et nunc et quum morieris.

135. *insano labori:* Cf. Schill.: Der Mensch versuche die Götter nicht, und begehre nimmer und nimmer zu schauen, was sie gnadig bedeckten mit Nacht und Grauen.

137. *Ramus* est medio et obscuro in luco et frondibus et vimine aureus. Imaginem duxit a visco, quod maxime in quercu conspicitur cf. 205. Ramos autem supplices praeferebant, cf. 7, 154. Habet etiam Mercurius, qui ad inferos descendit, aureum ramum Hom. Od. 24, 3. Hor. C. 1, 10, 19. Inde suum duxit Virgilius; quem secutus est Claud. RP. 2, 290.

138. *Iuno inferna* est Proserpina, quae et *Averna Iuno* dicitur Ov. M. 14, 114. et *profunda Iuno* RP. 1, 3. Sic Pluto est *infernus tyrannus* Ov. M. 5, 507. *Iuppiter Stygius* Aen. 4, 638. Sil. 1, 386. *pater Tartareus* Val. Fl. 1, 828. *Iuppiter Tartareus* 730. *Stygius rex* Sil. 6, 252. *Iuppiter tremendus* 3, 385. Ζεὺς χϑόνιος Soph. OC. 1606.

141. *quam qui*, quam *ei* qui. Demonstrativum nonnunquam alio etiam casu omittitur ante relativum. Cf. 4, 597. — *quam qui* M. al. — *quam quis* PRγbc. Sed non si *quis* ramum decerpsit, aditus patet huic vel illi, sed ei patet, *qui* decerpsit. — *Fetus* etiam recte de surculis et ramis dicitur, ut 207. Ov. M. 6, 81 *fetus olivae cum baccis.*

144. *Aureus* ob sequentia languidum iudicans *Pl.* scripsit *ramus et e simili*, Mutandi agit libido, utrum enim languidius *aureus* an ramus. Praeterea moneo *primo* esse ablativum.

147. *aliter*, alioquin, ut Sall. Cat. 29. 44. Cic. Off. 1, 39. al.

150. *Funere incestat* i. e. cadavere cf. 510; ubi enim cadaver, ibi locus impurus, qui eo elato debebat purgari, ut omnes ii, qui id attigerant.

151. *pendes.* Cf. Flor. 1, 13, 15 *Sex mensibus barbari circa montem unum pependerunt.*

152. *sedibus suis* i. e. debitis. Mortuum enim sepelire fas est. — *et conde sepulcro.* Hoc loco quo de corpore sermo est uti noli ad ea probanda quae 3, 67 dicta sunt. Ceterum *e. c. s.* explicat prius *sedibus refer suis.*

153. *nigrae* cf. 3, 118. — Lustrare debet Aeneas et se et classem, antequam

Sic demum lucos Stygis et regna invia vivis
Adspicies. Dixit, pressoque obmutuit ore.
Aeneas maesto defixus lumina voltu
Ingreditur, linquens antrum; caecosque volutat
Eventus animo secum. Cui fidus Achates
It comes, et paribus curis vestigia figit.
Multa inter sese vario sermone serebant,
Quem socium exanimem vates, quod corpus humandum
Diceret. Atque illi Misenum in litore sicco,
Ut venere, vident indigna morte peremptum
Misenum Aeoliden, quo non praestantior alter
Aere ciere viros Martemque accendere cantu.
Hectoris hic magni fuerat comes, Hectora circum
Et lituo pugnas insignis obibat et hasta.
Postquam illum vita victor spoliavit Achilles,
Dardanio Aeneae sese fortissimus heros
Addiderat socium, non inferiora secutus.
Sed tum, forte cava dum personat aequora concha,
Demens et cantu vocat in certamina divos,
Aemulus exceptum Triton, si credere dignum est,
Inter saxa virum spumosa immerserat unda.
Ergo omnes magno circum clamore fremebant;
Praecipue pius Aeneas. Tum iussa Sibyllae,
Haud mora, festinant flentes, aramque sepulcri
Congerere arboribus caeloque educere certant.
Itur in antiquam silvam, stabula alta ferarum:
Procumbunt piceae, sonat icta securibus ilex,

ad Inferos potest descendere, i. e. rem sacram attingere cf. 2, 719.

156—211. Aeneas invenit aureum ramum.

157. *volutat animo* cf. 185.

158. *cui comes it* cf. 2, 704.

159. *vestigia figit:* Nota tardum ingressum per *figere* indicatum, qualis esse solet cogitantium.

160. *vario sermone:* Varie coniectabant. quem diceret interemptum.

161. *Pl.* delet *vates — illi.*

163. *indigna* „miserabili.“ S.

164. *praestantior* quod comparativo fit adiectivum, tamen c. infinitivo iungitur ut praestare, valere cf. ad 4, 564.

167. *litui.* Apud Romanos erat tuba peditum, lituus equitum. Illa directa, hic incurvus. Cf. 7, 519.

170. *non inferiora.* Ita Aeneam Hectori parem habet 11, 289.

171. Misenus provocat ad certamen Tritonem. Talia ausi sunt Marsyas, Arachne, alii, non sine ipsorum pernicie. Cf. Ovid. Met. 6, 1. 382. — Concha solebat canere Triton, ea igitur provocat Misenus. — *Personat* c. acc. loci 417. Hor. Ep. 1, 1, 7.

172. *demens;* qui enim sana est mente, non cum diis se comparabit.

173. *exceptum* cf. 3, 332. — *Si credere dignum est*, sc. deum aliquem homini exstitisse aemulum et invidum; immo poenam iustam ex superbia sua cepit. *Pl.* delet *si — est.*

177. *Aram sepulcri* „pyram dicit, quae in modum arae construi lignis solebat.“ S. Sil. 15, 387 *Alta sepulcri protinus exstruitur caeloque educitur ara.* De genitivo cf. 5, 52. *sepulcri* MR al. *sepulchro* Pγ rec. *Rb.*

178. *congerere* ut E. 1, 69 *tuguri congestum cespite culmen.* — *Caelo* dativus. Cf. 5, 451. — *Certant* c. inf. 4, 443.

179. Cf. 10, 723.

180. „*Picea* feralis arbor et funebri indicio ad fores posita ac rogis virens“ Plin. N. H. 16, 18. Cf. 3, 64. — Similes locos vide ap. Ennium: „Incedunt arbusta per alta, securibus caedunt, Percellunt magnas quercus, exciditur ilex, Fraxinus

Fraxineaeque trabes cuneis et fissile robur
Scinditur, advolvunt ingentes montibus ornos.
Nec non Aeneas opera inter talia primus
Hortatur socios, paribusque accingitur armis.
Atque haec ipse suo tristi cum corde volutat,
Adspectans silvam immensam, et sic forte precatur:
Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus
Ostendat nemore in tanto! quando omnia vere
Heu nimium de te vates, Misene, locuta est.
Vix ea fatus erat, geminae quum forte columbae
Ipsa sub ora viri caelo venere volantes,
Et viridi sedere solo. Tum maximus heros
Maternas adgnoscit aves, laetusque precatur:
Este duces, o, si qua via est, cursumque per auras
Dirigite in lucos, ubi pinguem dives opacat
Ramus humum. Tuque, o, dubiis ne defice rebus,
Diva parens. Sic effatus vestigia pressit,
Observans quae signa ferant, quo tendere pergant.
Pascentes illae tantum prodire volando,

frangitur atque abies consternitur alta, Pinus proceras pervortunt, omne sonabat Arbustum fremitu silvai frondosai" et Stat. Theb. 6, 100 sqq.

183. *nec non A.* „Bona oeconomia venitur ad ramum." S.

184. *accingitur* cf. 4, 152.

185. *Volutat cum corde suo* ut 8 522. Sic Sall. Iug. 6 *volvere cum animo suo.* Cic. Verr. 3, 12, 29 *Considerate cum vestris animis.* in Rull. 2, 24, 64 *Id potestis cum animis vestris cogitare.* Sed dicit etiam *secum corde volutare* 1, 50. 4, 533 sive *secum animo volutare* 6, 157 et *corde volutare* 10, 159. 12, 843.

186. *forte* M. al. S. qui tamen: „Vacat *forte* et est versus de his, qui tibicines vocantur, quibus additur aliquid ad solam metri sustentationem." *Forte* enim non necessarium, neque tamen absonum est forte fieri dici, cuius rei caussam, aut cur eo ipso tempore fiat, non intelligimus; opportuna autem ea precatio, ubi ex immensa silva unus ramus est legendus. — *Voce*, *ore*, quod nonnulli libri dant, ex emendatione est. *Pl.* et *Gr.* delet *et — precatur*, quae ratio est simplicissima.

187. „*Si* adverbium rogantis et optantis est cf. 8, 560. — *Quando*, siquidem, et *nimium vere* cum ingenti dixit affectu, quasi mors praedicta falsa esse debuerit." S. — *Arbore* addere opus non erat cf. 4, 344.

190. *Geminae* cf. 1, 162.

191. *Ipsa sub ora* vertimus *gerade, dicht unter die Augen. Ipse* ea esse significatione docent grammatici et exempla 2, 442. 469. 550. 3, 5. 8, 561, alia multa et aliorum scriptorum. — „*Ipsa sub ora;* perite: ne si longius volarent non ad eum pertinere viderentur. Nam moris erat, ut captantes auguria certa sibi spatia designarent, quibus volebant videnda ad se pertinere." S.

192. *sedere* cf. 10, 301.

193. Columbae erant Veneri sacrae, et columbarum clarum erat illud oraculum Dodonaeum.

195. *Ubi* etc. explicant: ubi ramus ille aureus est; haerent tamen in voce *opacat*, quod unus ramus non possit ita opacare terram. At in hac explicatione perstandum est. Alia quidem est ratio, qua vertitur: Hier, wo Baum an Baum aus üpp'gem Boden steigt. Sed *ramus* pro *arbor*, *dives* pro *frequens* dictum non satis defenditur. Neque densam quaerit silvam sed illum aureum ramum. *Pl.* pro *ramus* coni. *arbor.* — *dirigite* Mγ2bc, *derigite* PRγ1 rec. *Rb.*

196. *defice.* Tib. 3, 4, 20 *Somnus sollicitas deficit ante domos. Deficimus* eum, cui auxilium non ferimus, quod exspectat; cf. *deesse*, *longe esse alicui. Destituimus* eum, cui auxilium promissum non praestamus. — *ne defice* cf. 544.

197. *effatus:* „Proprie *effata* sunt augurum preces." S. — *Vestigia pressit,* constitit cf. v. 546, „quia ad captanda auguria post preces immobiles vel sedere vel stare consuerant." S.

199. Pergunt columbae, ut si cibum quaerunt, sensim sensimque progrediuntur et eundo et volando; neque tamen longius

Quantum acie possent oculi servare sequentum.
Inde ubi venere ad fauces graveolentis Averni,
Tollunt se celeres, liquidumque per aera lapsae
Sedibus optatis gemina super arbore sidunt,
Discolor unde auri per ramos aura refulsit.
Quale solet silvis brumali frigore viscum
Fronde virere nova, quod non sua seminat arbos,
Et croceo fetu teretes circumdare truncos:
Talis erat species auri frondentis opaca
Ilice, sic leni crepitabat bractea vento.
Corripit Aeneas extemplo, avidusque refringit
Cunctantem, et vatis portat sub tecta Sibyllae.
Nec minus interea Misenum in litore Teucri
Flebant et cineri ingrato suprema ferebant.
Principio pinguem taedis et robore secto
Ingentem struxere pyram, cui frondibus atris
Intexunt latera, et ferales ante cupressos
Constituunt decorantque super fulgentibus armis.

procedunt, quam ut ab iis qui sequuntur possint conspici.

202. „Dicit eos alte volasse ad vitandum Averni odorem.“ S. cf. 241.

203. *super arbore sidunt* „secundum antiquam licentiam“ S. sc. cum ablativo loci iunctum est *super*, ut E. 1, 81; cum ablativo temporis A. 9, 61; cum abl. rei, de qua agitur 1, 750. Cf. Gr. § 357. — Deinde adverte Latinos, ubi de loco vel altiore vel latiore vel humiliore disserant, saepe non simplicibus uti praepositionibus *in* vel *ad*, sed iis, quae simul qualia loca sint involvunt. Sic *super* c. acc. 1, 680. 7, 557. Liv. 21, 5 *super ripam castris positis*, et sic saepissime, *oben auf* — *sub* 4, 387. *ante* 2, 469. Cf. *in summa arbore*, quod est in arboris parte summa. — *Geminae* Mss. ad columbas pertinet, quas iterum post v. 190 geminas dicere nihil attinebat. — *gemina* MR al. Gemina arbore significantur aut duae arbores vicinae cf. Ov. M. 8, 720 *Ostendit adhuc .. incola de gemina vicinos arbore truncos;* aut est arbor duplicis trunci in commune coeuntis fastigium; aut quae diversi generis habet ramos et suos et aureum, quae est Vgli sententia. Sic Charon Ov. M. 2, 630 geminus dicitur, biformis. — *sedibus optatis*, quibus ut considerent Aeneas optaverat. *Pl.* coni. *Eminus optata Aeneae super arbore sidunt.*

204. „*auri aura*; splendor auri.“ S. Sed *aura* nusquam praeterea ita legitur, neque locis qui afferuntur comprobatur. Nam si ap. Priscianum Perieg. 1020 est *Atque aura viridi legitur quae splendet iaspis*, quaeritur scripseritne *auro*. Ita etiam h. l. dant Mss. et R. *auro;* quod vellem legi in omnibus. *Pl.* coni. *auro per ramos virga;* at ex *virga* ortum *aura* non esset. Melius igitur *auro* *p. r. aura*.

205. „Bene brumali addidit. Tunc enim maturum est et auri imitatur colorem.“ S.

207. *Truncus* est ramus ut G. 2, 63.

209. *bractea* γ, *brattea* MRbc rec. *Rb.* *brattia* P. „*Brattea*, *bratea*, *brattea*, *brachthea* scribunt librarii. A tam indoctis hominibus quidni exspectes, pro plurali (in multis enim est *crepitabant*) hoc habitum fuisse“? *Hn.*

210. „*Extemplo;* bene verbo usus est augurum.“ S.

211. *Cunctantem* (cf. 5, 856). „Aliud pendet ex alio. Cunctantem; quia avidus, ut ostendat, tantam fuisse avellendi cupiditatem, ut nulla ei satisfacere posset celeritas.“ S.

212 — 235. Misenus sepelitur.

Quae ratio fuerit sepeliendi vide ad 3, 62. Cic. Legg. 2, 22 — 27.

213. *Ingratus* est cinis, quod non sentit, qui sibi fiant honores. Ita Copa 35 *quod cineri ingrato servas bene olentia serta*. Eodem modo Ecl. 1, 35 *urbs ingrata* dicitur, ex qua Tityrus pro frugibus non refert pecuniam, et Prop. 1, 3, 25 *omniaque ingrato largibar munera somno*, quod dormiens puella nescit munera apponi.

215. Rogi magnitudo in honorem accipiebatur defuncti.

216. *Ferales cupressos* cf. 3, 64.

Pars calidos latices et aena undantia flammis
Expediunt corpusque lavant frigentis et unguunt;
Fit gemitus. Tum membra toro defleta reponunt
Purpureasque super vestes, velamina nota,
Coniiciunt. Pars ingenti subiere feretro,
Triste ministerium, et subiectam more parentum
Aversi tenuere facem. Congesta cremantur
Turea dona, dapes, fuso crateres olivo.
Postquam collapsi cineres et flamma quievit,
Reliquias vino et bibulam lavere favillam,
Ossaque lecta cado texit Corynaeus aeno.
Idem ter socios pura circumtulit unda,
Spargens rore levi et ramo felicis olivae,
Lustravitque viros dixitque novissima verba.
At pius Aeneas ingenti mole sepulcrum

219. *lavant et ungunt.* Qui id faciebant, apud Romanos dicebantur pollinctores.

220. Vestes purpureae, quibus tegitur corpus mortui, memorantur ut res notissimae ap. Liv. 34, 7 et Ciceronem c. 23.

221. *Velamina nota* ut 11, 195 *munera nota*, i. e. quorum fuerat in vita usus. Mortuorum vestes in rogum iniicere mos erat cf. Luc. 9, 175. Quin suas etiam iniecere lugentes et arma Suet. Iul. 84; etiam aurum, argentum, gemmas Stat. Theb. 6, 207, et crines et barbas 6, 194,

222. *Subiere feretro*, ut honorem, quo mortuum colerent, ostenderent. Sic Caesaris „lectum pro rostris in forum magistratus et honoribus functi detulerunt," Suet. Iul. 84; et ap. Tac. A. 1, 8 conclamant patres, corpus (Augusti) ad rogum humeris senatorum ferendum. — *Subire* c. dat. 8, 123.

223. *Triste ministerium* i. e. quod esset triste ministerium. Cf. 11, 76. — Subiiciunt rogo faces, quibus incendant, sed aversis oculis; idque more maiorum. „Propinquioribus enim virilis sexus hoc dabatur officium." S.

224. *Congesta*, nam singuli ex omni populo munera ferebant. Cf. Suet. Iul. 84. et Aen. 5, 101. Stat. Theb. 6, 126. Sil. 16, 308. — *Dona* dicuntur, quae diis offeruntur 5, 101. G. 3, 22.

225. *Dapes* dicuntur, quae diis Manibus offeruntur; 3, 301. 5, 9 sunt eae mel, vinum, lac, E. 5, 66 lac, vinum. oleum. Ap. Stat. Theb. 209 in ignes coniiciuntur crocus, tus, mel, merum, sanguis, lac; A. 11, 199 in flammam iugulantur pecudes. — Crateres, oleo pleni in ignes coniiciuntur: „Diis superis tantum libabant; inferis vero sacrificantes etiam vasa in ignem mittebant." S. *Pl.* coni. *C. cr. Ultima dona super fuso cr. o.*

227. Lavatur favilla vino et cado conditur.

229. *circumtulit:* „purgavit, Antiquum verbum est. Plautus: pro larvato te circumferam." S. — Amph. 2, 2, 143 *tu istanc iubes pro cerrita circumferri.* — „Nam lustratio a circumlatione dicta est vel taedae vel sulfuris." S. Iungitur igitur *circumferre aliquem aliqua re;* quum *circum aliquem* vel *alicui aliquid* usus requirat. Cf. Gr. § 289. Sic Virgilius saepissime, quum nova verba et a vulgari usu recedentia formare non liceret, (cf. 2, 31) verborum structuram aliquam a vulgari recedentem admisit; habuitque nonnunquam ea in re et qui eum sequebantur et quos sequebatur. Cf. *mutare* Bentl. Hor. C. 2, 16, 18. *Onerare* 1, 195. *inscribere* 1, 478. *circumdare* 2, 510. *stipare* 3, 465. *subtexere* 3, 582. *praetexere* 4, 500. *intendere* 4, 506. *struere* 5, 54. *pacisci* 230. *exuere* 423. *imprimere* 536. *praefigere* 557. *excutere* 6, 353. *accumulare* 886. *comprehendere* 7, 73. *intexere* 488. *arcere* 8, 73. *innectere* 660. *cumulare* 11, 50. *miscere* 807, alia, in quibus exquisitior usus structuram invertit. Perfecto funere lustrantur qui adsunt olivae ramo aqua tincto. — *ter* cf. 11, 188.

230. *rore levi:* Guttatim enim spargitur aqua cf. 4, 635. Hinc Ov. M. 1, 371 *Inde ubi libatos inroravere liquores vestibus et capiti.* — *Felix oliva* est ut 7, 750 frugifera, contraria arboribus infelicibus, quae fructum non ferunt, quae sunt inferis sacrae; quare purgat lugentes.

231. *Novissima verba* „i. e. Ilicet. Nam Vale dicebatur post tumuli quoque peracta sollemnia." S.

Imponit suaque arma viro remumque tubamque
Monte sub aerio, qui nunc Misenus ab illo
Dicitur aeternumque tenet per saecula nomen.
His actis propere exsequitur praecepta Sibyllae.
Spelunca alta fuit vastoque immanis hiatu,
Scrupea, tuta lacu nigro nemorumque tenebris,
Quam super haud ullae poterant impune volantes
Tendere iter pennis; talis sese halitus atris
Faucibus effundens supera ad convexa ferebat:
[Unde locum Graii dixerunt nomine Aornon.]
Quattuor hic primum nigrantes terga iuvencos
Constituit frontique invergit vina sacerdos,
Et summas carpens media inter cornua saetas
Ignibus imponit sacris, libamina prima,
Voce vocans Hecaten, Caeloque Ereboque potentem.
Supponunt alii cultros, tepidumque cruorem
Suscipiunt pateris. Ipse atri velleris agnam
Aeneas matri Eumenidum magnaeque sorori
Ense ferit, sterilemque tibi, Proserpina, vaccam.

233. Statius montem Misenum significat his verbis: *Iliaco iugum memorabile remo* Silv. 3, 5, 98. — *Arma* cf. 507.

236—263. Sacro Proserpinae facto in inferna Aeneas et Sibylla descendunt.

236. *His actis* ut 637. 12, 843. Sil. 16, 276. 457 et *quis actis* Sil. 7, 730.

238. „*Scrupea;* lapillosa. Nam scrupus proprie est lapillus brevis, qui pressus sollicitudinem creat. Unde etiam *scrupulus* dictus est. *Tuta* autem, quia hinc lacu, hinc cingitur silvis.“ S.

241. *supera* M2P2Fγbc, *super* M1P1R rec. *Rb.* *Supera convexa* pro caelo Vgl. dixit cf. 7, 562.

242. Dionys. Perieg. *Τοὔνεκά μιν καὶ φῶτες ἐπικλείουσιν Ἄορνον.* Priscian. Per. 1056 *Unde locis Graii posuerunt nomen Aornin.* Lucr. 6, 740 sq. *Principio quod Averna vocantur, nomen id ob re impositum est, quia sunt avibus contraria cunctis.* Strabo hanc narrationem falsam iudicavit 5, 4, 5. p. 244. Cf. ad 3, 442. At omisit hunc versum Servius, abest a FMP; facile ex Graeco versu ab aliquo potuit inferri. Quae autem gravissima est caussa, Virgilius aves dixisset necari non lacu Averno, sed spelunca, qua ad inferos descenditur. Hanc autem speluncam poeta non potuit Avernum dicere. Id fecit alius, qui quum simile quid legeret, et prope Avernum res esset, ipsum Avernum significari sibi persuasit, adiecitque nominis caussam. *Dixerunt nomine* Vgli formula est cf. 441.

243. *nigrantes* cf. 3, 118.

244. *constituit* cf. 5, 237. — *invergit.* „*Fundere* (cf. 4, 61) est supina manu libare, quod fit in sacris supernis. *Vergere* autem est conversa in sinistram partem manu ita fundere, ut patera convertatur, quod in infernis sacris fit. Haec autem pertinent ad victimarum explorationem; ut si non stupuerint, aptae probentur.“ S. Deinde in quovis sacrificio crines aliquot de capite decerpti in ignem iniiciebantur; tum fiebat precatio cf. 12, 173 et sacrificium. His rebus hostiae ipsae putabantur sacrari cf. 12, 213.

247. *Voce vocans:* „non verbis, sed quibusdam mysticis sonis.“ S. Quod si hoc loco ita explicatur, non tamen differt *voce vocare* a simplici *vocare* cf. 12, 638. Tib. 2, 1, 83. Quod est ap. Ov. Her. 10, 34 *summa Thesea voce voco,* addito *summa* satis firmatur. Sic legitur *voce precari* 9, 403. 11, 785 et *voce referre* 1, 94. 208. *voce loqui* 1, 614. *voce effari* 2, 524. Cf. ad 4, 344.

248. *supponunt cultros:* G. 3, 492 *suppositi tinguuntur sanguine cultri.* „Fuit autem verbum sacrorum, in quibus mali ominis verba vitabant.“ S. Hostia superis sacra sursum reflectebantur, et cultri iugulo imponebantur; inferis diis sacra ad terram deflectebatur prona, et culter supponebatur, iugulo depresso admovebatur. — tepidum*que* cf. 1, 701.

250. *Eumenidum mater* Nox est cf. 7, 331, eiusque soror Tellus.

251. *sterilem vaccam,* nam rapta ad Tartarei thalamum Proserpina regis pla-

Tum Stygio regi nocturnas inchoat aras,
Et solida imponit taurorum viscera flammis,
Pingue super oleum infundens ardentibus extis.
Ecce autem primi sub lumina solis et ortus
Sub pedibus mugire solum, et iuga coepta moveri
Silvarum, visaeque canes ululare per umbram,
Adventante dea. Procul o, procul este, profani,
Conclamat vates, totoque absistite luco;
Tuque invade viam, vaginaque eripe ferrum;
Nunc animis opus, Aenea, nunc pectore firmo.
Tantum effata, furens antro se immisit aperto.
Ille ducem haud timidis vadentem passibus aequat.
Di, quibus imperium est animarum, Umbraeque silentes,
Et Chaos, et Phlegethon, loca nocte tacentia late,
Sit mihi fas audita loqui, sit numine vestro

catur vaccae sterilis cervice resecta, quod ipsa sterilis erat.

252. *Stygius rex* est Pluto cf. v. 138. — *nocturnas aras.* Noctu enim diis inferis sacrificabatur. — *Inchoare* sacrorum verbum est.

253. *Solida viscera* i. e. totum corpus. Nam viscera sunt, quidquid inter ossa et cutem est. Ita 1, 211. 8, 179. Curt. 4, 14, 22 *eripite viscera mea ex vinculis.* — *Solidus* ita saepius Hor. C. 1, 1, 20 *partem solido demere de die.* Iust. 30, 4 *Terrae motus civitates solidas absorbuit.* Atque ita iam Varro ap. Nonium. Diis autem inferis holocausta fiebant, victimae totae cremabantur, quod de iis nemo quidquam edere volebat, quo inferis addiceretur.

254. *superque* FMPRγbc al. *super* „antiqua aliquot Pierii". *infundens* M. *fundens* FPRγbc al. Inde *super o. infundens Wg. Ld.*, *superque o. fundens Rb.* qui „Unum vel plures versus additurus fuit poeta, ni fallor." et „infundens interpolatum est in M." Cf. 3, 380 et mtr. § 9. Suet. Aug. 94 *infuso super altaria mero.* Cf. v. 244.

255. Statim primo mane introit cf. 536. *Gt.* coni. *solis*, *et orsum* „Solum orsum est mugire". *Pl. primi subito sub luminis ortus.* Uterque cupit tollere „tautologiam" quae est in *sub lumina primi solis* et *sub ortus solis.*

256. *Iuga silvarum* sunt montes silvis consiti; sic 11, 545 *iuga longa solorum nemorum.* Inde silvae iugosae dicuntur Ov. Am. 1, 1, 9. — De hoc gen. cf. 177.

257. *Visae*, quamquam in rebus extraordinariis saepe reperitur, *Pl.* quum mugiat terra et moveantur iuga, ululare vult canes, non modo ululare videri, et scribere iubet *saevae*, otiosum h. l. epitheton. Contra *visae* recte dictum, nam quum quae v. 256 narrantur, videat oculis, ululatum vero audiat, concludit eum a canibus Hecates fieri, neque tamen certo scit. Hecate audita prece advenit, stipata canibus et lupis, quorum latratus auditur. Adventante deo omnia moventur cf. 3, 92.

258. *Procul este profani*, ἑκὰς ἑκὰς βέβηλοι, in sacris omnibus dici solebat: nam si quis impurus accessit, sacra polluit. Hoc loco recedere iubentur socii Aeneae, quibus non est concessum adire inferum.

259. *Absistere* c. abl.: sic Sil. 2, 371 *toto absistite ponto.* Ov. M. 11, 115 *demptum tenet arbore pomum.* Cic. RA. 25 *submovere maleficio.* Cf. Gr. § 336.

264—267. Poetae precatio.

264. Eadem precatur Theseus ap. Sen. Herc. Fur. 658—61. Horrorem movent ea ipsa, quae de introitu ad inferos monentur, neque minus, quod a diis inferis petit, ut ea proferre et enarrare sibi liceat.

265. Chaos, quod efficitur Tartaro i. e. ipse Tartarus, ita etiam Lucanus Tartarum Chaos dixit 6, 617. 696. 9, 101 *Iam nunc te per inane Chaos, per Tartara coniux si sunt ulla sequar.* Val. Fl. 1, 831. 2, 86. 4, 123. 5, 96. 7, 402 *Per chaos occurrunt caecae sine vocibus umbrae.*

266. *Sit mihi fas* i. e. sit mihi a vobis, Diis, concessum, ut idem sit, quod *sit numine vestro* i. e. liceat per numen vestrum. *Est* enim c. inf. significat *licet;* sic 596. 8, 676. Ov. M. 3, 478 *Liceat, quod tangere non est, adspicere.* Hor. S. 1, 5, 87 *mansuri oppidulo, quod*

Pandere res alta terra et caligine mersas.
    Ibant obscuri sola sub nocte per umbram
Perque domos Ditis vacuas et inania regna.
Quale per incertam lunam sub luce maligna
Est iter in silvis, ubi caelum condidit umbra
Iuppiter, et rebus nox abstulit atra colorem.
Vestibulum ante ipsum primisque in faucibus Orci
Luctus et ultrices posuere cubilia Curae;
Pallentesque habitant Morbi, tristisque Senectus,
Et Metus, et malesuada Fames, ac turpis Egestas,
Terribiles visu formae, Letumque, Labosque;
Tum consanguineus Leti Sopor, et mala mentis
Gaudia, mortiferumque adverso in limine Bellum,
Ferreique Eumenidum thalami, et Discordia demens,

versu dicere non est. Gell. 3, 1 *Multos videre est pecuniae cupidos.*

267. *Caligine mersas* legitur ap. Stat. Theb. 6, 510. *Mergi* omnino dicuntur. qui opprimuntur re aliqua; ita *funere* 429. (Claud. B. Gild. 410 *tantum quem funere mersit) malis* 512. Stat. 9, 270 *ingenti vulnere mersit.* — Inde *mergere* omnino infelicem reddere Ov. M. 1, 380. Luc. 1, 159 *quae populos mersere potentes.* Cf. Sen. Ep. 85 *Aegra corpora minima interdum mergit accessio.* — *pandere* cf. 3, 179.

268—281. Orci fauces.

268. *Ibant* sc. per tempus aliquod, — *obscuri*, ut qui in umbra versantur, cf. 2, 135. — *sola sub nocte*, *in einsamer Nacht.* Cf. 5, 613.

269. *domos* i. e. locos. — *vacuas et inania regna.* Umbris enim corpora non sunt. Cf. 651. — Cic. in Catil. 1, 7. Verr. 2, 34 *nudus* et *inanis* iungit.

270. *Incerta luna* cf. 3, 203. — *maligna*, parca, ut benignus nonnunquam est largus. G. 2, 179 colles maligni sunt, qui parcum fructum praebent; 5, 525 aditus malignus, angustus (unde periculosus). Qui maligne dat, parce dare solet. Luc. 9, 500 *conspecta est parva maligna Unda procul vena.* Plaut. Bacch. 3, 2, 17 *malignus* et *largus* sibi opponuntur. Contra *ingeni benigna vena* Hor. C. 2, 18, 10, quam AP. 409 *divitem* vocat.

273. De *Vestibulo* et Macr. S. 6, 8 et Gell. 16, 5 referunt ad verbum ea quae dat Caecilius Gallus „vir doctissimus" Macr. „C. G. vestibulum esse dicit locum ante ianuam domus vacuum, per quem de via aditus accessusque ad aedes est, quum dextra et sinistra inter ianuam tectaque, quae sunt viae iuncta, spatium relinquitur, atque ipsa ianua procul a via est, area vacanti intersita." „Vestibula sunt spatia grandia ante fores aedium relicta, in quibus starent, qui venissent, priusquam in domum intro mitterentur." „Fauces autem vocat (Vgl.) iter angustum, per quod ad vestibulum adiretur." Gell. Potius dixerim fauces esse aditus per vestibulum ad fores. Ante vestibulum est idem quod primis in f. O. *vorn im Vorhofe und beim Anfang des Einganges.* — *primis in faucibus* cf. 7, 61. *primisque* MRb. *primis* Pγc rec. *Rb.* — Res, quae mortem afferre solent, in limine Orci recte ponuntur.

274. *Ultrices Curae* cf. Iuv. 13, 193 *quos diri conscia facti mens habet attonitos et surdo verbere caedit, occultum quatiente animum tortore flagello.*

276. *turpis Egestas:* De ratione adiectivi cf. 1, 202. — *Malesuada Fames*, quae ad scelera impellit. Eur. Electr. 379 *ἀλλ' ἔχει νόσον πενία, διδάσκει δ' ἄνδρα τῇ χρείᾳ κακόν.* Sil. 13, 585 *sceleri proclivis Egestas.* — Famis nota est descriptio ap. Ov. Met. 8, 799—809.

278. *consanguineus Leti Sopor.* Sic H. Il. 14, 231 *Ὕπνῳ, κασιγνήτῳ Θανάτοιο.* De eius sede et alii poetae luserunt Ov. Met. 11, 592 sq. Stat. Theb. 10, 84. — *Mala mentis gaudia* „generaliter omnium scelerum dicit, ac si diceret malae mentis gaudia" S. Cf. 8, 526.

279. *adverso in limine*, ante ipsas fores.

280. Eumenides thalamos habent ad fores, ut vices teneant ostiarii, cuius cella ad fores erat. Quod Eumenides infra cum Ovidio Met. 4, 452 (quem locum cum hoc conferas) in Tartari aditu ponit 570 et 12, 849 ante Iovem dicit apparere, non est, quod errori des poetae, cui in re incerta fingere licet varia, modo ne in le-

Vipereum crinem vittis innexa cruentis.
In medio ramos annosaque brachia pandit
Ulmus opaca, ingens, quam sedem Somnia vulgo
Vana tenere ferunt foliisque sub omnibus haerent.
Multaque praeterea variarum monstra ferarum,
Centauri in foribus stabulant, Scyllaeque biformes,
Et centumgeminus Briareus, ac belua Lernae,
Horrendum stridens, flammisque armata Chimaera;
Gorgones, Harpyiaeque, et forma tricorporis umbrae.

gendo adimat voluptatem; possunt etiam ut numina celeriter locum mutare. Cf. 7, 331. — *Discordia demens*, qualis cognita erat bellis civilibus, a quibus renovandis vult deterrere.

281. Orci aditum simili modo describunt Sen. Her. Fur. 689. Sil. 13, 579, Claud. in Ruf. 1, 29.

282 — 294. Orci vestibulum.

282. *in medio* sc. vestibulo.

283. *Ulmum* sibi finxisse Vgl. videtur, quod sterilis est et multorum gavisa verno tempore florum copia, paucos habet fructus auctumno. — *vulgo* „passim, catervatim." S. cf. 3, 643. — *ingens* saepius altero loco additum adiectivum cf. v. 552. 3. 619. 7, 170. 8, 622.

284. *foliisque:* De hac iunctura cf. 12, 944. — *ferunt;* neque enim certo ea se scire debuit poeta pronuntiare cf. v. 264. et 1, 15. Infra terram somnia esse communis erat opinio cf. Eur. Hec. 71 *Χθὼν μελανοπτερύγων μᾶτερ ὀνείρων.* Tib. 2, 6, 37 *ne tibi neglecti mittant nova somnia Manes.* Quod vana somnia notat in Orci aditu, poeta videtur indicare voluisse omnia, quae de Orco proferat vana esse, nullis caussis firmata (cf. 899), aut vanis facile adiunguntur monstra non minus inania. Ponit ea alios secutus, videturque ea communis fuisse opinio; certe ap. Arist. Ran. 143 Hercules Baccho in Orcum descensuro narrat *ὄφεις καὶ θηρί' ὄψει μυρία δεινότατα.*

286. *Centauri* natio Thessaliae, feritate insignis; Zeuxis primus Hippocentauros finxisse traditur, quales hoc loco sunt intelligendi. — *Stabulant* ut equi; in magnis autem Romanorum aedibus statim ad fores uno in latere equilia solebant esse. *stabulant* G. 3, 224; deponens usitatior forma. „Usurpative dixit, ut *populat, luctat;* nam *stabulor* dicimus." S. *Scyllae biformes.* Plures Scyllae etiam alibi memorantur, ut Lucr. 4, 736. 5, 891. et monstra Scyllae ap. Stat. Silv. 5, 3, 280. *Biformes* recte dicuntur cf. 3, 424 sq.

287. *Centumgeminus* est centumplex *ἑκατόγχειρος;* ita *tergeminus* est triplex 8, 203. *septemgeminus* v. 801; ut nonnulli dicere solent *vierdoppelt* pro *vierfach.* — *Briareus* filius Caeli et Terrae, cf. Hom. Il. 1, 403 *ὃν Βριάρεων καλέουσι θεοί, ἄνδρες δέ τε πάντες Αἰγαίωνα ...* eumque Vgl. 10, 565 memorat *centum cui brachia dicunt, Centenasque manus, quinquaginta oribus ignem Pectoribusque arsisse.* Apud Hom. Iovem B. defendit, secundum Antimachum poetam arma tulit contra Iovem. — Draco Lernaeus ab Hercule occisus. „Sed constat Hydram lacum fuisse evomentem aquas vastantes vicinam civitatem, in quo uno meatu clauso multi erumpebant. Quod Hercules videns, loca ipsa exussit et sic aquae clausit meatus." S.

288. *Chimaeram* describit H. Il. 6, 181. „Chimaera ore leo, postremis partibus draco, media capra secundum fabulas fuit. Re vera autem mons est Ciliciae, cuius hodieque ardet cacumen, iuxta quod sunt leones; media autem pascua sunt, quae capreis abundant; ima vero montis serpentibus plena. Hunc Bellerophontes habitabilem fecit, unde Chimaeram dicitur occidisse." S. Dedi haec et ad v. 287, ut exstet mythologiae explicandae genus, quod est apud Servium. Cicero iam potuit dicere de suo tempore: „Quis Hippocentaurum fuisse aut Chimaeram putat? quaeve anus tam excors inveniri potest, quae illa, quae quondam credebantur apud inferos portenta extimescat? ND. 2, 5.

289. „Gorgones tres fuerunt, in extrema Africa circa Atlantem montem, quae omnes unum oculum habebant, quo invicem utebantur; Stheno, Euryale, Medusa." S. Eas iam Homerus Tartarum dicit habitare Od. 11, 632. — *Harpyiae* cf. 3, 209. — *Forma tricorporis umbrae* est Geryones cf. 8, 202. Lucr. 5, 28 *tripectora tergemini vis Geryonai.* Sil. 3, 423 *Geryonis tricorporis.*

Corripit hic subita trepidus formidine ferrum
Aeneas, strictamque aciem venientibus obfert,
Et, ni docta comes tenues sine corpore vitas
Admoneat volitare cava sub imagine formae,
Inruat et frustra ferro diverberet umbras.
  Hinc via, Tartarei quae fert Acherontis ad undas:
Turbidûs hic caeno vastaque voragine gurges
Aestuat atque omnem Cocyto eructat arenam.
Portitor has horrendus aquas et flumina servat
Terribili squalore Charon, cui plurima mento
Canities inculta iacet, stant lumina flamma,
Sordidus ex humeris nodo dependet amictus.
Ipse ratem conto subigit, velisque ministrat,
Et ferruginea subvectat corpora cymba,
Iam senior, sed cruda deo viridisque senectus.
Huc omnis turba ad ripas effusa ruebat,
Matres atque viri, defunctaque corpora vita
Magnanimum heroum, pueri innuptaeque puellae,
Impositique rogis iuvenes ante ora parentum:
Quam multa in silvis auctumni frigore primo

290. *Subita formidine* trepidans Aeneas non movetur, quam ut gladium stringat et stricto gladio periculo occurrat.

292. *Ni — admoneat, irruat* ex praesenti tempore construitur. *Pl.* coni. *corpore formas .... sub imagine vitae.*

293. *Volitare* umbrae videntur per levitatem suam; ita 329. — *Cava* recte dicitur ea *imago*, in qua *vita* inclusa est, sic *cava nubila* 9, 671. *cava nubes* 1, 516. 5, 810. 10, 636, in qua quis includitur ac tegitur.

295 — 336. Animarum concursus ad Acherontem.

295. Acheron, Cocytos, Styx, Pyriphlegethon, Orci fluvii, saepe miscentur, aliique alia attribuunt loca. — Omnes paludum modo aquas obscuras et luridas habent, interque se confluunt. Singulos describit Sil. 13, 571.

297. *arenam* cf. ad 1, 107. — *Cocyto* „in Cocytum; scilicet per Stygem." S.

298. *Portitor Orci* Charon dicitur G. 4, 502. cf. Prop. 4, 11, 7. et est in his locis custos. „Usurpative dicitur sicut *vector*." S. et *Porthmeus* dicitur ap. Iuv. 3, 206. Sed *portitor* etiam a *portare* sumit significationem ut sit pro *portator*, ut h. l. licet explicari. — *Servare* cf. 556.

300. *Stant lumina flamma* cf. 12, 408. *flamma* M2P'b. *flammae* M1P2Rγ. Flammei autem omnes deorum oculi cf. 5, 648. Attende, quid *Χάρων* apud Graecos significet.

301. Idem v. repetitur a Claudiano Epigr. 38. Adde Sen. Herc. Fur. 763. „Hunc servat amnem cultu et adspectu horridus. Pavidosque Manes squalidus gestat senex. Impexa pendet barba, deformem sinum Nodus coercet, concavae lurent genae: Regit ipse conto portitor longo ratem." Itaque amictum suum tenet, extremis partibus in humero colligatis, non fibula nexis; qui erat mos hominum cultiorum.

302. *Subigere* est suae subiicere potestati, cogere; sic G. 1, 201 *lembum remigiis subigere* legitur. — *velis ministrat*, velis iuvat, ut possit navis currere celerius. Idem 10, 218. Neque *velis* est dativus, quod sumunt *Wd. Fb.* sed ablativus; cf. Tac. Germ. 44 *nec velis ministrant* (naves) *nec remos in ordinem lateribus adiungunt.* Val. Fl. 3, 38 *ipse ratem vento stellisque ministrat.* Sic Stat. 7, 752 *ipse* (Apollo) *sedens telis pariterque ministrat habenis.*

303. *ferruginea* „nigra." S. cf. 9, 582. — *corpora:* „Omne quod potest videri, corpus dicitur." S.

304. *cruda*, rigens, *ὠμὸν γῆρας.* Cf. Sen. Oed. 166 *qui capaci turbida cymba flumina servat durus senio navita crudo.* — *viridis senectus* cf. 5, 295.

305. *huc — ad ripas* cf. ad 5, 609.

306 — 8. idem v. G. 4, 475 — 77. Cf. H. Od. 11, 38 sq. — *magnanimum* cf. Gr. § 75 An. 5.

309. Similes comparationes G. 4, 473.

Lapsa cadunt folia, aut ad terram gurgite ab alto
Quam multae glomerantur aves, ubi frigidus annus
Trans pontum fugat et terris immittit apricis.
Stabant orantes primi transmittere cursum
Tendebantque manus ripae ulterioris amore.
Navita sed tristis nunc hos nunc accipit illos,
Ast alios longe submotos arcet arena.
Aeneas, miratus enim motusque tumultu,
Dic, ait, o virgo, quid volt concursus ad amnem?
Quidve petunt animae? vel quo discrimine ripas
Hae linquunt, illae remis vada livida verrunt?
Olli sic breviter fata est longaeva sacerdos:
Anchisa generate, deum certissima proles,
Cocyti stagna alta vides Stygiamque paludem,
Di cuius iurare timent et fallere numen.
Haec omnis, quam cernis, inops inhumataque turba est;
Portitor ille Charon; hi, quos vehit unda, sepulti.
Nec ripas datur horrendas et rauca fluenta
Transportare prius, quam sedibus ossa quierunt.
Centum errant annos, volitantque haec litora circum;
Tum demum admissi stagna exoptata revisunt.
Constitit Anchisa satus et vestigia pressit,

H. Od. 9, 51. Il. 2, 800. — Hunc locum imitatus est Claudianus RP. 2, 308.

310. *Lapsa cadunt.* Haec duo varia in unam coeunt notionem cf. Cic. Off. 1, 22 *de manibus audacissimorum civium delapsa arma ipsa ceciderunt.* Liv. 1, 58 *prolapsa in vulnus moribunda cecidit.* Cf. 2. 169.

311. *quam multae:* Similis comparatio Hom. Il. 3, 3. — *Frigidus post frigore* cf. 901. — *frigidus annus* cf. 7, 61.

313. *Transmittere cursum* ut *circumflectere cursum* 5, 131. Verbum *orare* c. inf. E. 2, 43. Ter. Eun. 3, 3, 22. Cf. 2, 33.

315. *Tristis* „immiserabilis“ S. severus. Ita ap. Cic. I Verr. 10, 30 *iudex tristis et integer.*

316. *submotos arcet arena* cf. 4, 22.

320. *Linquunt ripas*, non transiturae; aliae transvehuntur.

321. *Longaeva sacerdos* est Sibylla. Nam Sibyllae per plura saecula vixisse credebantur.

322. *Deum* generale est cf. 7, 98.

324. Iurare et fallere est peierare. Habes, quod dicitur Hendiadys cf. 1, 61. *Fallere* ut *iurare* cum acc. eius iungitur per quem fit ius iurandum, ita Hor. C. 2, 8, 9 *matris cineres opertos fallere.* — *Iurare* saepius cf. Cic. Fam. 7, 12 *iurare Iovem.* Quae sit deorum periurio facto poena exponit Hesiod. Theog. 793 — 805. Cf. Il. Od. 5, 184 *Ἴστω νυν ... τὸ κατειβόμενον Στυγὸς ὕδωρ, ὅστε μέγιστος ὅρκος δεινότατός τε πέλει μακάρεσσι θεοῖσιν.* Eius rei saepe ap. poetas fit mentio, ut 9, 104. 10, 113. „Dicitur statuisse Iuppiter, ut si quis fefellisset eius numen, uno anno et novem diebus ab Ambrosia et Nectare prohiberetur.“ S.

325. *Inops* est, cui nemo opem fert sepeliendo. Serv. a nomine Ops, quo Terra culta sit, deducit, ut sit: terrae non particeps, non sepultus. Eorum *iniqua est sors* 332, quod premuntur culpa aliorum. Hunc versum *Kl.* ponit post v. 328 sc. ne deesset subiectum ad *errant;* et pro *cernis* coni. *cernit* = secernit sc. Charon, sive *spernit.* *Quam cernis* recte, nam sepulti statim transvehuntur; itaque in ripa qui remanent, omnes sunt insepulti.

328. *Transportare* cf. v. 536 et Caes. BG. 4, 16 *exercitum Rhenum transportaret.* BC. 1, 54 *militesque his navibus flumen transportat.* Cf. Gr. § 302. — *Sedes*, sepulcrum, ita 152. 371. 7, 3.

329. Ap. Hom. Il. 23, 71 Patroclus Achilli: *θάπτε με ὅττι τάχιστα, πύλας Ἀΐδαο περήσω.* De his centum annis, quos dixit Virgilius, nihil est aliunde notum.

331. *vestigia pressit,* cf. 547.

Multa putans, sortemque animo miseratus iniquam.
Cernit ibi maestos et mortis honore carentes
Leucaspim et Lyciae ductorem classis Orontem,
Quos simul, a Troia ventosa per aequora vectos,
Obruit Auster, aqua involvens navemque virosque.
    Ecce gubernator sese Palinurus agebat,
Qui Libyco nuper cursu, dum sidera servat,
Exciderat puppi mediis effusus in undis.
Hunc ubi vix multa maestum cognovit in umbra,
Sic prior adloquitur: Quis te, Palinure, deorum
Eripuit nobis medioque sub aequore mersit?
Dic age. Namque mihi, fallax haud ante repertus,
Hoc uno responso animum delusit Apollo,
Qui fore te ponto incolumem, finesque canebat
Venturum Ausonios. En haec promissa fides est?
Ille autem: Neque te Phoebi cortina fefellit,
Dux Anchisiada, nec me deus aequore mersit.
Namque gubernaclum multa vi forte revolsum,
Cui datus haerebam custos cursusque regebam,
Praecipitans traxi mecum. Maria aspera iuro,
Non ullum pro me tantum cepisse timorem,
Quam tua ne, spoliata armis, excussa magistro,

332. „Bene quasi animo rei praesago, ipse enim Aeneas insepultus iacebit mediaque inhumatus arena 4, 620.“ S. *Animi* M, ut videtur, unus habet, ortum fortasse ex voce sequenti; rec. *Wg.* ed. min. *Ld.*, defenditur iis, quae sunt 10, 686. *animo* explicat Serv. rec. *Hn.* et *Wg.* ed. mai. et *Rb.*

334. *Leucaspim etc.* cf. 1, 113.

337—383. Mors Palinuri.

337. Statim documentum datur doctrinae a Sibylla propositae; itaque Palinurus aptissime infertur simulque valet ad gloriam augendam Aeneae et assumendas quae erunt traditae de Palinuro fabulas. Male igitur v. 337—383 eiic. *Pl.* et *Gr.* — *sese agebat*, cf. 9, 696.

338. *Libyco cursu* est eo, qui in Libyam tendit, aut qui in mari est Libyco. Neutrum hoc loco est; navigabat in mari Tyrrheno, tendebat in Italiam.

339. *Effusus in undis* „archaismus est.“ S.

340. *in umbra:* Obscurus enim totus est locus, in quo versantur. Hoc loco Vgl. aliquod de Palinuro oraculum datum esse fingit, quo incolumis in Italiam erat perventurus; quod factum esse Aeneas non potest credere, qui eum medio mari incidisse cognovit.

344. *delusit.* Sic 1, 407.

346. *En* idem enuntiatum interrogativum inducit quod *num*, cf. Ecl. 1, 68 *En unquam mirabor aristas?* 8, 7 *En erit unquam ille dies?*

349. *forte* i. e. nescio quo modo factum sit.

350. *cui — cursusque* cf. ad 12, 944. — *cui haerebam:* Huic verbo inest assiduitas Palinuri. Cf. 8, 124.

351. *praecipitans* cf. 1, 233. — *Maria* iurat, ut nauta. Vides autem quanta fide, quantoque amore Palinurus Aeneae deditus fuerit. Sic alii omnes comites, ut inde virtus et bonitas cognoscatur Aeneae cf. 1, 544. Mare iuratur etiam 12, 197.

352. *pro me* cf. 12, 48.

353. *Excussa magistro* recte dictum quamquam inusitate; nam si magister navi excutitur, et navis excutitur magistro cf. v. 229. — *spoliata armis:* Arma navis sive armamenta sunt vela, mali, antennae, remi, alia; sed ut arma militis varia sunt: ocrea, galea, balteus, tamen scutum maxime *arma* dicitur, quod est praestantissima pars armaturae; (cf. 1, 119) sic inter arma navis maxime necessarium gubernaculum est. *ne* Mss. *ni* Julius Rufinianus grammaticus „huic debemus formam *ni* pro vulgari *ne*.“ *Rb.* neque plura adiiciens recepit.

Deficeret tantis navis surgentibus undis.
Tres Notus hibernas immensa per aequora noctes
Vexit me violentus aqua; vix lumine quarto
Prospexi Italiam summa sublimis ab unda.
Paulatim adnabam terrae: iam tuta tenebam,
Ni gens crudelis madida cum veste gravatum
Prensantemque uncis manibus capita aspera montis
Ferro invasisset praedamque ignara putasset.
Nunc me fluctus habet, versantque in litore venti.
Quod te per caeli iucundum lumen et auras,
Per genitorem oro, per spes surgentis Iuli:
Eripe me his, invicte, malis; aut tu mihi terram
Iniice, namque potes, portusque require Velinos;
Aut tu, si qua via est, si quam tibi diva creatrix
Ostendit — neque enim, credo, sine numine divom
Flumina tanta paras Stygiamque innare paludem —
Da dextram misero et tecum me tolle per undas,
Sedibus ut saltem placidis in morte quiescam.
Talia fatus erat, coepit quum talia vates:
Unde haec, o Palinure, tibi tam dira cupido?

354. Contra haec, quae narrantur, placidum mare fuisse dicitur 5, 844 sq. Excusatur tamen aliquomodo versu 866 sq. et quod statim possent fieri, iure suo timebat.

355. *hibernas* „asperas et retulit ad affectum natantis." S.

356. *Aqua* iunge cum v. *violentus*, ne plane sit supervacuum cf. 4, 344. Sen. Her. Fur. 1324 *quis Persica violentus unda Tigris.*

357. *Summa sublimis ab unda*, in gubernaculo sedens a mari alto prospexi.

358. *Ld. adnabam: terrae.* Non opus dissecare haec vocabula, nam in *tuta tenebam* non potest *terrae* non intelligi. *Tuta* substantivum 11, 882. — *Tuta tenebam, nisi invasisset*; solet explicari *tuta tenebam et tenuissem, nisi* etc. Sed res ipsa narratur, tamquam facta sit; postea additur conditio, qua, quum non sit, etiam res ipsa fieri non potuisse convincitur. Itaque indicativus si est, non res ipsa negatur sequente *nisi*, sed eam habuisse effectum. Indicativus ubique praecedit particulam *nisi*. Cf. Gr. § 395, 4. 410, b.

359. Palinurus quem invadit gens, non potest resistere, nam madida est cum veste, deinde est gravatus quod per tres dies undis iactatus est, tum prensat saxa, ut manibus defendere se nequeat.

361. *praedamque putasset*, quod me naufragum esse putabant, qui quot opes potuissem, mecum servassem. „Narrationis lagunam indagavi post v. 361." *Rb.* 1 p. 62. Vult scilicet addi Palinurum esse occisum corpusque in mare deiectum.

362. *nunc me* sc. corpus meum, cf. 507. — *fluctus habet.* Is qui fluctibus iactatur maris vel placidissimis, tamen admodum eorum sentit violentiam. Cf. 1, 556.

363. *quod — oro, eripe:* De structura cf. 2, 142. — *caeli aurae* ita 7, 768. — *iucundum* lumen et auras cf. 4, 588. Aptum autem est ab eo dictum, qui iam iis rebus privatus est.

364. Ita *per spes surgentis Iuli* Mago Aeneam orat vitam 10, 524. De v. *surgere* cf. 4, 274.

365. *eripe me his, invicte, malis.* Verbi *invicte* explicationem habes loco sequenti *namque potes.*

366. *Terram iniicere*, siquis mortuum aliquem inveniebat, religiosum erat. Haec terra iniecta sufficiebat, ut apparet ex Antigone fabula et inde Claud. B. Gild. 413 *nudi pulvere Manes* sunt insepulti. — *Portus Velinos* nominat, non urbem, quae postea condita est Velia, Elea in Lucania. Portus iam erat tempore Aeneae. Cf. 3, 690.

369. *Innare flumina*, ut *innare fluvios* G. 3, 142.

371. *in morte;* ita 444: *im Tode.* — *Aeternas quoniam poenas in morte timendum* Lucr. 1, 112. — *Saltem*, qui per vitam per omnia maria actus sum, neque unquam quietem inveni.

373. *Dira cupido* ut 9, 185, quae est contra leges et fata deorum.

Tu Stygias inhumatus aquas amnemque severum
Eumenidum adspicies, ripamve iniussus adibis?
Desine fata deum flecti sperare precando.
Sed cape dicta memor, duri solatia casus.
Nam tua finitimi, longe lateque per urbes
Prodigiis acti caelestibus, ossa piabunt;
Et statuent tumulum, et tumulo sollemnia mittent;
Aeternumque locus Palinuri nomen habebit.
His dictis curae emotae, pulsusque parumper
Corde dolor tristi; gaudet cognomine terrae.

Ergo iter inceptum peragunt fluvioque propinquant.
Navita quos iam inde ut Stygia prospexit ab unda
Per tacitum nemus ire pedemque advertere ripae,
Sic prior adgreditur dictis, atque increpat ultro:
Quisquis es, armatus qui nostra ad flumina tendis,
Fare age, quid venias; iam istinc; et comprime gressum.
Umbrarum hic locus est, Somni Noctisque soporae;
Corpora viva nefas Stygia vectare carina.
Nec vero Alciden me sum laetatus euntem
Accepisse lacu, nec Thesea Pirithoumque,
Dis quamquam geniti atque invicti viribus essent.
Tartareum ille manu custodem in vincla petivit,
Ipsius a solio regis, traxitque trementem;

375. *adibis:* Futurum in interrogationibus cum indignatione prolatis saepius legimus, ut 1, 49. 2, 578. 4, 590.

376. *fata deum* cf. 2, 257.

378. *Finitimi.* „Lucanis enim pestilentia laborantibus respondit oraculum, manes Palinuri esse placandos, ob quam rem non longe a Velia et lucum ei dederunt et cenotaphium.“ S.

379. „*Prodigiis acti caelestibus* compendiose et pestilentiam ortam et petitum significavit oraculum. — *piabunt*, placabunt, expiabunt.“ S. Quod mortuis iusta non erant facta, etiam alias est pestilentia orta cf. Plut. Rom. 24.

381. „*Palinuri* plus est quam si *tuum* diceret.“ S. cf. 4, 31.

382. *His dictis* Palinurus placatus et laetatus est, ut *parumper* dolore desisteret, quo tempore utitur Sibylla, ut Aeneam ab eo retentum abducat. *Pl.* versus inficetos habet. Atqui sunt necessarii.

383. „*terrae* MPRγbc rec. *Rb. Ld. terra* χ (i. e. pauci mali)“ *Rb.* rec. *Hn. Wg.*

384—416. Charon Aeneam Stygem transvehit.

384. *Ergo:* Palinuro enim remoto iam possunt progredi.

387. *ultro.* Neque enim Aeneas se transvehi iam velle indicaverat cf. ad 12, 3., sed prae timore Charon iam ex longinquo eum studet arcere. — *aggredi dictis* cf. 3, 358.

389. *Iam istinc:* „a loco, in quo es,“ S. fare quid venias, neve propius accesseris.

390. Timore actus rem multis verbis exponit.

392. *nec sum laetatus* „Lectum est et in Orpheo, quod quando Hercules ad Inferos descendit, Charon territus eum statim suscepit, ob quam rem anno integro in compedibus fuit. Ideo ergo non laetatus sc. propter supplicium suum“ S., quod iterum sibi putat impendere.

394. *Hercules* Iovis (et Alcmenae), *Theseus* (Aethrae Aegei coniugis et) Neptuni, *Pirithous* (Diae Ixionis uxoris et) Iovis filius creditus est.

395. *manu*, vi cf. Luc. 1, 666 *ferrique potestas Contundet ius omne manu.* — *Tartareus custos* est Tartari custos cf. 2, 584. — *in vincla petivit.* Ita Quint. 7, 1, 55 *in iis controversiis, in quibus petuntur in vincula, qui parentes suos non alunt.*

396. *Ipsius e solio regis* Cerberum abductum esse ab Hercule narrat etiam Seneca H. F. 804: *Extimuit sedens uterque solio dominus et duci iubet*, et H. O. 1600 Cerberus conspecto Hercule ad Ditem fugit.

Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti.
Quae contra breviter fata est Amphrysia vates:
Nullae hic insidiae tales; absiste moveri;
Nec vim tela ferunt. Licet ingens ianitor antro
Aeternum latrans exsangues terreat umbras;
Casta licet patrui servet Proserpina limen.
Troius Aeneas, pietate insignis et armis,
Ad genitorem imas Erebi descendit ad umbras.
Si te nulla movet tantae pietatis imago,
At ramum hunc — aperit ramum, qui veste latebat —
Adgnoscas. Tumida ex ira tum corda residunt.
Nec plura his. Ille admirans venerabile donum
Fatalis virgae, longo post tempore visum,
Caeruleam advertit puppim ripaeque propinquat.
Inde alias animas, quae per iuga longa sedebant,
Deturbat, laxatque foros; simul accipit alveo

397. *Domina Ditis* est Proserpina. *Dis* potest etiam de loco dici ut Orcus 273. Dicitur autem *domina* omnino de matrona. Sic Ovidius uxorem dicit dominam suam Tr. 4, 3, 9. *Nck.* Dominam scribit et *Ditis* coniungit cum *thalamo.* Quod si memineris Graeci nominis *Δέσποινα*, non absurdam putabis eam explicationem. — Omnes qui vivi descenderunt, nefas ausi sunt, quod etiam Aeneam patraturum exspectat. Et iure timet, qui veniam non potuerit impetrare, quod cesserat iis, qui erant diis geniti et viribus invicti, ut ne potuisset quidem eos arcere, si maxime cupisset. Inest simul in his laus Aeneae, quod cum iis a Charonte comparatur.

398. *Amphrysia vates.* Apollo, qui aliquando quum Admeto, Pheraeorum regi serviret, greges pavit ad flumen Amphrysum Thessaliae, inde dictus est *pastor ab Amphryso* G. 3, 2 et Sibylla, quae ab Apolline vaticinandi artem accepit, Amphrysia vates dicitur; „Et est longe petitum epitheton.“ S. ut saepe poetae Latini talibus adiectivis doctrinam suam probabant legentibusque parabant dulcedinem res obscuras et consulto obvolutas detegendi.

399. *absiste moveri* cf. 3, 42. — Neque Cerberum, neque Proserpinam rapere in animo habet.

402. *patrui*, Plutonis, „quia Iovis est filia ex Cerere.“ S. — *Limen servare* dicuntur mulieres castae, quae propterea non relinquunt, ne in aliorum virorum conspectum veniant. Cf. 556.

403. Troianus (Romanus) est non Graecus, quales illi.

405. *nulla* cf. 4, 232.

406. *aperit* „nudat ut 3, 206.“ S. Iam monstrat Sibylla aureum ramum, quo Charonti probatur esse a diis Aeneae concessum in Orcum descendere; quare statim venerabili munere conspecto, ira eius omnis concidit, ne hiscere quidem audet et quam maxime curat, ut celeriter transvehat.

407. *Tumida corda residunt* ut Cic. Tusc. 3, 12, 26 *quum tumor animi resedisset.*

408. *nec plura his;* „nec est aliquid ulterius dictum vel a Sibylla vel a Charonte post ramum visum.“ S. Haec quamquam facile possunt explicari, tamen concedimus orationem procedere multo faciliorem, si omissis his et aliis iungitur: *agnoscas. Ille admirans*, quod coni. *Pl.* Sed tamen his verbis omissis omittitur subita ex ira ad mansuetudinem Charontis submissio, quae videtur necessaria esse.

409. *fatalis virgae* cf. 146 sq. — *longo post tempore visum;* neque enim Hercules neque Theseus neque Pirithous, qui facinus audebant committere, ramum habebant. Si habuissent, ramus Aeneae non esset documentum pietatis. Orpheus restat, ut videatur habuisse.

410. *puppim* ex usu. *puppem* M al.

411. *alias animas:* Ipse Aeneas non inter animas refertur, sed liberius adiecere *alius*, ceteri Latini, ut Graeci *ἄλλος*, ut non aliam aliquam rem, sed alius generis significarent. Cic. Verr. 5, 10, 27 *Veris initium non iste a Favonio, neque ab alio astro notabat.* Adde Verr. 2, 4, 32. — *per iuga longa*, sedilia, quae in utraque parte cymbae erant.

412. *laxat foros* i. e. vacuat tabulata,

Ingentem Aenean. Gemuit sub pondere cymba
Sutilis et multam accepit rimosa paludem.
Tandem trans fluvium incolumes vatemque virumque
Informi limo glaucaque exponit in ulva.
Cerberus haec ingens latratu regna trifauci
Personat, adverso recubans immanis in antro.
Cui vates, horrere videns iam colla colubris,
Melle soporatam et medicatis frugibus offam
Obiicit. Ille fame rabida tria guttura pandens
Corripit obiectam atque immania terga resolvit
Fusus humi totoque ingens extenditur antro.
Occupat Aeneas aditum custode sepulto
Evaditque celer ripam inremeabilis undae.

(cf. 4, 605) quae multitudine quasi artantur. Itaque umbras, quae iam conscenderant navem, deturbat, ut unum Aeneam accipiat, qui quum verum corpus habeat, ea est mole, ut cymbam paene supprimat. — *alveo:* Alveus, fossa per quam flumen defluit, ob figurae similitudinem dicitur de fundis navium, carinis, Sall. Iug. 21 *hi alveos navium inversos pro tuguriis habent;* inde de tota navi (Ov. Fast. 3, 591 *alveus haurit aquas.* Prop. 3, 5, 32 *portabat sanctos alveus ille viros)* siquidem ita velis accipere; inde de naviculo seu cymba sive vase concavo Liv. 1, 4, quo Romulus et Remus expositi sunt. Harum enim omnium rerum eadem est figura.

413. *Ingens Aeneas* cf. 3, 619. — *Gemere* de *rerum* paene fractarum strepitu; ut 2, 631. 11, 138 *plaustrum.* Il. C. 1, 14, 6 *antemnae.* Plin. Ep. 9, 26 *gubernacula gemunt*, quod ipse audacter dictum esse concedit. Et saepius ita poetae.

414. *Sutilis* i. e. iuncis corio obductis; ut Britannorum „vitilia navigia corio circumsuta" Plin. 7, 57. et Caes. BC. 1, 54 naves viminibus contextas, coriis contectas memorat. — *rimosa:* Rimas ducit nimio pondere depressa. Quod fieri solere nescire videtur *Gr.*, qui eiicit hunc versum, in quo quantus Aeneas non quam rimosa cymba fuerit, sit exponendum. Lucianus eam semper rimosam esse ponit dial. mort. 22 τὸ σκαφίδιον (Charontis) καὶ ὑπόσαθρόν ἐστι καὶ διαῤῥεῖ τὰ πολλά.

415. *Tandem* („propter pondus Aeneae." S.) ad ripam pervenit navis incolumis quae videbatur pondere interitura.

416. *limo* pendet ab *in* cf. 682.

417—524. Cerbero soporato Aeneas ripam occupat.

417. *trifauci.* Tria enim ei capita et colla sunt.

418. *adverso* cf. 1, 420.

419. *colla colubris;* pro pilis serpentes habere fingitur, ut Tisiphone v. 572. — Cerberum omnibus terroribus ornatum describit Sen. Herc. Fur. 783—94.

420. Sibylla canem removet offa obiecta, quae melle et herbis soporiferis constat, cf. 4, 486. — *medicatis.* Ita medicata dicitur virga Mercurii, quae somnum facit Ov. M. 1, 715. Melle somnum adduci videtur putasse Vgl. cf. 1, 486; *Ld.*, qui non minus quam ceteri interpretes hanc vim mellis negat, zeugmate explicat „melle mixtam et frugibus m. soporatam." Idem *Wg.* „melle conditam et soporatam frugibus medicatis". Sed ordo verborum vetat. *Pl.* coni. *Mella, soporatum* etc.

421. *obiicit — obiectam* cf. Ov. F. 3, 21 *Mars videt hanc, visamque cupit.* Haec figura dicitur Epiploce. — Fames rabida dicitur, ut 2, 356 *ventri rabies*, 9, 63 *rabies edendi*, Sil. 2, 272 *rabidi ieiunia ventris.* Nec minus *rabida sitis* ap. Sen. H. O. 1077. Et sic Germani.

422. *terga resolvit* cf. 9, 189 *somno vinoque soluti; solvere lumina* 5, 856.

423. *humi* cf. 1, 193. — *ingens extenditur toto antro* cf. 3, 631. Quantum fuerit antrum non dicitur, sed qui legit facile inducitur, ut magnum putet antrum esse.

424. *custode sepulto* sc. somno ita 2, 265. — *occupat Aeneas aditum*, „raptim ingreditur" S. antequam Cerberus expergiscitur. Item 635.

425. *Irremeabilis* unda est, per quam animis remeare non licet; ut irremeabilis *error* dicitur Labyrinthus 5, 591.

Continuo auditae voces, vagitus et ingens,
Infantumque animae flentes in limine primo,
Quos dulcis vitae exsortes et ab ubere raptos
Abstulit atra dies et funere mersit acerbo.
Hos iuxta falso damnati crimine mortis.
Nec vero hae sine sorte datae, sine iudice, sedes.
Quaesitor Minos urnam movet; ille silentum
Conciliumque vocat, vitasque et crimina discit.
Proxima deinde tenent maesti loca, qui sibi letum
Insontes peperere manu lucemque perosi
Proiecere animas. Quam vellent aethere in alto
Nunc et pauperiem et duros perferre labores!
Fas obstat, tristique palus inamabilis unda
Alligat, et novies Styx interfusa coercet.

426—449. Locus eorum, qui ante diem sunt mortui.

427. *In limine primo* sc. Orci sunt; nam Acherontem transvecti demum in Orcum perveniunt; et Vgl. usus est domus similitudine, ut supra, ubi *vestibulum* et *fauces Orci* nominavit. Signandus autem est locus Orci, ubi sint infantes, ut 430. 434. 440 indicatur; quos versus absurdum esset ad locum referre, qui ipse indicatus non esset. Quare in hoc versu aliqua loci inesse debet significatio. Male distinguitur sic: *flentes, in l. p. q. d. v., e. e. a. u. r.*.. Legitur ap. Sen. Herc. Fur. 1132 *quas* (animas) *in primo limite vitae scelus oppressit.* Luc. 2, 106 *non primo in limine vitae infantis miseri nascentia rumpere fata.* Et *in limine primo*, omisso *vitae*, esse dictum docet Val. Fl. 3, 679 *vos quibus et virtus et spes in limine primo.* Sed *exsortes* desiderat aliquid, quo referatur; et postquam *infantes* iam dicti sunt, supervacaneum *vitae limen* est.

429. Idem versus 11, 28 — „acerbo, immaturo; a pomis translatio est.“ S. — *mergi* c. abl. cf. 267. Sic Liv. 41, 3 *vino somnoque mersos iacere;* Abl. signat rem, qua deprimuntur.

431. *Sine sorte*, *sine iudice* iungendum est *sine sorte* „sine iudicio. Traxit autem hoc de more Romano.“ S. ut ubique. Si ullo loco demonstrari potest, Romanum a poeta observatum esse morem, non Graecum, hoc potest loco; quo ab omnibus Graecis recessit, qui iudices apud inferos iunctos ius dicere narrant. Videmus autem praetorem, qui praeest quaestioni perpetuae, hoc loco quum sortitus esset iudices, exercere iudicium.

432. *Quaesitor.* Sen. Agam. 24 *quaesitor urna Gnosius versat reos.* — *Minos* Iovis et Europae filius, Cretae rex, ob iustitiam, qua terram suam rexerat, apud inferos iudex constitutus est. Simul Rhadamanthus et Aeacus cf. Sen. Herc. Fur. 731. Hanc Graecam fabulam Vgl. Romanum vertit in morem; memorat enim *urnam movet*, in qua insunt nomina iudicum. Urna Minoia memoratur etiam a Claud. RP. 2, 332 aliisque. Apud Stat. Theb. 8, 22 *Dux Erebi populos poscebat crimina vitae;* assident Minos cum Rhadamantho et *iura bonus meliora monet regemque cruentum temperat.*

433. Sortibus ductis advocat umbras, et cognoscit vitae rationem et facinora commissa.

435. *Insontes*, non alio crimine polluti, sed vitae taedio; qui abiectam a se vitam iam cupiunt revocare. — *Letum peperere manu* ita 2, 645 *ipse manu mortem inveniam.* Cf. 395. — *lucem perosi* cf. 5, 687.

436. *Proiecere animas* „quasi rem vilem.“ S. Sic 11, 361. Cat. Epith. 81 *Theseus pro caris corpus Athenis proiicere optavit.* — *quam*, quantopere cf. 694. *Aetherem altum* umbrae dicunt auram, qua terra circumfunditur, nam utuntur vocabulo, quo maxime puram et hilarem eam sibi nunc videri indicent.

437. *Pauperies* etiam ap. Hor. Sat. 2, 5, 9 etc. pro v. *paupertas.* Ad sententiam cf. Hom. Od. 11, 489 sq.

438. *Fas* ius divinum ideoque immutabile, nam irremeabilis unda. — *Palus* saepe dicuntur Inferni flumina cf. 323. 369 etc., quod tarda fluunt.

439. Idem paene v. G. 4, 479. 480. — *alligat* ita Luc. 2, 50 *Massageten Scythicus non alligat Ister.* — *tristi* bc, *tristis* PRγ; in M. versus est turbatus. — *unda* M2R, *undae* M1Pγ1. Inde *Rb.* confecit *tristisque p. i. undae*, lectionem non minus probam, sed quae non videtur a Vir-

Nec procul hinc partem fusi monstrantur in omnem
Lugentes campi; sic illos nomine dicunt.
Hic, quos durus amor crudeli tabe peredit,
Secreti celant calles et myrtea circum
Silva tegit; curae non ipsa in morte relinquunt.
His Phaedram Procrimque locis, maestamque Eriphylen,
Crudelis nati monstrantem volnera, cernit,
Evadnenque, et Pasiphaen; his Laodamia
It comes, et iuvenis quondam, nunc femina, Caeneus,
Rursus et in veterem fato revoluta figuram.
Inter quas Phoenissa recens a volnere Dido
Errabat silva in magna; quam Troius heros,

gilio esse; certe Serv. qui legit et *tristi et tristis*, hoc improbat, quod duo adjectiva ad unum substantivum trahantur, quare *undae* nescit, natum ut videtur ab aliis, qui *tristis* volebant recte construere.

441. *Nomine* supervacuum est, cf. 242. — *lugentes campi* cf. ad 1, 355. — Ampli sunt, ut solitudine animae singulae fruantur.

442. *Durus amor* qui angit maxime, quum infelix sit et contra naturam et contra rationem. Tam insana est cupido, ut qui adeptus est quod petit, eo ipso quod adeptus est pereat. Id in omnibus exemplis apparet. — *peredit* cf. ad 4, 66.

443. *Secreti c.:* Amantes enim solitudinem quaerere solent. — *Myrtus* Veneri sacra.

444. *curae*, quales sunt amantium cf. 4, 1. — *in morte* cf. 371. „Tantum feminarum ponit exempla; non quo desint viri, sed elegit sexum impatientem ad amandum.“ S.

445. *Phaedra*. Thesei uxor, privigni Hippolyti amore capta et ab eo repudiata, ipsum perdidit perditumque lugens postea se laqueo suffocavit cf. Ov. Her. 2. Eurip. et Sen. Hippol. — *Procrim* M. al. et Serv. — *Procrin* vulg. — *Procris* maritum Cephalum, de eius amore et fide sollicita, vel in silvas persequitur, ubi ab ignaro interficitur Ov. Met. 7, 835 sq. — *Eriphyle*, cuius iussa facessere debebat eius maritus Amphiaraus, a Polynice tradito Harmoniae monili movetur, ut maritum in bellum mittat, quo pereundum sibi is esse scivit et periit. Interfecta propterea ab Alcmaeone filio. στυγερὴ Ἐ. ap. Od. 11, 320 sq.

447. *Evadne*, uxor Capanei, quae se in ardentem mariti rogum praecipitavit. — *Pasiphae* Minois uxor, tauri amore capta cf. 24; Minotaurum peperit. — *Laodamia* uxor Protesilai, qui primus Graecorum in Troade occisus est, umbram saltem videre optavit mariti, qua re a diis concessa rediit ex inferis Protesilaus, eiusque in amplexu exspiravit Laodamia. Ov. Her. 13. Luc. Charon init.

448. *Caenis*, Elati Lapithae filia, marem se esse voluit, sprevitque hominum amores, sed Neptuno quum sola in litore gaudia dedisset ex voto, factus est vir Caeneus simul et qui ense non posset feriri; quare Centauri eum mole iniecta necarunt Ov. Met. 12, 172. 209. Ea nunc iterum femina est. Quod *iuvenis* opponitur *feminae* non mirum, etiamsi enim *iuvenis* communis est forma, usu est masculinum, et feminam innuptam *puellam* et *virginem* vocare volebant, non *iuvenem*. Cf. Ov. M. 3, 353 *Multi illum iuvenes, multae cupiere puellae.* His verbis nolui negare iuvenem etiam posse dici puellam, quae est opinio Fbgeri, iam enim communem esse *iuvenem* dixeram. Et *iuvenis* signare marem, docet *Caeneus;* quod videtur esse in Mss. *Caenis*, femininum, ex coniectura ortum est Heinsii et vulgatum in Edd. — Verba sic iungas: *it comes; quae nunc femina est et in figuram veterem revoluta, quondam iuvenis Caeneus.* Ita Sil. 11, 25 *iam vero Eridani tumidissimus accola Celtae Incubuere.* Itaque non opus est recipere *Caenis*, satis bonum. Imitatur Auson. Id. 6, 19: *Irrita dona querens sexu gavisa virili Maeret in antiquam Caenis revocata figuram.* — Etiam Ulixes multas praeclaras videt heroinas in inferis Od. 11, 320.

449. *rursus revoluta* cf. 751.

450—476. Didoni Aeneas obvius fit.

450. Hic Didonis occursus facit, ut Aeneam magno amore captum fuisse vel magis intelligamus quam e libro IV. — *recens a volnere:* recens vulnerata; ita Varr. RR. 2, 8 *pullus a partu recens.* Cic. ND. 3, 5 *recens ab illorum aetate fuit.*

451. Quam iuxta ut primum stetit

Ut primum iuxta stetit adgnovitque per umbram
Obscuram, qualem primo qui surgere mense
Aut videt aut vidisse putat per nubila lunam,
Demisit lacrimas, dulcique adfatus amore est:
Infelix Dido, verus mihi nuntius ergo
Venerat, exstinctam ferroque extrema secutam?
Funeris heu tibi caussa fui? Per sidera iuro,
Per superos et si qua fides tellure sub ima est,
Invitus, regina, tuo de litore cessi.
Sed me iussa deum, quae nunc has ire per umbras,
Per loca senta situ cogunt noctemque profundam,
Imperiis egere suis, nec credere quivi
Hunc tantum tibi me discessu ferre dolorem.
Siste gradum, teque adspectu ne subtrahe nostro.
Quem fugis? extremum fato, quod te alloquor, hoc est.
Talibus Aeneas ardentem et torva tuentem

Aeneas, et agnovit, sed dubie, ut si quis lunam post novilunii diem in nubibus sibi videtur vidisse. Structura ne levissimo quidem laborat anacolutho: *quam* enim necessario cum *iuxta* iungitur, quum hoc vocabulum primum sit, a quo possit pendere *quam;* quare non est difficultas ulla. Cf. Apoll. 4, 1477 *Ἡρακλῆα ... εἴσατο Λυγκεὺς τὼς ἰδέειν, ὥς τις τε νέῳ ἐνὶ ἤματι μήνην ἢ ἴδεν ἢ ἐδόκησεν ἐπαχλύουσαν ἰδέσθαι.*

452. *umbras* RP. rec. *Rb.* *umbram* Mbc. Utrumque bonum, et *per umbras* est v. 490, *per umbram* v. 268. *Umbras* scripsisse videtur homo nimis cautus, ne *obscuram* quis ad *umbram* traheret. Si prius accipimus, necesse est; si posterius, licet *obscuram* trahere cum Servio ad Didonem; significatque *non bene conspecta figura.* Ea autem notio inest etiam in ea quae sequitur comparatione; quare *obscuram* cum *umbram* iungi potest, quae verba iuncta idem significabunt quod *multa umbra* v. 340; quae res addita comparatione accuratius describitur.

455. *Demisit.* Non potest retinere lacrimas; vides etiam semper eum servasse in animo Didonis memoriam, quum tam facile agnoscat.

456. *ergo:* Concludit, quod videt mortuam, unde etiam ea quae de morte eius accepit, vera esse iudicat. Ita in *ergo* dolentis affectus erumpit ap. Hor. C. 1, 24, 5 *Ergo Quintilium perpetuus sopor Urguet?* — *verus nuntius* „*κατὰ τὸ σιωπώμενον* intelligendum, quod sit nuntiatus Didonis interitus.“ S. Is nuntius ad eum pervenire potuit, quum moraretur in Sicilia. Neque per singulos dies quid quasi in actis diurnis legerit heros poetam decet narrare. Qui nuntius quum non memoretur a Vglio, *Pl.* ex 5, 5 sq. coni. *tunc metus* pro *nuntius*. *Fb.* nuntius „sc. ex flammis lucentibus supra 1. V. in.“ Sed is nuntius non erat.

457. *exstinctam* sc. te. Cf. 2, 3. — *extrema secutam* cf. 1, 219.

459. *per si qua fides est:* De forma dicti cf. 2, 142. — Recte iurat per superos et inferos, quum ipse vivat, umbra sit Dido. — Probabile autem est, coactum a diis esse eum, ut relinqueret amatam, cui ex eorum iussu vel loca infera adeunda erant. Haec enim nemo sponte petit.

460. Cf. Cat. 66. 39 *Invita o regina tuo de vertice cessi, invita; adiuro teque tuumque caput*, loquitur coma Berenices. Vides eadem verba ad iocum et ad severitatem esse apta. Per *cessi* indicat nolentem se et maiore aliqua vi coactum abiisse.

462. *senta situ:* „squalida. Et est translatio a terra inculta. Situs autem proprie est lanugo quaedam ex humore procreata. Et fit in locis sole carentibus.“ S.

463. *nec credere quivi:* „si credidissem, forte etiam deorum iussa contemnerem.“ S.

465. *adspectu*, dativus est cf. 3, 541. — *que* — *ne* pro *neve* 3, 160.

466. *quem fugis?* Mene fugis, qui tibi quondam tam carus fui? quod si tibi molestus sum, maneas modo per aliquod tempus, et vincas iram; *extremum* enim est nunc quod te alloquor, neque enim fato mihi permittitur iterum huc venire. *Gt.* pro *fato* coni. *scito*, *Pl.* *Dido*.

467. *ardentem* (ira, cf. 12, 102) et *torva* (adverb. cf. 8, 489) *tuentem ani-*

Lenibat dictis animum lacrimasque ciebat.
Illa sola fixos oculos aversa tenebat,
Nec magis incepto voltum sermone movetur,
Quam si dura silex aut stet Marpesia cautes.
Tandem corripuit sese, atque inimica refugit
In nemus umbriferum: coniunx ubi pristinus illi
Respondet curis aequatque Sychaeus amorem.
Nec minus Aeneas, casu concussus iniquo,
Prosequitur lacrimans longe et miseratur euntem.
    Inde datum molitur iter. Iamque arva tenebant
Ultima, quae bello clari secreta frequentant.
Hic illi occurrit Tydeus, hic inclutus armis
Parthenopaeus et Adrasti pallentis imago.
Hic multum fleti ad superos belloque caduci

mum. Ipse enim animus vel anima tueri dicitur, quum umbra corpus non habeat.

468. *Lenibat*, (de forma Gr. § 174, 2 a) lenire studebat; imperfectum de conatu dictum, ut 2, 382 etc. Sic praesens est 2, 511. 3, 370. 9, 441. 12, 585. *trahunt in moenia regem* i. e. tentant trahere cf. Gr. § 458, 4. — *Lacrimas ciebat* „suas non Didonis; ipse ad haec lacrimavit.“ S. Sic dicitur *ciere fletus* 3, 344. *mugitus* 12, 104. Neque intererat Aeneae Didonem lacrimare; mitigare tantum eam voluit, ut libenti animo audiret. Repetitur autem, quod iam v. 455 dictum erat; atque ita totam per orationem Aeneas lacrimas retinere nequisse deprehenditur.

469. Idem v. cf. 1, 482.

470. *Inceptus sermo* recte dicitur Aeneae; plura enim erat additurus, neque tamen Dido volebat audire. Cf. 4, 277 *medio sermone reliquit.* — Pro *voltum movetur. Pl.* coni. *mentem.* Sed in vultu apparent animi moti signa.

471. *Marpesia cautes.* Steph. Byz.: *Μάρπησσα ὄρος Πάρου, ἀφ' οὗ οἱ λίθοι ἐξαίρονται· ὁ οἰκήτωρ Μαρπήσσιος.* — *Dura silex* cf. 8, 233.

472. *se corripuit* cf. 4, 572.

473. *Pristinus* non est prior, neque enim Aeneas Didonis coniux fuerat; sed propria significatione, qui quondam fuit.

474. *illi respondet curis:* Satisfacit illi curis, quas de ea habet, et aequat amorem veterem Didonis i. e. reddit amorem, quem ei quondam Dido ostenderat. Cf. Sil. 8, 148, ubi umbra Dido haec: Sychaeus .. *curas cupiens aequare priores.* Versus 173. 74 firmatos Silii auctoritate ut ineptos delet *Gr.* — *Respondere* idem, quod satisfacere et apud alios et G. 1. 47 *seges votis respondet avari agricolae.* — De Sychaeo cf. 1, 343.

475. *concussus* MPγb. *percussus* R. Illud fortius. — *Casu iniquo*, morte, quam sibi consciverat, quod ab Aenea sperni se putaverat, ita ut ne nunc quidem vellet eius audire rationes, *concussus*, non irascitur Didoni sed eam miseratur. — *nec minus* cf. 1, 633.

477 — 493. Locus heroum.

477. *Moliri* 2, 108. Recte *molitur* ad unum refertur Aeneam, qui audet adire Orcum; Sibyllae, quae saepius iam adiit, non est res ardua ire per Orcum: contra *tenebant* ad utrumque pertinet. *Pl.* proponit *Inde suum* aut *Inde adeo*, neque enim intelligit, quod sit *datum.* — *Arva ultima* eius loci, qui est ante Tartarum et Elysium.

478. Memorat tres e septem ducibus, qui Thebis bellum intulerant.

479. *Tydeus*, Oenei filius, Calydone pulsus Argos venit ibique accepta in matrimonium Deipyle, ex qua Diomedem genuit, gener Adrasti factus, cum eo Thebas petiit, ubi multis rebus praeclare gestis a Menalippo occisus est.

480. *Parthenopaeus* et ipse dux Argivorum. — *Adrastus* Argorum et Sicyonis rex, acceptis generis Polynice et Tydeo, utrumque in patriam suam restituere conatus, prius Thebas aggressus victus est et aufugit timidus, inde *pallens* dicitur. Ceteri duces, Polynices, Tydeus, Parthenopaeus, Capaneus cf. v. 447. Hippomedon, Amphiaraus cf. 445 occiderunt.

481. *Fleti ad superos* „nobiles, quorum mortem magna sequatur lamentatio.“ S. *Apud superos* i. e. homines. Qui enim superi sint, ex eo intelligitur, quibus inferis opponantur. Cf. v. 568. 680. 2, 91. — *Caduci* „mortui a cadendo“ S. Adiectivum pro participio ut dicitur cf. 484.

Dardanidae: quos ille omnes longo ordine cernens
Ingemuit, Glaucumque, Medontaque, Thersilochumque,
Tres Antenoridas, Cererique sacrum Polyphoeten,
Idaeumque, etiam currus, etiam arma tenentem.
Circumstant animae dextra laevaque frequentes.
Nec vidisse semel satis est, iuvat usque morari,
Et conferre gradum et veniendi discere caussas.
At Danaum proceres Agamemnoniaeque phalanges,
Ut videre virum fulgentiaque arma per umbras,
Ingenti trepidare metu: pars vertere terga,
Ceu quondam petiere rates; pars tollere vocem
Exiguam: inceptus clamor frustratur hiantes.
Atque hic Priamiden laniatum corpore toto
Deiphobum videt et lacerum crudeliter ora,

In adiectivo autem nulla est temporis significatio cf. Gr. § 445 An. 2; quare est etiam de cadente G. 1, 368 et de casuro A. 10, 622.

482. *Longo ordine* est magna multitudine, cf. v. 754. 1, 703. 2, 766.

483. Nominat aliquot Troianos sumpsitque nomina ex Iliade; ita Il. 17, 216 Hector appellat *Μέσθλην τε Γλαῦκόν τε Μέδοντά τε Θερσίλοχόν τε*, et Il. 11, 59 Troiani colliguntur circa Hectorem Polydamantem *Αἰνείαν θ', ὃς Τρωσὶ θεὸς ὥς, τίετο δήμῳ, τρεῖς τ' Ἀντηνορίδας, Πόλυβον καὶ Ἀγήνορα δῖον, ἠΐθεόν τ' Ἀκάμαντ', ἐπιείκελον ἀθανάτοισιν*, et Il. 13, 791 *ἀντίθεος Πολυφήτης*, Troianus, ibi est, *ἔνθα μάλιστα μάχη καὶ φύλοπις ἦεν.* *Rb.* dat *Polyboten*, *Polyboeten* est in MPRγbc.

484. *Sacrum* est „sacratum; nomen pro participio.“ S. Sic 495 *lacerum* „laceratum“ *truncas*, truncatas explicat cf. 481. De re cf. 11, 768.

485. *Idaeus* est auriga Priami Il. 24, 325. — *Etiam* de tempore etiamnunc G. 3, 189 *invalidus, etiamque tremens, etiam inscius aevi.*

486. Troiani quod vident Aeneam, laeti accurrunt, sciscitantes, quapropter veniat, neque secerni volunt ab eo, sed semper (usque) in eius esse societate. — *frequentes* MR, *frementes* P. rec. *Rb.*

489. Danai autem qui Aeneam, fortem iam et strenuum hostem antea cognitum, conspiciunt vivum et armatum, metu capiuntur, neque hi, quod nunc timent. quid enim timendum mortuis? sed consuetudine adducti, qua ad Troiam Aeneam metuere solebant. De inf. hist. Gr. § 462.

490. *Fulgentia per umbras* iunge.

491. *Pl.* et *Gr.* in eo consentiunt, quod grammaticum aliquem opinantur intulisse alterum *pars*, sed *Pl.* delet *pars — rates, Gr. pars — hiantes.* Sic alter vincit alterum sagacitate.

493. *Exigua* vox, ut umbrarum. Sic Ov. F. 5, 457 *Umbra Remi visa est assistere lecto atque haec exiguo murmure verba loqui.*

494 — 547. Mors Deiphobi.

495. *Deiphobus* per totum corpus vulneribus acceptis, detruncatis manibus, auribus naribus est. Quae imago non admodum placuit multis, et recte, si pingeretur; sed voluit poeta tetram et foedam dare imaginem, qua notaretur perfidia Graecorum et crudelitas. Neque foedarum rerum descriptio plane est removenda a poesi, neque eam vitarunt poetae antiqui. Cf. de Harpyiis 3, 226 sq. de Marsya Ov. M. 6, 387 sq. et quomodo Fames describatur ap. Ov. M. 8, 799. — Neque Romani bellis adsueti et vulneribus. quae etiam ii, qui in bella non veniebant, ludis spectabant non sine voluptate, corpus laceratum si poeta descripserat, ut erat, offendebantur. Iam vide, ut Claudianus in discerpto Rufino commoretur in Ruf. 2, 405. Nec Dantius apud Inferos tetrum et horribile vitavit. Neque vero elegantissima femina Helena et reges quod fuerint Menelaus et Ulixes, minus probabile est hoc factum. Virgilius autem, ut Romanus et qui belli civilis et proscriptionum viderit crudelitates, non dubitat antiquioribus eandem tribuere immanitatem, quae tum per totam gentem regnabat. Neque Fulvia erat minus elegans femina quam Helena; laetata tamen est Ciceronis caput manibus tractare, coenaeque appositum non horruit, sed insultavit. Iam supra ad 2, 588 hunc locum non discrepare ab illo monuimus. Atque antiquo iam tempore lectos esse hos versus et Virgilii esse habitos docet Ausonius Epi-

Ora manusque ambas, populataque tempora raptis
Auribus, et truncas inhonesto volnere nares.
Vix adeo adgnovit pavitantem et dira tegentem
Supplicia, et notis compellat vocibus ultro:
Deiphobe armipotens, genus alto a sanguine Teucri,
Quis tam crudeles optavit sumere poenas?
Cui tantum de te licuit? Mihi fama suprema
Nocte tulit fessum vasta te caede Pelasgum
Procubuisse super confusae stragis acervum.
Tunc egomet tumulum Rhoeteo in litore inanem
Constitui, et magna Manes ter voce vocavi.
Nomen et arma locum servant. Te, amice, nequivi
Conspicere et patria decedens ponere terra.
Ad quae Priamides: Nihil o tibi amice relictum;
Omnia Deiphobo solvisti et funeris umbris.

taph. 13. cf. v. 510; et versum 513 laudat Sen. Ep. 59: *tunc exclamant miseri illi Virgilianum versum: namque ut — nosti*; et legit hos versus Seneca tragoedus, qui Agam. 747 *incertos geris Deiphobe vultus, coniugis munus novae.* Hoc loco Virgilium is imitari probatur etiam ex eo, quod paulo ante de Hectore et Troilo idem quod Virgilius (lib. I. II.) dixerit. Quod si accedit, quod non habebat ex omnibus Troianis poeta, quem alium eligeret, non est, quod haec de Deiphobo verba habeamus illata ab alio. Princeps enim erat Troianorum Deiphobus eo tempore quo capta Troia periit. (cf. Exc.) Sed v. 494 — 547 eiic. *Pl. Gr.*, quod contrarii essent iis, quae de Helena narrantur (cf. ad 2, 588); et ille locus damnatur, quod ab hoc diversus est, immo *Gr.* ex eo, quod hi loci inter se discrepent, utrumque spurium esse arguit, neque enim interpolatorem aliquem ausurum fuisse inferre ea, quae adversarentur Virgilianis. Hoc est argumentari. — *Rb.* refert esse in M. *vidit et*, et *et* esse expunctum *videt* FPRγb1, *vidit* b2c, inde *Hs.* coni. *videt et*, secutus est *Wg.* — *vidit Hn. Ld. Rb.* Utrumque Latinum, certum neutrum, probabilius *videt et.*

498. *Vix adeo* cf. 2, 567. — *Vix* — *et* sibi respondent, ut 5, 857. — *Agnovit* — *Pavitantem* „ne agnosceretur timentem. *Tegentem*, legere volentem.“ S. (cf. 468.) Ipse vult videre Aeneam amicum et audire cum aliis colloquentem, neque tamen agnosci. Si prius noluisset, potuit longe recedere ab Aenea.

500. *genus etc.* ut 4, 230.

501. *optavit sumere* „elegit ut sumeret.“ S. cf. 1, 425.

502. *tantum de te licuit.* Sen. Clem. 1, 18 *quum in servum omnia liceant.* Cic. pr. Mau. 19 *quid liceat.* Rab. Post. 5 *quantum liceat vobis.* Cf. Gr. § 175 An. 1. Similis est verbi significatio Sil. 14, 670 *tantumque licere horruit.* Claud. in Ruf. 2, 198 *ignaro tantum licuisse nocenti miratur.* Luc. 7, 554 *discat, quam multum bellis liceat civilibus.* Usurpatur haec formula in rebus atrocitate et immanitate insignibus.

504. Bene ornat Aeneas Deiphobi in proelio mortem. Ipse autem qua erat mente et in cognatos pietate exstruxit tumulum in Rhoeteo promontorio, quod fecit hieme quae secuta est Troiae occasum, quando Graeci redierant et ipse classem parabat, qua vere ineunte alias sedes quaereret.

506. *ter* cf. 11, 188.

507. Arma imposita ex more cf. 233; quae quum citius putrescerent, ad eorum imaginem postea lapides formare maluerunt. — *Arma* „depicta scilicet.“ S. Ut sepulcrum est simulatum, sic etiam arma. — *Nomen et arma locum servant* i. e. servat loci memoriam. De v. *servare* cf. 556. — *te*, tuum corpus, cf. 362. Dictum hoc ex Homeri ratione Il 1, 3 ψυχὰς Ἄιδι προΐαψεν ἡρώων, αὐτοὺς δὲ ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν.

508. Nec *ponere* nudum significat *sepelire*, nec *decedere* recte dicitur, nisi addito loco, unde decedat aliquis. Itaque non iungendum *patria terra*, sed *terra ponere* et *patria decedens*, quod iam monet ordo verborum.

509. *tibi* — a te cf. 1, 440.

510. *Funeris umbrae* sunt eius, in cuius honorem instituitur funus. Itaque funus h. l. non est explicandum per *cadaver.* — Finxit ex hoc loco Ausonius Deiphobi epitaphium: *Proditus ad poenam* (cf. *supplicia* 499 *poenas* 501 quamquam nihil ante commissum est)

Sed me fata mea et scelus exitiale Lacaenae
His mersere malis; illa haec monumenta reliquit.
Namque ut supremam falsa inter gaudia noctem
Egerimus, nosti; et nimium meminisse necesse est.
Quum fatalis equus saltu super ardua venit
Pergama et armatum peditem gravis attulit alvo:
Illa, chorum simulans, euhantes orgia circum
Ducebat Phrygias; flammam media ipsa tenebat
Ingentem, et summa Danaos ex arce vocabat.
Tum me, confectum curis somnoque gravatum,
Infelix habuit thalamus, pressitque iacentem
Dulcis et alta quies placidaeque simillima morti.
Egregia interea coniunx arma omnia tectis
Amovet, et fidum capiti subduxerat ensem:
Intra tecta vocat Menelaum, et limina pandit,
Scilicet id magnum sperans fore munus amanti,
Et famam exstingui veterum sic posse malorum.
Quid moror? inrumpunt thalamo; comes additur una

sceleratae fraude Lacaenae Et deformato corpore Deiphobus, Non habeo tumulum, nisi quem mihi voce vocantes Et pius Aeneas et Maro composuit.

511. *Sed* redeuntis est ad superiorem orationem: sed quoniam tu quaeris, quo facto in hanc miseriam inciderim, etc. Ita 531 et saepissime apud scriptores.

512. *malis mersere* cf. 267. — Helenam Deiphobus, quum ad Paridis tumulum certamine vicisset, domum abduxit nolentem.

513. *Falsa* gaudia sunt, quod ea re gaudebant, quae non erat.

515. *super Pergama venit*, elata venit in ardua Pergama. Ennius: *Nam maximo saltu superavit Gravidus armatis equus ... Qui suo partu ardua perdat Pergama.*

516. *gravis* cf. 1, 51. De re cf. 2, 234 sq.

517. *orgia.* Cf. de voce 4, 303 et de re 7, 389. *Evare orgia* hoc tantum loco legitur; et ipsum verbum *evare* est rarissimum. Hoc loco in Mss. praestantissimis scriptum: *euhantis.* — *Simulans chorum* dixit, neque enim Bacchum venerari Helena voluit, sed signum dare Graecis, quando urbem possent aggredi. Finxit hoc poeta, ut probaret historiam, qua Helena face sublata Graecis signum dedisse dicebatur. In Bacchi autem Victoris honorem chorus ducitur post victoriam. Cf. Soph. Ant. 154. Et sic videmus poetam saepius diversis locis diversas sequi narrationes. Nam lib. II. Sino unus Troiam Graecis tradere videtur. Quamquam quae illic narrantur possunt cum hoc loco conciliari. Similia cf. 763. De Helena cf. 2, 588.

520. *Curis* gravari non potuit aliis, nisi ne Graeci redirent; quem tamen reditum si timebat, adire debebat Graeca castra, certe custodiam habere portarum, quod facere omisit. Elegantem coniecturam Schraderi *choreis* rec. *Rb.* Neque absonum sumere eum pompam duxisse. Apud Soph. Ant. 148 victis Argivis Thebani senes ad saltandum se exhortantur *θεῶν δὲ ναοὺς χοροῖς παννυχίοις πάντας ἐπέλθωμεν· ὁ Θήβας δ' ἐλελίχθων Βάκχιος ἄρχοι.* Ita de Priamo Hecuba ap. Eurip. Hec. 898: *μολπᾶν δ' ἄπο καὶ χοροποιῶν θυσιᾶν καταπαύσας πόσις ἐν θαλάμοις ἔκειτο.* Apud Spartanos senes saltabant, et saltant fortunati in Elysio v. 644. ubi etiam *chorēae* est, ut Tib. 1, 3, 59; et Stat. Silv. 3, 1, 41 dixit *confectum thiasis.* Si *curis* servandum est, et servandum est, restat una explicatio: *confectum curis*, tempore antecedente perlatis, quibus nunc solutus somno se dat: *aufgerieben von den Sorgen*; ut solent post magnos labores exantlatos et superatis periculis vires deficere.

524. *amovet et subduxerat:* Praesens est historicum; plusquamperfectum locum habet, quod antea factum signat, cf. 4, 200. Ante omnia ensis, qui proximus erat, erat removendus.

528. *quid moror te narrando:* Atque hic videmus poetam decori servantissimum, qui non descripserit, quomodo truncatus et mutilatus sit Deiphobus. Multoque atrocius est, rem ut fit enarrare, quam factam commemorare. — *additur* FMγ2.

Hortator scelerum Aeolides. Di, talia Graiis
Instaurate, pio si poenas ore reposco.
Sed te qui vivum casus, age fare vicissim,
Attulerint: pelagine venis erroribus actus,
An monitu divom? an quae te Fortuna fatigat,
Ut tristes sine sole domos, loca turbida, adires?
Hac vice sermonum roseis Aurora quadrigis
Iam medium aetherio cursu traiecerat axem.
Et fors omne datum traherent per talia tempus;
Sed comes admonuit, breviterque adfata Sibylla est:
Nox ruit, Aenea; nos flendo ducimus horas.
Hic locus est, partes ubi se via findit in ambas:
Dextera quae Ditis magni sub moenia tendit,
Hac iter Elysium nobis; at laeva malorum
Exercet poenas, et ad impia Tartara mittit.

— *additus* PRych. — *Additur*, addit se, ut 91. Cf. 545 *reddor* et quae 4, 152. *Addi comitem* cf. 778.

529. *hortator scelerum:* Ulixes apud Homerum ob astutiam et calliditatem insignis, apud tragicos et Graecos et Romanos, Livium, Ennium, Pacuvium, Attium, doli mali structor est. Ita *hortator scelerum* ab Aiace dicitur Ov. Met. 13, 45, *inventor scelerum* Aen. 2, 164. — Dicitur etiam *Aeolides* Ulixes. Is enim Autolyci nepos, Laertis ex Anticlia filius, postea Sisyphum, Aeoli filium, habere patrem dicebatur, a quo Anticlia gravida fuisset, quum Laerti nuberet. Ita patrem ei affingebant scelere et deorum contemptu notum. Idem Ulixi obiicit Aiax Ov. M. 13, 31.

530. *instaurate* verbum sacrum cf. 4, 63. Date dii, ut quas poenas meriti sunt, pendant.

532. *Utrum* vento coactus, an a diis iussus, an aliqua fortuna ductus huc venis? Simili modo distinguitur 2, 738.

533. *an quae te Fortuna fatigat* i. e. an fortuna aliqua quae te fatigat, angit, ita ut etc. De voce cf. 1, 280. Tib. 4, 1, 182 *Fortuna me adversa fatigat.*

534. *Turbida* loca sunt, quod luce carent; in obscuris non potest ordo et dispositio servari. Nck. coni. *lurida*, rec. *Ld.* — *sine sole domos.* Ita 777 *sine nomine terrae.* 1, 279 *imperium sine fine dedi.* 10, 636 *tenuem sine viribus umbram.* 640 *sine mente sonum.* Sil. 4, 268 *sine nomine gentem.* Cic. Tusc. 2, 3, 7 *lectionem sine ulla delectatione negligo.* Adde quae ad 4, 588 et de tota re 11, 464.

535. *hac vice sermonum:* quum haec inter se colloquerentur. Aurora, quae proxime antecedit soli non tantum orienti sed per omne diei tempus, iam axem (i. e. polum caeli), traiecerat et equos impellit, ut a summo caelo decurrant. Itaque quum iam medium caelum supergressa est, tempus est vespertinum. Unum autem per diem naturalem ex poetae mente licuit Aeneae in Orco esse; nam oriente die ingressus v. 255, labente egreditur, ut ante solis occasum perveniat in Elysium, quod gaudet sole proprio, et in terram redeat ante solis ortum. Aurora bigis solet vehi cf. 7, 26. Hom. Od. 23, 247, Sol quadrigis; et „Donatus dicit, auroram cum quadrigis positam solem significare." S. Et auroram de die usurpatam vidimus 5, 105. Quare nec si *aurora* sua vi positum habes, nec si accipis de die, verba sunt reprehensioni obnoxia.

539. *Nox ruit.* Ruere de sole, die, nocte ponitur, et de ortu, ut hoc loco et 2, 250. 8, 369. 10, 256, et de occasu ut 3, 508. Val. Fl. 1, 274. itaque nihil aliud signat quam celeriter ire. Cf. *hora ruit.*

540. Inter confabulandum progressi sunt ad eum locum, quo via est altera in Tartarum, altera in Elysium, quem egredi Deiphobo non licet. — *Ambas* non nove dixit Vgl. pro duas, sed ita loquitur Sibylla, quasi iam sciret Aeneas duas esse; certe eas iam videt.

542. Hac via iter est *in* Elysium (cf. 4, 106) *nobis*, qui illuc tendimus, ingrediendum.

543. Sed sinistra poenas exercet, dum ad Tartara mittit; saepius enim per *et* et verbum finitum adiungitur aliquid, quod participio erat dicendum cf. 8, 125. — *impia Tartara*, quod ibi impii sunt, ut 441 *lugentes campi* cf. 1, 355. — Tamen utrumque nove dictum; et quod via, quae

Deiphobus contra: Ne saevi, magna sacerdos;
Discedam, explebo numerum, reddarque tenebris.
I decus, i, nostrum; melioribus utere fatis.
Tantum effatus et in verbo vestigia pressit.
Respicit Aeneas subito, et sub rupe sinistra
Moenia lata videt, triplici circumdata muro,
Quae rapidus flammis ambit torrentibus amnis
Tartareus Phlegethon, torquetque sonantia saxa.
Porta adversa, ingens, solidoque adamante columnae,
Vis ut nulla virum, non ipsi exscindere ferro
Caelicolae valeant. Stat ferrea turris ad auras;
Tisiphoneque sedens, palla succincta cruenta,
Vestibulum exsomnis servat noctesque diesque.
Hinc exaudiri gemitus, et saeva sonare

ad poenam deducit, ipsam poenam iam dicitur exercere, et quod Tartara, in quibus impii puniuntur, impia dicuntur. At vere utrumque. — *Exercere poenas* legitur Tac. A. 1, 44.

544. *saevi* „ne irascere. Terentius (Andr. 5, 2, 27) *ne saevi tanto opere* et antique dictum est. Nam nunc *ne saevias* dicimus, nec imperativum iungimus adverbio imperantis.“ S. De re cf. Gr. § 422.

545. *explebo numerum* sc. meorum, i. e. earum, quibuscum iunctus sum et quas reliqui, umbrarum, reddarque (cf. v. 528) loco obscuro; statimque subsistit. Sed *explebo numerum* id significare non potest demonstrari, sed modo coniici; et Servius ita ambigit, ut *explere* etiam explicet per *minuere:* minuam numerum sc. vestrum, vos relinquam. In eadem sunt opinione Caper, Nonius, Donatus ad Ter. Hec. 5, 1, 29. *Lachmann* Lucr. 4, 532. Versus hos, quos alius non fecit, poeta videtur abiecisse modo, postea emendandos, remque modo adumbrasse, postea luculentius describendam. Sensit singula apta non esse; noluit tamen verba poetica omittere, quibus alio tempore uteretur; et videmus hoc loco firmari, quae de Virgilio narrant grammatici. Cf. Praef.

546. *decus nostrum.* Sic ap. H. C. 3, 16, 20 *Maecenas* est *equitum decus.*

547. *pressit* MR al. — *torsit* qui Mss. habeant, non liquet, receptum in editis ob v. 545 et bonum. Sed non extemplo propter v. 545 cogitur redire, et si modo subsistebat, iam satisfecit Sibyllae, neque enim suum locum est egressus. Et verisimile est, eum restantem decedentes quam longe poterat, oculis esse prosecutum. — *Pressit vestigia* legitur iam 197. 331. — *in verbo*, dum verbum loquitur, enuntiationis secundariae instar est. Sic saepe Cicero. Cf. 4, 663.

548—627. Tartarus.

548. Dum ad Elysium pergunt, in sinistra parte moenia vident, quibus Tartarus inclusus est, audiuntque strepitum; tum docet Aeneam Sibylla, qui insint, ipsi enim non licet adire. — *Respicit Aeneas subito*, M. Sed *Aeneas; subito Pl. Rb.* In *subito* caussa inest, cur respiciat, sc. quod sonitum audit.

549. *moenia circumdata muro* cf. 2, 234. — *lata*, unde intelligitur nocentium multitudo.

551. *torquetque* cf. 8, 425.

552. *porta adversa*, opposita cf. 1, 420. „Distinctione excludendum est vitium de duobus epithetis.“ S. — *solido adamante columnae;* de ablativo cf. 3, 618. Ea quae Tartarus habet, vel dii non possunt eripere; nam adamas lapis durissimus apud poetas signum est necessitatis invictae Hor. C. 3, 24, 5 *si figit adamantinos summis verticibus dira Necessitas clavos...* — Eiusdem significationis est *ferreus*, *aeneus* cf. 630. — *ingens* cf. 283.

553. *ferro* M. al. S. — *bello* FPR. al. rec. *Ld. Rb.*

554. *stat ad auras*, sursum cf. 3, 422.

555. *palla* cf. 11, 576.

556. *servat.* Servare locum quivis dicitur, qui per aliquod tempus tenet non abiturus, 7, 52; sive quod custodiam exercet, ut hoc loco et 575; sive, quod munus eum retinet, ut 298; sive quod non audet relinquere, ut 402. 2, 568. Ipse etiam locus hominem, qui in eo habitat, servare dicitur 5, 30. — *exsomnis.* Mali enim conscientia neque vigiliis neque quietibus sedari potest. Lucr. 3, 1031

Verbera; tum stridor ferri, tractaeque catenae.
Constitit Aeneas, strepituque exterritus haesit.
Quae scelerum facies? o virgo, effare; quibusve
Urguentur poenis? quis tantus plangor ad auras?
Tum vates sic orsa loqui: Dux inclute Teucrum,
Nulli fas casto sceleratum insistere limen;
Sed me cum lucis Hecate praefecit Avernis,
Ipsa deum poenas docuit, perque omnia duxit.
Gnosius haec Rhadamanthus habet durissima regna.
Castigatque auditque dolos, subigitque fateri,

Mens sibi conscia facti praemetuens, adhibet stimulos torretque flagellis.

558. Nominativus iungitur saepe cum infinitivo historico, cf. 2, 170. Quamquam h. l. etiam ad *stridor* et *catenae* suppleri potest verbum *sonare*.

559. *strepitu* MP. *strepitum* FRγbc. *haesit* FMR. *hausit* P. (sed correctum in *haesit*) γbc. *strepitu haesit* Wg. *strepitum hausit Ld. Rb.* qui „*hausit* pulchrum eique aptissimum est, qui statim quaerit, *qui tantus clangor*.“ Idem „languidum censet *constitit et haesit* „quod debebat dici *haesit* et *constitit* ut 3, 597.“ Nonne *haeret* maius est quam *consistit?* Est enim non posse moveri. *E. Hoffmann* proposuit *strepitumque exterritus haesit*, ut structurae difficultate tollatur difficultas scripturae, quae facile explicatur ex eo quod duae formulae usitatae *strepitum hausit* et *strepitu haesit* sunt perturbatae. In *haesit* autem vis terroris est maior. Simile 11, 699.

561. *quis* MPγbc. — *qui* R. rec. *Rb.* Cf. Gr. § 385, unde apparet etiam *quis tantus* recte iungi. Sic 2, 594 *quis tantus dolor:* Magnum esse dolorem Venus videt, quaerit quis sit. 4, 10 *quis novus hic hospes:* Est aliquis, quaeritur, situe revera Aeneas ille, Veneris filius? Val. Fl. 8, 259 *Quis novus inceptos timor impediit Hymenaeos?* Cic. Lael. 6. *Quis esset tantus fructus in prosperis rebus* i. e. potesne mihi aliquem fructum dicere, qui tantus sit? — *plangor*, qui est dolentium, legitur MRbc *clangor* Pγ rec. *Ld. Rb.* — *ad auras*, sursum cf. 554. — *auras* MRγbc, *auris* P, rec. *Ld. Rb.* et quod auras omnino non dici in Orco animadvertit, inde etiam v. 554 hyperbole usum esse sumit Vgiium, ut turrem illam usque „ad superos extenderet“ (!). Sed si semel 640 *aethera*, semel 887 *aera* dicit, num potest concludi eum *auras* dicere noluisse? Vituperat deinde *auras Rb.*, quod paulo ante legitur v. 554, neque ego laudo, sed saepius in Aeneide eadem vox intra paucos versus repetitur, idque ipsum caussam praebuit mutandi in *aures*.

563. *casto* cf. 661. — *sceleratum limen* cf. 1, 355. — *insistere limen. Insistere* c. accusativo 11, 573 *vestigia*, G. 3, 164 *viam*, ut ap. Plaut. Ter. cf. lexica.

564. *praefecit.* Nam sacris et ipsi templo sacerdotes praeesse dicebantur.

565. *deum poenas*, quas dii statuunt in noxios cf. 2, 257. *Gt.* coni. *Ipsa adeo poenas.*

566. *Rhadamanthus*, Iovis et Europae filius, probitate et severitate iudicandi insignis, de mortuis iudicare creditus est. Cf. 432. Ibi recte *Wg.* „Minos, inquit, impios facto quodam praeiudicio ad Rhadamanthum mittit. qui sontibus omnem culpam fateri coactis pro merito cuiusque poenarum genera modumque constituit.“ Id sumendum est coniectura, ut stet hic locus; tamen quum tantis curis impii custodiantur, recte desideramus scire, qua vi cogantur ad Rhadamanthi tribunal adire. Sed in hoc loco etiam alia nondum satis elaborata sunt. Nam in vestibulo sedet Tisiphone, in eodem vestibulo, nam duo sumere, quod facit *Wg.*, non licet, sedet *custodia* 574, quae *qualis* sit, videt Aeneas, nos nescimus; multi sumunt Tisiphonen, sed ea *flagello quatit sontes.* Itaque v. 555 sqq. et 570 sqq. poeta secundis curis debebat inter se exaequare.

567. *Castigat* confessos, *audit* confitentes, *subigit fateri* nolentes. *Subigit* (c. inf. cf. 2, 33) fateri piacula i. e. scelera piaculo purganda, quae quis apud superos i. e. in vita cf. v. 481, commissa distulit in seram mortem (quam multo postea se putaverat subiturum, ut temporis esset satis ad corrigenda peccata) laetatus furto (quo deos hominesque celasse se putat) inani (quod nihil est profuturum, si quis in hac vita homines fefellit, quum apud inferos quodvis scelus cognoscatur ac puniatur).

Quae quis apud superos, furto laetatus inani,
Distulit in seram commissa piacula mortem.
Continuo sontes ultrix accincta flagello
Tisiphone quatit insultans, torvosque sinistra
Intentans angues vocat agmina saeva sororum.
Tum demum horrisono stridentes cardine sacrae
Panduntur portae. Cernis, custodia qualis
Vestibulo sedeat? facies quae limina servet?
Quinquaginta atris immanis hiatibus Hydra
Saevior intus habet sedem. Tum Tartarus ipse
Bis patet in praeceps tantum tenditque sub umbras,
Quantus ad aetherium caeli suspectus Olympum.
Hic genus antiquum Terrae, Titania pubes,
Fulmine deiecti, fundo volvuntur in imo:
Hic et Aloidas geminos, immania vidi

568. Furtum omne, quod clam fit, ut *furto* 4, 337; ita insidiae belli dicuntur furta 9, 150. 10, 735. 11, 515. Inde quae quis male et per scelus facit, quum ignota cupiat esse aliis, omne flagitium, scelus, nefas *furtum* potest dici. Inde est *furtim* clam 3, 50 Sall. Iug. 14; et *furis* proprium est, quod clam surripit.

569. *Piacula* vocabulum enuntiato relativo interpositum est, quo explicatur, ut saepius fit cf. 8, 168. *Piacula committere* dixit Liv. 5, 52 *nonne in mentem venit quantum piaculi committatur.*

570. Ubi sententia dicta est, *continuo* exsequitur Tisiphone et sontem flagello caedit, ut apud Romanos mos erat eum, qui mortis erat damnatus, antequam supplicio afficeretur, flagello servum, fustibus liberum caedere.

571. *insultans:* Solebant carnifices et qui poenas exsequebantur vel insultare damnatis, quod ex eorum inhumanitate ortum est. Multo magis Tisiphone gaudebit caedere. Cf. Tib. 1, 3, 69 *Tisiphoneque impexa feros pro crinibus angues Saevit, et huc illuc impia turba fugit.* Ap. Stat. Theb. 1, 112 Tisiphone altera manu titionem, altera hydram quatit. Ita vario modo poetae ingenio suo indulserunt. — *quatit*, agit cf. Ter. Eun. 2, 3, 67 *homo quatietur certe cum dono foras.*

572. *agmina sororum.* Furiarum agmina memorantur etiam 4, 469, quem locum conferas. Furiae autem anguibus pro comis utuntur. Ita 7, 346. G. 4, 482. Catull. Epith. 193. Ap. Hor. C. 2, 13, 36 angues crinibus innexi sunt.

573. *tum demum:* „mittuntur post verbera ad aeternum supplicium. Et est secutus ordinem iuris antiqui. Nam post habitam quaestionem in Tullianum ad ultimum supplicium mittebantur.“ S. A Tisiphone per portam adiguntur in Tartara; quae quam terribilia sint, ex eo potes concludere, qualis est custodia ad portam; intus autem vel saevius animal. — *sacrae* cf. 2, 686.

574. *panduntur* etc. Narrat haec Sibylla ut quae sequuntur. — *Custodia* i. e. custos, ut Ov. M. 8, 684. 12, 148 etc. Ut Germani *Wache.* Abstractum pro concreto cf. 3, 471.

575. *facies quae servet?* Ita facies dirae 2, 622. Idem bis dicitur ex magno terrore cf. 1, 547.

576. *Hydra:* Serpens aliqua monstruosa intelligitur, non illa Lernaea, sed diversa a custodia, quae est v. 575. Notatum est in hoc versu sono iam verborum exprimi voracitatem feritatemque serpentis.

577. *Tartarus* ap. Hom. Il. 8, 16 est *τόσσον ἔνερθ' Ἀΐδεω, ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης.* Ap. Virgilium dicitur bis esse inferior ab eo loco, quo sunt Aeneas et Sibylla, i. e. ab Orco (Hades), quam distat a terra aetherius caeli Olympus i. e. caelum, in quo habitant dii. — *suspectus* cf. 1, 438.

578. *sub umbras*, deorsum, ut *ad auras* erat sursum v. 554.

579. *Gt.* coni. *aetherium est oculis.*

580. *Genus terrae*, *γηγενεῖς*, Urani et Terrae filii; qui Crono duce Uranum imperio privarunt, ipsi autem a Croni filiis victi, et quum rebellarent in Tartarum detrusi sunt.

582. *Aloidae gemini.* Sunt Otos et Ephialtes, Neptuni ex Iphimedia Aloi uxore filii, ita Hercules Amphitruoniades dicitur, Pirithous Ixionides Ov. Met. 8, 566 a vitricis suis. De his fabulam vide Od. 11. 305—20. — *geminis* „sui similes“ S. cf. 1, 162. — *immania* cf. Od. et Serv. „Digitis novem per singulos men-

Corpora, qui manibus magnum rescindere caelum
Adgressi, superisque Iovem detrudere regnis.
Vidi et crudeles dantem Salmonea poenas.
Dum flammas Iovis et sonitus imitatur Olympi.
Quattuor hic invectus equis, et lampada quassans
Per Graium populos mediaeque per Elidis urbem
Ibat ovans, divomque sibi poscebat honorem,
Demens! qui nimbos et non imitabile fulmen
Aere et cornipedum pulsu simularet equorum.
At pater omnipotens densa inter nubila telum
Contorsit; non ille faces, nec fumea taedis
Lumina; praecipitemque immani turbine adegit.
Nec non et Tityon, Terrae omniparentis alumnum,
Cernere erat, per tota novem cui iugera corpus
Porrigitur; rostroque immanis voltur obunco
Immortale iecur tondens fecundaque poenis

ses crescebant. Freti itaque altitudine caelum voluere subvertere; sed confixi sunt Dianae et Apollinis telis."

583. *rescindere:* Item G. 1, 280 *et coniuratos caelum rescindere fratres.* Claud. Gigant. 31 *rescindite turres sidereas.* Est verbum militare *scindere vallum* 9, 146.

584. *Aggredi* c. inf. Cic. Off. 2, 1.

585. *Salmoneus* apud Hom. Od. 11, 236 *ἀμύμων*, ap. Hesiodum fragm. *ἄδικος*. Postea poetae eum superbia elatum Iovi se comparasse scribunt cf. Apollod. 1, 9, 7: Salmoneus primum in Thessalia habitavit, reversus deinde in Elidem, ibi urbem condidit (quam Salmonian alii dicunt ut Strab. 8 p. 356 Diod. 4, 68) *ὑβριστὴς δὲ ὢν καὶ τῷ Διὶ ἐξισοῦσθαι θέλων, διὰ τὴν ἀσέβειαν ἐκολάσθη· ἔλεγε γὰρ ἑαυτὸν εἶναι Δία, καὶ τὰς ἐκείνου ἀφελόμενος θυσίας ἑαυτῷ προσέτασσε θύειν· καὶ βύρσας μέν ἐξηραμμένας ἐξ ἅρματος μετὰ λεβήτων χαλκῶν σύρων, ἔλεγε βροντᾶν, βάλλων δὲ εἰς οὐρανὸν αἰθομένας λαμπάδας, ἔλεγεν ἀστράπτειν. Ζεὺς δὲ αὐτὸν κεραυνώσας, τὴν κτισθεῖσαν ὑπ' αὐτοῦ πόλιν καὶ τοὺς οἰκήτορας ἠφάνισε πάντας.*

586. *vidi dantem — dum.* Simplicissima explicandi ratio videtur haec, qua dicimus in eo constitisse poenam superbo, quod etiam in Tartaro Iovem iubetur imitari. Quod quam vanum sit quum cognoverit, in aeternum tamen facere cogitur. Iam quae potest poena excogitari acerbior? Simili modo punitur Ixion v. 603. *Wg.* post *poenas* punctum, post *Olympi* comma posuit refertque v. 586 ad sequentia. *Rb.* v. 586 dittographiam sumit esse v. 590. 91 et uncis inclusit; assentitur *Ld.* Sed 586 indicat poenam, 590. 91 poenae caussam.

588. Salmoneus quum per Graeciam profectus est, tum per urbem, quae in media est Elide. „Hinc est indignatio, quod in ea civitate Iovem imitabatur, in quo specialiter Iuppiter colitur." S.

591. *simularet.* Coniunctivus caussam continet; in eo enim inest dementia, quod se imitari posse putavit Iovis fulmen cf. ad 2, 346. *Simularat* quod est in Mss. aliquot improbatur, quod v. 586 idem iam dictum est.

592. *densa inter nubila.* Quo densiores nubes, eo vehementiora esse solent fulmina et imbres. *At* cf. 1, 543.

593. *Fumea lumina.* quae taedis fiunt, — *Turbo* adesse solet fulmini.

594. *adegit* sc. ad umbras in Tartarum cf. 4, 25.

595. *nec non et* cf. 5, 100. — *Tityon:* Tityus, quem Terra procreavit, vim voluit inferre Latonae. Ob quod facinus ab Apolline sagittis traiectus, a Iove in Tartarum detrusus est. — Idem de eius poena et magnitudine narrant Lucr. 3, 997. Ov. M. 4. 456. Tib. 1. 3, 74. Prop. 3, 3, 67 praeivit Hom. Od. 11, 577 sq. — *omniparentis* F2M2, *omnipatentis* al. ex errore, *omnipotentis* F1M1R et Nonius s. v. *alumnus*, ex correctura erroris et ex v. 592 ortum. — Cf. Lucr. 5, 260 *Terra omniparens eadem rerum commune sepulcrum.*

596. *cernere erat* cf. v. 266.

598. *tondens.* Secuti sunt Sil. 13, 839 *quae tondentur praecordia rostro alitis.* Sen. Agam. 18 *ubi tondet ales avida fecundum iecur.* Tondere enim saepe pro depascere, devorare ut 3, 537. G. 1, 15.

Viscera, rimaturque epulis, habitatque sub alto
Pectore, nec fibris requies datur ulla renatis.
Quid memorem Lapithas, Ixiona Pirithoumque?
Quos super atra silex iam iam lapsura cadentique
Imminet adsimilis? Lucent genialibus altis
Aurea fulcra toris, epulaeque ante ora paratae
Regifico luxu; Furiarum maxima iuxta
Accubat, et manibus prohibet contingere mensas,
Exsurgitque facem attollens, atque intonat ore.
Hic, quibus invisi fratres, dum vita manebat,
Pulsatusve parens, et fraus innexa clienti;

Lucr. 2, 659. — *Fecunda poenis viscera* sunt, quod semper renascuntur, ut semper poena possit repeti. „Fecunda in poenam." S.

599. *rimatur:* Ita cycni, qui cibum quaerunt, *rimantur prata Caystri* G. 1, 384. Cf. 11, 748 *partes rimatur apertas.* — *epulis* dativus, ad epulas; viscera rimatur, ut epulas, iecur, reperiat. — *habitatque sub alto:* Vides immensam Tityi magnitudinem, cuius sub pectore vultur velit habitare, qui in summis saxis nidos struere solet.

600. Lucretius l. l. hanc fabulam ita explicat: Tityos nobis hic est, in amore iacentem Quem volucres lacerant, atque exest anxius augor, Aut alia quavis scindunt cuppedine curae. Volebant enim eo tempore homines docti reconditiorem aliquam sententiam indagare fabularum, quae ne a vulgo quidem verae haberentur.

601. *quid memorem.* Ea est sententia: sed quid ego singulos proferre velim, quum hoc infinitum sit; quare vix est caussa, cur poenam Lapitharum memorem. — *Lapithae* sunt Ixion eiusque filius Pirithous; ille quod Iunonem tentaverat; hic quod Proserpinam rapiebat, puniti. Poenae eorum variae traduntur, et Vgl. etiam in iis aliquid novavit. De Ixione cf. G. 3, 38. 4, 484. De Pirithoo cf. Hor. C. 3, 4, 80. — Vgl. utrumque ita puniri dicit, ut supra caput saxum sit casurum semper (cf. historiam Damoclis ap. Cic. Tusc. 5, 21, 61). Appositae sunt mensae, epulis exquisitissimis ornatae omnique apparatu structae; sed si manus admovent, Furia in eos irruit eosque depellit. — Incontinentiae ea est poena. *Rb.* coni. v. 601 esse spurium, ante 602 esse lacunam, quam expleturus fuerit poeta commemorato Tantalo; probat *Ld.*

602. *cadentique:* Versu hypermetro pingitur saxum superpendens. *Pl.* coni. *Quid, quibus atra* etc.

603. De structura cf. 5, 705. — *genialibus altis toris* aurea fulcra substructa sunt. Geniales autem dicuntur, ut nos dicimus *einladend* cf. Non. p. 177 Merc: „Scis enim geniales homines ab antiquis appellatos, qui ad invitandum et largius apponendum cibum promptiores essent."

605. *Regifico luxu* i. e. regio. Saepius ap. poetas illud *ficus* in compositis amatum. Ita ap. Cic. Sest. 57 *ingratifici Argivi* (sed verba sunt poetae alicuius); *falsificus animus* Plaut. Mil. 2, 2, 36; *iustifica mens* Cat. 64. 407; *horrifica* Sil. 12, 474. Sic *regificus* legitur ap. Val. 2, 653. *regifice* adv. Sil. 11, 272. — *Furiarum maxima* 3, 352. Ita ap. Eur. Iph. Taur. 970 est aliqua *πρέσβειρα Ἐρινύων.* Stat. Theb. 7, 477 *Eumenidum antiquissima.*

606. *prohibet* c. inf. cf. 3, 380.

608. Quo homines cultiores evadunt, eo magis inter diversa vitia discernunt, atque eorum numerus crescit. Ita ap. Hom. *Ἐρίννυες, αἵθ' ὑπὸ γαῖαν ἀνθρώπους τίνυνται, ὅτις κ' ἐπίορκον ὀμόσσῃ.* Il. 19, 258; deinde caedes et iniuriae supplicum et hospitum inter scelera proferuntur. Multo iam melius et distinctius Virgilio crimina et poenas disponit Dante in Inferno suo. — In Tartarum igitur detruduntur primum, qui fratres odio persecuti sunt. Neque Virgilii tempore defuerunt ea exempla; ut Lepidus et Plancus consules in proscriptorum tabulis fratrum nomina videre; quare milites in eorum triumpho, quem de Gallis reportaverant, satis acerbo lusu cecinere: „De Germanis non de Gallis duo triumphant consules." Omnino autem hoc loco ea castigat vitia, quae ipsius tempore erant crebra, ut ex aliis scriptoribus patet. Cf. ipsum Virgilium de suo tempore querentem G. 2, 505 sq. *Dum vita manebat* ut 661 per totam vitam.

609. *pulsatus parens:* male habitus. Gravem paricidarum poenam vid. ap. Cic. RA. 25 „Insui voluerunt (Romani antiqui) in culeum vivos atque ita in flumen deiici." Quid quod legitur ap. Fest. s. v.

Aut qui divitiis soli incubuere repertis,
Nec partem posuere suis, quae maxima turba est;
Quique ob adulterium caesi, quique arma secuti
Impia, nec veriti dominorum fallere dextras,
Inclusi poenam exspectant; ne quaere doceri,

plorare: Si parentem puer verberassit, ast olle plorassit, puer divis parentum sacer esto. cf. Mos. Exod. 21, 5. Et quanti habita sit pietas in parentes vel scelus contrarium, cf. Paus. 10, 28. Ap. Sen. Contr. 9, 4 *Qui patrem pulsaverit, manus ei praecidatur.* Eius sceleris maxime esse poenam apud inferos sumpsit Stat. Sil. 3, 3, 15. — *fraus innexa clienti.* Patronatum et clientelam antiqui Romani pie coli volebant, hinc in XII Tabulis erat teste Servio: *Patronus si clienti fraudem faxit, sacer esto.* Cf. Dion. Hal. 2, 10. Solebant autem eo tempore a divitibus pauperes coloni, qui prope habitabant, depelli: Hor. C. 2, 18, 23 *Quid quod usque proximos revellis agri terminos et ultra limites clientium salis avarus.* — Neque tamen ii erant antiquae clientelae lege iuncti.

610. *qui incubuere soli repertis*, i. e. quas multa antea sibi paraverant cura *divitiis*, et e pauperibus divites facti eas soli et ab omnium hominum remoti societate anxii custodiunt, neque *suis* cognatis *ponunt*, deponunt, attribuunt aliquam partem. Cf. G. 2, 507 *Condit opes alius defossoque incubat auro.* Quint. 10, 1, 2 *velut clausis thesauris incubabit.* Sen. Ira 1, 16, 32 *acervis auri argentique incubat.* Hor. S. 1, 1, 70 *congestis undique saccis indormis inhians.* *Gt.* pro *soli* dat *olim*, quod lateat in *divitiis soli incubuere*, itaque „iam pridem in arca conditae" sunt. *Pl.* coni. *ori* i. e. *auri* pro *soli.* Quis dixit ita *divitias auri?* Nemo. *Pl.* quaerit locos, sed non potest sibi nisi coniecturis parare.

611. *quae m. t. est:* cf. Sen. Brev. Vit. 13 *qui in literarum inutilium studiis detinentur; quae iam apud Romanos quoque magna manus est.* Avarorum et sordidorum eo tempore maxima turba erat: neque mirum, quum bona admodum caduca ab alio ad alium bellis civilibus celerrime transissent. Unde factum est, ut alii ea omni modo vellent detinere, et, ne amitterent anxii, uti iis omnino non auderent; alii ut fruendi tempus daretur timentes omni modo profunderent.

612. Adulterii crimen saepe committebatur; quod ex Horatii sermonibus potest intelligi, et ex eo, quod legibus eam licentiam coercere Augustus conatus est. Connubium autem sanctissime coluerant Romani antiqui, eam sanctimoniam revocare conatur poeta; nam si connubiorum et familiarum vincula solvantur, persuasum habet, populum periturum. — Obscurum est, quod *caesi* memorantur, i. e. qui in flagranti delicto occisi sunt, quum apud Inferos adulteri omnes puniantur; ibi enim cognoscuntur scelera omnia. *Ld. Pl.* delent v. 612. 13. *Wg.* explicat „caesi verberibus"; ad idem redit, sunt deprehensi in adulterio; itaque videtur in eo cardine rem volvi, num quis deprehensus sit, non num quis peccaverit. At poeta id voluit intelligi. — *Impia arma secuti sunt*, qui contra patriam arma sumpserunt, qualis erat Catilina et Antonius, Augusti adversarius, qui etiam ap. Florum hostis iam, non Romanus habetur cf. 4, 11, 5 et 1, 12, qui Cleopatrae bellum contra Romanos gessit. Pietas est erga parentes, patriam, deos; impia arma fert, qui contra eos arma fert. Itaque non erat timendum Virgilio, ne offenderetur Augustus, qui bella gessit civilia. Servius intellexit Sextum Pompeium, eiusque verba, iam ob versum sequentem ex parte apponamus: „Nam occiso patre Siciliam tenuit, et collectis inde servitiis vastavit sex annis ultro citroque Siciliam: postea victus est ab Augusto et Agrippa. Hor. (Epod. 9, 9). *Minatus urbi vincla quae detraxerat servis amicus perfidis.* Et hoc sensu tam impia arma quam dominorum congruit commemoratio."

613. *nec veriti dominorum fallere dextras.* Servi et liberti qui dominum prodiderunt, quod bellis civilibus, ubi praemiis ad id scelus excitabantur, saepissime factum est, App. B. C. 4, 22. 29. 39. 51. In hoc etiam versu haesere interpretes, quod servorum in carmine tali locum attigisset. Sed illis temporibus libertinorum multae erant partes. Restat difficultas alia; nam in *dextras fallere* indicari videtur sollemne aliquod pactum dominorum. Tamen et hoc factum est; spectasse enim videtur Vgl. inter alios ad Menam illum Cn. Pompeii libertum, qui Sexti Pompeii dux classis auro captus ad Octavianum descivit, dein ad Pompeium rediit, iterumque corruptus Pompeium destituit eaque fraude perdidit.

614. *Poenam exspectant* „quod gravius est. Nam in exspectatione et prae-

Quam poenam, aut quae forma viros fortunave mersit.
Saxum ingens volvunt alii, radiisque rotarum
Districti pendent; sedet, aeternumque sedebit,
Infelix Theseus; Phlegyasque miserrimus omnes
Admonet, et magna testatur voce per umbras:
„Discite iustitiam moniti, et non temnere divos."
Vendidit hic auro patriam, dominumque potentem

sens metus est et dolor futurus." S. Cf. Claud. in Ruf. 2, 140 *Poenamque luit formidine poenae.*

615. *ne quaere doceri* cf. 3, 42. — *quam poenam* „sc. exspectent iudicio nondum acto „aut *formam, quae mersit*" iam iudicatos. At, etiamsi recte G. 4, 149 legitur: *naturas, apibus quas Iuppiter ipse addidit, expediam*, et si ea, quae v. 780 afferuntur, comparamus et quae 1, 578 et 3, 367 dicta sunt, tamen negari non potest, coniecturam a Schradero propositam *merset*, quod dant duo Heinsii, bonam esse et facile verbum inusitatius ab usitatiore potuisse expelli; ut ap. Hor. C. 4, 4, 65 a vulgariore *mersus* expulsum est *merses*, a Bentleio restitutum. Et hoc loco offendimur, quod *mersit* dixerit perfectum, post *exspectant*, quod futuras esse poenas indicat. — Haec explicatio quamquam a plurimis accepta est, tamen ego contra afferre audeo aliam et, quomodo mihi persuadeo, aliquanto aptiorem: A versu 616 — 620 poenarum, a 620 — 626 scelerum genera persequitur; quare probabile est de utroque Virgilium hoc versu quaerere. *Quam poenam* facile intelligitur: *quod poenae genus;* sed etiam quae *forma fortunave* ad poenam refertur et explicatur, quae forma supplicii et quod miseriae genus (fortuna) eos mersit. Sed magna esset poetae loquacitas, idem ter dicere, et *fortuna* non satis ex sua vi explicatur, et *aut* diversa iungit. Ac forma est species subiecta generi cf. v. 626, ubi plene dicit *scelerum formas* et Cic. Top. 7 *Formae sunt, in quas genus dividitur.* In *forma* intellige *sceleris*, et *fortuna* est res externa, status quo quis est, (nos *äufsere Lage;* atque ea est propria vocis significatio) quo ad scelus impellebantur. Itaque ea est sententia: Nimium quaereres, si omnium poenarum aut scelerum genera velles audire. Quae et verbis magis convenit et sequentibus aptissima est. Iam aptum etiam perfectum *mersit;* nam mortui iam sunt; scelera igitur praeterita sunt; ad *quam* autem *poenam* facillime supplebis *exspectant.* Et firmatur haec explicandi ratio, quod est in hoc versu eadem sententia, quae ad finem enumerationis repetitur v. 625 — 27, nec minus eodem modo distincta; agitur enim et de sceleribus et de poenis. — *Viros* ita 12, 318. 906 ubi sufficeret *eos.* Iam vero sive prius accipis, sive quod modo proposui: improbabis spero mutatum ordinem versuum eum, quo versus ita iunguntur 608 — 611. (eiectis versibus 612 et 613!) 621 — 624. 614. 615 (sed eiectis verbis: *aut quae forma viros fortunave mersit*). 625 — 27. 616 — 620. 628 etc. Haec conatus est *Pl.*

616. Iam dat alias suppliciorum formas, quibus singulos punitos esse etiam alii poetae fabulabantur. — *Saxum volvunt.* Id Sisyphus facere narratur ap. Cic. Tusc. 1, 5, 10 *Sisyphus versat Saxum sudans nitendo: neque proficit hilum.* Ov. M. 4, 459 post Hom. Od. 11, 592. — *radiisque* cf. 1, 701. Cf. Ov. M. 4, 460 *Volvitur Ixion et se sequiturque fugitque.* Itaque rota semper versatur.

617. *Sedet,* quod cum Pirithoo Proserpinam voluit rapere. Ita Pirithoum catenis alligatum fingit Horatius, cf. ad v. 600. Ceterum de Theseo varie res narratur. Plurimi eum ab Hercule tradunt esse liberatum.

618. *Phlegyas*, Ixionis pater, quod Apollinis templum incenderat, in Tartarum deiectus est. Atque is contemptor superum nunc monet: *discite etc.* aureum dictum. „*Cette sentence est bonne et belle; Mais en Enfer de quoi sert elle?*" Scarron. Dixeruntque alii haec esse dicta legentibus, non Inferis. Quod si statues, certe in forma carminis Virgilium dices peccasse. At vero in eo poena est vel maxima, quod tam splendido dicto, quum dicat condemnatis nec sibi nec audientibus prodesse possit; nec minus illis ea verba sunt tormento. — Ita Ixion ap. Pind. Pyth. 2. 23 docet τὸν εὐεργέταν ἀγαναῖς ἀμοιβαῖς ἐποιχομένους τίνεσθαι. — Phlegyae Val. 2, 193 sq. Phlegyae et Theseo epulas appositas dicit, quas memorat Virg. supra v. 603 sq.

621. Iam redit iterum Sibylla ad genera scelerum. Sunt qui patriam accepto pretio vendiderunt et dominum, tyrannum imposuere. „Haec licet generaliter di-

Imposuit; fixit leges pretio atque refixit;
Hic thalamum invasit natae vetitosque hymenaeos:
Ausi omnes immane nefas, ausoque potiti.
Non, mihi si linguae centum sint oraque centum,
Ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas,
Omnia poenarum percurrere nomina possim.
Haec ubi dicta dedit Phoebi longaeva sacerdos:
Sed iam age, carpe viam et susceptum perfice munus;
Acceleremus, ait. Cyclopum educta caminis
Moenia conspicio atque adverso fornice portas,
Haec ubi nos praecepta iubent deponere dona.

cantur, habent tamen specialitatem. Nam Lasthenes Olynthum Philippo vendidit, Curio Caesari .. Romam. De quo Lucanus 4, 820 *Gallorum captus spoliis et Caesaris auro.* 825 *Emere omnes, hic vendidit urbem.*" S. Augusto, patet, ea, si ita intellexit, non admodum potuisse placere. Alii haec ex versibus Varii, qui ad v. 622 afferentur, docent referri ad Antonium, quod si facimus, dominum potentem non possumus intelligere alium, quam eundem illum C. Iulium Caesarem, patrem Augusti. — Non retulit poeta singula scelera ad certos aliquos homines, sui aequales; neque Romanum aliquem Tartarum sed communem finxit. Neque tamen vitavit sed studuit narrare scelera Romanorum, nec potuit certos homines non cogitare. Atque ipse Augustus debebat concedere, sceleratorum omnium sceleratissimum esse eum, qui pecuniae ductus cupiditate perderet patriam. Neque Curio aut Antonius soli erant, qui id fecerant, sed multi alii, neque enim vendunt tantum, qui antea mercedem praeripiunt, sed etiam illi, qui in spem praemii turbas movent. Cf. G. 2, 505. — Ad verba cf. Sall. Cat. 51 *Lacedaemonii devictis Atheniensibus triginta viros imposuere.*

622. *Figere leges* recte dicitur; figebantur enim loco publico, in quo quamdiu erant, valebant; quare si quis tabulam refixit, legem ipsam sustulit. Furtim aliam in eius locum reponere lege cautum erat. cf. Ov. Met. 1, 91 *nec verba minacia fixo aere legebantur.* Cic. 12 Phil. 5, 12 *Num figentur rursus eae tabulae, quas vos decretis vestris refixistis.* 13 Phil. 3, 5 *Acta Antonii rescidistis, leges refixistis.* Sunt praetores, qui leges dant et mutant pecunia adducti. Simili modo L. Varius ap. Macrob. 6, 1 *Vendidit hic Latium populis, agrosque Quiritum Eripuit, fixit leges pretio atque refixit*, a quo signari Antonium persuasum habet, qui de Vario scripsit Weichertus.

624. Iam omnia omnium scelera hoc versu comprehendit. — *Auso potiti* dixit etiam Ov. M. 11, 242. Cf. 12, 351.

625. Haec dicendi formula, qua magnum aliquid esse et immane volunt significare, iam est apud Homerum Il. 2, 488. Notandum progressione geometrica plures linguas a poetis exoptari; Homerus decem, Hostius, qui ante Virgilium bellum Istricum scripsit et Vgl. Ov. Met. 8, 532, Sil. 4, 52, centum; Valerius Fl. 6, 37 mille desiderat. Videsque Latinos poetas potiores esse in quantitate signanda, inde recurrunt adiectiva *ingens, immanis;* Graeci in qualitate. Quo ex genere libentius eligas adiectiva, ipse apud te expende.

626. *comprendere.* Cf. Sen. Ep. 122 *Varia sunt et innumerabiles habent facies; comprehendi eorum genera non possunt.*

628—636. Ramum donat Aeneas Proserpinae.

629. *Perfice munus:* dona ramum Proserpinae.

630. Moenia sunt Plutonis regiae, ea sunt educta Cyclopum caminis ut ap. Claud. RP. 3, 118. Sic Hor. C. 3, 3, 65 *Ter si resurgat murus aeneus.* 3, 16, 1 *Inclusam Danaen turris aenea. iugum aeneum* 3, 9, 18 Sic *turris ferrea* v. 554 et *somnus ferreus* X, 745. Et ferro et aere significatur firmitas. Cf. 552.

631. *adverso fornice portas.* In eo fornice, qui maxime nunc est nobis adversus, oppositus, cf. 1, 420, porta est, ad quam ramus est deponendus. Fornix est arcus; hinc maxime arcus triumphales fornices dicuntur. Ita *fornix Fabianus* Cic. 1 Verr. 7, 19. „Democritus invenisse dicitur fornicem ut lapidum curvatura paulatim inclinatorum medio saxo alligaretur." Sen. Ep. 90.

632 Versus a Servio non explicatur. Eiecit *Pl.*, alii. Tamen eo opus est. Apertius enim, quam verbis *perfice munus* factum est, indicandus erat locus, quo

Dixerat, et pariter gressi per opaca viarum
Corripiunt spatium medium foribusque propinquant.
Occupat Aeneas aditum corpusque recenti
Spargit aqua ramumque adverso in limine figit.
His demum exactis, perfecto munere divae,
Devenere locos laetos et amoena virecta
Fortunatorum nemorum sedesque beatas.
Largior hic campos aether et lumine vestit
Purpureo, solemque suum, sua sidera norunt.
Pars in gramineis exercent membra palaestris,
Contendunt ludo et fulva luctantur arena;
Pars pedibus plaudunt choreas et carmina dicunt;
Nec non Threicius longa cum veste sacerdos
Obloquitur numeris septem discrimina vocum;

ramus deponeretur. — Praecepta autem non sunt Sibyllae, ut illi volunt, qui eiecere, sed deorum, quorum interpres est Sibylla.

633. *opaca viarum* cf. 1, 422.

634. *corripiunt* cf. 1, 418.

636. Aqua spargitur, ut omnes qui templum aliquod adituri erant. Ubi autem Elysium aditurus est, opus est lustratione. — *recenti aqua*, *frisches Wasser*, cf. 2, 719. Aqua igitur lustralis fuit in porta; ramo ipso se adspergit, deinde eum deponit.

637—678. Elysium.

Cf. Hom. Od. 4, 563. Pind. Ol. 2, 61. Tib. 1, 3. Val. 1, 844. Claud. R. P. 2, 277.

637. *his exactis* cf v. 236. *Demum* significat magnum laborem, quo ad eum locum erat perveniendum. — *munere divae* cf. ad 2, 31. *Pl.* pro *perfecto* coni. *perlato.*

638. *Vireta* formatum a Virgilio ad normam *olivetum*, *vinetum*, in eo singulare, quod a verbo deducitur, non a plantae nomine. FM. dant *virecta*, quasi deducatur a voce *virex* ut *carectum* a *carex*, quod recepi, et quod apud alios scriptores sic dicitur legi, et quod sic esset ad regulam formatum.

639. Fortunata nemora, sedes beatae quomodo dicantur cf. 1, 355.

640. Iungas: *et largior hic aether campos vestit lumine* cf. Lucr. 2, 147 *quam subito soleat Sol ortus tempore tali Convestire sua perfundens omnia luce.*

641. *purpureo:* Purpureus est splendens saepius, velut si nix et olor ita dicitur; hic tamen vel colorem proprium possis intelligere. cf. 1, 590 *lumenque iuventae purpureum.* *Purpureum* lumen explicare *obscurum* vetat iam locus, quod de Elysio sermo est, non de Tartaro — *suum, sua sidera.* Alii poetae solem post occasum Inferis lucentem faciunt t proprium solem Virgilius attribuit, scilice; ampliorem et lucidiorem, ita Claud. de RP. 2, 282 *Sunt altera nobis sidera, sunt orbes alii lumenque videbis purius.* Aristoph. Ran. 155 ὄψει δὲ φῶς κάλλιστον ὥσπερ ἐνθάδε. — *Norunt*, quod vident et habent, ut supra dixit *velamina nota* eius qui habet.

642. Virgilius rem ut debuit et fecit Pindarus l. l. ad heroicorum temporum opiniones conformavit.

643. *ludo* „non odio.“ S.

644. *pars pedibus plaudunt chorĕas* cf. v. 520. Cf. Hom. Od. 8, 264 πέπληγον δὲ χορὸν θεῖον ποσίν. Accusativus omnino effectum signat: ex pedum plausu fiunt choreae cf. Gr. § 294, 6. *saltare Cyclopa*, *Ledam*, et *saltare* fit transitivum. Idem apud Inferos fieri narrat Aristoph. l. l. — *carmina dicunt.* Cantum et saltationem iungebant Graeci, ubique tamen in honorem deorum.

645. *Threicius sacerdos* Orpheus. „Orpheus Calliopes Musae et Oeagri fluminis filius fuit. Sacerdos autem, quia et Theologus fuit et Orgia (cf. 4, 303) primus instituit. Ipse etiam homines e feris et duris composuit. Unde dicitur arbores et saxa movisse.“ S. Adde Hor. AP. 391. *longa cum veste.* Longa vestis et tardus incessus habet aliquid maiestatis; itaque sacerdotes et vates longa utebantur veste, etiam apud Graecos ῥαψῳδοί et κιθαρῳδοί in Apollinis honorem.

646. *Obloqui*, accinere, *accompagniren;* ita Ov. Pont. 3, 1, 21 *Non avis obloquitur.* Nam *loqui* et *dicere* saepe pro *canere* dicebant antiqui, quod minus canebant sed magis carmina recitabant,

Iamque eadem digitis, iam pectine pulsat eburno.
Hic genus antiquum Teucri, pulcherrima proles,
Magnanimi heroes, nati melioribus annis,
Ilusque, Assaracusque, et Troiae Dardanus auctor.
Arma procul currusque virum miratur inanes.
Stant terra defixae hastāe, passimque soluti
Per campos pascuntur equi. Quae gratia currum
Armorumque fuit vivis, quae cura nitentes
Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.
Conspicit, ecce, alios dextra laevaque per herbam
Vescentes, laetumque choro Paeana canentes
Inter odoratum lauri nemus, unde superne
Plurimus Eridani per silvam volvitur amnis.

ut musici hoc verbo utuntur; inde etiam ad fides transtulere, ut Tib. 3, 4, 41 *postquam fuerant digiti cum voce locuti.* Obloquitur autem *septem discrimina vocum;* lyram enim habet septem fidibus instructam, ἑπτάχορδον; et obloquitur numeris canentium et saltantium. — *Vox* de sono quovis rei inanimae dicitur, cf. 3, 669; multo magis de sono lyrae quae ut modo vidimus vel *loqui* dicitur. In illa *ob* praepositione accomodandi inesse signum ex verbo *obedire* alicui *obtemperare, obsecundare* al. apparet. — Pro diversis canentium numeris diversos elicit sonos.

647. *Eadem* explicatur ex duplici *iam*, quo diversa eidem rei fieri indicatur; modo molliorem ex chordis eisdem elicit sonum, modo fortiorem (piano, forte). — Coniecit Marklandus Anglus, vir summi acuminis, *iamque fidem;* quam Heynius dicit emendationem elegantissimam, „quam et ipse a poeta profectam esse malim.“ Sed ut vidimus, non opus est coniectura.

648. *genus antiquum.* Sunt illi ex illis antiquis temporibus, quibus magis homines aequum rectumque colebant. Est enim ab antiquissimis temporibus tradita et per omne tempus vulgata opinio, qua homines eos, qui priores vixerunt, multum praestitisse putant iustitia, aequitate, religione. Sic illi Troiani nati sunt melioribus annis, quibus quum omnes homines pii essent in deos, facile poterant ad eam pervenire castitatem, ut Elysio digni haberentur. Cf. Cic. Off. 2, 22, 76 *Laus abstinentiae non hominis est solum, sed etiam temporum illorum*

649. Cf. Cat. 61, 22 *O nimis optato saeclorum tempore nati heroes, salvete, deum genus.*

650. Cf. Hom. Il. 20, 216—240, qui enarrat totam Dardani stirpem. Quo ex loco etiam intelliges, cur hos potissimum nominaverit.

651. *Miratur* quod etiam inferis arma sunt et currus. — *currus inanes.* Apud inferos non homines sunt, sed simulacra modo hominum; non insunt in Orco corpora. Idem constat ex v. 292. 700, et umbrae dicuntur ap. Ov. F. 2, 554 *vulgus inane*, et imago inanis umbra est F. 5, 463; inde sunt *regna inania Ditis* M. 4, 509, resque quas habent, eadem sunt natura. Attamen hoc loco inanes explicare currus eos, quibus non insint heroes, malim propterea, quod non video, cur illam inanitatem Orcinam in curribus maxime notaverit poeta, quae inest rebus omnibus. Eo autem tempore, quo advenit Aeneas, choreas agunt, itaque non vehuntur curribus, quos reliquerunt.

653. *campum* FM. — *campos* P. ut *Hn.*, in R., ut *Rb.* testatur. *currum* F1.MP2Rγ1bc *curruum* F2P1γ2 Utrumque eodem redit, sive contrahis litteris sive voce.

654. *nitentes*, non niveos, sed splendentes, quales esse solent equi bene curati, cf. 3, 20. Pl. Ep. 2, 17 *Multa ibi equorum boumque armenta, quae . . . herbis et tepore verno nitescant.* — *cura* c. inf. 5, 638.

655. *repostos* cf. v. 59.

656. His verbis describit otia castrensia. Paean parta canitur victoria, et laurus est signum victoriae.

657. *Vesci* dicitur 8, 182 in re sacra, et dicitur in epulis.

659. *plurimus amnis,* maximus. Confunditur enim numeri et magnitudinis notio. Sic dicitur *plurimus mons* 1, 419, *plurima turba* 6, 667, *plurima cervix* G. 3, 52, *Iuppiter laeto descendet plurimus imbri* E. 7, 60. Sic *plurimum nemus* Hor. C. 4, 2, 30, *plurima silva* Ov. M. 14, 361, *medio quum plurimus orbe Sol erat* 14, 53: *wenn die meiste Sonne ist.* Nec minus ita usurpatur

Hic manus ob patriam pugnando volnera passi,
Quique sacerdotes casti, dum vita manebat,
Quique pii vates et Phoebo digna locuti,
Inventas aut qui vitam excoluere per artes,
Quique sui memores aliquos fecere merendo:
Omnibus his nivea cinguntur tempora vitta.
Quos circumfusos sic est adfata Sibylla,
Musaeum ante omnes, medium nam plurima turba
Hunc habet, atque humeris exstantem suspicit altis:
Dicite, felices animae, tuque, optime vates:
Quae regio Anchisen, quis habet locus? illius ergo
Venimus et magnos Erebi tranavimus amnes,
Atque huic responsum paucis ita reddidit heros:
Nulli certa domus; lucis habitamus opacis,
Riparumque toros et prata recentia rivis

positivus ut 3, 372. — *amnis Eridani* cf. 5 52. Eridanus fabulosus erat amnis Hesperiae, quem postea Padum esse putabant Graeci, alii etiam Eridanum fluvium esse septentrionalem et per Rhodanum et Padum effluere fabulabantur. Eridani in Argonauticis saepissime facta esse videtur mentio. Etiam ad Inferos descendere dictus est. Cf. Voss ad G. 1, 482.

660. Idem fere versus 7, 182. — *pugnando* cf. 2, 6. *manus passi* cf. 5, 105

661. *Casti*, pii in deos, sancti, qui abstinent a quovis piaculo. A corporis munditie vocabulum translatum est ad animum. Cf. Cic. Legg. 2, 10, 24 „Caste iubet lex adire ad deos; animo videlicet, in quo sunt omnia. Nec tollit castimoniam corporis; sed hoc oportet intelligi: quum multum animus corpori praestet, observeturque, ut casta corpora adhibeantur, multo esse in animis id servandum magis.“ Castitas autem cuivis flagitio opponitur. Sic Cic. pr. RC. 7, 21 opponitur castus periuro. Castus dicitur Aeneas v. 563 et Hor. C. S. 42; casta Sibylla 5, 735. Casti sacerdotes saepe dicuntur ut Ov. F. 1, 587, qui non abutuntur in suum commodum sacerdotio.

662. *Pii vates* sunt „veridici, qui talia loquebantur, qualia decebant Apollinem.“ S. Sunt autem poetae, qui digna loquuntur Apolline, non qui vaticinantur, nec qui Apollinis celebrant laudes, sed qui sentiunt poesis dignitatem, neque eam humilium artium nec blanditiarum aut libidinum esse sinunt ministram.

663. „Qui erudiverunt et ornaverunt vitam per inventa artificia, significat autem Philosophos.“ S. Cf. Sen. Ep. 14 *qui e republica exclusi secesserunt ad colendam vitam et humano generi iura condenda.* Cons. ad Marciam 18 *Disces docebisque artes, alias, quae vitam instruant, alias, quae ornent, alias, quae regant.*

664. *aliquos* MPRγb1c1. rec *Rb. aliquos* F sed expuncto *qu*. „Et qui *aliquos* sui memores fecere praestando“ S. — *alios* b2c2. *Hn. Wg. Ld.* Idque praestare videtur ex sententia, sed obstat auctoritas librorum. *populos* coni. *Pl. Salios E. Hoffmann.* Ac quaeritur an voluerit Vgl. indicare hominem in Elysium recipi, qui modo *aliquos* auxerit beneficiis. Quae doctrima et digna Virgilio est et aptissima illius temporis hominibus, qui sibi omnia quaerebant, et apta huic loco: neque enim omnes bello clari esse possunt nec ingenii excellere acumine; benevolentia in homines affecti possunt esse omnes. Recordamur hoc loco Ciceronis illud: „Nulla re homines ad deos propius accedunt, quam salutem hominibus dando;“ et Strab. 10, 3, 9 p. 467 *εὖ εἴρηται τοῦτο, ἀνθρώπους τότε μάλιστα μιμεῖσθαι τοὺς θεοὺς, ὅταν εὐεργετῶσιν.*

665. Cinguntur, quasi essent sacerdotes, sanctitatis signum cf. 2, 133.

667. *Musaeus* vates praeter Orpheum clarissimus heroicae aetatis. — *medium habet* i. e. circumdat.

668. *suspicit*, adspicit versis in superius oculis; ita 1, 438. Inter omnes enim Musaeus eminet. Hoc loco putat Servius a poeta significari Platonem, „qui ab humerorum dictus est latitudine“.

669. *optime*: Est captatio benevolentiae quam dicunt. — Sibylla, quae omnia quae sunt in Orco scit, in Elysio interrogat, quod iam a numine suo deseritur; ita Danten relinquit Virgilius, ubi purgatorium permeavere.

674. *riparumque toros.* Tori sunt, quos formant et habent ripae cf. 177. Tori autem

Incolimus. Sed vos, si fert ita corde voluntas,
Hoc superate iugum, et facili iam tramite sistam.
Dixit, et ante tulit gressum, camposque nitentes
Desuper ostentat; dehinc summa cacumina linquunt.
At pater Anchises penitus convalle virenti
Inclusas animas superumque ad lumen ituras
Lustrabat studio recolens, omnemque suorum
Forte recensebat numerum, carosque nepotes
Fataque fortunasque virum moresque manusque.
Isque ubi tendentem adversum per gramina vidit
Aenean, alacris palmas utrasque tetendit,
Effusaeque genis lacrimae et vox excidit ore:
Venisti tandem, tuaque exspectata parenti
Vicit iter durum pietas? datur ora tueri,
Nate, tua et notas audire et reddere voces?
Sic equidem ducebam animo rebarque futurum,
Tempora dinumerans; nec me mea cura fefellit.
Quas ego te terras et quanta per aequora vectum

hi sunt graminei ut Ov. M. 10, 556 *datque torum caespes.* Fast. 1, 402 *Gramine vestitis accubuere toris.* Ita 5, 388 *ut viridante toro consederat herbae.* — *recentia rivis*, viridantia propter aquas. Sic *frisches Grün.*

676. *superate*, adscendite. cf. 2, 303. Claud. III cons. Hon. 46 *adscensu vincere montes, planitiem cursu.* — *superate et sistam:* Si superaveritis iugum, monstrabo vobis facilem tramitem Ecl. 3, 104 *Dic, quibus in terris, et eris mihi magnus Apollo.* — *iam* cf. 11, 708.

677. Vides eos, qui sunt in Elysio, benignos esse et comes, neque ullo teri labore, ac scire, ubi sint alii.

678. *linquunt* „non *linquit*. Hoc enim dicit: Aeneas et Sibylla perducti ad summum in plana descendunt.“ S.

679 — 702. Aeneas pervenit ad patrem.

679. Eo ipso tempore congreditur Aeneas cum patre, quo is Romanos lustrat.

680. *Superum lumen* in terra est cf. 481. — *Ituras animas* bis omnino legitur ap. Vgl., cf. 758. Utroque loco *animas ituras* ita explicare licet, quas ire fata iubent; id videtur probabile, et ita Sallustius dixit Iug. 14 *quoniam eo miseriarum venturus eram.* Hor. C. I, 28, 6 *nec quidquam tibi prodest . . . morituro* i. e. cui moriendum est. Nihilominus tamen explica: qui in animo habent ire, nam 719 sq. Aeneas dicit, quae dicere non potuisset, si illo modo *ituras* intellexisset.

681. *Lustrabat* oculis *studio* i. e. studiose cf. 4, 641; *recolens* id est animo expendens cf. Cic. Phil. 13, 20. 45 *quae si tecum ipse recolis*, si tecum reputas.

683. *Fataque* etc.; „felicitas enim aut fatalis est, aut fortuita, aut ex virtute descendit.“ S. Fata bene *Ld.* explicat *Lebensaufgaben*, fortunae *Wechselfälle des Lebens*, manus *Thaten*. *Pl.* coni. *animosque* pro *manusque*.

684. *gramina.* Vides quae ad 5, 102 notata sunt, non ita esse accipienda, quasi legem aliquam praescribant; docent modo morem.

685. *alacris:* „ipse alacris.“ S. Est masculinum cf. 5, 380. *Alacris* cum v. *palmas* iungere minus venustum alio iam addito adiectivo. — *palmas utrasque:* De hoc plurali cf. 5, 233. — De repetito *tendentem* — *tetendit* cf. 901. *Pl.* coni. *palmas et brachia pandit* aut *isque ubi nitentem.*

686. Summum patris filium revisentis pingitur gaudium, quod nisi quando videris, non satis poteris poetae artem mirari.

687. *exspectata* FMR explicatur v. 690. — Pietas, qualem te habere exspectaveram, quam tantam fore exspectaveram, ut etiam durum iter vinceres, iam vicit iter.

688. *Iter vincitur*, quum labor et pericula, quae sunt in via, superantur. — *parenti*, mihi cf. 2, 79.

689. *notas a. e. r. v.* „familiariter loqui.“ S. cf. 499

691. *Dinumerare* est cum cura et diligentia numerare, sic *dinumerare noctes* Ov. M. 11, 574. *stellas* Cic Off. 1, 43.

692 *terras, per aequora:* Ubi prae-

Accipio! quantis iactatum, nate, periclis!
Quam metui, ne quid Libyae tibi regna nocerent!
Ille autem: Tua me, genitor, tua tristis imago
Saepius occurrens haec limina tendere adegit;
Stant sale Tyrrheno classes. Da iungere dextram,
Da, genitor; teque amplexu ne subtrahe nostro.
Sic memorans largo fletu simul ora rigabat.
Ter conatus ibi collo dare brachia circum.
Ter frustra comprensa manus effugit imago,
Par levibus ventis, volucrique simillima somno
    Interea videt Aeneas in valle reducta
Seclusum nemus et virgulta sonantia silvae
Lethaeumque, domos placidas qui praenatat, amnem.
Hunc circum innumerae gentes populique volabant;
Ac veluti in pratis ubi apes aestate serena

positio eadem ad duo pertinet substantiva, solet bis poni, aut ad prius posita ad alterum suppleri. Poetae autem nonnunquam non ad prius. sed ad posterius apponunt vocabulum. Cf. 416. 2, 654. 5, 512. 7, 59. Hor. C. 3, 25, 2 *quae nemora aut quos agor in specus.* Ep. 2, 1, 25 *foedera regum vel Gabiis vel cum rigidis aequata Sabinis.* Ex Ovidii carminibus exempla attulit Bach in Ind. ut M. 7, 708 *Pectore Procris erat, Procris mihi semper in ore.*

693. *accipio*, cf. 2, 65. Praestat tamen *accipere* habere sua vi.

694. *Quam*, quantopere, i. e. etiam cum verbis iungitur, quae gradum aliquem significant cf. Gr. § 476. Cf. 436. 11, 179. et ap. Cic. Fin. 5, 22, 61 *quam cupiunt laudari?* Fam. 7, 5 *vide quam mihi persuaserim, te esse me alterum.* — *Libyae regna.* Ne a Didone retentus aut mali aliquid passus Italiae regnum omitteres, metui.

696. *saepius* cf. 4, 351. 5, 731. — *Adegit* c. infinitivo: Secutus est Tac. A. 12, 4 *adactus Silanus eiurare magistratum*, alibi. cf. *subigere* 2, 33.

697. *stant.* „Affectionis est filii, etiam ea indicare, de quibus non interrogatur.“ S. — *da iungere* cf. 1, 66.

698. *amplexu*, dativus 3, 541.

700. Versus 700—702 lecti iam sunt 2, 792—94. Hoc loco minus sunt apti, quum filii amplexum vitasse commemorent Anchisen, qui statim post cum eo colloquatur. Idem tamen fit ap. Hom. Od. 11. 205 et 210 ubi Ulixes cum matre collocutus eam amplecti tentat, quod quum frustra tentasset, pergit colloquendo. Deinde si v. eiiciuntur, aliud quid inferendum est, ut quae sequuntur, adhaereant. Versus 702 non est in P, est in FGMR, del. *Rb.* Alii delent tres versus. Tamen retineo. quod tibicines adiectos puto. Maximum autem improbandi est argumentum illud, quod iam v. 685 Anchises amplexus petiit filii, nunc petit frustra filius. Etiam per *interea* nimis rapidus est transitus.

703 — 723. Aeneas conspicit animas Romanorum suorum.

703, *Vallis reducta* ut 8, 609. Hor. C. 1, 17, 17. Ep. 2, 11 est ea pars vallis, quae est reducta, in se recurrens, clausa, recedens, „secreta“ S. ut 1, 161. G. 4, 420 *sinus reducti.*

704. *silvae* S. et M1GPRb *silvis* M2Fγc. Molestum hoc, nec explicatur illo 3, 442 *Averna sonantia silvis*, nec iis, quae leguntur 12, 522 *virgulta sonantia lauro*; nam et *lauro* et *silvis* additur aliquid ad sententiam; quod h. l. non fit. — *silva* coniecit *Wg.* sed iam recepit *silvis* et utrumque significare voluit densitatem, quam ut concedamus fuisse significationem, vix tamen eam post *nemus* et *virgulta* in v. *silva* quisquam exspectabit; neque quomodo virgulta, in quibus innumerabiles animae conspiciantur, dicantur densissima, satis intelligitur. Ut hoc loco *nemus* et *virgulta silvae*, sic 7, 677 *silva* et *virgulta* iunguntur.

705. *Praenatat* „praeterfluit, nam non natant aquae, sed nos in ipsis natamus. Ennium igitur secutus est, qui ait: *fluctusque natantes.*“ S. Cf. Ov. F. 4, 292 *Tiberinus campo liberiore natat.* — *Praenatat* novum verbum, constructum cum acc. ut *praefluo* minus illud poeticum ap. Hor. C. 4, 3, 10. 14, 26. — *domos placidas* „campos Elysios.“ S.

706. *gentes populique* cf. 10, 202.

707. Cum hac apum comparatione confer 1, 430 et Hom. Il. 2, 87. — *ac ve-*

Floribus insidunt variis, et candida circum
Lilia funduntur, strepit omnis murmure campus.
Horrescit visu subito, caussasque requirit
Inscius Aeneas, quae sint ea flumina porro,
Quive viri tanto complerint agmine ripas.
Tum pater Anchises: Animae, quibus altera fato
Corpora debentur, Lethaei ad fluminis undam
Securos latices et longa oblivia potant.
Has equidem memorare tibi atque ostendere coram,
Iampridem hanc prolem cupio enumerare meorum,
Quo magis Italia mecum laetere reperta.
O pater, anne aliquas ad caelum hinc ire putandum est
Sublimes animas, iterumque ad tarda reverti

luti cf. 4, 402. — *aestate serena*, nam si imber ingruit, domum apes fugiunt.

708. *insidunt c. dat.* cf. 1, 719.

709. *strepit murmure campus.* Iam ad 1, 498 dictum est, res quae inter se comparentur, non semper comparari per partes singulas. Neque tamen absonum est hoc loco accipere, ad aures Aeneae longe remoti ex illa tanta animarum multitudine sonum pervenisse susurro non admodum dissimilem. — In multitudine signanda hoc loco hilariore et gratiore utitur imagine quam qua usus est in Stygis transitu cf. v. 309., utraque autem apta ad sententiam.

713. *animae etc.* „Sciendum, non omnes animas ad corpora reverti." S. Id inest verbis poetae, quamquam quae addit Servius et ipsa ex Virgilii mente hausta esse non potest demonstrari. Sunt autem haec: „Aliquae enim propter vitae merita non redeunt; aliquae redeunt propter malam vitam, aliquae propter fati necessitatem." S.

715. *Securi latices* sunt, „qui securos faciunt." S. Sic Ov. Pont. 2, 4. 23 *securae pocula Lethes.* — Adiectiva enim multa simul et activa et passiva sunt cf. Gell. 9, 12 et Gr. § 370. Sic securus est et qui sine cura est, et qui curam pellit. Sic *gnarus*, *ignarus*, *incautus*, *incertus* activa dicuntur esse et eum qui sciat vel nesciat significare. Sed *ignarus* passive, qui ignoratur 10, 706, sic *gnarus*, *incautus*, *nescius*, *incertus* apud bonos scriptores passiva sunt. Sic *certus* est et qui certo scit aut propositum habet, et qui certo scitur, et qui certo dirigitur cf. *certa sagitta*, *certus iter tenebat. Tacitus*, qui tacetur est v. 842, quum tacentem alias signet. Contra *falsus*, *ignotus* etiam activa sunt, *falsus* Ov. M. 10, 19. Her. 6, 63. *ignotus* Cic. Fam. 5, 12. — Sic ambiguae sunt significationis *innocuus* (qui est et qui non nocet 7, 229 et cui non nocetur 10, 302); et adiectiva in *osus*, quae a substantivis deduci videntur verbalibus, ut *formidolosus* et timidus est Ter. Eun. 4, 6, 19. Tac. A. 1, 62 et timendus Cic. Man. 21. Sall. Iug. 7. *luctuosus* cf. Bentl. Hor. C. 3, 8, 19. et luctum afferens et habens. Sic *horridus*, qui horrorem movet 4, 377. — Et adiectiva verbalia in *ilis* et *bilis* passiva sunt, nonnunquam etiam activa; sic ap. Ov. est 7, 166 *scutum nullo penetrabile telo* et 12, 857 *fulmen penetrabile*, quod potest penetrare; *felix* cf. 1, 330. Ita *caecus* est, et qui non cernit, et qui non cernitur, et qui caecum facit. Alius adiectivorum usus 1, 202. — *oblivia:* Haec forma novata videtur esse a Virgilio; secuti sunt Ov. Hor. Val. Sil. Tacitus fecit *oblivium.* Sic *contagia* est E. 1, 51 et Hor. Ep. 1. 12, 14.

716. Hunc v. del. *Rb.* et addit „Versum 716, quem non interpretatur S., poeta primo conamine in schedas effusum postea in eius vicem v. 717 elaborato omitti voluerat, sed relictum in textu delere religioni habuerunt amici". *Iampridem ac prolem* coni. *Hn.* Sed frustra haec. *Iampridem* cum *cupio* iungendum, a quo pendet *ostendere* et *enumerare.* Nec male censet *Wg. iampridem* bis esse intelligendum, et similiter posita esse *semper* G. 1, 248 Tib. 3. 6, 2. et *sola* 11, 504.

719. *Ire sublimes* est ita ire, ut sublimes evadant, in locum perveniant altiorem cf. 4, 22. — *putandum est:* Gerundium cum accusativo antiquius dicendi genus, quod remotum est concinniore Gerundivo cf. ad 11, 230. — *Ad caelum* cf. 761. — Num licet putari homines vitae miseriis perfunctos in vitam velle redire?

720. *Tarda* recte corpora, si comparantur cum animarum agilitate et veloci-

Corpora? quae lucis miseris tam dira cupido?
Dicam equidem, nec te suspensum, nate, tenebo,
Suscipit Anchises atque ordine singula pandit.
Principio caelum ac terram camposque liquentes
Lucentemque globum Lunae Titaniaque astra
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem et magno se corpore miscet.
Inde hominum pecudumque genus vitaeque volantum
Et quae marmoreo fert monstra sub aequore pontus.
Igneus est ollis vigor et caelestis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant
Terrenique hebetant artus moribundaque membra.
Hinc metuunt cupiuntque, dolent gaudentque, neque auras
Dispiciunt, clausae tenebris et carcere caeco.

tate, qua utuntur in Elysio; si v. 731 respicis, malis fortasse tardus activum esse et significare *retardans*.

721. *miseris*, ut quibus vitae mala immineant. Recte ea tribuit poeta Aeneae, homini, qui magnas multasque miserias tulit, iisque adhuc immersus est.

722. *suspensum* cf. 2, 114.

723. *Suscipit*, respondet; rarum id quidem affertur ex Varrone et Appuleio; unde apparet antiquam esse loquendi formulam. — *ordine*, iusta ratione et modo. „Suscepta narratione haec Anchises exsequitur, primo debere fieri, ut redeant, deinde posse, deinde velle." S.

724 — 751. Anchises de rerum natura exponit.

724. *Principio* „i. e. ut ab hoc ordiar, sumam principium. C. Fin 1, 6 *Principio in physicis Epicurus totus est alienus*" *Wg.* Tamen etiam ap. Cic. *principio* velim accipere: ut quod summum est, primum dicam. Ad sententiam cf. G. 4, 221 Caelum, terram, aquam, lunam, solem spiritus alit. Simili ratione iunxit Cicero RA. 26 *cui caelum, solem, aquam terram ademerint: Luft, Feuer, Wasser, Erde.* — *terram* PRγF1. — *terras* GMF2c. ex loco Georgicorum. — *camposque liquentes.* Ita *campi natantes* G. 3, 198. Lucr. 5, 489. *campi caeruli* Plaut. Trin. 4, 1, 15. Item *campi salis* 10, 214. *aquae* Ov. M. 1, 41 *aquarum* 1, 315. 11, 356.

725. *globum.* Poeta, quum hoc loco res quales sint exponat, ut solent physici, non potest *currus*, *bigas Lunae*, talia inferre. — *Titaniaque astra* Solem significant; Titan enim apud poetas Sol est. cf. 4, 119. Ov. M. 1. 10. Tib. 4, 1, 51. 113. 157. Sil. 12, 647. *Astra* autem de una stella non minus recte dici demonstratur 3, 599. — Offensi tamen sunt plures, quod in omnium rerum enumeratione omisit *stellas.* Inde coniecit Trappius *Titanaque et astra; Pl. Lucentemque globum, Lunamque, micantiaque astra* ex loco Ambrosii: „Gentiles homines, quod caelum ac terras, lunae quoque stellarumque micantium globos spiritus intus alat, suis versibus indiderunt." At pingue est, solem dicere *lucentem globum*, neque aliud quid addere ad eum significandum.

727. Itaque est mens divina et moles, materies, hanc penetrat mens, atque inde oriuntur animalia, quibus inest divinum aliquid, sed obscuratum corpore sive materia. Quo maior est materia, eo maiores sunt cupiditates. Sed quando anima morte reliquit corpus, nondum omni caret corporis labe, sed infecta etiam tum, longo tandem tempore et multis purgationibus pura et divina mens restituitur.

729. *marmoreo sub aequore:* Splendet ut marmor. Sic Vgl. dixit *marmor* aequor maris 7, 28. G. 1. 254. ut iam ante Vgl. Ennius ap. Gell. 2, 26. Cat. 63, 88.

730. Cf. Sen. Cons. ad Helv. 6 *Animum humanum ex iisdem, quibus divina constant, compositum seminibus.*

731 *noxia corpora.* FMRbc — *corpora noxia* Pγ rec. *Rb. Pl.* coni: *Noxia s. q. n. c. t.* Noxia sunt, quae nocent animis.

734. *dispiciunt* γ — *despiciunt* FMPR *respiciunt*, *suspiciunt*, *prospiciunt* al. cf. (Cic.) p. red. in Sen. 3. *ex superioris anni caligine et tenebris lucem in republica dispicere coepistis.* Tusc. 1, 19 *tum etiam, quum has terras incolentes circumfusi erant caligine, tamen acie mentis dispicere cupiebant.* Div. 2, 39 *Quid mirum. si ... verum dispicere non possint.* — *Clausae* sc. animae, quod est ex versu 720 repetendum; iam enim respondet ad

Quin et supremo quum lumine vita reliquit,
Non tamen omne malum miseris nec funditus omnes
Corporeae excedunt pestes, penitusque necesse est
Multa diu concreta modis inolescere miris.
Ergo exercentur poenis veterumque malorum
Supplicia expendunt. Aliae panduntur inanes
Suspensae ad ventos; aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus aut exuritur igni.
Quisque suos patimur Manes; [exinde per amplum
Mittimur Elysium, et pauci laeta arva tenemus:]
Donec longa dies, perfecto temporis orbe,
Concretam exemit labem purumque relinquit
Aetherium sensum, atque aurai simplicis ignem.

Aeneae quaestionem. — *tenebris*, quas materia nobis obstruit; *carcer* corpus est; *caecus*, caecum reddens cf. v. 715. Cic. Rep. 4, 14 *qui e corporum vinculis tamquam e carcere evolaverunt;* totumque illum librum cum hoc loco recte comparabis.

735. *vita reliquit:* Omissum est obiectum, quod facile supplebis cf. 2, 492.

736. *miseris*, qui vel e corpore egressi nondum careant malis a corpore profectis.

737. *Pestes* sunt cupiditates; omne quod detrimentum affert pestis est. Cf. ad 5, 683.

738. *inolescere:* Ita 3, 47 *rei alicui increscere.* Cf. Claud. in Ruf. 2, 504 *en pectus inustae deformant maculae, vitiisque inolevit imago.* — Iunge: Necesse est multa (vitia) diu, (per tam longum vitae tempus) concreta penitus inolescere modis miris. — *modis miris:* cf. 1, 354.

739. *exercentur poenis* cf. 3, 182.

740. *Supplicium* quaevis poena gravior; hinc summum supplicium mors est, — *veterum malorum*, scelerum antea commissorum. Aut aere, aut aqua, aut igne purgari dicuntur. Servius addit haec: „In sacris Liberi omnibus tres sunt istae purgationes. Nam aut taeda purgantur et sulfure, aut aqua abluuntur, aut aere, quod erat in sacris Liberi.“ Ne his quidem in verbis sana sunt omnia, multo minus reliqua digna, quae afferantur. Neque illa Oscilla, quae fiebant feriis Latinis et die festo Erigones Athenis, populum videntur lustrasse. Certe Festus tradit aliam caussam p. 194 M., minime quidem probabilem, sed illi explicationi qua aere purgentur homines maxime adversantem. Itaque praeter illa obscura verba Servii nihil reperio in Graecorum et Romanorum moribus, quod Virgilius secutus esse videatur. *Fb. inanes* sumit esse accusativum.

742. *Infectum eluitur scelus* nascitur ex structura *inficere alicui aliquid*, quam exemplis probare non possum, sed Cicero ut h. l. scribit Att. 1, 13, 3 *Sed vereor, ne hoc quod infectum est serpat longius. Eluitur scelus* cf. Ov. M. 11, 141 *Subde caput, corpusque simul, simul elue crimen.* Sic igne lustratur Hercules 9, 262 *Quodcunque fuit populabile flammae Mulciber abstulerat.*

743. *Quisque suos patimur Manes* i. e. Quisque sua afficitur poena cf. 12, 646 et Auson. ephem. orat. v. 57 *si paenitet altaque sensus formido excruciat tormentaque sera gehennae anticipat patiturque suos mens saucia Manes;* ubi apertum est poenas intelligi et Virgilii verba repeti. — Quod autem Latini non solebant dicere *poenas pati*, quamquam dixit Ovid. Met. 1, 243, eius rei causa in propria vocis *poena* est significatione; si vero *supplicium pati* Caes. BC. 2, 30. *extrema pati* Aen. 1, 219. *piacula pati* Cic. Legg. 2, 22, 57. recte dicunt, nonne *Manes pati* ea, quam supra ostendimus significatione licuit dicere? — *per* cf. v. 203: in Elysium mittimur, per quod vagemur.

744. *Laeta arva* sunt Elysii.

745. *longa dies: Dies* saepius tempus omnino significat, ut Cic. Att. 3, 15, 2 *Dies non modo non levat luctum hunc, sed etiam auget.* Sic 5, 783. Plin. Ep. 8, 5 *longa dies* de temporis usurpatur longitudine. Hoc loco id maxime aptum, ubi mundi dies longiores illi terrestribus ex arcana antiquorum populorum religione intelliguntur. — *perfecto temporis orbe*, quantum temporis sit, docet 748.

746. *concretam labem* cf. 738. — *relinquit* FM. al. — *reliquit* al. — Recte post perfectum praesens, si rem postea factam vel consecutam significat. Cf. ad. 2, 466.

747. *Sensus aetherius*, i. e. caelestis

Has omnes, ubi mille rotam volvere per annos,
Lethaeum ad fluvium deus evocat agmine magno:
Scilicet immemores supera ut convexa revisant
Rursus et incipiant in corpora velle reverti.
Dixerat Anchises, natumque unaque Sibyllam
Conventus trahit in medios turbamque sonantem,
Et tumulum capit, unde omnes longo ordine posset

est animi, non corporis, qui est terrester. — *Aether* est aer purissimus et simplicissimus. Cf. Sil. 15, 77 *At quis aetherii servatur seminis ortus, Caeli porta patet.* — *aurai* cf. 3, 354. — *simplex* non ex aliis rebus compositum. Omne autem quod simplex esset, idem putabant veteres esse aeternum. — Iam vero secundum versus 743. 44 etiam in Elysio purgationes sunt, quod ut novum, ita mirum est visum; itaque *Rb.* versus transposuit et v. 743. 44 post v. 747 intrusit; sed tum illa verba *quisque suos patimur Manes* sane frigent et plane supervacua sunt, quum res iam sit dicta. *Wg.* *donec* explicuit per *quum tandem*, quae verbi significatio ficta modo videtur, ut locus posset explicari. *Hn.* v. 743. 44 totos ab alio illatos esse censuit eosque esse aut transponendos aut delendos. Magis placet *Pli* sententia, qui v. *exinde — tenemus* ab alio ad explendum versum putat appicta; ipsa enim quae his verbis inest sententia repugnat reliquis, ubicunque eam intruseris. Videntur a christiano aliquo facta esse, qui Matth. 20, 16 *πολλοὶ γάρ εἰσι κλητοὶ, ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοί* meminerit. Neque defenditur verbis Thielii, qui: Es ist ja gar nichts dagegen, den Aufenthalt im Elysium als einen zweiten Grad der Seelenreinigung anzusehen, um die Seele, nach Wegschaffung des gröbsten Uebels, wie durch eine Nachkur, in den ursprünglichen Zustand zu versetzen. At sive eieceris verba, sive defenderis, remanet ea difficultas sententiae, quod pauci in Elysium admittuntur, quare quum damnati in Orco delitescant, illi autem, qui in Elysio sunt, ex eo in terram redeant, iterumque omnibus vitae periculis tradantur, paulatim omnes in Tartaro intereant necesse est. Eam sententiam contenderim non esse Virgilianam.

748. *volvere rotam* cf. 745 *temporis orbem.* Rota enim eiusque motus temporis celeriter fugientis simulacrum est. Ipsi autem *volvere* tempora dicuntur, qui ea per tempora exercentur, cf. 1, 9. Ita Cic. Rep. 6, 12. *Quum aetas tua septenos octies solis anfractus reditusque converterit* cf. G. 2, 295. — *mille* ita Plato Rep. p. 615 A. Post ter mille annos Aegyptii, per quos in bestiis commoratus esset, in humanum corpus animam redire putaverunt Herod. 2, 123. Aliter alii, ut in re opinionibus obnoxia. *Pl.* pro *rotam* coni. *aevum.*

749. *Deus*, qui mundum regit, ut unius dei gubernatione mundum regi etiam Romani sumpserint, sic saepius Cicero. Mercurium *ψυχοπομπόν* noli intelligere.

750. *Supera convexa* cf. 4, 451 est caelum, quod apud inferos non vident. — *Immemores* vitae prioris et eorum quae apud inferos facta sunt.

751. *revisant rursus*, cf. Gr. § 499; abundantia saepius obvia v. 449. Sic 2, 165. 9, 797 *retro referri.* 9, 539 *retro residĕre.* 1, 61 *insuper imponere.* 10, 225 *pone sequi.* 1, 185 *a tergo sequi.* Hor. C. 4, 8, 16 *reiectae retrorsum minae.* — Sic *rursus* verbis cum *re* compositis iunctum saepius: *rursus redire* Ter. Ad. 1. 1, 46. 4, 2, 40. Flor. 1, 3, 9. 11, 14. *rursus repetere* Suet. Caes. 2. *rursus recidere* 17. *rursus recipere* Iust. 5, 4. 42, 2. *rursus revocare* Claud. in Ruf. 1, 357. *rursus resacrare* Nep. Alc. 6. Sic *rursum denuo* iunxit Plaut. Cas. prol. 33. — De loco vocis *rursus* cf. 12, 217. — *Incipiunt velle*, nondum revertuntur, sed iis exspectandum est, dum vocantur.

752 — 893. Illustres Romani recensentur.

753. *trahit* cf. 2, 58. — *turba sonans*, quaevis enim multitudo aliquo fertur strepitu cf. 709. Noli referre ad id, quod umbrae loquentes resonent triste et acutum, Hor. Serm. 1, 8, 41. *τρίζουσαι* Hom. Od. 24, 5. Neque enim tristes illae umbrae sunt.

754. *posset* MR. al. recte post praesens historicum; *possit* F. al. non minus recte dici poterat; sed standum a libris potioribus. — *longo ordine* cf. 482. „Non quo nati sunt, sed quo apud Inferos stabant. Non enim eo quo regnarunt dicturus est ordine.“ S.

Adversos legere, et venientum discere voltus.
Nunc age, Dardaniam prolem quae deinde sequatur
Gloria, qui maneant Itala de gente nepotes,
Illustres animas nostrumque in nomen ituras,
Expediam dictis, et te tua fata docebo.
Ille, vides, pura iuvenis qui nititur hasta,
Proxima sorte tenet lucis loca; primus ad auras
Aetherias Italo commixtus sanguine surget
Silvius, Albanum nomen, tua postuma proles,
Quem tibi longaevo serum Lavinia coniunx
Educet silvis regem regumque parentem,
Unde genus Longa nostrum dominabitur Alba.
Proximus ille Procas, Troianae gloria gentis,
Et Capys, et Numitor, et qui te nomine reddet
Silvius Aeneas, pariter pietate vel armis
Egregius, si unquam regnandam acceperit Albam.

756. *deinde*, nostrum *nach diesem* cf. 561. 890 alibi.

757. *Itala de gente* cf. 1, 686.

758. *ituras* cf. 680. — *in nostrum nomen* i. e. in nostram gentem. Sic Luc. 6, 375 *Venire in nomen alterius*. Tac. A. 3, 30 *in nomen adscivit*, et Plin. Ep. 8. 18 *in nomen assumpsit*, pro *adoptavit*.

759. *expediam* dictis cf. 3, 460. — *tua fata*; ipsius enim fata sunt. quae posteris eveniunt cf. 718.

760. *ille, vides, pura*. Tale *vides* enuntiato relativo saepe non iunctum sed iniectum est, ut Cir. 268 *Ille, vides, nostris qui moenibus assidet hostis.* Ov. M. 7, 756 *dat simul et iaculum. manibus quod, cernis, habemus.* Sic alacrius efferuntur verba, quam si a verbo *vides* dependerent. Cf. quae ad 780. — *pura* etc. „i. e. sine ferro. Nam hoc fuit praemium apud maiores eius. qui tunc primum vicisset in proelio, sicut ait Varro." S. Adde Suet. Claud. 28 *quem Britannico triumpho inter militares viros hasta pura donavit.* Prop. 4, 3, 68 *tua .. domitis Parthis .. pura triumphantes hasta sequatur equos.*

761. *proxima* — *loca* explicatur satis versibus sequentibus. *Lux* et *lumen* dicitur vita; ut *ad auras, ad aethera, ad caelum, sub convexa ire* est vitam ingredi.

763. Silvius Aeneae filius ex Lavinia uxore. Vgl. quum Ascanio sive Iulo. Creusae filio, satis nobiles in carmine suo partes tribuisset. quod totius carminis ratio flagitare videbatur. et ab ipso Iulo Albam conditum iri dixisset 1. 271: hoc loco ab ea narratione recessit, proximamque Aeneae posteritatem, reges Albanos, ut alii. de altero Aeneae filio deduxit. Quae ea de re diversae exstiterint narrationes, legas apud Liv. 1. 3. Atque consulto puto duas narrationes miscuit, ut in Palladio cf. 2, 164. Monendum est praeterea. quod ab omnibus paene traditur, Silvium natum esse post Aeneae mortem. Inde etiam Serv. *posthuma* explicat: „posthumus est post humationem parentis creatus." Non tamen cum eo Mss. videntur consentire, neque consentit Virgilius v. 764 et *postumus* explicat Caesellius ita: „Postuma, inquit, proles non eum significat. qui patre mortuo, sed qui postremo loco natus est" ap. Gell. 2, 16, quod caput totum legas de hoc loco scriptum. — *Albanum nomen:* nam „mansit Silvius postea omnibus cognomen qui Albae regnarunt" Liv. 1. 3. *A. n.:* „quia omnes Silvii dicti sunt." S.

764. *serum.* Cf. 8, 581. *ubi mea sola et sera volupta*, Evander dicit senex de Pallante suo.

765. *educet*, *educabit* cf. 8, 413. — *silvis:* ratio nominis explicandi. Liv. 1, 3 Silvium Aeneae dicit nepotem. — Et ipse regnabit, et ab eo multi reges originem ducent.

766. *unde*, a quo cf. 8, 71.

767. *Procas proximus.* Neque omnes neque quo vixisse dicebantur ordine, protulit, sed eos qui ex illis temporibus nomen aliquod erant adepti.

768. *Capys:* Hunc nominat Anchises, quod carum patris ipsius habebat nomen.

770. *Egregius* pari modo, sive pietatem, sive fortitudinem spectas. Noli putare cum Aenea institui comparationem. — *si unquam.* Servius ad hunc locum

Qui iuvenes! quantas ostentant, adspice, vires!
Atque umbrata gerunt civili tempora quercu.
Hi tibi Nomentum et Gabios urbemque Fidenam,
Hi Collatinas imponent montibus arces,
[Laude pudicitiae celebres, addentque superbos]
Pometios, Castrumque Inui, Bolamque, Coramque.
Haec tum nomina erunt, nunc sunt sine nomine terrae.
Quin et avo comitem sese Mavortius addet
Romulus, Assaraci quem sanguinis Ilia mater
Educet. Viden, ut geminae stant vertice cristae,

haec: „Recepit a tutore qui eius invasit imperium, quod ei vix anno quinquagesimo tertio restituit, et rem plenam historiae per transitum tetigit." S. Tale quid poeta significavit, veterum scriptorum, qui idem narraret, habemus neminem. — *Regnandam* ut *regnatus* cf. 794.

771. *iuvenes:* Nam iuvenes non sunt tenerae aetatis, sed eius qua vires robustae sunt; et iuvenis est Aeneas 8, 112.

772. *Umbratus* est poetarum. — *civili quercu.* Corona civica e fronde quernea dabatur ei, qui in proelio civem servaverat; itaque illi reges etiam in servandis suis civibus clari fuerunt et nacti sunt honorem, qui in Augustum delatus est. Nam ante eius domum in palatio ex senatus decreto lauri ac super eas coronae querneae suspensae erant, quod perpetuus esset hostium victor et civium servator, cf. Ov. F. 1, 614. 4, 953. — *atque* Mss. fere omnes, et est: ad laudem bellicam accedit laus civilis. — *at qui* vulg. Et bello et pace insignes ii sunt. — Rerum civilium iniecta mentione ipse adductus est, ut alias res, quibus illi antiqui reges populi potentiam propagaverant, ut colonias conditas commemoraret. Hoc modo ad Romam omnium celeberrimam Albae coloniam transitum sibi parat eiusque conditorem Romulum.

773. Ab Alba Longa triginta dicuntur conditae esse coloniae, quarum ultima fuerit Roma Dion. 3, 31. *Nomentum* (Mentana) in agro Sabino ad fontes Alliae situm, 7, 712 Sabinis urbibus annumeratur. Hoc oppidum et Crustumerium et Fidenae longe ante Romam (Dion. 2, 36) a tribus fratribus condita sunt, a maximo natu Fidenae, quae urbs Romuli tempore erat πολυάνθρωπος καὶ μεγάλη D. 2, 53 capta a Romulo. Erat XL stadia ab urbe Roma. Usitata nominis forma est *Fidenae, arum*, etsi singularem dant etiam Sil. 15, 90. Tac. A. 4, 62. Sic 5, 52 legitur *Mycene*. „Varietati studet. Unde ait etiam *Pometios*, cum dicatur numero singulari Pometia." S. — *Gabii*, urbs Latinorum, Albae colonia in via Praenestina, C stadia ab urbe Roma. Tarquinii tempore πολυάνθρωπος, a quo capta est urbs. Augusti tempore muri et multa aedificia supererant; colebantur modo regiones viae adiacentes. Dion. 4, 53. Cf. 7, 682.

774. *Collatia* posita ad Anienem Liv. 1, 57, Tarquinii tempore erat urbs Sabinorum 1, 38.

775. Hic versus nec in Mss., nec veteribus Edd. repertus, illatus esse dicitur a Fabricio Lampugnano, iurisconsulto Mediolanensi. „Qua fraude si inventa iam typographia homines eruditi sunt decepti, quid typographia nondum inventa accidisse dicemus?" *Pl.*

776. *Pometii* seu Suessa Pometia Volscorum erat urbs, sed postea colonia eo est deducta Latina. Certe a. u. 250 „duae coloniae Latinae Pometia et Cora ad Auruncos deficiunt." Liv. 2, 16. Id est: Latinis expulsis Volsci urbes recipiunt, cf. c. 22, et Plinius 3, 5, 9 inter Latii *clara* oppida memorat. — *Castrum Inui* „i. e. Panos, qui illic colitur. Inuus autem Latine appellatur, Graece Πᾶν, castrum autem civitas est." S. Liv. 1, 5 *Pana quem Romani deinde vocarunt Inuum.* Idem tradit Macr. Sat. 1, 22. — Castrum Inui sive Castrum Sil. 8, 361 non longe remotum ab Ardea et ad mare videtur fuisse. — *Bolani* latere videtur sub voce Βοϊαλανῶν ap. Dion. 5, 61, ubi Latini nominis gentes enumerantur. — *Cora* Latinorum fuit cf. Liv. 2, 16.

778. *Addi comitem* v. 528. Liv. 1, 56 *Brutus filiis regiis comes additur.* Sic Claud. RP. 1, 231 Veneri se addunt comites Pallas et Diana. Cf. 2, 339 *se addere socium.*

779. *Assaraci sanguinis:* De forma adiectivi cf. 1, 686. De Assaraco 1, 284. — *Ilia* et Rhea et Silvia dicitur apud antiquos.

780. *viden, ut stant.* De Indicativo

Et pater ipse suo superum iam signat honore!
En, huius, nate, auspiciis illa incluta Roma
Imperium terris, animos aequabit Olympo,
Septemque una sibi muro circumdabit arces,
Felix prole virum: qualis Berecyntia mater
Invehitur curru Phrygias turrita per urbes,
Laeta deum partu, centum complexa nepotes,
Omnes caelicolas, omnes supera alta tenentes.
Huc geminas nunc flecte acies; hanc adspice gentem,
Romanosque tuos. Hic Caesar, et omnis Iuli
Progenies, magnum caeli ventura sub axem.

cf. Gr. § 419, An. 11. Suo loco ponitur indicativus, constat enim cristas stare, quaeritur modo videatne eas Aeneas, atque haec ipsa quaestio modo formam habet quaestionis, et *viden* modo ex vehementiore interrogandi ratione ortum est pro *vide*, neque enim dubitat Anchises, quin videat. Sic saepius post *vide*, *adspice ut* sequitur indicativus cf. 856 *adspice ut ingreditur.* G. 1, 56 *nonne vides ut India mittit ebur.* Ecl. 5, 7 *adspice ut sparsit.* Cic. pr. Mil. 18, 47 ita interpunge: *Videte indices! Quantae res his testimoniis sunt confectae!* Sic explica 9, 269. Lael. 25. Adde Cat. 61, 77. 62, 8. Neque coniunctivum ponere rectum non est, quare poetae etiam utrumque eodem in enuntiato dixerunt. Cf. Ter. Andr. 4, 1, 25 *An nescis quantis in malis verser miser, quantasque hic suis consiliis mihi confecit sollicitudines?* De Plauti (i. e. vulgi) usu *Fuhrmann: der Indicativ in d. sogenannten indirecten Fragesätzen bei Plautus Ih. Jhrb.* 72 *p.* 809. Alius usus 3, 367. — *geminae* cristae cf. 1, 162.

781. Facillima ratio videtur esse haec: Pater superum. Iuppiter. eum iam signat suo honore. Sed *suo* honore est aut Iovis honore i. e. immortalitate, aut Romuli, qui ei debetur. Hoc praestat. Sed is honor nisi fallimur, indicatus est cristis geminis. Iam vero, quum (cf. Val. Max. 1, 8. 6.) Martis insigne sit „galea duabus distincta pinnis," lubentes acciperemus eam sententiam, qua Mars pater iam filium suum suo honore decoraret, praesertim quod Quirinus deus et Mars etiam alibi miscentur. Turbat tamen *superum*, quod accusativum habet Servius, qui et ipse patrem intelligit Martem; unde extricatur haec sententia: Mars pater eum iam ut deum signat suo honore dato i. e. quo ipse gaudet. *Pl.* coni. *puerum* et tollit difficultates movetque alias. Quid enim? Num crescunt in Elysio animae ut pueri sint, post iuvenes, post senes?

782. *auspiciis.* Auspicia habebant magistratus, quorum iussu qui rem gerebant (ut legati) eorum auspiciis gerere dicebantur et magistratus ipsi facere censebantur, quare rerum ita gestarum et laus in eos cadebat et vituperium. Romulus quum prima de urbe auspicia ceperit, postea deus factus quasi perpetuus suae urbis princeps sub auspiciis suis Romanos habet cf. 3, 20. — *Illa* non ut versum expleat additum est.

783. „*Imperium terris;* in quantum tenditur terra. *Animos aequabit Olympo;* magnanimitate aequabitur caelo." S.

784. Iucundissima comparatio Romae cum Cybele sive Rhea, *deorum* matre, etiam propterea, quod Romuli mater Rhea dicebatur. Apud Lucanum 1, 188 Caesari apparet patria *turrigero canos effundens vertice crines.* Cf. Sil. 4, 412 *ipsum* (Romam) *turrigero portantem vertice muros.* — *arces* cf. 2, 322.

785. „Berecyntus castellum est Phrygiae iuxta Sangarium fluvium, ubi mater deum colitur." S. Inde Berecyntia dicitur 9, 82. 619. Ov. F. 4, 335.

786. *Turrita* i. e. coronam muralem gerens vehitur leonibus. Feros enim homines ad humanitatem et societatem dicitur perduxisse cf. Lucr. 2, 598 sq. — De cultu deae cf. 9, 619. — Turrita et turrigera etiam ap. alios poetas dicitur.

788. *supera alta* i. e. caelum cf. 4, 451.

789. *geminas acies*, „huc totum visum tuum dirige." S. Acies usurpatur, quando intentio significatur oculorum, sive ex cognoscendi cupiditate ut Ov. M. 3, 381, sive ex animi affectibus cf. 4, 643. Hor. Sat. 2, 2, 5. — Iam ad maiorem excitat diligentiam, quod sequitur Augustus.

790. Ab Iulo Aeneae et Creusae filio stirpem ducebant Iulii.

791. *caeli ventura sub axem.* Habes novam formulam *vita frui* significantem;

Hic vir, hic est, tibi quem promitti saepius audis
Augustus Caesar, Divi genus: aurea condet
Saecula qui rursus Latio, regnata per arva
Saturno quondam; super et Garamantas et Indos
Proferet imperium; iacet extra sidera tellus,
Extra anni Solisque vias, ubi caelifer Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.
Huius in adventum iam nunc et Caspia regna
Responsis horrent divom, et Maeotia tellus,
Et septemgemini turbant trepida ostia Nili.

sed adverte animum, non sine caussa talem poetam quidquam facere, neque caussam deesse, cur in Augusto commemorando caeli etiam mentionem fecerit.

792. *Divi* nomine eo tempore, quo haec scripta sunt, Caesar, pater Augusti, dicebatur ab omnibus; erat enim deus et templa habebat et sacra. Et ap. Tacitum *Divus Augustus* nomen erat usitatum et opinione vulgi ita sanctum, ut non posset mutari.

793. Omnes poetae Augustum auream aetatem reduxisse dixerunt, quod pacem simulque omnia bona, quae eius in societate esse solent, post longas turbas et bella civilia Romanis reddidit. Cf. cum hoc loco 1, 286 sqq.

794. *regnata Saturno.* A verbis enim intransitivis poetae participia formarunt nonnunquam passiva et forma et significatione. Cf. Gr. § 176, An. 2. Inter quae *regnatus* est usitatissimum quod 3, 14 Hor. C. 2, 6, 11. Ov. M. 8, 623. Sil. 14, 7, alibi legitur et in his locis iungitur cum dativo. Talia participia apud Vgl. sunt *ululatus* 4, 609. *triumphatus* 6, 837. G. 3, 33. Hor. C. 3, 3, 43. Plin. NH. 5, 5, 5. — *erratus* 3, 690. Ov. F. 4, 573. — Saturnus Latium regebat cf. 7, 49 ex caelo a Iove pulsus, sub eoque erat aurea aetas 8, 319. G. 2, 538.

795. *Garamantas;* „populi inter Libyam et Africam iuxta κεκαυμένην. *Indos;* populi orientis extremi.“ S. Tamen eum non tantum poetarum more nomina posuisse, ut extremos significaret terrae populos, docemur. Garamantes enim victi sunt a L. Cornelio Balbo, qui triumphavit VI Kal. Apr. DCCXXXIV (paulo ante quam poeta obiit) Solin. 29. Plin. NH. 5, 5, 5. Ex hoc igitur loco intelligimus Vglium poema suum semper et auxisse et emendasse, ut traditum est a grammaticis et ut est verisimile. — Indi autem legatos ad Augustum miserunt et foedus sanxerunt, quod poeta ut Romanus habet signum deditionis. Quo autem Augustus prolaturus esset imperium, non poterat constitui post tam felices successus. Multi sunt in praedicanda Indorum legatione poetae Horat. Prop. Ovid.

796. *proferre imperium* dixit Ov. M. 5, 372. — *iacet extra .. tellus.* Iam debebat sequi: proferet imperium et super eam terram, quae iacet extra sidera sc. nostra. Aliter S. „Nulla terra est, quae non subiaceat sideribus: Unde perite addidit *extra s. t.:* ut ostenderet duodecim signa, in quibus est circulus solis; ubi est Atlas, de qua ait Lucanus;“ S. (3, 253) qui Aethiopes extra Zodiacum positos esse dicit. A. U. 732 Aethiopes in Aegyptum impetum fecere, sed C. Petronius provinciae praefectus eos repulit et persecutus in ipsorum terra magna clade profligavit et Candaces reginae sedem cepit, quam Dio 54, 5 Ταπάνην vocat Strab. 17, 1, 54 p. 820 τὰ Νάπατα. Hanc rem poeta videtur respexisse. Ad dicendi formulam cf. 5, 628. 1, 568. Luc. 8, 337 *aliena sidera quaeris,* (Parthorum regnum) 391 *toto divisus ut orbe a terra moriare tua.* Sen. Herc. Oet. 46 *solis excessi vias* dicit Hercules. *Pl.* pro *iacet* coni. *quaque.*

798. Cf. 4, 482.

799. *iam nunc,* tempore quo Anchises haec narrat filio. — Non sine arte addit praesagia, quae populis maxime remotis Augusti portenderent dominationem. Talia Augusti tempore revera facta sunt, novum adulationis genus. Cf. Suet. c. 94.

800. *Horrent in adventum* nove dictum. Caspia regna quae sunt circa Caspium mare; neque enim gentem aliquam, sed locos modo incolentium signat, quod ipsum auget rei magnitudinem.

801. *septemgeminus* iam Cat. 11, 7. usurpavit; cf. v. 287. Ovidius autem minus poetico utitur *septemfluus* Met. 1, 422. 15, 753 et *septemplex* 5, 187. — *turbant,* „turbantur.“ S. trepidant; v. neutrum est hoc loco cf. 1, 104. Sic Lucr. 2, 125: *Corpora quae in solis radiis turbare videntur.* Flumini tribuitur, quod accolis est, cf. 8, 726. 11, 405.

Nec vero Alcides tantum telluris obivit;
[Fixerit aeripedem cervam licet, aut Erymanthi
Pacarit nemora, et Lernam tremefecerit arcu:]
Nec qui pampineis victor iuga flectit habenis
Liber, agens celso Nysae de vertice tigres.
Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?
Aut metus Ausonia prohibet consistere terra?

Luc. 5, 268 *Quid iuvat Arctois Rhodano Rhenoque subactis.* Tib. 1, 7, 4.

802. Respexit Vgl. ad itinera, quae Augustus fecit ad provincias ordinandas. Alcides, Hercules totum fere terrarum orbem obiit, quid quod eum Solem esse putant, qui totam terram permeet.

803. Cerva est Cerynitis, χαλκόπους dicta ob celeritatem indefessam; unde aeripes dicitur etiam a Silio. *Figere* autem solum legitur ea vi, qua est *telo figere* cf. 5, 516. Cervam autem illam Hercules cursu debebat consequi, non telis. Itaque Vgl. ignoravit historiam, aut *fixerit* pro *ceperit* dixit. Illud credi non potest, hoc non est ferendum. — Erymanthi pacavit nemora, qui aprum, qui eam regionem infestabat, sustulit, ita Sil. 2, 483 *Nemeae pacator* est Hercules et Ov. M. 7, 405 Theseus occiso latrone *bimarem pacaverat Isthmon.* At si pacavit Erymanthum, non recte dicitur tremefecisse Lernam, quem locum non minus pacavit; tremefecit Lernaeam serpentem. Iam vero his versibus non errores continentur Herculis sed labores; atque si recte iungis verba, ea est sententia: Augustus tantum telluris obivit, ut ne Hercules quidem possit comparari, quamquam is Arcadiae aliquos locos adierit. Quos versus etsi iam legit Servius, tamen non adducor, ut Virgilium, qui reliqua scripsit, haec addere potuisse credam. Addita sunt a sciolo quodam. Quos si delemus, iam nitida splendet oratio: Nec Hercules, nec Bacchus tanta fecerunt itinera; et Hercules uno, Bacchus qui sequitur duobus describitur versibus satis concinne. *Pl.* delet. *Wg.* versus studet defendere, quum dicat Herculem cervam persecutum esse usque ad Hyperboraeos, quod tradidit Pindarus. At id, in quo omnis vis erat sententiae, Vgl. omisisset, longum sc. illud iter. *Rb.* servat. *Ld.* explicat: „Drittens wird Aug. gelobt, weil er Heereszüge und Reisen in die entlegensten Theile seines Reiches unternahm, um 1) flüchtige Feinde zu verfolgen (?) (Fix. aer. c. l.), 2) Empörungen in den Provinzen zu unterdrücken (Erym. Pac. nem.) und alle Neigungen dazu im Keime zu ersticken (Lern. trem. arc.), endlich 3) in allen Theilen des Reichs, dem Bacchus gleich, Ordnung und Gesetzlichkeit herzustellen und die Cultur zu fördern.“ Sic Vgl. id intellexit quod ne significavit quidem, quod dixit aperte (tantum A. ob.) ne intelligi quidem voluit.

806. Liber, Bacchus ex Indiae monte Nysa (Mero) et urbe eiusdem nominis orsus totum terrarum orbem peragravit et subegit, tigribus pro equis usus, ut deorum mater leonibus. Cf. Sil. 15, 80 *Captivo Liber quum signa referret ab Euro, Caucaseae currum duxere per oppida tigres.* — *pampineis habenis* ex pampino factis, non pampino implexis.

807. *et dubitamus* „pro dubitas. Miscuit personam suam. (Quod saepe fit in cohortationibus.) Est autem sensus: Quum tibi sit tanta praeparata posteritas.“ S. *Et* explicatur per *quae quum ita sint*; ratio autem est simplicissima, interrogationem ad enuntiatum superius, quod caussam interrogationis continet, per *et* annectendi. Inest autem mirandi vel indignandi vis, quaeritur enim id, quod recte et ratione fieri negamus cf. 1, 48. G. 2, 433. Cic. pr. Man. 14, et 15, *et quisquam dubitabit?* Plenius *et tamen* Cic. pr. RA. 28 *et tamen caussa de paricidio dicitur!* cf. Gr. § 480, 1. — *virtutem extendere factis* Mb. — *Pl.* mavult *v. ostendere f.* (!) — *virtute extendere vires* PRc. rec. *Rb.* — *Virtute extendere vires* sententiam praebet nullam, quum ne Latinum quidem sit. Alterum simplicissima ratione explicatur sic: Et dubitamus etiam nunc virtutem, quam iam ostendimus, factis amplificare aliis? Neque *virtutem* hoc loco gloriam significare qui contenderant, adhuc demonstraverunt, neque ratione aliqua, neque exemplis allatis.

808. *prohibet* cum infinitivo cf. 3, 380. — Quum tanta te maneat gloria, non est Italia propter aliquas molestias omittenda. Post v. 807 *Rb.* male intellecto rerum ordine ponit v. 827 *Illae autem — sanguis meus* 835; deinde 808 — *Camillum* 826; post 836 sqq.

Quis procul ille autem ramis insignis olivae
Sacra ferens? Nosco crines incanaque menta
Regis Romani, primam qui legibus urbem
Fundabit, Curibus parvis et paupere terra
Missus in imperium magnum. Cui deinde subibit,
Otia qui rumpet patriae residesque movebit
Tullus in arma viros et iam desueta triumphis
Agmina. Quem iuxta sequitur iactantior Ancus,
Nunc quoque iam nimium gaudens popularibus auris.

809. *procul:* Omnes enim de longinquo conspiciuntur. Neque statim Numam agnoscit Anchises, quare quum omnes noverit, ipse mirans in eo defigitur oculis, quem quis sit non perspicit. Noli autem *quis — ferens?* habere verba Aeneae. Non poteris fortius omnem de Augusto orationem infringere, quam si Aeneam, dum Anchises verbis quam potest splendidissimis describit Augusti facta, ne aures quidem fingis praebere, sed circumerrantem oculis alium sibi quaerere magis dignum, cuius res audiat. — Numa, institutis caerimoniis clarus, h. l. habet signa sacerdotis cf. 5, 774.

810. *Incanus* valde canus explicat Servius, ut 5, 784 *infractus* valde fractus, eamque explicationem repetit ad G. 3, 311: probat Charisius, multique eam secuti sunt. Attamen quum mirum sit, eandem particulam et augere et minuere vim vocabuli, sive *in* et esse negativum et intensivum, exemplorum copia necesse est vinci rationem, ut verum habeamus, quod illi antiqui grammatici tradiderunt. At sunt paucissima: affertur *impotens*, quod valde potens significet, ex Hor. C. 1, 37, 10 ubi *regina impotens* Cleopatra est et 3, 30, 3 ubi legitur *Aquilo impotens:* sed utroque in loco dicitur impotens, qui sui potens non est, qui non continet animi sui motus, sed immoderate saevit. Deinde *invalidus* esse valde validus, ea sententia iam diu explosa est; nam Lucr. 1, 969 pro *invalidis* restitutum est *id validis* et Iustin. 41, 6 invalidiores Parthi sunt, qui minoribus sunt viribus, qua de loci significatione quemquam unquam dubitasse, non possumus satis mirari; narrat enim scriptor ut memorabile aliquid, validiorem ab invalidiore superatum esse: contrarium narrari opus non erat. Iam si afferuntur, *infractus*, *immutatus*, *infucatus*, *ingustatus*, *iniunctus*, alia eiusdem generis, sunt haec participia verborum *infringere*, *infucare* etc. Itaque quum adiectivum nullum sit aliud, quod compositum sit ex *in* intensivo et adiectivo simplici, quum inveniamus *inacescere*, *inolescere* multaque alia verba cum praepositione composita et transitum et mutationem significantia: quum ab *inhabitare* deducatur *inhabitabilis* (ap. Arnobium) etsi ap. Cic. sit non habitabilis; quum *incurvus* (Ov. M. 8, 804) cohaereat cum *incurvare*, ut *infuscus* (color i. e. paene fuscus Colum. 9, 3) cum v. *infuscare;* sic *incanus* derivandum est ab v. aliquo, quod latet in *incanescere*, quod legitur G. 2, 71 et alibi; et *incanus* non est valde canus, sed paene canus: et *incani crines* sunt, in quibus hic illic cani crines visuntur, vel qui paene cani sunt. Sic *incani crines* leguntur ap. Cat. Epith. 351 et *incanus* dicitur, qui tales habet Plaut. Rud. 1, 2, 37. Suet. Dom. 20 et ap. Colum. 8, 2 legitur: *paleae ex rutilo albicantes, quae velut incanae barbae dependent* et Plin. NH. 24, 19, 113 rorismarini color dicitur *incanus*, i. e. incanescens. Recte iam Gesnerus in Thes. s. v. explicat ἐπιπόλιος et Casaubonus ad Suet. l. l. σπαρτοπόλιος. Cf. Gr. § 196. — Numa senex fingitur ob sapientiam cf. Liv. 1, 18. Servius addit haec: „Hic etiam canus fuit a prima aetate, ad quod alludens dicit: *incanaque menta.*"

811. De adiectivo *primam* cf. 7, 61.

812. *Cures* cf. 7, 710.

813. *Subire alicui* dicitur, qui sequitur ordine, ut 5, 346; non addito casu 5, 339. G. 3, 67. — *missus* cf. 10, 779.

814. *resides* ut 1, 722 et 7, 692, qui locus huic est simillimus. Ov. M. 14, 436 iungit *resides et desuetudine tardi.*

815. Triumphi semper bella Romanorum sequuntur: quod ut indicaret, triumphis desuetos quam bellis dicere maluit. — De Tullo Hostilio cf. Liv. 1, 22. — *desueta* partic. cf. 5, 332.

817. Aura popularis est voluntas populi cf. Hor. C. 3, 2, 20. Quae h. l. Anco tribuit poeta, silent et Livius et Dionysius. Pomponius Sabinus ad hunc locum adscripsit haec: „Vivente Tullo aegre ferebat, quum e stirpe regia se iactaret, praelatum sibi esse Tullum. Ita-

Vis et Tarquinios reges, animamque superbam
Ultoris Bruti, fascesque videre receptos?
Consulis imperium hic primus saevasque secures
Accipiet; natosque pater, nova bella moventes,
Ad poenam pulchra pro libertate vocabit;
Infelix! utcunque ferent ea facta minores;
Vincet amor patriae laudumque immensa cupido.
Quin Decios, Drusosque procul, saevumque securi
Adspice Torquatum, et referentem signa Camillum.
Illae autem, paribus quas fulgere cernis in armis,
Concordes animae nunc et dum nocte premuntur,
Heu quantum inter se bellum, si lumina vitae

que statuerat favore populari Tullum regem cum tota familia occidere.“ Sunt qui nomen *Ancus* et vocem *ancilla* ab eadem stirpe deducant, eumque regem non minus quam Servium, quem a servo dictum arbitrantur, plebi favisse eamque primum condidisse existiment. *Pl.* coni. *et qui iam nimium gaudet; Rb.* praefert *tuque etiam nimium gaudens.*

818. Quod Servium regem non nominavit, non ea est caussa, quod ex aliena gente ortus est, neque enim Tarquinii Romani sunt origine, sed aut quod inter Tarquinios refertur, aut quod is fuit, qui comminuere studuerat regiam potestatem; quamquam vix est caussa quaerenda, quum non ex ordine omnes recensere sibi proposuerit. Itaque vanus est conatus eorum, qui *Nunc* in *Hunc* mutant, et hoc versu indicari volunt Servium. Neque enim Ancum Servius in regno secutus est. — *animamque superbam*, nobilem, generosam.

819. *ultor*, libertatis et pudicitiae. — Sic alterum Brutum, qui Caesarem interfecit, ultorem vocat Lucanus (5, 207 *regnaque ad ultores iterum redeuntia Brutos*) respecto hoc loco. — *Recepti* (cf. ad 1, 178) fasces sunt a regibus et populo redditi. Fasces autem signum potestatis pro potestate ipsa, ut 7, 173.

820. *saevae secures*, terribiles. Romani enim omnium maxime leges et magistratus veriti; neque consulis iussa negligenti ulla venia erat, maxime in bello cf. 825. „Bruti autem secures saevae sunt, quae saevierant etiam contra liberos.“ S.

823. *Infelix* est, quomodocunque posteri eius factum habent.

824. *vincet* sine accusativo, ut saepe *superare;* si obiectum supplere velis, *amorem paternum* substitues. Cf. Liv. 2, 2 *invitum se dicere, nec dicturum fuisse, ni caritas reipublicae vinceret.* — Romani omnes laudis erant cupidi, quod ipsum sibi in laudem vertebant (cf. Sall. C. 7).

825. *Decios:* Decius Mus, homo plebeius, qui multis antea egregie factis pro republica se devovit bello Latino Liv. 8, 9 in proelio ad Veserim. Decius filius IV. consul se devovit bello Samnitico in proelio ad Sentinum Liv. 10, 28. Decius nepos Cs. ad Asculum contra Pyrrhum pugnavit; eum quoque eo in proelio se devovisse nonnulli narraverunt. — *Drusos* maxime affert in honorem Liviae Drusillae, Augusti uxoris. Clarus erat ex ea familia maxime M. Livius Drusus Salinator, qui Hasdrubalem ad Metaurum vicit bello Punico secundo, et Drusus trib. pleb., qui Italis civitatem dare in animo habuit. Unde Drusorum ortum sit nomen narrat Suet. Tib. 3.

826. T. Manlius *Torquatus* est dictus, quod Gallum singulari certamine superatum torque spoliavit, *Imperiosus*, quod filium, qui contra iussa cum hoste pugnaverat, interfici iussit Liv. 8, 7 (cf. 4, 29. 7, 4). — *referentem signa Camillum.* Camillus, Veiorum victor, deinde exul, rediit ab Ardea cum exercitu et Gallos ex urbe Roma expulit et Romanorum signa et aquilas ad Alliam amissas recepit Liv. 5, 37 sq. et 49.

827. *paribus armis*, quod uterque Romanus est. Cf. G. 1, 488 *paribus concurrere telis Romanas acies iterum videre Philippi.* Sic *pares aquilas* Lucan. 1, 7 in eadem re dixit.

828. *Nox* ubique apud inferos opponitur luci et vitae; quamquam in eo offensi sunt nonnulli, quod antea Elysium clariore sole frui dixerit, nunc nocte tegi significet. Sed illae animae nondum ad vitam pervenerunt, nondum lucem dispicere possunt.

829. *lumina vitae*, sic 7, 771. Lucr. 1, 228.

Attigerint, quantas acies stragemque ciebunt;
Aggeribus socer Alpinis atque arce Monoeci
Descendens, gener adversis instructus Eois.
Ne, pueri, ne tanta animis adsuescite bella,
Neu patriae validas in viscera vertite vires;
Tuque prior, tu parce, genus qui ducis Olympo;
Proiice tela manu, sanguis meus! —
Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho
Victor aget currum, caesis insignis Achivis;
Eruet ille Argos Agamemnoniasque Mycenas,

831. *Socer* Caesar, qui filiam Pompeio in matrimonium dederat. — *aggeribus Alpinis:* Italia enim Alpibus quasi vallata est. — *Ara Monoeci* Herculis, nunc Monaco. Quum ex Gallia Caesar moverit bellum, poeta ut rei magnitudinem verbis aequet (item 8, 685), Alpes memorat, non Rubiconem, extremum Caesaris provinciae terminum; ita gener Pompeius copiis est instructus *Eois.* Notum autem est ex Asia et Graecia Pompeium copias collegisse.

833. *Puer* amoris est vocabulum. — *assuescite bella animis. Animis* dativum accipio et verbum esse activum, ut Hor. Sat. 2, 2, 109 *qui pluribus assuerit mentem corpusque superbum.* Est igitur: Nolite cogitare tanta bella, nolite assuescere tanta bella animis concipere. Potest etiam *animis* haberi ablativus et iungi *assuescite bella* pro *bellis*, ut semel apud Livium legitur *iuxta invia ac devia assueti* 21, 33. *Paulatim claram lucem assuesce* Sen. Ep. 94.

834. *in viscera* ita Luc. 1, 2 *canimus populumque potentem In sua victrici conversum viscera dextra.*

835. *tuque prior, tu parce* Caesar. „Caesari dicit, quem clementem circa Pompeianos legimus.“ S. Caesar per Iulum ad Iovis genus ascendit.

836. *proiice tela manu.* Stat. Theb. 3, 643 *proiicite arma manu.* — *Sanguis meus* magno affectu prolatum. *Meus* vocativus est ap. Plaut. Cas. 1, 50 *meus pullus passer, mea columba, mi lepus.* Quamquam potest hoc loco etiam haberi nominativus: *qui es sanguis meus.* Ut h. l. progenies *sanguis* vocatur 7, 98. Stat. Theb. 3, 239 *Vos o superi, meus ordine sanguis, ne pugnate odiis.*

837. Ut Aeneam de Troiae consolaretur excidio, Anchises memorare debuit Romanos olim Graeciam subacturos, neque tamen ea loca potuit nominare, quae ipso devictae a Romanis Graeciae tempore, sed quae floruerant bello Troiano. Itaque Argos, Mycenas iam a. 468 a. C. dirutas memoravit, quibus Graeciam significaret. — *ille* „Mummium significat.“ S. Ille est L. Mummius Achaicus, qui Corinthum delevit a. 146. — *triumphatus* cf. 794.

839. *Ille* L. Aemilius Paullus intelligitur, ab eo enim, quum vinceret Perseum, valde attritas esse Graecorum res et paene subiectam Graeciam constat cf. Liv. 45, 31. Attamen nimium est illud *eruet.* Servius quum de hoc versu sileat, haec etiam de Mummio dicta videtur accipere, praesertim quum ad v. 840 haec habeat: *„ipsumque Aeaciden* necesse est, ut *ille* subaudiamus.“ Neque quod *ille* repetitur, melius ad eundem, quam ad diversos homines referri negari potest. — Iam vero Aeaciden intellexere Persen, Macedoniae regem, a Paullo devictum cf. Iust. 28, 1 et Prop. 4, 11, 39 *Persen, proavi simulantem pectus Achillis* et Sil. 15, 291 de Philippo, Persei patre: *Hic gente egregius veterisque ab origine regni Aeacidum sceptris proavoque tumebat Achille.* — Ad Pyrrhum, Epiri regem, qui non minus ab Achille ortus esse voluit, minus apte haec referri, satis apparet, neque enim eius regnum deletum est a Romanis, et Fabricius, qui cum Curio eum devicit, postea memoratur 845. Iam vero illam Servii rationem, qua *ille* — *ille* ad eundem referatur, *que* autem alium inducat, nemo erit, qui accipiat; sed v. 839 et 840 quin ad unum pertineant, dubitari nequit, id potest, utrum v. 837. 838 ad eundem, an ad alium referatur. Itaque quum neque de Paullo, nec de Fabricio Curiove v. 839 satis apti sint, unica restat ratio, qua hos versus referamus ad *Mummium.* Anchises dixit, quae facturus esset Mummius v. 837. 838 neque tamen Capitolia satis nec Corinthus qualis urbs esset Aeneas intellexit, ad eius igitur captum hi duo versus sunt accomodati; cf. quae ad v. 837. Aeaciden autem, Achillis genus Aeneas novit unum Neoptolemum eiusque filios. Itaque nihil his versibus inest, quam: Graeciam devincent Romani. —

Ipsumque Aeaciden, genus armipotentis Achilli,
Ultus avos Troiae, templa et temerata Minervae.
Quis te, magne Cato, tacitum, aut te, Cosse, relinquat?
Quis Gracchi genus? aut geminos, duo fulmina belli,
Scipiadas, cladem Libyae, parvoque potentem
Fabricium, vel te sulco, Serrane, serentem?
Quo fessum rapitis, Fabii? tu Maximus ille es,
Unus qui nobis cunctando restituis rem.
Excudent alii spirantia mollius aera;
Credo equidem; vivos ducent de marmore voltus;

Iam *eruet* verum est, pro Graecia autem iam 1, 284 Argos, Mycenas, Phthiam posuit, quum de eodem Mummii tempore loqueretur. — *eruet Argos et Aeaciden* zeugma est cf. 1, 356. — Hanc meam explicatïonem veram esse, ex eo facile computabis, quod v. 841 *ultus avos Troiae* unus tantum intelligitur; contra si priores versus de Mummio et Paullo accipiuntur, ad Paullum illud *ultus* referetur, etsi Mummio vel maxime hoc aptum est, quum Paullus vicerit Macedoniam non Graeciam, quare absurdum attribui alteri, cui non convenit, negari alteri, cui convenit. — Neque tantum avos ulciscentur Romani, sed etiam deos a Graecis violatos. Errasse in his versibus Virgilium dixit Hyginus ap. Gell. 10, 16 „confudit enim et personas diversas et tempora" opinatusque est eum exempturum fuisse v. 840. *Pl.* delet 839—41. Uterque maluit vituperare quam explicare.

841. De hoc Aiacis scelere cf. 1. 41. 2, 403. — *Temerare* est temera audacia violare res sacras; ita Tib. 3, 5, 7 *nulli temeranda virorum sacra.* Ov. M. 8, 742. 10, 695. 15, 75. Val. Fl. 1, 627. 801 al. Ut furor ille dicitur 1, 41, sic recte temeritas; nam qui sana est mente et qui consulto agit, non violabit deos aut quae deorum sunt. — Quod in Mummio diutius moratur, quam in aliis hominibus non minore laude dignis, caussa est, ut iam indicavimus, quod Graeciam ille devicit, Troiae victricem.

842. *Magnus Cato* est M. Porcius Cato *Maior* Censorius. Cf. 8, 670. — Cossus est A. Cornelius Cossus, qui secunda tulit spolia opima Larte Tolumnio occiso Liv. 4, 19. „Ea rite spolia opima habentur, quae dux duci detraxit" Liv. 4, 20. — *tacitum relinquat;* cf. 715 et Cic. Fam. 3, 8 *Prima duo capita epistolae tuae tacita mihi relinquenda sunt.*

843. Gracchos memorat, non ut laudet, sed quod illustres sunt cf. 758. Quare Caium et Tiberium fratres non minus intellexit, quam patrem et avum eorum. — *Fulmina belli* ita iam Lucr. 3, 1047 *Scipiades belli fulmen;* et secutus est Sil. 7, 106. cf. Hamilcar Barcas, Bajazeth Ilderim, Gaston de Foix, fulmen Italiae. — Cic. pr. Balb. 15 *quum duo fulmina nostri imperii — Cn. et P. Scipiones exstincti occidissent.* Ita *fulminare* 12, 654.

844. *Scipiades* graeca forma a poetis etiam in Romanis nominibus usitata; *Memmiades* Lucr. 1, 27. *Romulidae* A. 8, 638. Sic Plautus iam lusit in verbo *rapacidae* a *rapax* ducto Aul. 2, 7, 8. Quid quod Iuvenalis fecit *Stoicidae* 2, 65. — Gemini sunt Africani, Maior et Minor. — *parvoque potentem* i. e. pauperem, sed magnum in republica virum.

845. *Serranus.* M. Atilius Calatinus Serranus. „Serentem invenerunt dati honores Seranum, unde cognomen" Plin. 18, 3, 4 cf. Cic. RA. 18. Atiliorum nomen celebre erat maxime bello Punico primo cf. Flor. 2, 2, 12, 17.

846. *fessum* enarrando tot claros homines. — Simile est Horatii: *Quo me Bacche rapis tui plenum* C. 3, 25, 1. Est Q. Fabius Maximus Cunctator.

847. Versus nobilissimus Ennii sine dubio in omnium ore versabatur; quapropter Virgilius eum suis interposuit, ut Ovid. Fast. 2, 241 *ut posses olim tu Maxime nasci, cui res cunctando restituenda foret.*

848. *Spirantia aera*, ut G. 3, 34 et Claud. bell. Get. 612 *spirantia signa.* Tam similes viventibus formas, ut spirare videantur, tamque molles, qualis carnis esse solet mollities cf. E. 3, 45. Hor. AP. 33 *molles imitabitur aere capillos,* et Quint. 12, 10, 7 signa discernit *duriora, minus rigida, molliora.* Sic dicitur *aurum molle*, ductile 10, 138. 818. Val. Fl. 1, 430. — *Aera* de signis aeneis dicitur ap. Hor. Ep. 2, 1, 241.

849. credo „in Pl. *cedo*, quod magno-

Orabunt caussas melius, caelique meatus
Discribent radio, et surgentia sidera dicent:
Tu regere imperio populos, Romane, memento;
Hae tibi erunt artes; pacisque imponere morem,
Parcere subiectis et debellare superbos.
Sic pater Anchises, atque haec mirantibus addit:
Adspice, ut insignis spoliis Marcellus opimis
Ingreditur, victorque viros supereminet omnes!
Hic rem Romanam, magno turbante tumultu,
Sistet, eques sternet Poenos, Gallumque rebellem,
Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino.
Atque hic Aeneas; una namque ire videbat
Egregium forma iuvenem et fulgentibus armis,
Sed frons laeta parum, et deiecto lumina voltu:
Quis, pater, ille, virum qui sic comitatur euntem?
Filius, anne aliquis magna de stirpe nepotum?
Qui strepitus circa comitum! quantum instar in ipso!

pere placet" *Rb.* *Credo* (ironicum ut *opinor*) significat etiam in artibus non inferiores fore Romanos.

850. *caelique meatus*, vias in caelo quibus stellae transeunt, cf. Ecl. 3, 41 *descripsit radio totum qui gentibus orbem.* Claud. Cons. Mall. 275 *Mallius igniferos radio descripserat axes.* — In *orabunt caussas melius* haesit *Pl.*, nam quum Romani Graecis ingenio inferiores esse nollent, et quum omnes artes se felicius excolere gloriarentur Graecis, siquidem vellent: (Cf. Cic. Tusc. 1, 1, 1) sane mirum esse, quod Vgl. primas concesserit Graecis in ea arte, in qua Cicero praestitit; ille Cicero, qui audito carmine Virgilii adolescentis exclamavit: *magnae spes altera Romae*, et multi alii, ut, si praestiterunt ulla in arte, in hac Romani cum Graecis recte compararentur. Optat scripsisse poetam *narrabunt caussas rerum;* at si hoc dixit, Lucretii offecit laudi. Iam si extrema respicimus et Caesarem omnium primum anni tempora in ordinem certum redegisse cogitamus, etiam hoc contra Caesaris laudem potest dictum videri. Sed cardinem versari puto in *credo equidem*, quod est *meinetwegen.* Omnia alia aliis concedam, neque Romamanos cum iis comparaverim in rebus, in quibus illi et pares esse possunt et superiores, at imperium orbis penes unum est populum Romanum.

853. *pacisque imponere.* Simile 1, 264. *Rb.* dat *pacique*, de Mss. silet.

855. *mirantibus*, Aeneae et Sibyllae. Quod post *mirantibus addit* sequitur singularis *adspice*, defenditur, quod ad Aeneam tota est Anchisae conversa oratio, non ad Sibyllam.

856. *adspice ut* cf. v. 780.

857. *supereminet* c. acc. 1, 501.

858. *tumultu* cf. 8, 1.

859. *sistet.* Nobile illud verbum, quod Iovis Statoris iniicit memoriam Liv. 1, 12. „Hic Gallos et Poenos equestri proelio superavit" S.

860. M. Marcellus Gallos in Italia superiore devicit proelio equestri, regem Viridomarum interfecit, tertia et ultima retulit spolia opima. (Prima Romulus Acrone Caeninensi caeso, secunda Cossus cf. 842.) Primus post Cannas equestri proelio vicit Hannibalem cf. Sil. 12, 178 sq. — *Quirino* cf. Plut. Marc. 8 *Καίτοι φασὶν ἐν τοῖς ὑπομνήμασι Νουμᾶν Πομπίλιον καὶ πρώτων ὀπιμίων καὶ δευτέρων καὶ τρίτων μνημονεύειν, τὰ μὲν πρῶτα ληφθέντα τῷ Φερετρίῳ Διῒ κελεύοντα καθιεροῦν, τὰ δεύτερα δὲ τῷ Ἄρεϊ, τὰ δὲ τρίτα τῷ Κυρίνῳ.* Idem tradit Serv. ad h. l. et Festus p. 189. M. — Hic ultimus memoratur, ut transitus fiat ad M. Marcellum Augusti sororis Octaviae filium, de quo summa erat populi exspectatio, quod in imperio successurus credebatur et multis virtutibus excellebat. Admodum iuvenis mortuus est Baiis; summusque eius mortem secutus luctus populi. Eius laudes ap. Vell. Pat. 2, 93. Sen. cons. ad Marc. 2.

863. *Frons laeta parum* omen est mortis immaturae.

866. *Quis strepitus* et *qui* est in Edd. Utrumque potest defendi cf. 561. Utrum sit in Mss. non dicitur, nec potest dici, cf.

Sed nox atra caput tristi circumvolat umbra.
Tum pater Anchises, lacrimis ingressus obortis:
O nate, ingentem luctum ne quaere tuorum;
Ostendent terris hunc tantum fata, neque ultra
Esse sinent. Nimium vobis Romana propago
Visa potens, Superi, propria haec si dona fuissent.
Quantos ille virum magnam Mavortis ad urbem
Campus aget gemitus! vel quae, Tiberine, videbis
Funera, quum tumulum praeterlabere recentem!
Nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos
In tantum spe tollet avos, nec Romula quondam
Ullo se tantum tellus iactabit alumno.
Heu pietas, heu prisca fides, invictaque bello
Dextera! non illi se quisquam impune tulisset
Obvius armato, seu quum pedes iret in hostem,
Seu spumantis equi foderet calcaribus armos.
Heu, miserande puer! si qua fata aspera rumpas.
Tu Marcellus eris. Manibus, date, lilia plenis,
Purpureos spargam flores, animamque nepotis
His saltem accumulem donis, et fungar inani
Munere. — Sic tota passim regione vagantur
Aeris in campis latis atque omnia lustrant.
Quae postquam Anchises natum per singula duxit,
Incenditque animum famae venientis amore,

3, 608. *Wg.* dat *quis.* — *ipso* FMR. *ipso est* P. cf. 5, 362. — Quantus circa eum hominum concursus, quantum dignitatis exemplar in ipso est.

867. *Nox atra circumvolat umbra*, eum qui brevi morietur, sic H. S. 2, 1, 58 *Seu me tranquilla senectus exspectat* (itaque seu diu vivam) *seu mors atris circumvolat alis* (seu statim moriar). Sic Sil. 9, 45 *Nox Stygia animas iam circumvolat umbra*, Stat. Theb. 1, 51 *Illum assiduis circumvolat alis saeva dies* (Todestag).

868. *ingressus* non addito infinitivo *dicere* cf. 4, 107. — *lacrimis obortis* cf. 4, 30.

872. *propria*, perpetua cf. 1, 73.

874. Funus in campo Martio factum est ingenti apparatu.

877. *In tantum spe tollet avos* cf. 12, 4.

878. *Alumnus* terrae alicuius dicitur is, qui in ea natus est. Cf. Cic. Verr. 5, 66, 169 *ut Italia alumnum suum ... videret.* Sic *altrix* est terra natalis.

879. *prisca fides*, qualis erat antiquorum. Cf. Ter. Ad. 3, 3, 89 *Iam magna nobis civium paenuria est antiqua virtute ac fide.* Cf. 648. Eam Augusto regnante poetae sperabant redituram cf. 1, 292. Hor. C. S. 57 *Iam Fides et Pax et Honos Pudorque priscus et neglecta redire Virtus audet.*

883. *Si* optantis est cf. 8, 560. — *qua* cf. 1, 676. — *Fata rumpere* est ap. Liv. 1, 42 *nec rumpit tamen fati necessitatem humanis consiliis.* — *Aspera* fata sunt, quae afferunt mortem maturam.

884. Summum animi affectum, qui tandem in verba *Tu Marcellus eris* erumpit, sequitur mollis lamentatio. — *date* cf. 4, 683.

885. In funeribus mos erat apud Romanos flores spargere et purpureos cf. 5, 79.

886. *Animam accumulem donis* cf. 229. — *inani*, quod nec in vitam reducit, nec a mortuo sentitur. Ita 11, 51 *Nos iuvenem exanimum* (et nil iam caelestibus ullis debentem) *vano maesti comitamur honore.* Ov. Met. 2, 340 *nec minus Heliades fletus et inania morti munera dant lacrimas.* Stat. Theb. 6, 168 *Inania fertis iusta rogo.*

888. *Aeris* iungas cum *regione*, ut 2, 737 *regio viarum.* — Enarrat bella, quae gerenda sint, docetque populorum, quibuscum ea bella gerenda sint, indolem et mores.

Exin bella viro memorat, quae deinde gerenda,
Laurentesque docet populos urbemque Latini
Et quo quemque modo fugiatque feratque laborem.
    Sunt geminae Somni portae: quarum altera fertur
Cornea, qua veris facilis datur exitus umbris;
Altera candenti perfecta nitens elephanto,
Sed falsa ad caelum mittunt insomnia Manes.
His ubi tum natum Anchises unaque Sibyllam
Prosequitur dictis, portaque emittit eburna:
Ille viam secat ad naves, sociosque revisit;
[Tum se ad Caietae recto fert litore portum.
Ancora de prora iacitur; stant litore puppes.]

893. *Et quo q.* idem paene versus 3, 459. De variata structura cf. 3, 180. — *Nck.* eiic. 894 — 97 et v. 899 coni. *averna.*

894 — 902. Aeneas ex Orco in lucem redit.

894. *Somni* non est genitivus vocis *somnium*, sed vocis *somnus*. Somnus enim mittit somnia cf. Ov. M. 11, 623 sq. De geminis portis somniorum cf. Hom. Od. 19, 562 sq. Sic duplicem Tartari portam fecit Val. Fl. 1, 833 sq.

897. *Manes:* Tib. 2, 6, 37 „Ne tibi neglecti mittant mala somnia Manes Maestaque sopitae stet soror ante torum." — *ad caelum*, i. e. supra terram. — *falsa insomnia* cf. 4, 9.

898. *His dictis* ad illa pertinet, quae narravit Anchises. *his ubi* Mc. *his ibi* FPRγ rec. *Rb.* *hic ubi* coni. *Pl.*

899. Eburneam per portam quare exeuntem fecerit poeta Aeneam non liquet. Multi eum ob id factum reprehenderunt. Num ficta esse omnia haec voluit poeta indicare?

900. *secat viam:* Saepius legitur *secare aequor* 5, 218. 595, *pontum* 9, 104, *campos salis* 10, 214, alia. Quibus in locis secandi et dissecandi notio satis apparet. Nec minus in *secta via* G. 1, 238. Lucr. 5, 273, quae est via excisa, ut *scindere viam* 10, 765 est scindendo efficere, quomodo potest etiam explicare 12, 368 *quacumque viam secat*, quocunque ense sibi viam aperit. Quint. 3, 1, 14 *hinc velut diversae secari coeperunt viae* est separari; ut ap. Ov. Am. 2, 16, 16. 18 *terram secare in vias.* — Sed *secare viam* dicitur etiam is, qui it per viam; et sic certe potest explicari 12, 368 et 5, 658. — Vide 10, 107.

901. *Caietae* „a persona poetae prolepsis. Nam Caieta nondum dicebatur." S. At haec prolepsis vix ferenda, si quae statim sequuntur l. 7, considerantur. Ac quae sequuntur 7, 4 sqq. bene cum v. 899 iunguntur, mediis omissis. Iam se *ferre* dicitur, qui it, progreditur, non qui fertur navi. *litore* FMR. — *limite* al. — Recto litore it, qui it recta secundum litus via cf. 8, 57. Scripserunt *limite* sine dubio librarii, quod *litore* statim recurrit v. 902, qui versus sumptus est ex 3, 277. Repeti tamen idem vocabulum brevissimo intervallo solet, aut consulto cf. 1, 133. 134. 448. 449. 504. 505. 4, 438. 439. 5, 181. 182. 6, 309. 311. 342. 348. 614. 615. 7, 653. 654. 8, 242. 243. 396. 397 al.; aut non vitavit repetitionem scriptor. Diligens autem scriptor solet vitare, et quamquam vel diligentissimo subrepserunt eae repetitiones, tamen non sunt laudabiles, atque ipse Virgilius, quanto studio eandem rem aliter dicendo variare studuerit iam observavimus. — Tamen et ipse talia admisit, cf. 1, 427. 429. 2, 749. 752. 3, 263. 266. 5, 252. 254. 321. 325. 6, 310. 312. 684. 685. 7, 37. 44 al.; quibus in locis non venustas aliqua aut pulchritudo deprehenditur sed neglegentia. Sic *immanis* legitur 11. 19. 77. 576. 582. 594. 597. 625. *ingens* 6, 42. 64. 81. 8, 192. 204. 252. 258. Quamquam igitur ex repetito vocabulo *litore* non sequitur versum esse spurium, iam v. 900 optime claudit librum, et eodem modo suum finivit Silius XIII extr.; qui Virgilium imitatus est. Itaque aut ipse Virgilius hos versus „tibicines" adiecit, quos postea mutaret aptioribus, aut alius quis Caietae intulit mentionem ex Ovidio. Habebat fortasse in animo etiam Caietam memorare, nondum tamen apud eum constabat quomodo. In fine librorum deesse satis firmam compagem verisimile est in carmine imperfecto.

902. eiic. *Rb.* 901 — 2 eiic. *Pl.*

Excursus.

Quem hoc libro Virgilius descripsit Aeneae ad Inferos descensum sunt qui multis quidem partibus egregie descriptum, ortum tamen habeant ex nimia illa Homeri qua flagraverit imitandi cupiditate: nihil enim eo profici ad rerum summam, neque discere Aeneam apud Inferos, quae non ex Heleno aut Sibylla cognita habuerit; at vero, si voluisset recensere claros Romanos, facile poetam potuisse per somnum eos Aeneae adducere, quae ratio et simplicior fuisset et verisimilior et ab aliis poetis tractata. Quod igitur ad caecum illud attineret imitandi studium, quo sequeretur Homerum Virgilius, quamquam constat, ratione id fuisse satis temperatum vel potius nullum, quum Romanum Virgilius, Homerus Graecum secutus esset morem: tamen non putavi ab re esse hic monere de ordine, quo singula tractata essent, et de totius libri consilio exponere, quo magis suo poetam ingenio res composuisse intelligeremus.

Homines vivos in Orcum ingressos incolumes ex eo redisse tam saepe traditum est, atque ita acceptae erant eae fabulae, ut vel Plato philosophus ad comprobandas suas de Orco opiniones extremo libro, quem de republica scripsit, aliquem ad umbras pervenisse omniaque ibi vidisse et audisse narraverit. Quare Aeneae etiam ut fingeret aliquod per Orcum iter, facile poeta poterat adduci, neque est reprehendendus, dummodo ita rem suam conformaverit, ut caussae satis graves, ut locus opportunus, ut tempus idoneum fuisse videatur. Quod si ceperat consilium, quae erant ab aliis poetis et Homero de locis inferis tradita et in vulgi opinione recepta, non debebat ita negligere, ut omnino non reciperet aut contraria ac diversa confingere conaretur. Itaque apud Virgilium de Orci fluminibus, de Charonte et Cerbero, de Tartaro et Elysio, de rota Ixionis aliisque poenis, de multis praeterea rebus eadem fere legimus, quae alii tradiderunt. Sed hoc libro poeta praecepta complexus est ea, quae praeter alia voluit esse suis popularibus persuasa et credita; eaque non tamquam de sua sententia prolata, sed quasi apud Inferos revera audita et a diis ipsis mandata retulit. Praeterea quum Aeneas iam ex Heleno et Sibylla sua ipsius fata cognovisset, noluit in Orcum descendere, ut eadem audiret iterum ex patre; sed quod iam 5, 737 ab ipso patre *genus omne suum et quae dentur moenia* discere iussus est. Iam vero quae poterat fatalis Romae maior laudatio inveniri, quam quod in Elysio, diis ipsis ducentibus, gentis conditor suam nosceret progeniem? Ut urbs Roma, ut gens togata, ut divus Augustus oreretur, iam ab rerum initio a diis provisum est; inde fit, ut cum totius mundi origine et ratione Aeneas simul accipiat sui generis fata. Propterea igitur ad inferos Aeneas descendit, ut posteros suos cognosceret, ut Romae magnificentiam animo comprehenderet, ut inde sumeret animos, ut illa, quae in bello per libros sequentes ei toleranda erant, fortiter perferret. Sed de ea re, quam iam attigimus, quum opus hoc praefaremur, satis est legentes monuisse.

Aeneas simulatque Cumanum litus attigit, ad templum Apollinis contendit et per Achaten arcessi iubet Sibyllam. Sacris factis Troiani templum intrant, (41) in cuius extrema parte aditus erat in antrum Sibyllinum, multis (centum) foraminibus patens, ex quibus responsa Sibyllae audiebantur. Ubi eo ventum est, precibus deo factis antrum aperitur, quod Sibylla pererrans furibunda edit oraculum. Aeneas autem quum non tam futura scire cuperet, quam patrem suum arderet convenire, iterum petiit, ut ad eum perduceretur, quod quum precaretur, aram tenebat (quae erat in templo Apollinis). Sibylla autem ea, quae Aeneas gloriatus erat, approbans eum *sate sanguine divum* appellat, docetque esse in silva aureum ramum, quem si reperisset ac decerpere potuisset, deos infernos permittere, ut Orcum adiret: sed ante opus esse, ut mortuum socium sepeliret, Misenum. — Dum eius rogus paratur, ipse Aeneas ad caedendas arbores silvam ingressus, ut ramum conspiceret apud se precatur. Ecce adsunt columbae matris Veneris eumque ad arborem perducunt. Ramo capto et Miseno sepulto redit ad Sibyllam; accedunt ad antrum, quo ad Orcum (237) introitus est, a priore diversum; iam qui aer ex eo emanat, Orcinus est. — Iterum sacris media nocte factis et diis infernis invocatis, Hecate se aditum praebere significat, et primo mane Sibylla cum Aenea antrum intrat.

Iam si haec comparaveris cum narratione Homeri, hunc itineris apparatum multum differre concedes ab iis, quae facit Ulixes, neque Homeri simplicitatem cum hac Virgilii diligentia et gravitate esse comparandam. Locus autem, ubi

descendisse Aeneam narrat Virgilius, ea erat facie et natura, ut si in Italia aliquem eligere vellet, non reperiret aptiorem. Accedebat, quod vulgo credebatur ibi esse ad Inferos aditus, eoque in loco erat celeberrimum νεκυομαντεῖον (Cf. Cic. Tusc. 1, 16, 37. Strab. 5, 4, 5 p. 244. Heynium in Exc. ad hunc librum.) — In re describenda, quae omnibus mortalibus gravissima et scitu dignissima eadem tamen obscurissima est, quae nullo ingenio aut mentis acumine potest indagari, et quam ipsi dii viderentur celasse homines, si quid ediceret veniam orare poetam oportebat. Ita in mysteriis eloqui quidquam omni supplicio vetitum erat.

Non procul a porta, ut facile possint in terram exire, positae sunt res, quae mortem afferunt: Luctus, Curae, Morbi, Senectus, Fames, Egestas, Letum, Labor, Insania, Bellum, Discordia 268. Proxima sunt Somnia et spectra et omnia illa „quae quondam apud Inferos portenta credebantur." Sed quum ea omnia vana et inania essent, (282.) monstris illis poeta assignavit locum, qui iis unicus erat dignus. Cf. ad v. 288. Quae loca Aeneas quum reliquisset, ad Stygem pervenit, ibique magnam umbrarum conspexit multitudinem, transitum petentium; caussasque rerum quas videbat requirens comperit, qui sepulti non essent, non posse Stygem traiici nec sedes adipisci quietas. Quibus auditis ipse quasi divinans suum fatum concussus animo infelicium sortem miseratur.

Poetae erat ieiunam et aridam antiquarum fabularum narrationem quasi animare, ut agentem Aeneam videremus, non tantum docentem Sibyllam audiremus. Itaque intulit socios aliquos Aeneae, quos medio in mari fluctibus oppressos amiserat, Leucaspim, Orontem, Palinurum. Hoc facere debebat, nisi sterilem et iniucundam vellet esse carminis sui lectionem. Quod quum a quovis facile intelligatur et Dantii divina comoedia propterea maxime eo nomine digna habeatur, et alio quidem modo, quam quo ipse dixerat divinam, non solum quod peccatorum varia genera aut varias suppliciorum species excogitaverit, sed quod tanta arte et varietate usus suorum aequalium intulerit memoriam: nonne mirum, quod Virgilius unum alterumve Aeneae aequalem cum eo congressum finxerit, id vituperari et poeta iudicari indignum, ut qui ita existiment ne cohibeant quidem manus et eiiciant continuum versuum numerum? — In Leucaspi et Oronte non commoratur Virgilius; eorum enim sortem satis cognitam habebat Aeneas; sed quo casu exstinctus esset Palinurus, plane ignorabat; et erat oraculum ad Italiam illum perventurum. Quare statim eum alloquitur. Itaque omnes caussas ita contexuit poeta, ut omnia ex ordine et ratione fieri videremus. Vera tamen caussa suberat haec, quod promontorium erat Palinuri, qui Aeneae gubernator fuisse dicebatur. Sed ea est ars poetae, quod varias et diversissimas Italiae fabulas unum in carmen congessit, ut ordinem quo cohaerent apud poetam non ab ipso factum sed ab antiquis traditum, neque sparsas ante eum narratiunculas, sed historiam fuisse continuam arbitremur. Quae contra singula verba monita sunt, in notis quantum potuimus explicare conati sumus; illud autem, quod oraculum tam ambiguum vituperatur, sane mihi videtur esse levissimum, quod possit obiici. — Relicto Palinuro ad amnem pergunt, ramo conspecto Charon eos transvehere properat, offa obiecta Cerberus lenitur: iam sunt in Orco.

Novum aliquid commentus est Virgilius, scilicet aliam esse caussam eorum, qui antequam numerum explerent annorum suorum, qui antequam ad eum, quem natura concesserat terminum, pervenissent, immatura morte perierint, et eorum qui ad Inferos profecti sint omni vita absumpta. Illi enim aliquam non sine caussa videntur petere veniam; sibi enim praereptum esse tempus, quo animum et mores emendare et vitiis purgare potuerint, suo iure dicere existimantur, siquidem non sunt magno aliquo flagitio contaminati. Inde factum est, ut diversa loca diversis hominum generibus attribueret. Primo loco sunt infantes; post eos, qui falso crimine ad mortem sunt acti: sequuntur qui sibi ipsi manum intulere. Hos iam paenitet facti, atque ea est satis acerba poena, quod nolunt ea esse conditione, quam ipsi ante appetiverunt, et qua iam non possunt exsolvi. His Minos est quaesitor, adsunt iudices, umbrae in ius vocantur et secundum alia crimina locus datur. Proximi sunt, qui perierunt nimia aliqua cupiditate. Memorat ibi ad Homeri exemplum multas feminas, partim ab eo iam nominatas. Quae Homerum caussa impulerit, ut tot feminas Ulixi adduceret, explicare ad nos non attinet; Virgilium autem, quod Homerum hoc loco sequi non noluerit, movit caussa admodum gravis. Poterat enim inferre Didonem. — Ultima loca tenent qui in bello occisi sunt. Magnus erat

eorum numerus, multosque qui bello Troiano perierunt Aeneas videt et Graecos et Troianos. Illi hostilem animum prodidere; hi amicum alloqui et retinere cupiebant. Inter alios vidit etiam Deiphobum amicissimum, foede truncatum. Hunc, quum postea non conspiceret, in Troiae excidio fortiter pugnantem occidisse Aeneas coniecerat et famam acceperat, quam falsam fuisse ipso conspecto statim intellexit. Itaque ex Deiphobo mortis caussam quaerit. Iam vero quod Hectorem poeta non memoravit ab Aenea visum, plures possunt esse caussae: nam aut non erat, quod Hectorem faceret narrantem; quae enim in terra passus erat, ea tenebat Aeneas omnia, quae autem de statu inferorum poterat referre, tribuuntur Anchisae: aut Hector, qui ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης et verbis et rebus sibi praecipuum esse comprobaverat, Elysio dignus videbatur esse: in Elysio autem ob rerum, quae ibi fiunt, dignitatem, deflectere ad aliena Aeneam par non est.

Diximus poetam iniectis narrationibus consulere voluisse iucunditati; at vero nunc quum ad finem narrationis pervenimus, tempus est attingere aliud, quod poeta secutus esse videatur. In morte enim ficta et simulata decidunt omnia, blanditiae et adulationi locus non est. Quod vivum vivi Aeneam miro amore prosequuntur Troiani, quod fortissimum et iustissimum esse praedicant, (1, 544) quod in eo omnem suam spem positam habent: est sane hoc aliquid; sed multo maius est, quod a mortuis laudatur. Aeneam autem videmus ab iis sincerrimo amore diligi; Palinurus non suam mortem curaverat, sed ne Aeneas ex ea damnum faceret, id solum timuerat (351); alii Troiani nolunt ab eo discerni et gaudent, quod dilectissimum adspicere licet ducem. (488.) Deiphobus, qui est Priami filius, est amicissimus, nec nisi coactus recedit, et Vale ultimum dicens *decus nostrum* Aeneam nuncupat (546). Tantum amorem suorum non potuit sibi comparare nisi multis et magnis virtutibus. Deinde ut in Palinuro videmus ministri et socii amorem, in Deiphobo ipsum Aeneam pium fuisse cognoscimus. Quantopere autem amaverit suos documento est, quod quum properaret ad patrem, iter a diis ipsis iussum et impositum, tamen quasi oblitus esset consilii sui, cum amicis tamdiu commoratus est, ut a Sibylla esset monendus. Fortitudinis vero incorruptum testimonium ipsi ferunt hostes (491). — Didonem autem quod reliquerat, nondum omni culpa purgatus esse visus est. Etsi enim ei se invitum discedere fidem dederat, etsi ab ipso Mercurio eum monitum esse audiveramus, infelici tamen sorte Didonis commoti irasci Aeneae eius auctori iure quodam nostro videbamur. Id sensit poeta futurum esse, quare repetere eum facit amoris confessionem, ut insontem eum comprobaret mortis esse Didonis. Neque ad mortem trudi eam se putasse Aeneas iurat in Orco, citra Stygem, cuius vel dii iurare timent et fallere numen; ut virum eum esse cognoscamus, qui dolorem a diis impositum fortiter ferat, neque ullis moveatur precibus, ut quidquam, etiamsi ipse optet, contra deorum faciat voluntatem. Sic omni qua poterat pollutus videri culpa liber transit in Elysium.

In hoc itinere dum sunt, ad laevam conspectis Tartari moenibus, Sibylla Aeneae, quae ibi insint, breviter exponit. Ipsi non licet adire, quod castus est. Hoc loco Radamanthus iudicium exercet, tormentis utitur, (subigit fateri) ut maleficia sua scelerati confiteantur; lato iudicio statim a Tisiphone flagellis caeduntur et ad portas Tartari adiguntur; adest ad portam Hydra, et horrendae poenae apparent. Exeundi inde nulla potestas, ne diis quidem volentibus aeterna est poena. Iam singuli ex mythis afferuntur qui ibi puniantur: Titanes, Salmoneus, Tityus, Lapithae, Theseus, Phlegyas. Noluit autem poeta attingere hunc locum, et non monere suos, ut vitiis iam dominantibus purgati supplicium effugerent aeternum. Omnes eius temporis scriptores morum queruntur corruptelam, quam alii a bellis Punicis ortam, alii a Sullae exercitu, qui in Asia militaverat, illatam putabant. Sed bellis maxime civilibus fere omnis ex animis religio excesserat, incesserunt omnes omnis generis libidines ac flagitia. Quae scelera Virgilius affert, eo tempore saepe conspiciebantur; et si nos ad singula singulos eius temporis homines possumus afferre, ipsis aequalibus exempla ubique exstabant. Unde apparet, non esse interpretis, certos aliquos nominare, qui illa scelera commiserint, quum poetae animo totum genus, non certus aliquis obversatus sit. Notat autem eos qui impii fuerint in clientes, cognatos, parentes, patriam; avaros, adulteros, incestos, perfidos: ut commendare videatur pietatem, castimoniam, fidem, benignitatem. Rei autem gravitate Sibylla ipsa quae exponit ita commota est, ut non certo ordine digerat, sed sceleribus allatis iniiciat

memoriam sceleratorum et poenarum. Summum autem est aureum illud dictum *discite iustitiam moniti et non temnere divos.* — Non potuit in Tartaro certos sui temporis homines memorare, quod fecit Dante ex carminis consilio; nam Aeneas haec vidit, non poeta aut unus ex eius aequalibus. (Fecit 8, 600.)

Iam in Elysio, illis campis amoenissimis fortunatorum, qui perpetua fruuntur beatitudine, sunt, qui pro patria pugnarunt, qui casti fuerunt sacerdotes, qui vates puri et integri, qui artibus hominum vitam excoluerunt et ornarunt, qui beneficentia sua alios iuverunt. Itaque quum in Tartaro sint, qui omni aliorum cura posthabita sui tantum suarumque cupiditatum rationem habuerint, in Elysio recipiuntur omnes, qui ingenio et viribus suis ad augendam aliorum hominum usi sunt felicitatem. Id autem est praemium virtutis, quod solutos curis, quae *gratia fuit vivis, eadem sequitur tellure repostos.* Quae potest maior ab homine fingi felicitas! Neque ille Aeneae et Anchisae congressus sua caret dulcedine. At iam ad locum pervenimus totius libri et totius carminis primarium.

Si Tartaro et Elysio describendis deterrere omnino voluit mortales a vitiis et ad virtutes exhortari, iam hoc loco Romanorum vult incitare ingenia, Romanas ut artes ab antiquis traditas colant et exerceant, ut factis aequent virtutes maiorum. Res Romanas suo carmini, quod, quae multo ante Romam conditam facta erant, narrabat, non poterat inferre aliter, quam vaticinationibus; quibus usus est iam 1, 263 et 8, 626. Sed quum omnem Aeneae errorem, omniaque eius facta propterea narraret, quod inde caussa et origo Romae deduceretur, id suum consilium non poterat assequi, si, quasi aliud agens et tamquam ad ornandum carmen variaret colores, uno alterove loco Romanos inferebat. Itaque et plenius et apertius indicandum erat. Neque locus carminis quo id faceret erat aptior, quam quem poeta elegit. Aeneas enim erroribus finitis Italiam iam contigit, sed ad gravia iterum bella se parat. Unde cognita posterorum gloria et potentia, a diis ipsis procurata, non fortunae se sentit circumagi ludibrio, sed maioribus fatis se duci intelligit. Quare iam non potest desperare, nec dubitat virtutem extendere factis, nec metus eum prohibet Ausonia consistere terra. Videmus igitur Virgilium, quum laudes quaereret Romanorum, rem ita instituisse, ut tali modo Aeneam firmari plane fuerit necessarium. Sic simul alterum alterum iuvat: ex bello enim Rutulo aliquam caussam quaesivit, ut inferret hunc ad Inferos descensum; ex descensu intelligimus bellum fore gravissimum, nec quod humana ope deponi posse videatur. Iam vero Aeneas ad patrem pervenit, quum forte Anchises Romanos futuros recenset. Ita nullo negotio fit, ut Aeneas eos possit lustrare. Ut tamen iam in Elysio futuros esse Romanos comprobaret, usus est illa doctrina, iam ab antiquissimis populis tradita, qua certo tempore hominum animae in terram redire credebantur. Aeneae autem, omnibus presso vitae aerumnis, et quod qui unquam liberatus esset ex corpore terreno, in id reverti vellet, miranti Anchises omnem rerum ordinem exponit. In iis, quae de mente omnia regente et totam materiam permeante, quae de origine et natura animalium, de corpore animum tardante et de ortu et genere cupiditatum refert poeta, secutus est Zenonis disciplinam a Romanis maxime cultam et probatam. Id, quicunque illius doctrinam cognoverit, facile intelliget, et potest etiam loco Diogenis Laertii, quem attulit iam Lerschius antiq. Virg. p. 134. demonstrari. Ibi enim legitur: *δοκεῖ δ' αὐτοῖς* (Stoicis) *ἀρχὰς εἶναι τῶν ὅλων δύο, τὸ ποιοῦν καὶ τὸ πάσχον· τὸ μὲν οὖν πάσχον εἶναι τὴν ἄποιον οὐσίαν, τὴν ὕλην* (molem, materiam) *τὸ δὲ ποιοῦν τὸν ἐν αὐτῇ λόγον* (mens) *τὸν θεόν. τοῦτον γὰρ ἀΐδιον διὰ πάσης αὐτῆς δημιουργεῖν ἕκαστα — Οὕτω δὴ καὶ τὸν ὅλον κόσμον ζῷον* (spiritus intus alit) *ὄντα καὶ ἔμψυχον;* et Plutarcho teste *οἱ Στωικοὶ νοερὸν θεὸν ἀποφαίνονται, . . . πνεῦμα διῆκον δι' ὅλου τοῦ κόσμου* (mens infusa per artus). Alio loco Laertius refert, *πνεῦμα ἔνθερμον εἶναι τὴν ψυχὴν* dixisse Posidonium; et Zeno *ἐν τῷ περὶ παθῶν εἶναι γένη τέτταρα, λύπην, φόβον, ἐπιθυμίαν, ἡδονήν* docet. Iam quum animus corporis attactu sit contaminatus, quae est etiam sententia Ciceronis, quum aliis in locis, tum in somnio Scipionis, qui locus Virgiliano est aliquo modo similis: non statim ubi e corpore excessit, purus est et labe caret, sed multis et variis purgationibus exercetur, dum omnes corporis pestes excedant. Purae tandem et aetheriae per mille annos quum apud Inferos mansissent, iterum redeunt in vitam, omnium rerum anteactarum facta oblivione. Quod ad illum pertinet annorum numerum, iam auctor est Plato Rep. 5, 615 A., et eandem doctrinam repetiit Claudianus

(R. P. 1, 57.), quinti saeculi scriptor. Hac ratione inita Virgilius facillime sibi paravit viam ad Romanos enumerandos.

At vero interpretis est non silere quas non potest removere difficultates; quam ob rem hoc loco non praetermittam, quae mihi certe videntur esse obscura, memorare. Primum non constat apud Virgilium, quo in loco animae purgentur; deinde non apparet, quae animae purgentur, utrum tantum eorum qui Elysio digni sunt, an illi etiam, qui in Tartaro puniuntur; quos quum aeternas poenas pendere supra monuerit, restat ut eos significasse dicamus poetam, qui aut in Elysio sunt, aut in Orco ante Tartarum positi (v. 426—478). Quae si fuit poetae sententia, recte, ut opinor, iam ad v. 747 monitum est, sensim omnes in Tartarum perventuros. Aliter Plato, qui etiam sceleratis reditum dat quamquam non omnibus. Deinde videntur illae purgationes fieri alio quodam loco, postea purgatae animae in Elysium admitti, ubi tandem omni labe luuntur. Pauci tamen ad eum locum perveniunt, hi pauci in terram remittuntur; ex his versimile est paucos tantum in Elisium redituros. Erit igitur tempus, quo in Elysio nullae animae restent, in Tartaro omnes congregentur. Neque sublato versu 744 tollitur difficultas, sed tantum obscuratur. Itaque etiam hunc locum nondum perfecit poeta, ut v. 836, ut extremis vitae annis versus aliquot intulit, cf. v. 795. Hanc tamen rem quomodo sibi poeta conformaverit, quum nec certo demonstrari posse videatur, nec si nescitur, minus, quod fuerit poetae quum hunc locum scriberet consilium, cognoscatur: mittamus et transeamus tandem ad extremam libri partem:

Ordo, quo Romanos enumerat, non est temere factus, sed ita compositus, ut omnes, qui laudantur, in honorem adesse videantur Augusti. Proximos fore qui nominentur Anchisae nepotes, quis non exspectat? Attamen hoc ordine naturali, quo posteros ante alios eosque ipsos secundum tempus quo vixerunt profert, qui non a poeta electus, sed ex rerum natura praescriptus videtur, id assecutus est poeta, ut Augustum eorum extremum in splendidissimo dignitatis gradu posset collocare. Primus est Silvius filius; sequuntur Procas, Capys, Numitor, Silvius Aeneas. Omnes condent novas urbes et gentem augebunt. Iis annumerandus est, quod idem faciet, Romulus. At quam hic condet urbem! Quales illa viros proferet! Quos et Romam caput terrae et maximum fore Romanorum illustrium numerum animo qui praevidet Anchises, iam ipse abripitur et exsultat eius oratio, et in haec tandem verba erumpit:

Huc geminas nunc flecte acies, hanc adspice gentem
Romanosque tuos. Hic Caesar et omnis Iuli
Progenies, magnum caeli ventura sub axem.
Hic vir, hic est, tibi quem promitti saepius audis,
Augustus Caesar, Divi genus etc.
Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis.
Aut metus Ausonia prohibet consistere terra?

Iam confiteamur necesse est, nec Romanos unquam nec Augustum paucioribus verbis et gravioribus esse laudatum. Quod autem ad Augustum a Romulo delabitur Anchises, mirum non est, nam quum in urbe Roma mentem fixerit, quanta illa futura sit cogitans, non potest Augusti tempora et ipsum Augustum non cogitare. Neque erant satis clari Iuliae gentis homines, quos inter Romulum et Augustum inferret. Quare et simplicissimam reperimus hanc esse enumerationem et ad id quod spectaverit aptissimam. Quod si claros laudare Romanos decretum ei erat, non poterat praeterire reges. Ita fit, ut Augustus inter Romulum locum habeat et Numam. Illius nomen Octavianus sibi oblatum vehementer adamavit, sed ne tyrannidem quaerere videretur abnuit. Hic quod legibus urbem fundaverat, et quod deorum cultum instituerat, praedicabatur. Libidinem legibus coercere, deorum cultum revocare et imbuere animos religione, id studebat Augustus atque ob id studium saepe laudatus est. — Cum Numa iam altera sequitur series Romanorum. Tullus, Ancus, Tarquinii, Brutus, Decii, Drusi, Torquatus, Camillus, Pompeius, Caesar. Non ordine, quo vixerint, eos nominari non est quod moneam; neque decebat eos procedere, ut milites acie compositos. Desinit in Caesare, patre Augusti. Atque hunc locum imperfectum reliquit. — In tertia serie sunt Mummius, qui Graecos devicit, Cato Maior, Cossus, Gracchi, Scipiones, Fabricius, Serranus, Fabius Cunctator. Magnis illis viris memoratis, in quibus erant splendidissimae illae Romanae virtutes, amor patriae, fortitudo, fides, continentia, poeta deducitur ad id, ut proprias Roma-

norum artes dicat, et ad quod destinati sint Romani pronuntiet, scilicet: *regere imperio populos, pacisque imponere morem, parcere subiectis et debellare superbos.* — Pergit Anchises in recensendis umbris et monstrat Marcellum, Gallorum et Hannibalis victorem, qui tertius retulit spolia opima. Est sane hic vir dignus, qui omni laude cumuletur, quis negat? quis non reprehenderit poetam, si illum praetermisisset? Nihilominus tamen Aeneas in hoc non moratur, sed qui sit eius comes, statim ipse quaerit, quod nunquam fecit antea: tantus ei, qui ignorat, iam videtur. Hac quaestione iniecta transitus fit ad egregios illos versus, quibus laudatur ille Marcellus, filius Octaviae, gener Augusti, quem is sibi in imperio sperabat successurum, summae spei adolescentem, quem iniquum fatum Augusto et humano generi eripuit, quem totius populi luctus flevit. Quantopere hi versus ipsam Octaviam moverint, ut quum Virgilius qui recitabat tandem ad verba pervenisset: *tu Marcellus eris*, viribus deficeret, satis est notum. — Si haec in somniis monstrasset Aeneae Anchises, quantopere clamarent illi critici poetam delirare et ipsius somnii vanitate infringere suam historiam! Tres igitur vidimus poetam composuisse ordines, primum claudi ab ipso Augusto, secundum a Caesare, Augusti patre, tertium a Marcello, Augusti filio. Quos viros si uno tenore laudasset, alterius laudes alterum obscurrassent.

His dictis poeta noluit diutius tenere exspectationem, neque reditum Aeneae multis verbis describendum putavit.

P. VIRGILII MARONIS

AENEIDOS

LIBER SEPTIMUS.

Tu quoque litoribus nostris, Aeneia nutrix,
Aeternam moriens famam, Caieta, dedisti;
Et nunc servat honos sedem tuus, ossaque nomen
Hesperia in magna, si qua est ea gloria, signat.
At pius exsequiis Aeneas rite solutis,
Aggere composito tumuli, postquam alta quierunt
Aequora, tendit iter velis portumque relinquit.
Adspirant aurae in noctem, nec candida cursus
Luna negat; splendet tremulo sub lumine pontus.

1—24. Circes habitatio.

1. *Tu quoque* praeter Misenum 6, 232 et Palinurum 381. — *nostris*, Italicis. — *nutrix*. Nutricum magnus apud antiquos honos fuit et magna eorum qui nutriti erant in eas pietas. Cf. 4, 632. De Hebraeis 1. Mos. 35, 8. „Hanc alii Aeneae, alii Creusae, alii Ascanii nutricem volunt. Lectum tamen est in Philologis in hoc loco classem Troianorum casu concrematam. Unde Caieta dicta *ἀπὸ τοῦ καίειν*.“ S. Vides antiquos varia narrasse, et Strabo Formias urbem a Lacedaemoniis conditam esse dicit, qui *καϊάτταν* nominaverint sinum, *τὰ γὰρ κοῖλα πάντα καϊάττας οἱ Λάκωνες προςαγορεύουσιν· ἔνιοι δ᾽ἐπώνυμον τῆς Αἰνείου τροφοῦ τὸν κόλπον φασίν* 5, 3, 6, p. 233. Formiis erat aedes Apollinis et Caietae Liv. 40, 2.

2. *Caieta* (Gaëta) urbs et promontorium in Latii et Campaniae finibus. — Multa alia nomina, quae ad Aeneae historiam in Italia referebantur, poeta sciens omisit, ne taedium moveret.

3. Sedes h. l. est sepulcrum cf. 6, 328. — *Honos servat sedem* i. e. honos, qui Caietae tribuitur, caussa est, ut sepulcrum servetur.

4. *signat nomen ossa:* Ex nomine loci, cuius ossa ibi iaceant, perspicitur. Cf. Tac. Germ. 28 *Manet adhuc Boihemi nomen signatque loci veteris memoriam.* In Caietae sepulcrum carmen fecit Ov. M. 14, 443. 444. *Ld.* recepit *signant* quod est in MPγ. explicatque deine Gebeine drücken dem Orte den Namen als Stempel auf. — Magna dicitur Hesperia 1, 569, ut 4. 345 Italia. — *Si qua est ea gloria*, et est magna gloria in Hesperia loco nomen dedisse. Dubitans proponit sententiam, ut magis affirmet. *Pl.* delet 1—4. Cf. quae ad 6, 8 dicta sunt et 6, 901. Deinde v. 37 vult incipi librum, itaque 1—36 delendos putat.

5. *rite* cf. 5, 77.

6. *aggere tumuli* cf. 5, 52.

7. Exsequiis perfectis, ubi primum tempestas permittit, proficiscuntur. — *tendere iter* cf. 1, 656. — *portumque relinquit* cf. 8, 125.

8. *Adspirant* venti secundi cf. 2, 385.

9. Cf. Enni: *Lumine sic tremulo terra et cava caerula candent.* Ita *lumen tremulum* 8, 22, quod est solis radiis aqua mota repercussis. Ov. Her. 18, 59 *Luna fere tremulum praebebat lumen eunti.* Alia multa.

Proxima Circaeae raduntur litora terrae,
Dives inaccessos ubi Solis filia lucos
Adsiduo resonat cantu tectisque superbis
Urit odoratam nocturna in lumina cedrum,
Arguto tenues percurrens pectine telas.
Hinc exaudiri gemitus iraeque leonum
Vincla recusantum et sera sub nocte rudentum,
Saetigerique sues atque in praesepibus ursi
Saevire ac formae magnorum ululare luporum:
Quos hominum ex facie dea saeva potentibus herbis
Induerat Circe in voltus ac terga ferarum.
Quae ne monstra pii paterentur talia Troes
Delati in portus, neu litora dira subirent,

10. *Circaeae terrae.* Consulto *terrae* dixit vocabulo ambiguo, quum Homerus Circen in insula habitasse narrasset, Virgilii autem tempore et Circaeus mons (monte Circello) et promontorium (ubi nunc castellum San Felice) et urbs Circeii essent in terra continenti. Quod insulam memorat Homerus, orta videtur veterum, ut Varronis, opinio, cf. ad 3, 386, qua siccatis quae interfuissent paludibus insulam cum terra putabant coaluisse. Idem traditur de Terracina cf. 799. Quamquam locorum natura illam narrationem facit certe probabilem. De Circe maga et venefica multus est Hom. Od. 10, 136 sq. quare brevi rem conficit Virgilius, neque Troianos adeuntes facit insulam, ne Homerica narrando languorem, nova fingendo reprehensionem moveret legentium. Circeii urbs colonia Tarquinii Superbi in Volscis, propter Pomptinas paludes non salubris. — *raduntur* cf. 3, 700.

11. *dives*, ut dea. Cf. Hom. l. l. — *inaccessos* „inaccessibiles" S. proprie qui non adeuntur sc. ob periculum. Nam participia passiva cum *in* composita rem omnino factam non esse significant. Nos inde rem fieri non posse concludimus et praeferimus *unzugänglich.* — Ad haec verba cf. *implacata Charybdis*, *inexhausta metalla*, *illaudatus Busiris*, alia. Est autem „inaccessum, participium sine verbi origine... Et quaeritur quis hoc ante Virgilium dixerit" S. ad 8, 195 Post eum alii. — Circe, cuius frater Aeetes, filia Solis et Persae, Oceani filiae cf. Od. 10, 137 sq. — *lucos* memorat v. 150.

12. *resonat* „resonare facit." S. Ita *requiesco* Ecl. 8, 4 *suos requierunt flumina cursus.* Sil. 14, 30 *resonant Helicona Camoenae* i. e. cantu. Cf. insonare v. 451. — *assiduo cantu* cf. Hom. v. 221 sq. — *tecta superba* cf. Hom. v. 210. 311.

13. *Cedrum* odoratam cf. 11, 137. — *in lumina*, ut luceant cf. 6, 42.

14. *arguto pectine* cf. Voss. ad G. 1, 294 *arguto coniunx percurrit pectine telas.* Cir. 178 *Non Libyco molles plauduntur pectine telae.* *Pecten*, quo densantur fila, ap. nos *Kammlade;* quod intelligitur etiam ex Ov. M. 6, 53 sq., ubi accurate ars textoria describitur; non *radius*, κέρκις. *Webeschiff*, *Schütze;* ut male h. l. accipitur ab iis, qui ab Homero omnia sumpta esse arbitrantur, et h. v. explicant ex Od. 5, 62. In rem faciet etiam alius Ovidii locus Fast. 3, 819 *Illa* (Minerva) *etiam stantes radio percurrere telas Erudit, et rarum pectine denset opus.* — *Argutus* igitur non de sono, qui fiat, sed de forma accipiendum, ut *serra arguta* dicitur G. 1, 143.

15. *exaudiri* inf. abs. cf. 3, 141. — Ex vinculis *gemitus* iraeque oriuntur: mox ingemiscunt ob miseram sortem, mox irascuntur. Non est „gemitus irascentium leonum".

16. *sera sub nocte* „quasi eo tempore, quo naturali libertate uti consueverunt." S. *sub* c. abl. cf. 1, 662.

17. *praesepibus* „caveis ubi aluntur; non enim revera praesepia habent." S.

18. *formae luporum* cf. 4, 132.

19. *potentes herbae*, magicae, quae possunt naturam alicuius permutare; ita 12, 402. Ov. M. 4. 49. — Ita *potestas herbarum* 12, 396 et *potentia* Ov. M. 1, 522 memoratur, et *fortes* dicuntur M. 15. 534 et *pollentes* Fast. 2, 425. Apud Homerum modo hominum forma (cf. 240), ap. Virgilium et animus fingitur mutari.

20. *quos induerat in voltus* ut G. 1, 188 *nux se induet in florem.* *Terga* autem memorat, quod in iis apparet maxime beluarum pronarum et hominum erectorum diversitas.

22. *delati:* siquidem delati essent. et

Neptunus ventis implevit vela secundis
Atque fugam dedit et praeter vada fervida vexit.
 Iamque rubescebat radiis mare, et aethere ab alto
Aurora in roseis fulgebat lutea bigis:
Quum venti posuere omnisque repente resedit
Flatus et in lento luctantur marmore tonsae.
Atque hic Aeneas ingentem ex aequore lucum
Prospicit. Hunc inter fluvio Tiberinus amoeno
Verticibus rapidis et multa flavus arena
In mare prorumpit; variae circumque supraque
Adsuetae ripis volucres et fluminis alveo
Aethera mulcebant cantu lucoque volabant.
Flectere iter sociis terraeque advertere proras
Imperat, et laetus fluvio succedit opaco.
 Nunc age, qui reges, Erato, quae tempora rerum,

illud *siquidem* inest in enuntiati primarii conformatione, non in participio, quod ubique retinet vim suam simplicem. — *litora dira*, quod dira dea incolit cf. ad 1, 355.

24. *fugam*, celerem navigationem cf. 1, 317.

25—36. Troiani ad Tiberis ostia appellunt.

26. *bigis* cf. 6, 535. „Lutea est crocei coloris, ut E. 4, 44 *croceo mutabit vellera luto.* Unde multi iungunt *inroseis* i. e. non rubicundis, ne sit contrarium.“ S. Melius Schraderus et Bentleius *croceis* pro *roseis* legi iubent, mutatione facillima, quae firmatur ab Ausonio Perioch. VIII Iliados: *Aurora in croceis fulgebat lutea bigis*, qui interpretatur verba Homeri: Ἠὼς κροκόπεπλος. Nihil tamen mutandum esse censeo, saepissime enim animadverti per croceum colorem aurorae tractum esse limitem roseum et rutilum. *Pl.* in Aurora luteum et roseum colores iunctos esse negat et *Rb.*, qui dat *variis*, et alii. Sine dubio viri doctissimi Auroram surgentem non saepe observaverunt.

27. *venti posuere.* 10, 103 *Zephyri posuere.* Ov. Her. 7, 49 *iam venti ponent.* De intransitivo cf. 1, 104. — *quum* c. perf. cf. 3, 590.

28. *marmor* cf. 6, 729. — *lentus.* Sic ap. Luc. 5, 434 *aequora lenta iacent.*

30. In Tiberi vel prope ostium fuisse vortices docet Ov. F. 6, 502.

31. *Flavus* constans est apud Romanos Tiberis epitheton.

32. *Rb.* coni. *circum superaque (!)*, quod in *circumque supraque* sit breve *u*, quod longum esse soleat.

34. *mulcebant cantu* ita Ov. F. 1, 155 *tepidum volucres concentibus aera mulcent.* — *luco* abl. loci. *Lucus*, quod est sacer fluminis numini. — Locus, ad quem accedunt, pacem et securitatem promittere videtur; bonum igitur omen est.

35. *flectere iter* cf. 5, 28. — Et solis ortus et loci natura accurate describitur ob rei quae fit gravitatem; iam enim loca fatis debita Aeneas adiit. Notandum silvas Laurentinas iam non esse: sed poetae tempore magnas fuisse cf. v. 797. Mutata regio iam Rutilii tempore Itin. 1, 181 *Laevus inaccessis fluvius vitatur arenis, hospitis Aeneae gloria sola manet.*

37—45. Musae invocatio.

Invocatio Musae in magnae rei initio sollemnis. Orditur autem Vgl. alteram partem carminis sui et res in Italia gestas describit, ubi praeter artem, qua singula invenit et coniunxit, maxime placet locorum et hominum clarorum apta commemoratio. Hac etiam in carminis parte magis elucescit illud poetae fuisse consilium, servare antiquissimas fabulas et efferre laudibus Romam populumque Romanum, ut Romani, quum maiorum facta legerent et mores et instituta, ad pristinam illam virtutem et castimoniam deorumque reverentiam excitarentur, qua illi summum gloriae et potentiae fastigium assecuti erant; quare maius opus ordiri se dicit v. 45. Id vero consilium ita tecte exsequitur, et ipsa narratione laudes ita connectit, ut ultro oblatae videantur, eaque re vel magis delectent. Itaque si quis est amator antiquitatis, si quis compositionis artificiosae cultor, legat hos libros et leget summa cum voluptate.

37. *Erato* pro Musa omnino, ita Erato antiquas fabulas Ovidio narrat Fast. 4,

Quis Latio antiquo fuerit status, advena classem
Quum primum Ausoniis exercitus adpulit oris,
Expediam, et primae revocabo exordia pugnae.
Tu vatem, tu, diva, mone; dicam horrida bella,
Dicam acies actosque animis in funera reges,
Tyrrhenamque manum totamque sub arma coactam
Hesperiam. Maior rerum mihi nascitur ordo;
Maius opus moveo.
Rex arva Latinus et urbes
Iam senior longa placidas in pace regebat.
Hunc Fauno et nympha genitum Laurente Marica
Accipimus. Fauno Picus pater; isque parentem
Te, Saturne, refert; tu sanguinis ultimus auctor.
Filius huic, fato divom, prolesque virilis
Nulla fuit, primaque oriens erepta iuventa est;
Sola domum et tantas servabat filia sedes,
Iam matura viro, iam plenis nubilis annis.

195 et invocatur ab Apollonio Rhodio 3, 1. Quare explicatio Weidneri p. 63 Eratonem invocatam esse h. l., quod fuerit amata Arcadis et hoc loco Arcadis Evandri res gestae narrentur, aut quod Panos Erato sit vates Paus. 8, 37, 9, nimis docta videtur esse. — *tempora rerum:* quae rerum conditio fuerit, ut saepe *tempus* usurpatur.

39. *Exercitus* recte dicuntur Troiani; quum paene omnes, qui arma ferre non poterant, in Sicilia relicti sint cf. 5, 700 sq.

41. *mone:* ita Ov. F. 1, 467 *ipsa mone*, 3, 261 *Nympha mone*, Val. Fl. 1, 5 *Phoebe mone*, 6, 34 *Musa mone.* ut hoc verbum in ea re sollemne esse videatur. Monent etiam qui futura praedicunt cf. 110.

42. *reges actos animis in funera:* aut qui ipsi in mortem irruerunt, ut Turnus, Mezentius; aut qui in funera, caedes et bella animis impendebant. Hoc praestat, quod etiam sequenti versu sermo est de belli apparatu.

45. *moveo* cf. 1, 262.

45—106. Latii status. Prodigia Troianos adventuros indicant.

47. *Laurente Marica.* „Est autem Marica dea litoris Minturnensium iuxta Lirim fluvium.“ S. Ad Lirim autem Laurentes non pertingebant, quare aut aliam intellexit Maricam, (quod facile fieri potuit in tanta fabularum confusione) aut liberiore usu vocabulum transtulit, ut Turnum Laurentem dicit 650, qui est Ardeae rex, quae urbs Laurento adiacet. Cf. 1, 235 et Nieb: „Nur darf nicht übersehen werden, dass Virgil, nach der spätern Dichterschule Art, sich unbestimmten Gebrauch in weiterem Umfang frei hält.“ Röm. Gesch. Ita et Serv. qui: „Dii topici i. e. locales ad alias regiones nunquam transeunt. Sed potest dictum esse per poeticam licentiam Laurente Marica: quum sit Minturnensis. Dicunt alii per Maricam Venerem intelligi debere, cuius fuit sacellum iuxta Maricam, in quo erat scriptum ναὸς τῆς Ἀφροδίτης. Sane Hesiodus (Theog. 1011) Latinum Circes et Ulixis filium dicit, quod et Virgilius tangit dicendo: 12. 164: *Solis avi specimen.*“ Miscent enim ubique Romani et Graecorum fabulas et suas, ut saepe videmus. Secundum alios ex filia Fauni et Hercule Latinus natus est Iustin. 43, 1. — Attamen Laurens Marica dici potest ea, quae Laurens est facta, quum Fauno nuberet. Atque ita omnis tollitur licentia, quam ne post Niebuhrii verba nimiam fuisse credamus, admodum est cavendum.

48. *Accipimus.* audimus (cf. 2, 65) et „pro magna teste vetustas creditur, acceptam parce movere fidem“ Ov. F. 4, 203. Cf. 1, 15. De tempore praesenti cf. Gr. § 455, g.

49. *Ultimus*, extremus, ad quem usque auctorem gens reducitur. De Saturno cf. 6, 794. — *Refert* quasi filius patrem, cuius est simillimus.

51. *prima — iuventa est* delet *Pl.*

52. *tantas servabat sedes:* tantum patrimonium. Stat. Theb. 1, 572 *servabat nata penates*, cf. 6, 556.

53. *matura viro* etc. quae nubilis erat cf. Val. Fl. 1, 53 *necdum mea proles imperio et belli rebus matura mariqne.*

Multi illam magno e Latio totaque petebant
Ausonia; petit ante alios pulcherrimus omnes
Turnus, avis atavisque potens: quem regia coniunx
Adiungi generum miro properabat amore;
Sed variis portenta deum terroribus obstant.
Laurus erat tecti medio in penetralibus altis,
Sacra comam, multosque metu servata per annos,
Quam pater inventam, primas quum conderet arces,
Ipse ferebatur Phoebo sacrasse Latinus,
Laurentesque ab ea nomen posuisse colonis.
Huius apes summum densae — mirabile dictu! —
Stridore ingenti liquidum trans aethera vectae,
Obsedere apicem, et, pedibus per mutua nexis,
Examen subitum ramo frondente pependit.
Continuo vates, Externum cernimus, inquit,
Adventare virum, et partes petere agmen easdem
Partibus ex isdem, et summa dominarier arce.
Praeterea, castis adolet dum altaria taedis,
Et iuxta genitorem adstat Lavinia virgo,
Visa, nefas, longis comprendere crinibus ignem,

54. *Latio* „Latium pars est Ausoniae.“ S. — *petebant:* petere de procis puellam ambientibus proprium. Cf. 1, 536.

56. *Turnus avis atavisque potens.* Sic Sil. 8, 385 dixit *avis pollens.*

57. *amore*, desiderio, studio cf. 2, 10.

58. *variis*, ut statim memorantur apes, incendium et oraculum Fauni.

59. *tecti medio* cf. ad 1, 422. Quod praepositio alteri tantum verbo apposita est cf. 6, 692 — *in penetralibus;* „Penetrale est omnis interior pars domus, licet sit intecta.“ S. Ita 4, 504 penetralis sedes, ut hoc loco, impluvium est, „quod quattuor aedium lateribus inclusum, luxus Romanorum porticibus cingebat, statuis ornabat et conserebat amoeno arboreto cum ambulationibus et xystis.“ Iani ad Hor. C. 3, 10, 5 *Audis quo strepitu nemus inter pulchra satum tecta remugiat.* Tib. 3, 3, 15 *nemora in domibus sacros imitantia lucos.* Hic luxus ortus est ex religione, qua arbor tamquam pignus domus et familiae colebatur, praesertim si sponte enata erat. Cf. Liv. 43, 13. Suet. Aug. 92 *Enatam inter iuncturas lapidum ante domum suam palmam in compluvium deorum Penatium transtulit, utque coalesceret magnopere curavit.* Ex quo loco aram fuisse in compluvio intelligimus Penatium, quod firmat locus 2, 512.

60. *sacra comam:* Itaque frondes non carpebantur. — *metu* sc. deorum cf. 6, 10.

61. *primas quum conderet arces* i. e. quum arcem condere inciperet. Sic 3, 17 *moenia prima loco;* et 6, 811. 8, 561. Cf. Gr. § 368. — Non dissimilis est usus praepositionum 6, 203.

62. *Phoebo* bene et laurus sacratur et oraculum datum convenit.

63. *Laurentes — nomen pos.* cf. 3, 18. — *quam — ab ea* cf. 12, 944.

65. *Vectae* signat mari advectos; *obsedere*, voc. militare, bellum futurum indicat; et quod apicem occupant arboris in domo media, victores fore externos illos declaratur. Id prodigium ap. Romanos saepe observatum est cf. Liv. 21, 46. 24, 10. 27, 23 et 35, 9 examen vesparum. Cic. Div. 1, 33, 73 etc.

66. *per mutua* pro adverbio ad 5, 793. *Ld.* monet hanc formulam non legi, nisi hoc loco. — De re cf. G. 4, 555 sq., si nondum vidisti ipse.

67. *subitum* cf. 5, 137.

70. *partibus ex isdem*, e quibus apes advenerint.

71. *castis* i. e. puris, rite ad sacra paratis. Ita res in sacris adhibitae etiam piae dicuntur; ut far pium cf. 4, 517. — *adolet* cf. 1, 704.

72. *et* MRγb rec. *Rb. Ld.* et nunc etiam *Wg.* Ante legebatur *ut*, quod probatur ex 5, 388, sed non videtur niti Mssis. — *Adstat* non ipsa sacrificatura, coronam enim gerit gemmis ornatam, quod regium est insigne, non vittis et infulis tectam, qualis est sacrificantium.

73. *visa.* Hoc vocabulum ubique in

Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari,
Regalesque accensa comas, accensa coronam,
Insignem gemmis; tum fumida lumine fulvo
Involvi, ac totis Volcanum spargere tectis.
Id vero horrendum ac visu mirabile ferri:
Namque fore inlustrem fama fatisque canebant
Ipsam, sed populo magnum portendere bellum.
At rex sollicitus monstris oracula Fauni,
Fatidici genitoris, adit, lucosque sub alta
Consulit Albunea, nemorum quae maxima sacro
Fonte sonat saevamque exhalat opaca mephitim.

ostentis usurpatur, cf. 2, 271. — *comprendere ignem* quaesita structura; vulgaris erat: ignis comprendit crinem, similis est 6, 353 et 229.

74. *Ipsa cremari* videtur omnem *ornatum*, *accensa coronam;* de structura accusativi cf. 2, 273. — Flammam crepitantem dicere amabant Latini, ut multis exemplis docet Bentl. Hor. C. 4, 11, 11.

75. *accensaque* — *accensa* cf. 10, 313.

76. *fumida* „in fumo est caussa lacrimarum." S. Taedae fumantes in funeribus adhibebantur cf. 4, 384. Ita et lumen fulvum triste aliquod portendebat. Cf. 10, 273. „His duobus hoc ab augurio distat Ascanii (2, 683) fumo et aspersione flammarum." S. — Hunc versum delet *Rb.* natum ex dittographia. Scripsisse autem fingit v. 74 postea eum amplificasse versibus 75 — 77 et v. 74 delere voluisse. Cur igitur Vgl. non delevit? *Pl.* coni.: *ignem: Regalesque — coronam Insignem gemmis, tum fumida, lumine f. Involvi, atque omnem fl. cr. cremari Ornatum, ac totis V. s. t.!*

81. *monstrum* cf. 3, 26.

82. *genitoris* cf. v. 47. — Faunus autem clarus est per oracula quae dat cf. Ov. F. 3, 295 sq. Hoc loco Servius Fauni nomen deducit ἀπὸ τῆς φωνῆς, ad G. 1, 10 Faunos dictos esse dicit quod faveant. „Fauni dei Latinorum, ita ut Faunus et Fauna sit; hos versibus, quos vocant Saturnios, *in silvestribus locis* traditum est solitos fari futura, a quo fando Faunos dictos" Varr. LL. 7, 36.

83. *Albunea* „sciendum, unum esse nomen fontis et silvae." S. Itaque lucos adit, qui sub alta illa silva sunt, (similis locus describitur 8, 598) quae maxima est nemorum et resonat sacro fonte, qui inest; in iis lucis Fauni est oraculum. Lucus autem est pars nemoris, nec luci sunt arboribus consiti, cf. 8, 104. Liv. 24, 3 *Lucus ibi, frequenti silva et proceris abietis arboribus saeptus, laeta in medio pascua habuit.* Cic. Legg. 2, 8 *lucos in agris habento et Larum sedes.* Neque omnino *lucus* vocabulum silvam significat. Ita omnia facilia et plana sunt et concordat adiectivum *opaca* et quae habet Probus ad G. 1, 10 „Oraculum eius (Fauni) in Albunea Laurentinorum silva est," et Bonstetten invenit fontem non procul a templo Annae Perennae prope viam Ardeatinam, qui nunc dicitur *Acqua solforata d'Altieri.* Sed tamen quum Hor. C. 1, 7, 12 fontem *Albuneam resonantem* prope Tibur oppidum memorasset, et Albuna aliqua inter Sibyllas proferretur Tib. 2, 5, 69, et Tiburtis aliqua esset Sibylla, quae etiam ap. Lactant. 1, 6, 12 dicitur Albunea: Virgilium eundem locum intelligere putaverunt, quem Horatius signasset, et Albulas aquas, quae et ipsae sulphureae sunt, et nunc dicuntur *Solfatara di Tivoli*, intellexerunt. Sed talibus in rebus vetustate obscuratis error facilis est, iam propterea, quod loca eiusdem nominis plura saepe inveniuntur; neque oraculum hoc Fauni, quod omnes Italiae gentes petisse dicuntur, aliunde notum est. Ov. F. 4, 649 memorat Faunum incubatione oraculum per noctem dedisse „ubi silva vetus, nullaque diu violata securi stabat." — *sacra fonte:* „Nullus enim fons non sacer." S. „Magnorum fluminum capita veneramur, subita et ex abdito vasti amnis eruptio aras habet" Sen. Ep. 41. 3. Inde Horatius fontem omnino signans dixit: *aquae lene caput sacrae* C. 1, 1, 22. Tamen quum hoc loco oracula fiant, eam ob caussam sacrum esse fontem putaverim.

84. „Mephitis proprie est terrae putor, qui de aquis nascitur sulphuratis et est in nemoribus gravior ex densitate silvarum." S. Quam propensi autem fuerint veteres, omnes res a divina potentia ortas cogitare, inde potes intelligere, quod Mephitis deae aedes erat in Hirpinis ad Amsancti vallem cf. v. 564 sq. *Pl.* coni. *exhalant stagna m.*

Hinc Italae gentes omnisque Oenotria tellus,
In dubiis responsa petunt. Huc dona sacerdos
Quum tulit et caesarum ovium sub nocte silenti
Pellibus incubuit stratis somnosque petivit:
Multa modis simulacra videt volitantia miris,
Et varias audit voces, fruiturque deorum
Colloquio atque imis Acheronta adfatur Avernis.
Hic et tum pater ipse petens responsa Latinus
Centum lanigeras mactabat rite bidentes,
Atque harum effultus tergo stratisque iacebat
Velleribus: subita ex alto vox reddita luco est:
Ne pete connubiis natam sociare Latinis,
O mea progenies, thalamis neu crede paratis;
Externi venient generi, qui sanguine nostrum
Nomen in astra ferant, quorumque ab stirpe nepotes
Omnia sub pedibus, qua Sol utrumque recurrens
Adspicit Oceanum, vertique regique videbunt.
Haec responsa patris Fauni monitusque silenti
Nocte datos non ipse suo premit ore Latinus,
Sed circum late volitans iam Fama per urbes

85. *Italia* et Oenotria h. l. idem significant, terram, quae Virgilii tempore Italia dicitur, cf. 1, 532.

88. „Incubare dicuntur proprie hi qui dormiunt ad accipienda oracula. Unde est (Plaut. Curc. 2, 2, 16) *incubat Iovi* i. e. dormit in Capitolio, ut responsa possit accipere.“ S. Describitur oraculum, quod incubatione accipitur, *ἐγκοιμήσει;* qua autem ratione petitum sit, satis declaratur verbis poetae. Multaque erant apud Graecos talia oracula, sacra maxime vatibus antiquis, ita Amphiarai Oropi et Thebis, Trophonii ad Lebadeam (de quo insignem locum ap. Paus. 9, 39) Calchae in Daunia, Aesculapii Epidauri et in Co insula, Inus in Laconia (Paus. 3, 26, 1), Plutonis et Proserpinae prope Nysam: alia.

89. *modis miris* cf. 1, 354.

91. *Acheronta* „potestates quae sunt in Acheronte, ad quem per Avernum venitur, hoc autem ideo, quia Faunus infernus dicitur deus.“ S.

92. *et tum:* Eo tempore, quo illud visum acceperat, ipse adiit lucum, ut ipse non ex aliis legatis fatum cognosceret.

93. *centum* „pro qualitate fortunae“ S. — *Rite* cf. 3, 369. — *bidentes* cf. 8, 544.

95. Voces ex lucis et montibus editae saepe inter prodigia apud Livium memorantur et Fauno maxime tribuebantur. Cf. Cic. de div. 1, 45, 101.

96. *connubiis* cf. 1, 75. — *Peto* cum infinitivo Ov. M. 8, 421 *victricemque petunt dextrae coniungere dextram.* 14, 570 *Nec te, Lavinia virgo, sed vicisse petunt.* Cf. 2, 33.

97. *Progenies* de uno filio, ut 1, 19. — *thalamis paratis* sc. Turni. Cf. v. 54.

98. *Generi* ut v. 96 *connubia* pluralis signat genus omnino, connubium, gener aliquis. Cf. Gr. § 362, 4, An. 2. — „*Venient* (MPRγbc), melius *veniunt*, ut iam eos venire significet.“ S. Nescio cur sit futuro praesens melius. Praesens etsi non improbo, tamen ut ex Servii verbis ortum reieci. — *sanguine*, progenie cf. 6, 836.

99. *ferant — videbunt.* Ita explica: Generi tales, ut ferant, et relativo definitur, quales sint. Alterum *quorum* narrantis est: eorumque nepotes videbunt sub pedibus „sub imperio suo ac potestate“ S. totum orbem terrarum.

100. *recurrens.* Ab oriente ad occidentem retro currit sol per diem. — *Uterque Oceanus* est, qui in extremis terrae finibus est; ita *utrumque litus* G. 3, 33. Prop. 3, 9, 53 extremae Orientis et Occidentis partes sunt. Hoc in oraculo verborum animadverte gravitatem et amplitudinem.

101. *vertique r. v.* „Dubito an haec sit manus Virgilii. Elegantius certe foret: *domini regesque videbunt.*“ *Pl.*

102. *Monitus*, *monitio*, *monitum* quomodo differant cf. Gr. § 206, 6. 7.

103. *Non premit ore*, non silet „quo a se repelleret generos“ S.

104. *Sed* „malim *et*“ *Pl.*

Ausonias tulerat, quum Laomedontia pubes
Gramineo ripae religavit ab aggere classem.
Aeneas primique duces et pulcher Iulus
Corpora sub ramis deponunt arboris altae,
Instituuntque dapes, et adorea liba per herbam
Subiiciunt epulis, — sic Iuppiter ille monebat —
Et Cereale solum pomis agrestibus augent.
Consumptis hic forte aliis, ut vertere morsus
Exiguam in Cererem paenuria adegit edendi
Et violare manu malisque audacibus orbem
Fatalis crusti patulis nec parcere quadris:
Heus! etiam mensas consumimus, inquit Iulus: —
Nec plura alludens. Ea vox audita laborum
Prima tulit finem, primamque loquentis ab ore
Eripuit pater ac stupefactus numine pressit;
Continuo, Salve fatis mihi debita Tellus,
Vosque, ait, o fidi Troiae salvete Penates;
Hic domus, haec patria est. Genitor mihi talia namque,

105. *iam — quum* cf. 4, 586. — *Laomedontia pubes* cf. 3, 248.

106. *Religavit* i. e. alligavit cf. 9. 352; ita Hor. C. 1, 32, 7 *iactatam religavit udo litore navim*, Ov. M. 13. 439 *litore .. classem religarat*, Caes. BC. 3, 15 *neque naves ad terram religandi potestas erat.* — *Ab aggere religare.* Ov. F. 4, 331 *querno religant a stipite funem*, Cic. Inv. 2, 51 *funiculo, qui a puppi religatus scapham annexam trahebat.*

107 — 147. Aeneas fatalem se sentit terram attigisse.

107. Animadverte, quanta arte rem tenuem Vgl. auxerit, et quanto verborum delectu rem ornaverit simplicissimam. Sed alias rei tenuis ornata descriptio risum potest movere; hoc loco apta est, quod magnum inest omen. Variavit autem *dapes*, *adorea liba*, *Cereale solum*, *Ceres*, *orbis fatalis crusti*, *quadrae*. Cf. 3, 46.

109. *adorea liba* „Ador proprie est genus farris [cf. Plin. 18, 8, 19 *far quod adoreum veteres appellavere*] Liba autem sunt placentae de farre, melle et oleo sacris aptae.“ S. Libis substratis imponunt cibos et poma. — *per herbam* cf. 5, 102.

110. *Iuppiter ille* M2 et Serv., qui „ille, qui per Harpyiam vaticinatus est.“ cf. 3, 255. — *ipse* M1PRγbc rec. *Jh. Rb.* nec absonum est, sed auctoritas vocis *ille* maior. — *Monere* autem dii dicuntur homines et oraculis et prodigiis et somniis, ut Ov. M. 9, 700. Ita monere dicuntur, qui futura indicant, E. 9, 15. Ov. F. 6, 766. Cf. *monitus* v. 102 et *monitum* 8, 504 et *monstrum.*

111. „*Solum* omne dicitur, quod aliquid sustinet. Sic nunc paniceas mensas i. e. epularum sustentaculum *solum* vocavit.“ S. — *augent pomis: Augere* enim *aliquem* vel *aliquid aliqua* re est et ornare, instruere, aliquam rem alicui adiicere. Cf. 9, 407 *aram augere donis.* Alia exempla lexica dabunt.

113. *paenuria edendi*, i. e. eius quod edendum erat, cibi.

114. *violare:* Liba enim sacra attingere vetitum erat, hinc etiam *audax.* — *Violantur* liba omnino, quod atteruntur. — Bene Iulo praecipue hoc tribuitur; ap. Dion. 1, 55 incertus quidam est. Servius ad 3, 257 mensas ex frumento confectas, paniceas dictas, diis Penatibus narrat esse consecratas.

117. *alludens:* ludens et iocans haec dixit. Ea vox, quae audita est, prima erat, quae tulit finem.

118. *primam*, ut primum audita est. Cf. 61.

119. *Eripuit*, celeriter excipit dictum, statimque *premit* Ascanii vocem, interpellando, ne infausta ille adiiciat; ipse autem statim precatur. — *numine*, eius enim auxilio res horrenda facili negotio expeditur.

120. *Salve* est venerantis, ut 5, 80.

121. *fidi*, qui me nunquam reliquistis.

122. *Namque* ex versus ratione iungendum cum prioribus verbis, non cum *nunc repeto;* ad sententiam non multum interest, quo referatur. *Namque* post plura verba positum vide 5, 733.

Nunc repeto, Anchises fatorum arcana reliquit:
Quum te, nate, fames ignota ad litora vectum
Accisis coget dapibus consumere mensas,
Tum sperare domos defessus, ibique memento
Prima locare manu molirique aggere tecta.
Haec erat illa fames; haec nos suprema manebat,
Exitiis positura modum.
Quare agite, et primo laeti cum lumine solis,
Quae loca, quive habeant homines, ubi moenia gentis.
Vestigemus, et a portu diversa petamus.
Nunc pateras libate Iovi, precibusque vocate
Anchisen genitorem, et vina reponite mensis.
Sic deinde effatus frondenti tempora ramo
Implicat, et Geniumque loci, primamque deorum
Tellurem, Nymphasque, et adhuc ignota precatur
Flumina; tum Noctem, Noctisque orientia signa.
Idaeumque Iovem, Phrygiamque ex ordine Matrem
Invocat, et duplices Caeloque Ereboque parentes.

123. *repeto* sc. memoria cf. 3, 184. — Anchises, ut vidimus, ubique fuit deorum interpres et vates cf. 5, 47; quare etiam arcana fatorum reliquisse dicitur, quae ab eo ut alia in Elysio Aeneas videtur accepisse. Haec arcana finxisse Virgilium hoc loco, quamquam antea non memoraverit, non est quod vituperemus. Neque iure reprehenditur, quod quum Celaeno illud oraculum dedisset 3, 255, et Helenum ipse de eo consuluisset v. 394, hoc loco patris vaticinium intulit. Neque enim Celaeno, neque Helenus, quando mensas consumerent, tempus et locum urbis condendae iam adesse dixerunt. Id fore e patre audivit. Neque furiam infausto omine memorat sed patrem. *Rb.* in hoc offenditur.

126. *Tum memento sperare et locare etc.*

127. *molirique aggere tecta;* urbem condere aggere et vallo ducto cf. 3, 6. *Pl.* eiicit *defessus* — *tecta; locare tecta* cf. 3, 17.

129. *exitiis* MPγbc grave vocabulum pro infortunio, ita 10, 850. Hoc loco *exitia* sunt quae nascuntur erroribus; *exiliis* dat *Rb. Positura*, constituta ut ponerent.

133. Ad litus appulsi, fatale se arvum tenere nescientes, cibum parant, modo ut satientur; iam vero omine tam laeto accepto et gratiae diis agendae sunt, et quum eo ipso loco manendum sit, dii indigetes sunt venerandi. — Itaque primum Iovi et Anchisae, qui iam inter deos relatus est cf. 5, 58 sq., libatur, quod ab iis est oraculum; deinde genio loci, in quo mansuri sunt. Deinde aliis omnibus, ne quisquam eorum offendatur cf. 3, 19. — *pateras libare* cf. 3, 354.

134. *Reponite mensis* formula est dicendi cf. 1, 216. *Rb.* eiicit *et* — *mensis*, „quoniam mensas consumpserant".

135. *deinde* cf. 5, 14. — *ramo implicat*, ut semper festis diebus et in re sacra fit.

136. *genium loci* cf. 5, 95. — *primamque deorum Tellurem*, cf. Soph. Ant. 338 *θεῶν τὰν ὑπερτάταν Γᾶν.* Prima est deorum, quum ex ea ceteri sint generati, cf. Hes. Theog. 44, quare etiamnunc primum et honoratissimum inter eos locum obtinet. Alia est explicatio: et primam inter deos invocat Tellurem. — *Primam deorum* dictum est ut Hor. S. 1, 1, 100 *fortissima Tyndaridarum*. Flor. 3, 10 *immanissimi gentium Galli*. Neque aliter dici potest. Cf. Gr. § 235, An. 6.

138. *ignota flumina* sc. Tiberim cf. 11, 659.

139. *ex ordine* cf. 177, ex certa formula, a qua decedere nefas est. — *Phrygia mater* Cybele. Eius cultus tandem bello Punico secundo inductus est, quum Pessinunte eius simulacrum arcessebatur: (de qua re cf. praeter alios Ov. Fast. 4, 181 sq.) sed Vgl. fingit eum iam ab antiquissimis temporibus viguisse; et si Troiani immigraverant et imperium erant nacti, Phrygia mater culta debebat esse. Cf. ad 3, 111.

140. *duplices* duo, ambo. Cf. ad 1, 93. — In *Caelo* Venus, in *Erebo* An-

Hic pater omnipotens ter caelo clarus ab alto
Intonuit radiisque ardentem lucis et auro
Ipse manu quatiens ostendit ab aethere nubem.
Diditur hic subito Troiana per agmina rumor,
Advenisse diem, quo debita moenia condant.
Certatim instaurant epulas, atque omine magno
Crateras laeti statuunt et vina coronant.
Postera quum prima lustrabat lampade terras
Orta dies, urbem et fines et litora gentis
Diversi explorant; haec fontis stagna Numici,
Hunc Thybrim fluvium, hic fortes habitare Latinos.
Tum satus Anchisa delectos ordine ab omni
Centum oratores augusta ad moenia regis
Ire iubet, ramis velatos Palladis omnes,

chises est. Cf. 3, 503. — Laetum omen tria fulmina claro caelo. Cf. 8, 527.

143. *instaurant epulas* cf. 4, 63.

144. *diditur* rumor, ita fama 8, 132. Sil. 1, 186 *fama in populos didita;* alii saepissime. Alii libri dant *deditur*, alii *dicitur*.

147. *Crateras statuunt*, in quibus vinum misceatur. — *vina coronant* cf. 1, 724. Versus 146. 147 „vanissimos" interpolatori tribuit *Rb.* Sed sunt necessarii, ut monstretur, qua laetitia affecti fuerint, quum tandem locum fato debitum attigissent. Mirum autem, quod consumpsisse omnia Troianos opinatur, quibus in longum iter erat provisum. Neque Ascanius *consumpsimus* dixit sed *consumimus*.

148—194. Missi ad Latinum oratores.

148. Idem fere v. 4, 6.

150. *diversi* cf. v. 132: in diversas partes abeuntes ab incolis explorant locorum nomina. — *Numici* nominativus habetur *Numicius*, qui est ap. Ov. M. 14, 599. Sil. 8, 191; sed etiam *Numicus* legitur apud Silium 8, 180 et Servium, qui ad hunc locum habet haec: „Ita iam ab incolis dicuntur. Quod autem ait *stagna* verum est. Nam Numicus ingens ante fluvius fuit, in quo repertum est cadaver Aeneae et consecratum. Post paulatim decrescens in fontem redactus est, qui et ipse siccatus est sacris interceptis. Vestae enim libari non nisi de hoc fluvio licebat." Fluvium putant esse prope oppidum Laurentum, esse etiam qui nunc dicitur *Rivo di Nemi*, qui Ardeam antiquam praeterfluit; atque ita in tabula Ausoniae secundum Virgilii Aeneidem depicta a Grotefendio notatur fluvius ab Aricia prope Lavinium et Ardeam defluens. Vgl. tamen non fluvium, sed fontem dixit h. l. et v. 242, et stagna, ut Sil. 1, 663 *fontes et stagna arcana Numici;* 8, 180 *parvo descendens fonte Numicus.* 360 *fonte Numici.* Neque potest fluvium intelligere eum, qui prope ab Ardea aut Lavinio abest. Nec facile speculatores tantum spatii percurrissent; nam ille *Rivo di Nemi* abest a Tiberi fere XV mill. Rom. Multo minus probabile, eos redisse, oratores esse missos et reversos, atque ea omnia eodem esse facta die. Sed Vgl. ipse ita rem narrat, ut Numicium proximum esse Tiberi appareat, et Bonstetten, qui loca ipsa adiit, putat esse *stagno di Levante*, non procul a Tiberi. Ibi etiam est *fiume morto*, qui videtur fuisse caput alicuius fluminis.

152. *ordine ab omni* „ex omni qualitate dignatum, quod ap. Romanos in legatione mittenda hodieque servatur." S.

153. *centum oratores.* Ita 8, 505. 11, 101. Liv. 5, 15 *Quidnam eo dii portenderent prodigio missi sciscitatum oratores ad Delphicum oraculum. Oratores* legati dicuntur saepissime; cf. Varro ap. Non. p. 529 „Fetiales legatos mittebant quattuor, quos oratores vocabant." Ut hoc loco centum legati mittuntur, sic 11, 331 totidem missurus est Latinus. Romani solebant tres mittere, ut saepissime narratur apud Livium, nonnunquam duo 21, 6, quinque 21, 18; atque decem mitti dicuntur *more maiorum* 33. 24. Quod tot mittuntur, voluit poeta pertinere ad rei dignitatem; agitur enim de initiis Romae. Neque hoc loco *centum* numerus qui dicitur rotundus est significatque *multos;* neque ea explicatione quidquam proficimus: Quis enim centum diceret eos, qui fuissent decem.

154. *ramis velatos Palladis.* Palladis arbor olea est; fuit autem supplicantium mos ramos oleaginos vitta comptos mani-

Donaque ferre viro, pacemque exposcere Teucris.
Haud mora, festinant iussi, rapidisque feruntur
Passibus. Ipse humili designat moenia fossa,
Moliturque locum primasque in litore sedes
Castrorum in morem pinnis atque aggere cingit.
Iamque iter emensi turres ac tecta Latinorum
Ardua cernebant iuvenes, muroque subibant.
Ante urbem pueri, et primaevo flore iuventus,
Exercentur equis, domitantque in pulvere currus,
Aut acres tendunt arcus, aut lenta lacertis
Spicula contorquent, cursuque ictuque lacessunt.
Quum praevectus equo longaevi regis ad aures
Nuntius ingentes ignota in veste reportat
Advenisse viros: ille intra tecta vocari

bus gerere cf. 8, 116. 128. 11, 101. 332. Hom. Il. 1, 14; ita Soph. OR. 3 *ἱκτηρίοις κλάδοισιν ἐξεστεμμένοι*. — Talis ramus dicebatur Graecis *εἰρεσιώνη*. — Sed vittae ad manus usque dependebant, eamque obvolvebant; hinc vittae *velamenta manu praetendens supplice* Ov. M. 11, 279; *στέφη* OR. 913 dicuntur. Inde Pl. Amphitr. 1, 1, 101 *velatis manibus orant*. Cf. Liv. 30, 36. Hoc loco ipsi paene tecti sunt ramis. — *Praetendere* v. proprium est hac in re cf. Ov. M. et locos Virgilii. Dona addi solebant.

156. *rapidis passibus* cf. 1, 644.

157. *fossa*, sulco cf. 1, 425. *designare* cf. 5, 755.

158. *molitur locum* ut v. 127, 290. — *primas in litore sedes*. Haec prima urbs Aeneae, antequam Lavinium condidit, Troia dicebatur cf. 9, 644. 10, 26. Cf. Caton. in Orig. ap. Serv. et Liv. 1, 1, et Dion. 1, 53. „Hanc (urbem) Castrum Laurens dici ait Varro" S. ad 9, 8.

159. *castrorum in morem*, nondum enim exploratis incolarum animis ad bellum se parat. Erant structa ad Tiberis ostium cf. etiam 9, 238. 790. 815. 10, 26.

160. *Latinorum* Servius habet et Schol. ad Hor. S. 1, 8, 43. et Mss. plurimi, in Mediceo supra scriptum est *Latini*. Id autem legi affirmat *Jh.* in Mss. Pierianis aliisque. Sed id non minus quam *Latinum*, quod in aliis legi dicitur, illatum est, ut versus hypermeter corrigèretur; *Latini* autem etiam propterea probatum est, quod Latinorum tecta ardua non possent dici, neque enim illis antiquis temporibus parva in urbe talia fuisse aedificia, qualia vidit aurea Roma. Sed de urbe tota, non de regia sermonem esse docet v. 161; deinde auget Vgl. Laurenti omnia; denique non viderunt illi, qui *Latini* probabant, domos arduas esse posse non tantum ipsarum altitudine, sed etiam quod in altis locis sunt exstructae. Sed qualemcunque poeta sibi finxerit domorum altitudinem, tam ardua sunt tecta, ut ex iis omnis campus suburbanus conspici possit cf. 12, 132.

161. *muroque subibant* cf. 8, 123.

162. More antiquo iuventus armis et equis exercetur ante portas, ut Romanorum in Campo Martio. — Attende etiam in sequentibus Latinos laudari propter fortitudinem et militiae usum; ut ipsos Romanos qui ex Latinis orti sunt laudet cf. 9, 601 sq. Sed vincuntur tamen a Troianis, qui fortitudini maiorem vitae cultum adiungebant.

163. *currus*, equos sub curribus cf. 12, 287.

164. *lenta spicula:* Fiunt enim ex lento ligno; ita *lenta hastilia* 11, 650. 12, 489. Ov. M. 8, 28. *lentae hastae* Ecl. 5, 31. *lentum pilum* Tib. 4, 1, 90.

165. *lacessunt* sc. se invicem, provocant se ad certamen. — *cursu* equorum, curruum; *ictu* sagittarum, spiculorum. *que — que* cf. 1, 701.

167. Sunt adhuc ante urbem legati, ut v. 162 docet, neque ante veniam datam introire licebat. — *in veste* cf. 5. 37. — *Reportare rapporter*, recte; nam ille propterea ad portam a rege missus est custos, qui si quid accidat, redeat et renuntiet. Ita 9, 193. — Cf. ad 3. 717.

168. *intra tecta vocari:* „Dissentit hoc loco a Romana consuetudine. Nam legati si quando incogniti venire nuntiarentur, primo quid vellent ab exploratoribus requirebatur, post ad eos egrediebantur magistratus minores, et tunc demum senatus extra urbem postulata noscebat, et ita si visum fuisset, admittebantur. Sed hoc prudenter fecit. Latinum namque memorem vult esse responsi et avidum satis ad ex-

Imperat, et solio medius consedit avito.
Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis,
Urbe fuit summa, Laurentis regia Pici,
Horrendum silvis et religione parentum.
Hic sceptra accipere et primos attollere fasces
Regibus omen erat, hoc illis curia templum,
Hae sacris sedes epulis; hic ariete caeso
Perpetuis soliti patres considere mensis.
Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum
Antiqua e caedro: Italusque, paterque Sabinus
Vitisator, curvam servans sub imagine falcem,
Saturnusque senex, Ianique bifrontis imago,
Vestibulo adstabant, aliique ab origine reges,
Martiaque ob patriam pugnando volnera passi.

ternos videndos, per quos eis promittebatur felicitas." S. Et iam novit Latinus Dardanidas.

169. *Impero* c. acc. et inf. 3, 465. *solium* cf. 8, 541.

170. *augustum*, *ingens:* De duplici adiectivo cf. 6, 283. — cf. Ov. M. 2, 1 *Regia Solis erat sublimibus alta columnis.*

171. *Urbe summa*, in arce erat Pici regia, quae memoratur 59. Fuit templum et curia locus inauguratus, in quo omnia quae ad rempublicam pertinebant tractabantur, et quem reges, si munere suo fungi volebant, adibant. Ita et apud Romanos regis habitatio a curia diversa fuerat.

172. *horrendum* cf. 6, 10.

173. *hic* MPRγ. *hinc* γ2bc. „non male" *Rb.* *attollere fasces:* Contrarium est summittere, deponere. Fasces Latini attribuit temporibus, quum ad Romanos fascium usus a Tuscis per reges Tarquinios transierit.

174. *Curia*, locus, in quo senatus conveniret, inauguratus erat cf. 176.

175. *ariete caeso:* „Hoc sacrificium in ianua palatii fiebat festis diebus." S, qui omnino hanc Pici domum ad Augustei palatii similitudinem descriptam esse putat. Praestat tamen omnino accipere de aede publica, ubi et senatus habebatur et publica sacra fiebant, ad quae primores gentis admittebantur.

176. *perpetuis mensis* „longis, ad ordines aequatis sedentum. Maiores enim nostri sedentes epulabantur." S., ut Graeci ap. Homerum. „Ante focos olim scamnis considere longis mos erat" Ov. F. 6. 305. Postea cubandi mos invaluit. Ad vocem *perpetuus* cf. 8, 183 *tergum perpetuum* — *patres:* Sic certis diebus, sacris Iovi factis, omnes senatores in Capitolio epulabantur. Gell. 12, 8. Et Suet. Aug. 35 honores senatorum esse dicit *insigne vestis et spectandi in orchestra epulandique publice ius.* Athenis prytanes in prytaneo coenabantur. — Sic regiam descripsit Sen. Agam. 8. „Hinc auspicari regium capiti decus mos est Pelasgis; hoc sedent alti toro; locus hic habendae curiae, hic epulis locus."

177. *ex ordine* „prout sibi successerunt." S. cf. v. 139. 5, 773.

178. *ex caedro* „quod lignum non facile consumitur vetustate" S. Antiquissima autem signa e ligno facta sunt.

179. *Vitisator* „qui vitis genus demonstravit Italis." S. — De hoc Sabino rege et vitis cultore nihil aliunde innotuit. Quamquam non mirum, si Sabini etiam Sabinum aliquem narrabant gentis conditorem. Et apud Isidorum 9, 2, 85 legitur: „Italus quoque et Sabinus et Sicanus fratres fuerunt, ex quibus nomina populis imposita et regionibus sunt." — Sed animadvertendum, ubique Saturnum esse vitisatorem; nec *imagine* et *imago* paucis verbis interiectis placere. — *servans*, retinens sub imagine ad memoriam culturae vitium. — *Gt.* coni. *Saturnusque senex, curvam sub tegmine falcem Vitisator servans* ...

180. *Ianus* bifrons est; multa de eo tradit Ov. F. 1, 89 sq.

181. *ab origine*, qui inde a Laurentium origine erant reges.

182. *Martiaque* F2PRγ. et *Martia qui* F1Mc. legitur. Si *qui* legitur, praeter Italum, Sabinum, Saturnum et Ianum illi tantum reges statuarum honore decorantur, qui pro patria pugnaverunt. Si *que* legitur, etiam aliorum, qui pro patria pugnaverunt, imagines intelligi possunt. Idque praestat, eo enim honore reges, iam quod fuerunt, digni sunt. Accedit

Multaque praeterea sacris in postibus arma.
Captivi pendent currus, curvaeque secures,
Et cristae capitum, et portarum ingentia claustra.
Spiculaque, clipeique, ereptaque rostra carinis.
Ipse Quirinali lituo parvaque sedebat
Succinctus trabea, laevaque ancile gerebat

quod poeta, qui Laurentinum Capitolium non viderat, ad Romanum sua conformavit. Regum autem Romanorum statuae erant in Capitolio (Plin. N. H. 34, 5, 11.) et Scipionis (Cic. pr. Rab. P. 10, 27) et Augustus virorum illustrium statuas in Campo Martio posuit (Suet. Cal. 34). Africano vel in Iovis Capitolini cella statuam ponere decreverunt Val. Max. 4. 1, 6. Augustus autem in utraque fori sui porticu statuas e marmore collocavit eorum hominum, qui imperium P. R. ex minimo maximum reddidissent, additis rebus gestis. Suet. Oct. 31. Lamprid. Alex. 28. *Pl.* totum eiicit versum. natumque sumit ex 6, 660 qui paene idem. Praeivit *Hn.* — *pugnando* cf. 2, 6.

183. More Romano et antiquo spolia hosti detracta in postibus suspendebantur et templorum cf. 3, 288 et domuum quum publicarum tam privaturum. cf. 2, 504. 5, 393. 8, 196. 721. 9, 408. Prop. 3, 7, 26 *onerare fixa per arma domum.* Adde Sil. 1, 614. Liv. 23, 23 *spolia ex hoste fixa domi habere.* Plin. 35, 2, 2 „Aliae foris et circa limina animorum ingentium imagines erant, affixis hostium spoliis, quae nec emptori refigere liceret; triumphabantque etiam dominis mutatis ipsae domus, et erat haec stimulatio ingens exprobrantibus tectis quotidie imbellem dominum intrare in alienum triumphum.“ — *sacris in p.* „ubi consecrabantur.“ S.

184. *captivi* currus cf. 2, 765. — *Securis* cf. 11, 652.

185. *Cristae* maximum galeae ornamentum, pro galea. „A parte totum posuit.“ S. cf. 3. 468.

186. *rostra carinis:* „Bene de omni genere proeliorum spolia illic demonstrat fuisse.“ S. Quum prope litus esset Laurentum, ea etiam spolia poterant esse.

187. *Quirinali lituo* explicat Macr. Sat. 6, 8 „Ut Vgl. alio in loco *Buten immani corpore, geminos immani pondere caestus, domus sanie dapibusque cruentis.* sic igitur id quoque dictum videri debet. Ipse Quirinali *lituo* i. e. *lituum Quirinalem tenens.*“ Alii zeugmate explicant *lituo trabeaque succinctus* minus recte, quum dextra et laeva manus videantur inter se opponi. „Lituus est incurvum augurum baculum, quo utebantur ad designanda caeli spatia. Quirinalem autem ex persona sua dixit, qualem postea Quirinus habuit.“ S. Lituus erat „baculus sine nodo aduncus“ Liv. 1, 18. Lituo autem iam Romulus „regiones direxit, quum urbem condidit. Qui quidem Romuli lituus quum situs esset in curia Saliorum, quae est in Palatio, eaque deflagravisset, quum Galli urbem caperent, inventus est integer“ Cic. Div. 1, 17, 30. Adde Val. Max. 1. 8. 11. Inde et arte augurali et lituo invento fuisse insignem Romulum vel Quirinum intelligimus. At vero animadvertendum est, quod inter alia multa affert Serv.: „Bene huic lituum dedit. quod est augurum proprium. Nam et ancile et trabea communia sunt cum Diali vel Martiali sacerdote.“ Addendum etiam, quod Romuli lituus in sacrario Saliorum servabatur, in quo ancilia deposita fuisse constat. Martis arma; et quod S. ad 1, 292 refert: „Mars quum saevit Gradivus (gradus?) dicitur, quum tranquillus est Quirinus (quies?).“ et ap. Festum „quiris est Sabine hasta“. Mars autem et Quirinus dii confunduntur. ut Romulus Martis est filius. Et Quirinus, cuius a Curibus nomen deducunt, antiquus Sabinorum deus videtur fuisse, cuius in locum Romulus postea successit. Haec si respicimus. iam non consentimus cum Servio. hoc epitheton *Quirinalis* ex sua persona i. e. admodum temere poetam dixisse, sed arcanam aliquam doctrinam exhibuisse arbitramur. Neque mirum, quum tanta cura antiquitates Romanas perscrutatus sit, tantoque labore versus suos composuerit. Accedit, quod picus avis auguralis, in quem versus est rex Picus, *picus Martius* dicitur, ut Quirinum non regem illum Romulum, sed deum Martem, qui et ipse auguralem artem homines docuit, aut Marti similem poeta intellexisse videatur. Adde Dion. 2, 48 *τὸν δ' Ἐνυάλιον οἱ Σαβῖνοι καὶ παρ' ἐκείνων οἱ Ῥωμαῖοι μαθόντες, Κυρῖνον ὀνομάζουσιν, οὐκ ἔχοντες εἰπεῖν τὸ ἀκριβὲς, εἴτε Ἄρης ἐστὶν, εἴτε ἕτερός τις ὁμοίας Ἄρει τιμὰς ἔχων* etc.

188. De trabea cf. 612. — Regio igitur ornatu Picus erat; reges autem principes sacerdotum. quare eorum vestitus

Picus, equum domitor: quem capta cupidine coniunx
Aurea percussum virga versumque venenis
Fecit avem Circe, sparsitque coloribus alas.
Tali intus templo divom patriaque Latinus
Sede sedens Teucros ad sese in tecta vocavit;
Atque haec ingressis placido prior edidit ore:
 Dicite, Dardanidae, neque enim nescimus et urbem,
Et genus, auditique advertitis aequore cursum,
Quid petitis? quae caussa rates aut cuius egentes
Litus ad Ausonium tot per vada caerula vexit?
Sive errore viae, seu tempestatibus acti —
Qualia multa mari nautae patiuntur in alto —
Fluminis intrastis ripas, portuque sedetis:
Ne fugite hospitium, neve ignorate Latinos
Saturni gentem, haud vinclo nec legibus aequam,
Sponte sua veterisque dei se more tenentem.
Atque equidem memini — fama est obscurior annis —
Auruncos ita ferre senes, his ortus ut agris
Dardanus Idaeas Phrygiae penetrarit ad urbes,
Threiciamque Samum, quae nunc Samothracia fertur.

postea sacerdotibus mansit. — *Ancile* „scutum breve“ S. et quasi ancisum explicant Romani. cf. 8, 664. Picus igitur Saliorum in morem ornatus est, et quod augur fuerat clarissimus, gerit lituum. Et „pici, Martio cognomine insignes, in auspicatu magni.“ Plin. 10, 18, 20 et picus, in quem ille rex mutatus esse dicebatur, Martia avis dicitur ab Ov. F. 3, 37; ut Marti imprimis gratus fuisse rex videatur, quare Martiorum eum poeta facit vestitum sacerdotum ornatu.

189. *equum domitor:* Ita ap. Ov. M. 14, 320 *Picus in Ausoniis, proles Saturnia, terris Rex fuit, utilium bello studiosus equorum.* — *Coniunx* „non quae erat, sed quae esse cupiebat.“ S. Ita *coniux* de amante Ecl. 8, 18, 66.

190. *Aurea* dici potest ut dea, sed praestat legere *aureā* et iungere cum *virga*. Sic virga Mercurii aurea est Hor. C. 1, 10, 19. Hom. hymn. Merc. 530. De Circe venefica cf. v. 10 sq. — Ea Picum, Canentis maritum, quum in amorem sui accendere non posset, irata in avem mutavit. Legas Ov. M. 14, 320—440 — Picus autem ut Faunus vaticinandi arte clarus erat. Versus 187—191 inferre volunt post v. 182. *Hn. Pl.* Attamen iam saepius et modo 6. 615 Virgilium res non eo, qui simplicissimus videtur, ordine narrare, sed ab eo recedere vidimus et redire.

192. *templo:* Ita Dido in templo audit legatos; et quaevis curia erat templum sive locus inauguratus. cf. 1, 505. — *intus* cf. Gr. § 356.

194—211. Latini ad legatos oratio.

195. *Dardanidae* „ac si diceret o cognati.“ S.

197. Ad *cuius* ex verborum ordine supplendum est *caussae*, sed neutrum poeta volebat esse cf. 1, 599.

203. Saturno rege aurea aetas fuisse dicitur. (cf. 6. 794.) *quae vindice nullo sponte sua sine lege fidem rectumque colebat* Ov. M. 1, 89. Inde Vgl. 4, 6 dicit *redeunt Saturnia regna* i. e. redit aurea aetas. Ita apud Latinos, quum Saturnus regnaret, *pro metu populum sine vi pudor ipse regebat.* Fast. 1, 251. Dat h. l. poeta speciem bonae civitatis qualem commendat civibus suis. Saturni, qui iam deus est, moribus se tenent eius posteri. Cf. 8, 319. — *Pl.* coni. *aevi* pro *dei*.

205. *fama obscurior annis* ita Ov. F. 6, 103 *obscurior aevo fama.*

206. Aurunci cf. 727. — *his agris* i. e. Italicis. Satis latos intelligit agros. Dardanus enim ex Cortona, (Corytho). Etruriae urbe, in Samothraciam migrasse dicitur. — Dardani de origine cf. 3, 167.

207. *penetrarit* Rd. rec. *Hs. Wg. penetravit*, ortum ex forma correpta, F., probat *Hn.* „est enim gravitatis epicae“! rec. *Rb.*

208. *Samon* Mss. qui? rec. *Wg.* *Samom* M. Samum P. rec. *Rb.* et *Hn.*

Hinc illum Corythi Tyrrhena ab sede profectum
Aurea nunc solio stellantis regia caeli
Accipit et numerum divorum altaribus auget.
Dixerat. Et dicta Ilioneus sic voce secutus:
Rex, genus egregium Fauni, nec fluctibus actos
Atra subegit hiemps vestris succedere terris,
Nec sidus regione viae litusve fefellit:
Consilio hanc omnes animisque volentibus urbem
Adferimur, pulsi regnis, quae maxima quondam
Extremo veniens Sol adspiciebat Olympo.
Ab Iove principium generis; Iove Dardana pubes
Gaudet avo; rex ipse, Iovis de gente suprema,
Troius Aeneas tua nos ad limina misit.
Quanta per Idaeos saevis effusa Mycenis
Tempestas ierit campos, quibus actus uterque
Europae atque Asiae fatis concurrerit orbis,
Audiit et si quem tellus extrema refuso

209. *hincillum. Hinc — Tyrrhena sede* cf. 5, 609. Unus liber dat *hunc illum*, unde firmari cuiquam videri potest, quod coniecit *Pl.* „Malim *hunc olim.*"

210. Is in deos relatus est. Quod inter deos refert Dardanum, quem 6, 650 ap. inferos vidit Aeneas, ne te offendat, haec habet S: „Reddidit animam caelo, corpus terrae, umbram inferis." — *stellantis. Stellans* vox poetica, stellis micans, sidereus. Ita Lucr. 4, 218 *caelum stellans* et Cic. de div. 1, 11, 18 *stellans nox;* inde *stellatus* cf. 4, 261.

211. *auget.* Sed „*addit; auget* adiectione scilicet nominis sui." S. Qui Mss. *addit*, qui *auget* habeant discrepant *Wg.* et *Rb.*, qui *auget* inesse refert in FMPR, quorum cedens auctoritati recipio *auget* i. e. deorum numerum auget novis aris structis. Neque minus *numero* illatum est ad locum emendandum, nam *numero d. a. addit* est: Dardanum divorum numero addit altaribus ipsi positis. De praesenti *accipit — auget* pro praeterito cf. 4, 228. *Pl.* eiicit *et numerum — addit.*

212 — 248. Troiani petunt aliquam in Latio sedem.

212. *Ilioneus* iam ad Didonem verba fecerat 1, 521.

213. *Rex* „conciliatio ab honore, inde a genere." S.

215. *regione viae* cf. 2, 737. — Neque tempestas nos appulit, neque errore inducti sumus ex siderum ad quae cursum dirigebamus contemplatione, neque litus hoc aliud, quam est, esse putavimus: sed consilio et omnes adsumus in terra fatis debita.

217. *Afferimur* recte dixit, nam navibus accedunt. — *Urbem* accusativus loci cf. 4, 116. — *regnis* cf. 3, 121.

218. *extremo veniens Olympo.* Sol si vel ab extremo caelo veniebat, non videbat maius regnum; itaque maximum erat in omni terrarum orbe. — *Olympus* de caelo cf. ad 1, 374.

219. *Pubes* cf. 2, 798.

220. *Iovis de gente suprema*, ut 10, 350 qui de Iove originem ducit. — *rex Aeneas* cf. 1, 38. — Ter Iovis facit mentionem, atque ab Iove et regem et totam gentem deduci declarat. Tamen ut nunc iunguntur verba, non omni carent difficultate. Primum *avus* vocabulum usurpatum est, ut significet omnino eum, a quo aliquis ducit originem. At quamquam *maiores* dicuntur *avi*, non videtur idem posse demonstrari in singulari. Iam mirum est gentem avum habere Iovem, Aeneam autem, qui vere nepos erat, a gente suprema Iovis ortum esse. Deinde offendit, quod Ilioneus, qui totam gentem a Iove ortam dicit, de rege idem affirmat, quasi quis iam ea de re possit dubitare. *Pl.* „Scribe: *Ab Iove p. generi, ab Iove D. pubes. Gaudet avo rex ipse Iove.* — Et quid fit *gente suprema?*

222. Bellum autem cum tempestate comparatur. Cf. 12, 654.

223. *Ire* saepius de violento per obstacula incessu ut Hor. C. 3, 16, 9. 20, 6. — *actus*, quibus fatis actus uterque concurreret. Ubique fatis bellum eiusque eventum attribuunt Troiani, non suae fraudi aut fortitudini Graecorum.

225. Tam clara autem sunt haec, ut vel remotissimam in terram eorum fama

Submovet Oceano et si quem extenta plagarum
Quattuor in medio dirimit plaga Solis iniqui.
Diluvio ex illo tot vasta per aequora vecti
Dis sedem exiguam patriis litusque rogamus
Innocuum et cunctis undamque auramque patentem.
Non erimus regno indecores, nec vestra feretur
Fama levis tantive abolescet gratia facti;
Nec Troiam Ausonios gremio excepisse pigebit.
Fata per Aeneae iuro dextramque potentem,
Sive fide seu quis bello est expertus et armis;
Multi nos populi, multae — ne temne, quod ultro
Praeferimus manibus vittas ac verba precantia —
Et petiere sibi et voluere adiungere gentes.
Sed nos fata deum vestras exquirere terras
Imperiis egere suis. Hinc Dardanus ortus
Huc repetit, iussisque ingentibus urguet Apollo
Tyrrhenum ad Thybrim et fontis vada sacra Numici.
Dat tibi praeterea Fortunae parva prioris

pervenerit. — *refuso Oceano* „refluo" S. cf. 6, 107. Est igitur: Audiit et is, qui in terra extrema Oceano a cultis regionibus submota est, et is, qui zona ardenti diremptus est ab hominibus. Fama igitur nec oceano nec desertis interrumpitur. Aliter *Kl.* sumit *Oceano* esse *dativum:* Wenn Einen der äusserste Erdrand bis an den in sich zurückkehrenden Ocean rückt.

226. *Submovet* incolas terra suos, quae ipsa extrema est cf. ad 3, 383.

227. *Sol iniquus* est, ubi nimis ardet. „Audierunt etiam illi, qui separantur zona ea, quae est in medio quattuor i. e. ferventi." S. Ibi Antipodes collocabant. Quomodo rem sibi finxerint, docet ipse Vgl. G. 1, 233—251. — *Pl.* eiicit *et si — iniqui.*

229. *Dis sedem exiguam* „pia et verecunda petitio." S.

230. *Innocuum*, „quod sine alterius noxa habitemus." *Tb.* Est vox pro vulgari *innocens* ut Ov. M. 15, 121; alia vis 10, 302 cf. 6, 715. — Quo tuti vivere possimus alii explicant. — *cunctis patentem.* Aqua et aer iure naturali communia sunt. — Itaque et parva petimus et iusta.

231. *Indecores* h. l. et *indecorem* 12, 679. 11, 845 legitur, nominativus ap. Tac. Agr. 16 est (?) Eandem formam Nonius legisse se ait ap. Attium Athamante: *cuius sit vita indecoris, mortem fugere turpe* p. 488. Prisc. dat *indecor.*

234. *dextramque potentem* cf. Cic. Fam 7, 5 *manum tuam istam* (Caesaris) *et victoria et fide praestantem.* „In his enim dextera comprobatur: fide et virtute." S.

237. *Manibus vittas praeferimus* „quae pendebant in ramo religatae." S. cf. 154. — *verba precantia:* cf. Ov. M. 9, 159 *Tura dabat primis et verba precantia flammis.* Similia sunt Ov. F. 6, 113 *amantia verba.* Sil. 8, 266 *ovantia verba.* Ex eo quod metro offensi sunt aliqui, ortum est in libris paucis *precantum* aut *precantis.* Cf. § 4.

239. *Fata deum* sunt, quae a diis dantur cf. 2, 257.

240. *imperiis*, iussis quae dederunt oraculis. — Itaque nos deorum iussu huc sumus delati.

241. *huc repetit.* Ut haec verba posita sunt, subiectum est aut *Dardanus* aut *Apollo*, neque audiendi sunt qui Aeneam subiectum esse volunt. Et ut versus compositus est, ad Apollinem referendum videtur *repetit. Huc* autem (*ut hinc*) explicatur per *T. ad Thybrim* etc. — Explicatur etiam *Dardanus, der Dardaner* i. e. Dardani cf. 9, 380, et *repetit* per *revertitur;* itaque inde orta Dardana gens, huc revertitur et quidem iussis Apollinis. Sed quum et vocis *Dardanus* explicatio dura videatur, tum *repetit* significatio quamquam probatis non firmatur exemplis idoneis. *Rb.* post v. 242 lacunam esse putat, quam Vgl. fuerit expleturus. Sic removetur difficultas. Alii ab *hinc Dardanus — vestes* ab alio adiecta indicant. *Hn.* tollit *hinc — Numici*, „neque ego me hinc expedio, nisi emendetur: *Rex D. o. Hinc r.* etc." *Pl.*

243. *Dat* sc. Aeneas, quamquam non

Munera, reliquias Troia ex ardente receptas.
Hoc pater Anchises auro libabat ad auras:
Hoc Priami gestamen erat, quum iura vocatis
More daret populis, sceptrumque, sacerque tiaras,
Iliadumque labor vestes.
    Talibus Ilionei dictis defixa Latinus
Obtutu tenet ora, soloque immobilis haeret,
Intentos volvens oculos. Nec purpura regem
Picta movet, nec sceptra movent Priameia tantum,
Quantum in connubio natae thalamoque moratur,
Et veteris Fauni volvit sub pectore sortem:
Hunc illum fatis externa ab sede profectum
Portendi generum, paribusque in regna vocari
Auspiciis; huic progeniem virtute futuram
Egregiam, et totum quae viribus occupet orbem.
Tandem laetus ait: Di nostra incepta secundent,
Auguriumque suum! Dabitur, Troiane, quod optas;
Munera nec sperno. Non vobis, rege Latino,
Divitis uber agri Troiaeve opulentia deerit.
Ipse modo Aeneas, nostri si tanta cupido est,
Si iungi hospitio properat sociusque vocari,
Adveniat, voltus neve exhorrescat amicos.

satis indicatur. Id firmat illorum opinionem, qui hos versus non perfectos esse a Virgilio arbitrantur. *Pl.* pro *Dat tibi praeterea* coni. *Dat pius Aeneas.*

244. *receptas*, servatas cf. ad 1, 178.

245. *hoc auro*: hac patera aurea. cf. 5, 817. Aureas pateras etiam a senatu Romano regibus sociis donatas esse docet locus Livii 44, 14.

246. *Gestamen* explicatur verbis sequentibus: sceptrum, tiaras, vestes; gestamen enim quodvis geritur, sic 3, 286 erat clipeus.

247. *tiaras* „pileum Phrygium dicit.“ S. Sic Iuven. 6, 516 *Phrygia tiara.* — „Pileum est quo Phryges utuntur, quum celebrant sacra.“ Don. Inde *sacer* dicitur. De tiara cf. Hieron. ap. Schell. s. v. „Et sciendum *hic tiaras* per usurpationem dictum. Nam *haec tiara* dicitur.“ S. cf. Gr. § 91, 2.

248. *Iliadum labor, vestes.* Labor dicitur ipsum opus quod efficitur labore, (imprimis de artificum operibus) cf. 1, 455. 2, 306. 6, 27. Val. Fl. 1, 143 *pocula, insignis veterum labor.* 2, 409 *Dona duci promit chlamydem textosque labores.* — Laudat dona ex iis, qui habuerunt, cf. 1, 647, et qui fecerunt, cf. 5, 359. — *Pl.* eiicit verba *sceptrumque — vestes;* sed 251 *purpura picta* memoratur, quam ille in *pocula pulchra* cogitur mutare.

249—285. Latinus promittit hospitium et Laviniam uxorem.

250. Sedet cogitabundus Latinus. „Aehnlich sagt Sil. 17, 189 *audivit torvo obtutu defixus*“ *Ld.* — *defixus* cf. 1, 495.

251. *purpura picta* cf. 3, 483.

254. *sors*, oraculum cf. 4, 346.

255. *hunc illum:* hunc, qui iam adest Aeneas, esse illum, de quo Faunus sit locutus; ita 272.

256. *paribus auspiciis*, aequali potestate cf. 4, 102.

258. *et totum quae* FM *et* omittit c. Quod *et* si abest, narrantis sunt verba, si adest describentis est *et talem, quae;* quod hoc loco aptius.

259. *incepta secundent:* Ubique ille Romanis est mos, ut quodcunque incipiant, deorum ante implorent auxilium. — *secundare* cf. 3, 36.

261. *nec sperno* „quia dixerat: *Fortunae parva prioris munera;* et est litotes i. e. libenter accipio.“ S. cf. 10, 907.

262. *uber agri* „ubertas, et est maior petitione promissio. Nam illi tantum litus petierant.“ S. *uber* cf. 531. De Latii ubertate cf. G. 2, 234. Strabo 5, 3, 5 p. 231. *ἅπασα δ᾽ ἐστὶν εὐδαίμων καὶ παμφόρος.* Adde Dion 1, 37.

Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.
Vos contra regi mea nunc mandata referte:
Est mihi nata, viro gentis quam iungere nostrae,
Non patrio ex adyto sortes, non plurima caelo
Monstra sinunt; generos externis adfore ab oris,
Hoc Latio restare canunt, qui sanguine nostrum
Nomen in astra ferant. Hunc illum poscere fata
Et reor et, si quid veri mens augurat, opto.
Haec effatus equos numero pater eligit omni.
Stabant ter centum nitidi in praesepibus altis.
Omnibus extemplo Teucris iubet ordine duci
Instratos ostro alipedes pictisque tapetis,
Aurea pectoribus demissa monilia pendent,
Tecti auro, fulvum mandunt sub dentibus aurum.
Absenti Aeneae currum geminosque iugales,
Semine ab aetherio, spirantes naribus ignem,
Illorum de gente, patri quos daedala Circe
Supposita de matre nothos furata creavit.
Talibus Aeneadae donis dictisque Latini

266. *Pars pacis:* Pax mihi iam ex parte videbitur constituta, quando tetigerim manum regis. — Aliter S. „*pacis* i. e. foederis, ab eo quod sequitur, id quod praecedit." S. — *Tyranni* „Graece dixit, i. e. regis." S.; ita 342 sine ulla invidia. Neque 8. 483. 12, 75 tyrannus est Graeco more usurpatum, quamquam iis in locis odium aliquod loquentis videtur esse.

268. Quod ipsam filiam Aeneae commendat, facit Latinus et heroici temporis more, ut Alcinous Od. 7, 313, et antiquo cf. Ter. Andr. 1, 1, 72., et quod iam oraculo monitus est.

269. *ex adyto* cf. 3, 92. *sortes* cf. 254. — *monstra*, ostenta cf. 110.

271. *hoc*, fore generum advenam. Alicui *restat*, aut aliquem *manet*, ei futurum est significat.

272. *hunc illum* cf. 255. — *poscere* cf. 5. 707. —

273. *augurat:* „*Augura* dicimus secundum Plinium, quum praesagio mentis futura colligimus; *auguror* vero tunc, quum futura veris captamus auguriis." S. Cf. Gr. § 187. *Opto:* Et iubent fata, et ipse eligo eum, quem mihi profuturum auguror.

274. *Eligit numero* pro *ex numero*. Sic Stat. 6, 129 *numero dux legerat omni;* cf. Gr. § 336, An. 1. Equorum autem in Latio cultus multus erat cf. 639. 656. 8, 3. 12, 83. Varr. RR. 2, 7. Colum. 6, 27. — Et nunc equi in Campagna robusti et celeres sunt.

277. *tapetis; tapetibus* 9, 325. *pulchrosque tapetas* 9, 358. — cf. Gr. § 162, 8, F. — *Τάπητες* inter munera sunt, quae Priamus Achilli offert Il. 24, 230. — *ostro pictisque tapetis*, i. e. purpureis tapetis auro pictis, quod intelligitur ex *tecti auro* 279. — *Picta strata* memorat Ov. M. 8, 33.

278. *Monilia* equorum phalerae sunt. cf. 5, 310.

279. *mandunt aurum.* Itaque frena aurea sunt cf. 245. — De repetito vocabulo *aurum* cf. 1, 448. — *Pl.* quod *tecti* idem esset quod *instrati*, [sed ibi *auro* non memoratum est, ut h. l. id novum accedat] *tecti* mutabat in *freni.*

282. *Gentem* dixit equorum ut G. 3, 73 et ap. Hom. Il. 5, 265 *γενέη* est. Ut et nostro tempore genus equorum observatur. — Solis equi satis nobiles per fabulas. Ibi igitur equi ex equa mortali et equo immortali genus ducunt, nothique sunt, quod a matre sunt degeneres. *nothos* „nomen Graecum; nam in Latinitate deficit." S. — *daedala Circe*, ut *δαίδαλα Ἀθήνη*, ut Daedalus, *δαιδάλλειν*, artificiosa et ingeniosa. Sic ap. Lucr. legitur *daedala tellus, lingua.* — *patri furata;* furtim enim et clam. nesciente Sole fecit. cf. 6, 568. — *Creavit*, fecit ut nascerentur. *Pl.* „Scribendum esse arbitror: *I. d. g. patrum, quos d. c.*

284. *talibus donis dictisque Latini Aeneadae* etc. Quae quum essent dona et dicta Latini. *Pl.* eiicit *donis dictisque Latini* et iungit *Talibus Aeneadae* Subli-

Sublimes in equis redeunt pacemque reportant.
Ecce autem Inachiis sese referebat ab Argis
Saeva Iovis coniunx, aurasque invecta tenebat;
Et laetum Aenean classemque ex aethere longe
Dardaniam Siculo prospexit ab usque Pachyno.
Moliri iam tecta videt, iam fidere terrae;
Deseruisse rates. Stetit acri fixa dolore;
Tum, quassans caput, haec effundit pectore dicta:
Heu stirpem invisam, et fatis contraria nostris
Fata Phrygum! num Sigeis occumbere campis,
Num capti potuere capi? num incensa cremavit
Troia viros? medias acies mediosque per ignes
Invenere viam. At, credo, mea numina tandem
Fessa iacent, odiis aut exsaturata quievi —
Quin etiam patria excussos infesta per undas
Ausa sequi, et profugis toto me opponere ponto.
Absumptae in Teucros vires caelique marisque.
Quid Syrtes aut Scylla mihi, quid vasta Charybdis

mes *in equis redeunt.* Ubi est in Aeneide versus imperfectus, qui sit ita formatus?

286—322. Iuno irata, quod Aeneas salvus in Italiam pervenerit, bellum parat.

286. *Ecce* cf. 2, 57. — *Inachiis ab Argis.* Prope Argos Peloponnesi flumen erat Inachus; et Inachus, Oceani et Thetidis filius, Argos dicitur condidisse. In ea urbe Iuno imprimis colebatur, ita ut ex sacerdote femina eiusque muneris initio annos publice numerarent. Erant aliae urbes Argi plures. — *referebat.* Ab Argis videtur Carthaginem contendisse; dii enim loca praecipue amata ordine quovis anno visebant. Cf. de Apolline 4, 143. Bene autem Argis, Graecorum urbe redeuntem Iunonem fingit poeta exacui ira, caussam enim tacite addit, cur irata sit dea. Pro caris enim Argis timet, quos a Troianis sive Romanis victum iri praevidet (cf. 6, 839 *eruet ille Argos*). Hanc ob caussam ubique Iuno, si Troianis fingitur adversa, Argiva dicitur: omninoque aut propter Graecos aut propter Poenos adversatur Romanis. Contra 1, 16 Samos et Carthago comparantur nulla ratione habita Troianorum.

288. *longe* FRybc. —, *longo* M. prob. *Hs. Hpt.* — *Longe prospicere* legitur etiam 11, 909 et 1, 181 est *prospectum late petit.* — *Longo* videtur ex errore scribentium ortum, ingratum ob sequens *Siculo et Pachyno* cf. 486. Quamquam *aether longus* intelligitur ut *longus Olympus* G. 3, 223 i. e. caelum extensum.

289. Prope Pachynum Siculae promontorium praetervecta in aethere, Aeneae in Latio conspexit classem. — *ab usque* cf. 11, 262.

290. *fidere — deseruisse:* Abest subiectum cf. 2, 3.

291. *stetit:* „quod solet esse cogitantium.“ S. cf. 1, 226.

292. *Caput quassare* renuentis et graviter ferentis est; ita 12, 894. Plaut. Merc. 3, 4, 15 *Tristis incedit, pectus ardet, haereo, quassat caput.* — *effundit* cf. 5, 482.

293. *stirps* de genere cf. 12, 208. — *fata fatis contraria.* Fata inter se dissidere nequeunt. Itaque sic explica: Fata constituunt Troianos non deleri, deleri eos quos foveo. Sic illis victoria fato stat, his pernicies. Hoc est contrarium.

294. *Sigeum* et Rhoeteum Troadis promontoria. — Similis locus Ennii a Macrobio 6, 1 affertur: *Quae neque Dardaniis campis potuere perire; Nec quum capta, capi; nec quum combusta, cremari.*“ Inest in his verbis laudatio Romanorum, qui nullis calamitatibus deprimi, nec victi a bello decedere et pacem rogare potuerunt.

297. *mea numina* cf. 1, 4 „Nec fatigata destiti nec satiata requievi.“ S.

298. *exsaturata* cf. 5, 781.

299. „Redde huic loco vim rhetoricam et scribe *Quaene etiam.*“ *Pl.*

301. Simili modo Cassandra omnium infelicissima dicit: *Fortuna vires ipsas consumpsit suas* sc. in me Sen. Agam. 697.

Profuit? Optato conduntur Thybridis alveo,
Securi pelagi atque mei. Mars perdere gentem
Immanem Lapithum valuit; concessit in iras
Ipse deum antiquam genitor Calydona Dianae;
Quod scelus aut Lapithas tantum, aut Calydona merentem?
Ast ego, magna Iovis coniunx, nil linquere inausum
Quae potui infelix, quae memet in omnia verti,
Vincor ab Aenea! Quod si mea numina non sunt
Magna satis, dubitem haud equidem implorare quod usquam est;
Flectere si nequeo Superos, Acheronta movebo.

303. *conduntur*, sitzen schauer und schön, a maris insidiis tutum perfugium nacti sunt. Aliter S.: „Condi proprie dicuntur, qui sibi statuunt civitatem."

304. *securi* c. genitivo cf. 1, 350. — Hanc Iunonis orationem confer cum ea quam habet 1, 37 sq. — *Mars perdere gentem etc.:* „Bene belli et vastationis quaerit exempla in rebus huiusmodi, sicut in primo naufragii. Pirithous, Lapitharum rex, quum uxorem duceret, vicinos populos Centauros, etiam sibi cognatos, et deos omnes excepto Marte ad convivium convocavit. Unde iratum numen immisit furorem, quo Centauri et Lapithae in bella venerunt." S. Eam pugnam descripsit Ov. M. 12, 210 sq. Multumque et varie ea res narratur.

305. *Concessit in iras*, permisit Iuppiter in qua iram exerceret. Sic 1, 42 Iuppiter fulmina concedit Minervae. — „Oeneus Calydonis rex de primitiis omnibus numinibus sacrificavit, excepta Diana, quae irata aprum immisit, qui cuncta vastabat, donec a Meleagro occideretur." S. Et inde etiam Meleagro et Calydoni novae calamitates ortae sunt. cf. Hom. Il. 9, 529. Ov. M. 8, 260.

306. *Antiquam* ad laudem pertinet cf. 1, 531. et Pl. Ep. 8, 24 laudatum a Wgro: „Reverere gloriam veterem et hanc ipsam senectutem, quae in homine venerabilis, in urbibus sacra est." Tam antiquam urbem ob unius peccatum non putat debuisse deleri. Imitatus est hunc locum Stat. Theb. 7, 203.

307. *Lapithis* M1FRγ *Lapithas* M2 *Calydone* M1Rc *Calydona* M2Fγb *merente* Rγ2 *merentem* M2Fγ1bc1 *merentes* M1 Servius in exemplari suo legisse videtur *Calydona merente*, iubetque legi *Calydone* (quod fecit *Rb.*) „ut uterque ablativus sit, nam si *Calydona* leges vitium erit nec sensus procedet." Recte; sed vitium removebitur et sensus procedet etiam, si leges *Calydona merentem;* et sunt duae scripturae accusativi et ablativi, per se bonae et rectae, atque ex *merente*, m littera omissa vel addita sine consilio, natae sunt mutationes ceterae. *Rb.* „Credo ipsum poetam has duas scripturas in schedas coniecisse." Itaque Vgl. errorum ipse fuit auctor! *Pl.* dat *quo scelere aut Lapithas* . . aut (*!*) *Quod scelus .... luentem.* — Neque Lapithae, neque Calydonii tantum scelus commiserunt, ut ita punirentur. Facilis quidem explicatio, ut *scelus* sit pro eo quod inde consequatur, pro poena, sed falsa est; neque 2, 229 *scelus* a *mereri*, sed ab *expendere* pendet. Si vero loci afferuntur, qualis est 2, 529, ubi vulnus pro telo, laus dicatur pro virtute, effectum est pro efficiente; neque inde consequitur efficiens posse pro effecto dici, nam poena sine scelere cogitari nequit, scelus potest carere poena. *Mereri* autem est committere, admittere. Ter. Phorm. 5, 9, 25. *Ego esse in hac re culpam meritum non nego.* Saepe alibi. Plaut. Aul. 4, 10, 8 *Fateor peccavisse et me culpam commeritum scio.* Trin. 1, 1, 1 *Nae amicum castigare ob meritam noxiam immune est facinus.* Ov. M. 2, 291 *Quod mereat frater?* 15, 116 *Quid meruistis?* 120 *Quid meruere?* Ut nos verdienen pro verschulden. Itaque etiam *scelus mereri* dici licuit.

308. *ast ego* etc. cf. 1, 46.

309. *infelix*, quod consilia sua non potest exsequi. — *quae potui* eo perduci, ut omnia auderem; et *in omnia me verti*, omnia tentavi. Sic 12, 177. Cf. Sen. Med. 123 *mente vesana feror partes in omnes.*

310. *vincor ab Aenea:* dea ab homine; is enim consequitur finem, a quo depellere cupit Iuno. — *Pl.* coni. *Ast e, m. l. coniunx, Quid potui? Infelix quae m. i. o. v., V. a. A.*

312. *Flectere.* Notus versus ut improbissimus totius Aeneidos; contra 6, 620 habetur probissimus prolatus ab homine improbissimo, hic a dea. — *Movere*, excitare saepius ut Val. Fl. 4, 13 *Furias Veneremque move.* cf. 4, 490.

Non dabitur regnis, esto, prohibere Latinis,
Atque immota manet fatis Lavinia coniunx:
At trahere, atque moras tantis licet addere rebus;
At licet amborum populos exscindere regum.
Hac gener atque socer coeant mercede suorum.
Sanguine Troiano et Rutulo dotabere, virgo,
Et Bellona manet te pronuba. Nec face tantum
Cisseis praegnans ignes enixa iugales;
Quin idem Veneri partus suus, et Paris alter,
Funestaeque iterum recidiva in Pergama taedae.
    Haec ubi dicta dedit, terras horrenda petivit;
Luctificam Allecto Dirarum ab sede sororum
Infernisque ciet tenebris, cui tristia bella
Iraeque insidiaeque et crimina noxia cordi.
Odit et ipse pater Pluton, odere sorores
Tartareae monstrum: tot sese vertit in ora,

313. *dabitur* cf. 1, 66.

314. *atque manet Lavinia coniux non mota fatis* cf. 1, 257 *manent immota tuorum fata tibi.*

315. *trahere.* Deus si quis fato obnititur, non potest pervertere sed tamen retardare cf, 8, 399. 10, 622. — *moras addere* cf. Ov. Her. 19, 8 *parvi temporis adde moram.* — *ac licet.* Omnia quae extra fatum sunt, ad suam potest constituere voluntatem; nihil autem aliud promissum est fato, quam Aeneam in Italiam venturum ductaque uxore Lavinia novum regnum conditurum cf. 12, 819 sq.

317. *mercede* cf. *um dieseu Preis. Schill. Jungfrau* extr. Sil. 7, 545 *magna mercede piabunt erroris rabiem.* Cic. Fam. 1, 9, 3. *Pl.* „Legendum: *Hac . . . mercede: tuorum, Sanguine, Troiano et Rutulo, dotabere virgo.*"!

318. Cf. Ov. M. 13, 523 *Funeribus dotabere regia virgo.* Et Orosium 2, 4 laudat *Pl.: Sabinas maritorum et parentum sanguine dotavit.*

319. *Bellona pronuba:* Bellona meum in connubio officium exsequetur. A Iunone satis acerbe haec dicta sunt, quae ipsa pronuba est.

320. *Cisseis praegnans face.* „Cisseis, regina Hecuba, filia Cissei secundum Euripidem (Hec. 3.), quem Ennius, Pacuvius et Virgilius sequuntur. Nam Homerus Dymantis dicit (Il. 16, 718, ut Ov. M. 11, 765). Haec se facem parere vidit et Parin creavit, qui caussa fuit incendii." S. Idem narrat poeta 10, 704. Cic. de div. 1, 21, 42. Hinc Helena ad Paridem: Fax quoque me terret, quam se peperisse cruentam Ante diem partus est tua visa parens Ov. Her. 17, 237.

321. Idem partus suus sit Veneri, qui fuerat Hecubae; eandem in perniciem Aeneas adducat genus suum, in quam Paris Priami gentem. Et nuptiae sint funestae Pergamis renascentibus, ut erant Paridis et Helenae stantibus. Neque animadvertit irata Iuno, offerri Aeneae Laviniam. — *suus* cf. 3, 493 *Gt.* coni. *fuit* pro *suus.*

322. *recidiva Pergama* ut 4, 344.

323 — 340. Allecto a Iunone foedus rumpere iubetur.

Apud inferos Furiae sunt 6, 280.

324. *Allecto* „Graecus accusativus. Huius autem declinationis tres casus usurpamus, genitivum ut *Alectus*, nominativum et accusativum, ut *Alecto.*" S. Cf. Gr. § 94, 2. In re tam incerti iudicii ab optimo codice standum est; *dearum* enim alicui ob v. *dirarum*, *sororum* alteri ob v. *sorores* 327 displiceat. — *sororum* M2R prob. Hn. *dearum* FM1 prob. *Wg. Rb. Ld.*

326. *Crimina noxia* adiecit, indicans Allectus nocendi cupiditatem.

327. *Odit.* Non potest fortius indicare Allectus *dirum* animum, quam quod ipse pater, qui generavit, ipsae sorores, quae Furiae timentur, eam oderint. Ap. Aesch. Eum. 72 Furiae dicuntur μισήματ' ἀνδρῶν καὶ θεῶν Ὀλυμπίων. Ap. Luc. 9, 645 similis est de Medusa locus: *Hoc monstrum timuit genitor ipsaeque sorores Gorgones.* Fortius expressit rem Vgl. verbo repetito. *Odit et — odere* cf. 10, 313.

328. *tot sese vertit in ora, tam dirae facies.* Haec duo in unum coeunt sc. in tot saevos vultus convertitur, terribiles, minaces. Saevitiae autem est discursus

Tam saevae facies, tot pullulat atra colubris.
Quam Iuno his acuit verbis, ac talia fatur:
Hunc mihi da proprium, virgo sata Nocte, laborem,
Hanc operam, ne noster honos infractave cedat
Fama loco, neu connubiis ambire Latinum
Aeneadae possint, Italosve obsidere fines.
Tu potes unanimos armare in proelia fratres,
Atque odiis versare domos; tu verbera tectis
Funereasque inferre faces; tibi nomina mille,
Mille nocendi artes. Fecundum concute pectus,
Disiice compositam pacem, sere crimina belli;
Arma velit poscatque simul rapiatque iuventus.
    Exin Gorgoneis Allecto infecta venenis
Principio Latium et Laurentis tecta tyranni
Celsa petit, tacitumque obsedit limen Amatae,
Quam super adventu Teucrum Turnique hymenaeis
Femineae ardentem curaeque iraeque coquebant.

et conversio oculorum. — *tot*, *tam* cf. 5. 404.

330. *acuit:* „Irritavit et instigavit eius insaniam." S.

331. *proprium laborem:* plane te mihi da, neve aliud interea agites, sed unice sis attenta in rem peragendam meam. — *sata Nocte* cf. 6, 250. Excitatur hoc loco e Tartaro.

332. *infracta*, fracta cf. 5. 784. — *Cedat loco* sumptum est de gladiatoribus et militibus, qui pedem referunt.

333. Ut supra Iuno Aeneam cum Paride comparavit, sic summa opera petere et ambire Aeneam fingit Iuno id, quod illi ultro offertur.

335. *unanimos* M., *unanimes* al. cf. 4, 8. — *in proelia* sc. inter se.

336. *versare*, vertere, evertere. „Quae enim domus tam stabilis est, quae non odiis atque dissidiis funditus possit everti." Cic. Lael. 7, 23. — *Verbera et faces* signa sunt discordiarum. — Tu facis, ut tecta diruantur et incendantur.

338. *Artes nocendi* dixit etiam Claud. Ruf. 1, 97 et *vias nocendi* Eutr. 2, 175. *Artes nocendi* iungenda et *nomina* (i. e. caussae) *nocendi*. *Fecundum* artibus nocendi pectus concute cf. Hor. Serm. 1, 3, 34 *denique te ipsum concute.* Cic. Off. 3, 20. 81 *explica et excute intelligentiam tuam.*

339. *Disiice* fortius quam dirime, rumpe. *Wg. Rb.* scribunt *dissice* et *dissicere* antiquum esse pro *dissecare* docent ex Pl. Curc. 3, 53 *elephantum machaera dissicit; Dissice* est in Rγb, *disice* in M, et *dessice* in V. — *pax composita.* Sic Liv. 2, 13 *his conditionibus composita pace* etc.

340. *arma velit — que simul — que* cf. 1, 144. Uno tempore poscat et rapiat iuventus arma, ne exspectans quidem regum iussa. — Quod Furiam ex inferis advocat Iuno, iam apparet incassum eam laboraturam.

341—358. Allecto Amatae animum contra Aeneam occupat.

341. Non proponit praemia Iuno, quod nulla re delectatur Furia magis quam ea, ad quam excitatur efficiendam, discordia scilicet et bello. Et hoc loco, ut alibi deus inferior statim facit, quae iubetur cf. 1, 76. — *Exin* particula legitur 6, 891. 8, 306. 12, 92. — *Gorgoneis venenis* est infecta veneno, quale est Gorgonum. Sic Furia ap. Claud. in Ruf. 1, 65 *cruentum mugiit et tortos serpentum erexit hiatus noxiaque effundit concusso crine venena.* *Wg.* intelligit „caput eius, ut Gorgonis Medusae, serpentibus veneno infectis cinctum erat" Haec explicatio ad rem vera nititur magis versu 346 quam hoc, et inest nostrae.

343. *Obsedit* „bene, quasi quae insidiabatur." S. ne quis alius posset intrare. cf. 1, 673. — *Tacitum limen* iunge et explica tacitam domum, ut solet esse feminarum mansio; opponitur turbis statim post ibi ortis.

345. *Coquebant*, macerabant. Ita Ennius ap. Cic. CM. 1. *curam, quae nunc te coquit et versat sub pectore fixa.* Sil. 14, 104 *quos ira metusque coquebant.* Alia est dictio *iram coquere* ut Sil. 2,

Huic dea caeruleis unum de crinibus anguem
Coniicit inque sinum praecordia ad intima subdit,
Quo furibunda domum monstro permisceat omnem.
Ille inter vestes et levia pectora lapsus
Volvitur attactu nullo, fallitque furentem
Vipeream spirans animam; fit tortile collo
Aurum ingens coluber, fit longae taenia vittae,
Innectitque comas, et membris lubricus errat.
Ac dum prima lues udo sublapsa veneno
Pertentat sensus atque ossibus implicat ignem,
Necdum animus toto percepit pectore flammam:
Mollius et solito matrum de more locuta est,
Multa super natae lacrimans Phrygiisque hymenaeis:
Exsulibusne datur ducenda Lavinia Teucris,
O genitor? nec te miseret nataeque tuique?
Nec matris miseret, quam primo aquilone relinquet
Perfidus, alta petens, abducta virgine, praedo?
An non sic Phrygius penetrat Lacedaemona pastor,
Ledaeamque Helenam Troianas vexit ad urbes?
Quid tua sancta fides? quid cura antiqua tuorum,

327. 7, 404. *decoquere iram* Claud. in Eutr. 2, 349. — *femineae*, impatientes.

346. *de crinibus anguem* cf. 6, 572 — Ut hoc loco, sic ap. Ov. M. 4, 494 Tisiphone duos angues Inoi et Athamanti immittit.

349. *levia*, itaque apta serpentibus levibus.

350. *attactu nullo* explicat Ov. l. l. v. 497 *nec vulnera membris ulla ferunt, mens est quae diros sentiat ictus.* — *spirans* MV. rec. *Rb.* in ed. min. i. e. aushauchend cf. v. 753 et Horatii *spirare tragicum* et Statii *spirare magnum.* Fallendo in furorem agit (cf. 4, 22) dum in eam spirat animam viperae. — *inspirans* R et Edd. *Rb.* suspicatur ortum ex 1, 688 et 6, 10; et *in* facile ex praecedente *m* natum est. *Pl.* coni. *furenti.*

351. *fit tortile collo* etc. Ovidius, qui l. l., multa ex nostro expressit et auxit, hoc noluit imitari, recto usus iudicio.

352. *Taenia* „est vittarum extremitas." S. *Vittarum* autem ornatus matronis concessus est.

354. *lues veneno pertentat sensus.* Lues autem ex ipso veneno oritur.

355. *Pertentat sensus* cf. 1. 502. *ossibus implicat ignem* cf. 1, 660.

356. Nondum plane in furorem adacta sed mollius locuta est, ut solent matres de filiabus sollicitae. Cf. Ov. M. 14, 700 *totis perceperat ossibus aestum.*

358. *natae* M. aliique boni cf. *Hu.* *nata* Rγ2b cf. *Rb.* — Ad *natae* supplendum est *hymenaeis;* neque offendit, quod eodem in enuntiato et adiectivum et genitivus substantivi nomini *hymenaeis* apponitur. cf. Cic. Mur. 39, 84 *in hac caussa non solum de L. Murenae, verum etiam de vestra salute sententiam feretis.*

359—372. Precibus Amata Latinum ab Aenea avertere studet.

359. *exsulibus Teucris.* Et in appellativo et in plurali numero, quo incertus aliquis notatur cf. 98., conspicitur indignatio. — *ducenda* in matrimonium.

361. *primo aquilone*, ubi primum aquilo flabit, qui est ventus secundus eo euntibus, unde Troiani venerant.

363. *an non* M. *at non* R. Utrumque iam legit Servius. *An non* nulli dubitationi obnoxium. *At non* servit simulationi cf. 9, 144. — *penetrat.* Praesens historicum cf. 2, 663 cum perfecto (*vexit)* saepius iungitur, ubi praesenti ratio aliqua facti, in perfecto quid factum sit indicatur.

365. *quid tua sancta fides* facta est, quo abiit? Fides non opus est pro promisso accipere; quamquam in promissis tenendis nunc fides spectatur. — *cura antiqua tuorum:* Tu antea tuorum salutem ita curasti, ut mirum iam sit, te ita negligenter habere, ut ignoto homini filiam tuam velis addicere.

Et consanguineo toties data dextera Turno?
Si gener externa petitur de gente Latinis,
Idque sedet, Faunique premunt te iussa parentis,
Omnem equidem sceptris terram quae libera nostris
Dissidet, externam reor, et sic dicere divos.
Et Turno, si prima domus repetatur origo,
Inachus Acrisiusque patres, mediaeque Mycenae.
His ubi nequidquam dictis experta Latinum
Contra stare videt, penitusque in viscera lapsum
Serpentis furiale malum, totamque pererrat:
Tum vero infelix, ingentibus excita monstris,
Immensam sine more furit lymphata per urbem:
Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent; ille actus habena

366. *consanguineo:* Turno; „filius enim est Veniliae sororis Amatae.“ S.

367. Iam ad argumentum transit, et ostendere conatur Fauni oraculis significatum esse Turnum. — *Latinis* ut 11, 472 *generumque* adsciverit *urbi.*

368. *idque sedet* cf. 5, 418. — *premunt te* „urgent, in hoc compellunt.“ S.

371. Si quis externus quaeritur, omnes sunt, qui non in tuo regno nati sunt aut habitant; quam oraculi interpretandi rationem si non accipis, Turnus revera est peregrinus, ortus enim est ab Inacho et Acrisio, Argivorum regibus. Nam „Danae Acrisii regis Argivorum filia, postquam est a Iove vitiata, pater eam intra arcam inclusam praecipitavit in mare, quae delata ad Italiam inventa est a piscatore cum Perseo, quem illic enixa fuerat, et oblata regi, (Pilumno) qui eam sibi fecit uxorem, cum qua etiam Ardeam condidit, a quibus Turnum vult originem ducere.“ S. Variae autem de hac re fabulae, cf. 409, omnes tamen Turni patrem referunt Daunum. Turnus igitur ex Amatae mente revera Graecus, Aeneas a Dardano ortus Latinus est, non peregrinus. Unde etiam illud a poeta efficitur, quum vincat Turnum Aeneas, vinci Graecum a Latino.

372. *Mycenae mediae sc. patria* est. Itaque media e Graecia ortus recte Graecus habetur. Mycenae urbs, Homeri tempore celeberrima et princeps paene Graeciae, a Perseo, Danaes filio, condita dicitur. Ac sic in Turno Aeneas iniurias Agamemnonis et Graecorum ultus est.

373 — 403. Amata furore abrepta eripit Latino filiam.

374. *contra stare*, resistere ut *contra ire* 6, 95. — *lapsum* sc. est cf. 5, 362.

376. *monstris*, qualia obiiciuntur animo furiato.

377. *immensam* MRγbc. rec. *Wg.*; *Br.* coni. *incensam*, *Hn. Ld. Rb. immensum*; *Pl.* delet totum versum. Non sine caussa hoc in adiectivo interpretes haeserunt. Quamquam enim Vgl. potentiam et opes Latini auget, ut ad Romanam videantur assurgere opulentiam et maiestatem; id tamen non sine consilio facit, neque si opus non est, laudat illam amplitudinem; neque ita laudat, ut possit mendacii argui. Quid enim? Supererat Laurentii tantum, ut immensam eam urbem non fuisse, qui videret, intelligeret. Restat ultima ratio. Amata cum turbine comparatur huc illuc discursitante. Iam sana haec non sunt, si legitur: Amata *per urbem furit*, ut turbo agitatur, *sic per urbes et populos vagatur.* Quando est aptius iungere sic: Amata, ut turbo, vagatur per urbes et populos; quin etiam in silvas evolat. Omisso hoc versu omnia plana sunt. Et qui comparationem esse percepisset, neque tamen quomodo ea esset instituta intelligeret, facile poterat induci, ut ad complendam orationem, inferret *furit*, cetera ad versum exaedificandum adiiceret. Neque tamen eiicere audeo, quum ipsius videatur esse poetae, qui tibicinem hunc esse voluit. — *sine more furit* est 5, 694. — *lymphatus*, cui a deo furor iniectus est, ita Hor. C. 1, 37, 14. Luc. 1, 496. Liv. 7, 17 *tunc quidem velut lymphati et attoniti.*

378. *torto sub verbere*, flagello Ov. Ib. 161 *Verbera torta dabunt sonitum.* Sic G. 3, 106 Equis *instant verbere torto.* Ut h. l. flagellum sic 5, 147 remum verbere signari vidimus.

Curvatis fertur spatiis; stupet inscia supra
Impubesque manus, mirata volubile buxum:
Dant animos plagae. Non cursu segnior illo
Per medias urbes agitur populosque feroces.
Quin etiam in silvas, simulato numine Bacchi,
Maius adorta nefas maioremque orsa furorem,
Evolat, et natam frondosis montibus abdit,
Quo thalamum eripiat Teucris, taedasque moretur:
Euhoe Bacche, fremens, solum te virgine dignum,
Vociferans; etenim molles tibi sumere thyrsos,
Te lustrare choro, sacrum tibi pascere crinem.

381. *curvatis spatiis*, circulo. — *stupet inscia supra.* „Expressit puerorum morem conglobatorum et inhiantium ipsi turbini atque mirantium, quod ita in gyrum turbo vertatur.“ Benedictus. Eadem comparatio ap. Tib. 1, 5, 3 *Namque agor ut per plana citus sub verbere turbo, quem celer adsueta versat ab arte puer.*

382. *buxum.* Itaque ex hoc ligno fecere turbinem, quod docet etiam Pers. 3, 51 *buxum torquere flagello;* ex eo etiam tibiae factae cf. 9, 619.

385. Baccharum more iam se gerit; atque singula ad ritum, quo Bachus coli solebat, descripta sunt; quae ut melius cognoscas, adi Ov. M. 3, 521 — 4, 55. et Euripidis Bacchas, eiusque fabulae primum canticum.

386. *Maius adorta nefas*, quod dei cultum simulans filiam potestati patriae et fatis deorum eripere conatur. Quid quod ipsum sacrum Bacchicum nefas habebatur a Romanis. Cf. senatusconsultum de Bacchanalibus. „V. 386 otiosus esse videtur“ *Rb.*

388. *taedas*, nuptias; cf. 4, 339.

389. Bacchae recedebant a domibus in loca abdita et remota (hinc *nova tecta, silvas*) v. 393 et 94; errant ibi solutis crinibus et nudo collo (394 et Ov. l. l. v. 725 *Visis ululavit Agave collaque iactavit movitque per aera crinem;* — quare etiam in Bacchi honorem crinem alebant v. 391. Eur. v. 493 *ἱερὸς ὁ πλόκαμος, τῷ θεῷ τ' αὐτὸν τρέφω*) in capite serta habent (Eur. 106 *στεφανοῦσθε κισσῷ*); tectae sunt pellibus cervarum (*νεβρίδες* a *νεβρὸς* Eur. v. 137.); manu gerunt thyrsos vel hastas et virgas, baculos revinctos hederis et pampinis, quibus terram pulsabant (hinc *κίσσινον βέλος* Eur. 25 pampinea hasta ut h. l. Ov. Her. 13, 33. cf. Met. 4, 3 *festum celebrare sacerdos, Immunes operum dominas famulasque suorum, Pectora pelle tegi, crinales solvere vittas, Serta coma, manibus frondentes sumere thyrsos Iusserat*). Gerunt etiam faces. (*ὁ Βακχεὺς δ' ἔχων πυρσώδη φλόγα πεύκας ἐκ νάρθηκος αἴσσει*) quae ferulis insertae videntur fuisse. — Accedit Bacchantium ululatus et fremitus (ita *fremere* Ov. 3, 528) evoe Bacche clamantium (quod Graecis dicitur *εὐάζειν τὰ ὄργια*, Latinis *evare* cf. 6, 517.), mixto tympanorum et tibiarum sono. Eur. 127 sq. Hor. C. 3, 15, 10. — *te dignum.* Statim ad ipsum Bacchum de quo sermo est se convertit oratio; ita saepe fit ap. Latinos poetas cf. ad 2, 56. Deo ipsi consecrare se fingit filiam.

390. *Molles* thyrsi sunt, quod hedera cincti et fasciis.

391. *te lustrare choro* M al. — *choros* R. al. *Choro lustrare* dicitur ut 10, 224 *Agnoscunt longe regem lustrantque choreis*, quod est celebrare choreis; *choros* autem ortum videtur litera *s* a voce *sacrum* ad *choro* attracta. Neque aptum est hoc loco, quum non de choris qui agantur in Bacchi honorem sermo sit, sed Lavinia eo in choro esse dicatur. — *tibi* i. e. in tuum honorem *pascit crinem* i. e. non secando. Ita ap. Sen. Oed. 439 *tibi commotae pectora matres fudere comam.* Sic *Baccho furere* dicunt Stat. Theb. 7, 679. Claud. IV. Cons. Hon. 604. Sen. Agam. 724. *θοάζω Βρομίῳ* Eur. Bacch. 66. *βακχεύειν Βρομίῳ* Hel. 1380. — Ita si iungis verba: *Evoe Bacche, fremens*, clamans, vociferans solum te virgine dignum, *tibi* enim sumere (eam virginem) thyrsos etc, omissus est accusativus subiecti cf. 2, 3. Si *sumere* ceterique infinitivi a *Fama volat* pendent, ut est in Edd. multis, non minus accusativus subiecti supplendus est; sententia autem habilis nulla efficitur. *Fama volat* re cuius fama est non adiecta facile intelligitur, quum ea res modo dicta sit. Sed sume inf. *sumere* etc. esse historicos.

Fama volat, furiisque accensas pectore matres
Idem omnes simul ardor agit, nova quaerere tecta.
Deseruere domos; ventis dant colla comasque.
Ast aliae tremulis ululatibus aethera complent,
Pampineasque gerunt incinctae pellibus hastas.
Ipsa inter medias flagrantem fervida pinum
Sustinet, ac natae Turnique canit hymenaeos,
Sanguineam torquens aciem; torvumque repente
Clamat: Io matres, audite, ubi quaeque, Latinae:
Si qua piis animis manet infelicis Amatae
Gratia, si iuris materni cura remordet,
Solvite crinales vittas, capite orgia mecum.
Talem inter silvas, inter deserta ferarum,
Reginam Allecto stimulis agit undique Bacchi
Postquam visa satis primos acuisse furores,
Consiliumque omnemque domum vertisse Latini:
Protinus hinc fuscis tristis dea tollitur alis
Audacis Rutuli ad muros, quam dicitur urbem
Acrisioneis Danae fundasse colonis
Praecipiti delata Noto. Locus Ardea quondam

393. Idem hemistichium 4, 581; neque minus *simul* ad *omnes* pertinet 11, 834. *nova tecta*, feminis inusitata, silvas.

396. *Pampineae* sunt pampino cinctae, ut aureae dicuntur res quae sunt auratae. Simile 1, 191. *Pl.* et *Rb.* hunc v. praeponunt versui 395; *Pl.* etiam pro *aliae* scribendum censet *illae*, quod illatum est in Mediceum.

398. Tanto furore abripitur, ut iam instituі nuptias putaret, et nuptiales taedas ferre sibi videretur in sacro Bacchico.

399. *sanguinea acies*, qualis est furentium cf. 2, 210. — *torvum* adv. cf. 8, 489. Id tamen nove dictum, quum *torvus* ad oculos pertineat. — Saepius autem verba quae ad visum pertinent ad auditum referri et contra, observavimus 2, 301.

402. *cura remordet* sic 1, 261 et Claud. B. Get. 302 *Me quoque non impar naturae cura remordet.* Inde *mordaces* sunt sollicitudines ap. Hor. C. 1, 18, 4. Simile *edere* 4, 66. Si quae servatum velit id ius naturale, quo matri licet filiae suae curare salutem.

403. Vittae insigne pudoris cf. 2, 165. — *orgia* cf. 4, 303. — Non pigebit contulisse de orgiis Messalinae Tac. An. 11, 31.

405. *Pl.* delet *undique Bacchi*, quod a Baccho non stimuletur quae Baccham se simulet, et *undique* „unice versui explendo factum videatur.“ Quis igitur addidit? Nonne homo, dum deum fallere audet, ipse agitur?

404 — 474. Allecto, Calybes facie induta, Turnum ad bellum excitat.

406. Ubi videt satis furoris se iniecisse Amatae et omne consilium Latini evertisse domumque eius turbasse, ad Turnum transvolat Allecto. — *acuere furores* cf. 12, 590.

408. *Fuscis* est *alis*, quod est ex inferis. — Alata autem Furia est etiam ap. Eur. Orest. 311.

409. „Ardea a Danae Persei matre condita“ Pl. NH. 3, 5, 9. et Vgl. aliam quam eius interpres ad v. 371 sequitur narrationem, scilicet Danaen poenam a patre timentem, assumptis sociis effugisse et ad Italiam appulisse. Haec Ardea, caput Rutulorum stadiis LXX a mari erat sita Strab. 5, 3, 6. p. 232. Nunc Ardea 18 mill. Ital. ab urbe Roma; oppugnata est a Tarquinio Superbo, Romana facta colonia a. 311 a. u. Deleta est a Samnitibus, ut Virgilii tempore urbs non esset. Item Sil. 1, 293 *Magnanimis regnata viris, nunc Ardea nomen.* Ardea erat templum Iunonis celeberrimum cf. Pl. 35, 10, 37. — Male refertur illud *delata noto* i. e. mari profecta ad vocem *Allecto*, quum grammatica cogamur referre ad Danaen.

410. *Acrisioneis* adiectivum formatum ab *Acrisius.* Ita Od. M. 5, 239 *Acrisioneae arces* Argos dicitur.

Dictus avis; et nunc magnum tenet Ardea nomen;
Sed fortuna fuit. Tectis hic Turnus in altis
Iam mediam nigra carpebat nocte quietem.
Allecto torvam faciem et furialia membra
Exuit; in voltus sese transformat aniles,
Et frontem obscenam rugis arat; induit albos
Cum vitta crines; tum ramum innectit olivae;
Fit Calybe Iunonis anus templique sacerdos;
Et iuveni ante oculos his se cum vocibus offert:
Turne, tot incassum fusos patiere labores,
Et tua Dardaniis transscribi sceptra colonis?
Rex tibi coniugium et quaesitas sanguine dotes
Abnegat, externusque in regnum quaeritur heres.
I nunc, ingratis offer te, inrise, periclis;
Tyrrhenas, i, sterne acies; tege pace Latinos.
Haec adeo tibi me, placida quum nocte iaceres,
Ipsa palam fari omnipotens Saturnia iussit.
Quare age, et armari pubem portisque moveri
Laetus in arma para, et Phrygios qui flumine pulchro
Consedere duces pictasque exure carinas.

412. *avīs*, a maioribus, ut saepissime. Male *avĭs* significare volebant aliquando alitem et ardeam illam, quae ex cinere urbis orta esset. Eam fabulam narrat Ov. M. 14, 574. — *manet* M1Vγbc rec. *Ld. Rb.* *tenet* M2Rγc rec. *Wg.* et Serv. „Retinet quidem nomen adhuc, sed fortunam primam (pristinam) exstinxit aetas.“ — Utrumque bonum; *tenet* magis firmatur, et videtur *manet* eius esse interpretamentum.

413. *Sed fortuna fuit* i. e. nunc non est; cf. illud *fuit Ilium* 2, 325 et *dum fortuna fuit* 3, 16 cf. Gr. 456, 6.

414. *carpere quietem* cf. 1, 388.

416. *vultus* MRVγbc. *cultus* dat Aresianus rec. *Rb.*

417. obscenam cf. 12, 876.

418. Vitta est sacerdotis cf. 3, 370 et oliva cf. 5, 774.

419. Fit Calybe (anus) vetula sacerdos Iunonis et templi, ut 2, 319 Panthus est *arcis Phoebique sacerdos*. Pl. coni. *Iunoni arae templique*. — Epica autem huius transformationis descriptio. — Ita Iuno in anum se transformasse paene iisdem verbis narratur Ov. M. 3. 275. Sic ap. Claud. in Ruf. 1, 145 *Megaera rugis persulcata genas* imitatur senem.

421. *pati fusos labores* cf. 1, 385. *Labores fusi* vel profusi sunt, qui ad finem non perducunt. *incassum* praeter necessitatem ad augendam vim verbi additum. Num passurus es, omnes tuos labores frustra esse susceptos, omnium laborum praemium tibi eripi.

422. *Transscribi* dicuntur coloni, qui in aliam urbem emigrant cf. 5, 750; transscribitur etiam pecunia, si in tabulas alienas refertur, i. e. si transit ab altero ad alterum. Itaque est ex utraque dicendi formula, transdere in alterius potestatem. Tuum imperium transibit ad Dardanos. — *sceptra*, regnum ut 1, 253.

423. *sanguine*. Iam plura bella putandus est Turnus pro Latino gessisse, contra Tyrrhenos; hinc etiam v. *pericula*. — *dotes* cf. 11, 369.

425. Iam perge Latinos defendere a Tyrrhenis, ipse suscipe pericula, ut eorum pacem firmes: feres inde praemia contemptum et repulsam. Ingrata pericula sunt, quae gratiam, praemia non ferunt cf. 6, 213.

426. *Tyrrhenas acies:* „Sane notum est, bello multum valuisse Tyrrhenos et fuisse praecipue infestos Latinis.“ S.

430. *Laetus in arma*, alacer et laetus ad arma capienda. Eius structurae exempla alia habes 2, 61. *arva* coni. *Pl.* „Vgl. scripsisse videtur *laetus in arva para*. Rec. *Rb. arva* sed pro *para* dedit *iube*. Addit tamen „arva *Pl. arma* libri.“ et „Nescio an melius poeta haec sic contracturus fuisset: *Quare age, iam arma para*“, versu satis malo. — *flumine pulchro:* Ita v. 30 amoenum flumen Tiberis dicitur.

431. *duces pictasque exure carinas*

Caelestum vis magna iubet. Rex ipse Latinus,
Ni dare coniugium et dicto parere fatetur,
Sentiat et tandem Turnum experiatur in armis.
Hic iuvenis, vatem inridens, sic orsa vicissim
Ore refert: Classes invectas Thybridis undam
Non, ut rere, meas effugit nuntius aures:
Ne tantos mihi finge metus; nec regia Iuno
Immemor est nostri.
Sed te victa situ verique effeta senectus,
O mater, curis nequidquam exercet, et arma
Regum inter falsa vatem formidine ludit.
Cura tibi, divom effigies et templa tueri;
Bella viri pacemque gerant, quis bella gerenda.
Talibus Allecto dictis exarsit in iras.
At iuveni oranti subitus tremor occupat artus;
Deriguere oculi; tot Erinys sibilat hydris,

cf. 1, 356. Pictae naves memorantur 5, 663 et 8, 92. cf. 5, 116.

432. *Caelestum vis magna:* omnium deorum esse voluntatem simulat. —

433. *dicto parere* sc. suo; paret autem suis dictis, qui ad sua verba facta dirigit, qui stat promissis. —

434. *Sentire* aliquem est eius vires ipsum tolerando cognoscere; sic Pollux *Nos*, inquit, *Amycum sensimus.* Val. Fl. 4, 745. Hor. C. 4, 4, 25. — *in armis*, armatum cf. 5, 37.

435. *orsa* (i. e. passive) incepta, dicta, sic *orsa* legitur 10, 632. 11, 124. Val. Fl. 5, 475 *Talia miranti propius tulit orsa tyranno.*

436. *undam invehi* ut 8, 714.

438. Noli me terrere vano timore, et si quando opus erit, Iuno praestabit auxilium. Sequentia verba Turni, non honorifica admodum, apta sunt eius irrisioni.

440. Quid sit *situs* cf. 6, 462. Saepe is accipitur de torpore, qui e longinquitate temporis oritur. Colum. 1, 1 *Multos ... auctores comperi persuasum habere, longo aevi situ qualitatem caeli statumque mutari.* — *verique effeta s.* „cassa veritatis.“ S. — *Effetus* est etiam viribus exhaustus, infirmus; ita 5, 396. Cic. CM. 9 *Intemperans adolescentia effetum corpus tradit senectuti.* De genitivo cf. 1, 14. Cum irrisione eam vocat *vatem*, quam negat esse. Rem explicat Ov. M. 6, 37 *Mentis inops longaque venis confecta senecta, et nimium vixisse diu nocet.*

443. *cura tueri* cf. 5, 638.

444. *gerant* M. al. — *gerent* FRγbc Rec. *Ld.* et *Rb.* qui I. p. 198 „nec auget Medicei auctoritatem, quod exhibetur *gerant*, ut in illo solo praeterea exstat, quum genuinam ceterorum scripturam *gerent* Homeri exemplum tueatur“. Praestat coniunctivus; in eo enim inest exhortatio, ut Calybe, quam matris honore nuncupat, desistat curare, quae eius officii non sint; in futuro haec est sententia, vano eam labore fatigari de re, quam iam alii optime sint exsecuturi. At bellum iam instare Turnus negat. Simile dictum est apud Ov. M. 12, 475. Her. 13, 84, quibus locis etiam *gerant* probatur imperativus. — *Pacem gerere* non dixisset poeta, nisi additum fuisset *bellum*, sic dixit 9, 279 *seu pacem seu bella geram*, cuius zeugmatis habuit iam auctores sane idoneos. Cf. Sall. Iug. 46 *pacem an bellum gerens perniciosior esset.* — *Pl.* eiicit verba *quis bella gerenda*, quantum iudicare possum sine caussa; haec enim est Turni sententia: Tu cura tuas res et quisque suas, omittat alienas. Ad eam sententiam explendam necessaria sunt illa verba, neque haerendum, quod non pacis iterum fiat mentio. Ac num quid absurdi ea in sententia inest, si quis dicit haec: Utrum belli an pax sit, penes eos iudicium esto, quibus bellum gerendum est?

445. *exarsit in iras* cf. v. 577. Sic Ov. M. 5, 41 *ardescit vulgus in iras.* Luc. 3, 134 *accensus in iram*, alia.

446. *oranti*, dum haec dicit. — *subitus* cf. 2. 680.

447. *deriguere oculi.* In summo enim pavore et timore oculi sicci et exusti et immobiles videntur esse; neque sine caussa pavet, nam multis hydris sibilat furia aperitque suam faciem terribilem semoto anili vultu. — *tot* caussam invol-

Tantaque se facies aperit. Tum flammea torquens
Lumina cunctantem et quaerentem dicere plura
Reppulit, et geminos erexit crinibus angues,
Verberaque insonuit, rabidoque haec addidit ore:
En ego victa situ, quam veri effeta senectus
Arma inter regum falsa formidine ludit;
Respice ad haec: adsum dirarum ab sede sororum;
Bella manu letumque gero.
Sic effata facem iuveni coniecit, et atro
Lumine fumantes fixit sub pectore taedas.
Olli somnum ingens rumpit pavor, ossaque et artus
Perfudit toto proruptus corpore sudor.
Arma amens fremit; arma toro tectisque requirit.
Saevit amor ferri et scelerata insania belli,
Ira super: magno veluti quum flamma sonore
Virgea suggeritur costis undantis aeni,

vit cf. 5, 104. — *sibilat hydris.* Simile Tib. 1, 3, 71 *serpentum Cerberus ore stridet.*

448. *Pl.* coni. *tantaque se rabies aperit*, neque tamen intellexit Vgli sententiam; is enim Furiam iam sua, non in hominem mutata, figura uti dixit, ea autem est magna ac terribilis. Sic iam recte S.: „semoto anili vultu quem finxerat et quo se induerat". Idem pro *geminos* coni. *nigros*, *Gt.* pro *et geminos* coni. *atque omnes.* — *flammea lumina* iratorum et furiosorum cf. 12, 102. — *flamma* cf. 1, 191.

450. *repulit* sc. terrore. — *et geminos.* „Geminos, similes. Nam omnes eam dicit erexisse, non duos" S. De anguibus, quos pro crinibus habet duos sumit, iisque pro torto flagello utitur.

451. *verbera insonuit*, insonare facit (cf. 12.) flagellum (cf. 378). Cf. Val. Fl. 4, 412 *Apparent sparsaeque faces disiectaque longe verbera et abruptis excussi crinibus hydri* Tisiphones.

456. *facem iuveni coniecit.* „Satis considerate facem iuveni iniecit, quae cito et exardescit et desinit. Supra vero Amatae serpentem iniecit, quod in mulieribus semper viget venenum. Atro autem lumine, furiali, inferno." S.

457. *sub pectore*; ubi fellis locus est i. e. iracundiae.

458. *rumpit* et *perfudit* M. *perfundit* FR. rec. *Rb.* *Perfudit* etiam tempore prius est. Cf. ad 2, 466. *rapit* R, quod *Rb.* testatur. — Corporis status post grave somnium ut est describitur cf. 3, 175. Sil. 8, 187.

459. *proruptus* cf. 1, 246.

460. *amens*, sine certa ratione; ita 2, 314 *arma amens capio, nec sat rationis in armis.* — *arma fremit* cf. 11, 453. Vocabulum proprium est in seditionis et belli cupiditate. — *toro.* Scimus ex 1. 6, 524 priscis temporibus heroes ensem sub toro habuisse, ut statim possent se defendere.

461. *Pl.* coni. *A. a. fremit arma toro*, *t. requirit.*

462. *ira super.* Ipse iam cupidus est armorum et belli, sed *super* i. e. insuper, praeterea, multo magis saevit ira propter denegatam virginem. Nam *super* particula aliquid rebus antea memoratis multum praestare indicat, neque solum quando est praepositio, ut v. 803. 8, 303. 9, 283. Ov. M. 8, 677, sed etiam quando est adverbium, ut 1, 29. 2, 71. 3, 489. 11, 226. 685. Hor. Sat. 2, 7, 78. Stat. Theb. 9, 12. *Pl.* coni. *Ira subit.* Attende, quod Romanus poeta belli dixit insaniam. Ita Martem ipsum nuncupat insanum 550 et belli amorem insanum, et notavit belli rabiem 8, 327, et triste est bellum 325. E. 6, 7. et lacrimabile v. 604. Neque potuit Vgl. aliter de bello iudicare, etsi bellis creverat Romanorum respublica, et bellis maxima eorum gloria constabat. Etenim, etiamsi ipse bella quanta potuit arte descripserat, et bella nonnunquam esse necessaria et utilia intelligebat. tamen eius ingenii homini, cultioris et artibus dediti, bellum non nisi malum potuit videri.

463. Comparatur cum aqua, quae in olla, multo admoto igne, calore exaestuat et ebullit. Hunc locum videntur respexisse Val. 4, 686. Sil. 5, 605. — *virgea flamma*, e virgis orta cf. 11, 786. —

Exsultantque aestu latices; furit intus aquai
Fumidus atque alte spumis exuberat amnis;
Nec iam se capit unda; volat vapor ater ad auras.
Ergo iter ad regem polluta pace Latinum
Indicit primis iuvenum, et iubet arma parari,
Tutari Italiam, detrudere finibus hostem;
Se satis ambobus Teucrisque venire Latinisque.
Haec ubi dicta dedit, divosque in vota vocavit,
Certatim sese Rutuli exhortantur in arma.
Hunc decus egregium formae movet atque iuventae,
Hunc atavi reges, hunc claris dextera factis.
Dum Turnus Rutulos animis audacibus implet,
Allecto in Teucros Stygiis se concitat alis,
Arte nova speculata locum, quo litore pulcher
Insidiis cursuque feras agitabat Iulus.
Hic subitam canibus rabiem Cocytia virgo
Obiicit et noto nares contingit odore,
Ut cervum ardentes agerent; quae prima laborum
Caussa fuit, belloque animos accendit agrestes.

undans ahenum. Sic G. 1, 296 dixit *undam aheni.*

464. *aquai* dat Mγ?62C1. cf. *Rb.* firmatum a Probo grammatico cf. 3, 354. — *aquae vis* FRγ2. Et mira sunt verba Servii narrantis Virgilium scripsisse *aquae vis*, aut *aquae amnis* (nam utrumque datur a libris), Tuccam et Varium fecisse diaeresin *aquai.* Quae de his tradit Aeneidis correctoribus, vana esse apparet; nam non potuit post eos restare manus Virgilii. Iam *aquae amnis* durum est et durius etiam, quum sequatur *amnis;* *aquae vis* autem improbatur, quod eo recepto cogimur in sequente versu particulam *atque* altero ponere loco enuntiati, quod Vgl. videtur vitasse. — *furit fumidus atque exuberat amnis;* de ordine verborum cf. 8, 168.

466. Nec *iam se capit unda*, sed excedit aheni marginem. Cf. nostrum *er kann sich nicht mehr halten.* Sen. Agam. 487 *non capit sese mare.* — In hac quoque comparatione magno utitur verborum ornatu cf. *amnis*, *unda.* Confer similem comparationem Homeri Il. 21, 362, et uter in singulis rebus praestet considera.

467. *polluta pace* i. e. violata, sublata cf. 5, 5 *pollutus amor.* Pax autem polluitur a Latino, qui Laviniam antea Turno addictam nunc denegat. Ipse Turnus, ut mos est, aliam caussam affert et probiorem, qua ad bellum incitetur, salutem scilicet Italiae.

470. Se utrisque et Latinis et Troianis esse parem.

471. *divos in vota vocavit:* „quia nuncupatis votis bella sumebant.“ S, Ad formulam cf. 5, 234.

472. *in arma* cf. 12, 71.

473. *decus:* „Turni scilicet decus. Nam hoc dicit: Alios pulchritudo Turni, alios nobilitas, alios virtus movebat ad bellum.“ S. — *hunc* — *hunc* cf. 9, 572.

475 — 539. Bellum oritur inter Troianos et Latinos.

477. Nova arte, alia, quam qua usa erat — *locum*, *quo litore.* Locus enim in litore est. cf. 1, 187. Ipsa locum nacta, quo Iulus venationi intentus est, eius canes impellit, ut cervum Silviae persequantur.

479. *Hic* est eo *in loco*, quem speculata est. — *Cocytia*, quod ad Cocytum, in Orco sedem habet cf. 562.

480. Obiicit canum naribus notum cervi odorem. „Solent enim ita institui cf. Hor. Ep. 1, 2, 65 Venaticus ex quo cervinam catulus pellem latravit in aula.“ S.

481. *quae prima l. c. f.* ad totum enuntiatum pertinet. Saepe e parva re magnae res oriuntur; neque probabile non est, Latinos, quod a Teucris in iure suo terrae atque in domibus turbarentur, exacerbatos arma cepisse. Quum vero iam caedes facta esset, animi irritati non poterant tam facile mitigari; praesertim quum et dux Turnus adesset, et Amata regina ad bellum incitaret. Quare non est poeta vituperandus, quod ex tam parva re ingens bellum deduxerit.

482. *Bello* dativus est.

Cervus erat forma praestanti et cornibus ingens,
Tyrrhidae pueri quem matris ab ubere raptum
Nutribant, Tyrrhusque pater, cui regia parent
Armenta, et late custodia credita campi.
Adsuetum imperiis soror omni Silvia cura
Mollibus intexens ornabat cornua sertis,
Pectebatque ferum, puroque in fonte lavabat.
Ille, manum patiens, mensaeque adsuetus herili,
Errabat silvis; rursusque ad limina nota
Ipse domum sera quamvis se nocte ferebat.
Hunc procul errantem rabidae venantis Iuli
Commovere canes, fluvio quum forte secundo
Deflueret, ripaque aestus viridante levaret.
Ipse etiam eximiae laudis succensus amore
Ascanius curvo direxit spicula cornu;
Nec dextrae erranti deus afuit, actaque multo
Perque uterum sonitu perque ilia venit arundo.

483. Cervus erat, quem Tyrrhi filii pullum invenerant eorumque soror Silvia summa cura educaverat. Is libere per silvas vagabatur et a colonis, ut sacer, intactus relinquebatur. — *cornibus ingens:* Scriptor diceret *ingentibus cornibus.* Sed est h. l. ablativus sua vi, nam *cornua* sunt caussa, ob quam *ingens* potest dici cervus. Eius usus multa exempla reperiuntur, cf. 9, 163 *purpurei cristis* iuvenes 359 *aurea bullis cingula;* et Acron est 10, 722 *purpureus pennis et ostro*, alia et ap. alios poetas, ut Ov. F. 2, 253 *ficus durissima pomis.* Sed tale quid etiam apud Ciceronem cf. Verr. 5, 34: 88 *navis erat incredibili celeritate velis.* Et Val. Fl. 4, 402 ausus est dicere *ardua flumina ripis.* cf. Gr. § 324. Cornuum autem magnitudo in cervo et pulchritudinem signat et aetatem.

485. *Tyrrhus* non *Tyrrheus* Mss. et Servius et Aur. Vict, vel quis alius scripsit de org. G. R. c. 15; apud quos Tyrrhus is est pastor, apud quem Lavinia, quum Ascanium fugisset, peperit Silvium. Neque *Tyrrhīdae* vox obstat, quum 2, 82 *Belīdae* formatum sit a. v. *Belus.* Hic igitur Tyrrhus erat regii pecoris pastor, ut illo tempore, non infimi ordinis homo. — *parent*, praesens explicatur ad 4, 228.

486. *late* M2γ1bc. *lati* M1FRVγ2. Aptius erat, qualis esset custodia, quam qualis campus signare, et facile ad *campi* aptari poterat *late.* Cf. 737.

487. *adsuetum imperiis.* Simile est Plinii 8, 1 Elephantis est *imperiorum obedientia.*

488. *intexens cornua sertis:* Eadem structura est E. 2, 49. Cf. 6, 229.

489. *ferum* cf. 2, 51. Nota autem hoc loco versus molles et eclogis propiores inque omnibus inesse diaeresin bucolicam.

490. *Manum* contractum esse dicit *Wg.* et *Ld.* ex *manuum* cf. 6, 653. At non opus est ea explicatione. Est accusativus.

495. Cervum canes excitarunt, dum se ab aestu recreabat „et fluvio defluens et in umbrosa ripa decumbens.“ *Wg.* Non potuit, id quidem verum, eodem tempore cervus et in flumine natare et in ripa recumbere, neque id poeta ignoravit, sed, ut optime animadvertit *Wg.*, voluit securitatem pingere cervi ab omnibus tuti. eamque securitatem per partes exsecutus est. Quare noli aut *deflueret* explicare per *defluxisset* aut locum tentare coniectura. — Aestus quum ei qui fert molestus sit, potest dici *aestum levare* et sic dixit Stat. Silv. 3, 1, 63.

496. *Ipse* opponitur canibus; nam non canum sed ipsius Ascanii culpa est, quod cervus occiditur. Cum his, quae de cervo Cyparissi habet Ov. M. 10, 109 sq. non sine fructu comparabis, et cognosces poetarum diversam indolem.

497. *direxit* F2Mγ2bc. *derexit* F1Rγs. rec. *Rb.*

498. *nec deus erranti afuit:* deus, quisquis is est, numen aliquod, quod quale sit non indicatur. Est Allecto. — *Abesse alicui* cf. 12, 52. De abundantia *erranti afuit* cf. 4, 22. *Pl.* pro *erranti* coni. *forsan*, Sed id dubium non est, utrum casu an a deo res facta sit.

499. *ilia:* „Bene ea loca vulnerata di-

Saucius at quadrupes nota intra tecta refugit,
Successitque gemens stabulis, questuque cruentus
Atque imploranti similis tectum omne replebat.
Silvia prima soror, palmis percussa lacertos,
Auxilium vocat et duros conclamat agrestes.
Olli, pestis enim tacitis latet aspera silvis,
Improvisi adsunt: hic torre armatus obusto,
Stipitis hic gravidi nodis: quod cuique repertum
Rimanti, telum ira facit. Vocat agmina Tyrrhus,
Quadrifidam quercum cuneis ut forte coactis
Scindebat, rapta spirans immane securi.
At saeva e speculis tempus dea nacta nocendi
Ardua tecta petit stabuli, et de culmine summo
Pastorale canit signum, cornuque recurvo
Tartaream intendit vocem, qua protinus omne
Contremuit nemus et silvae insonuere profundae;
Audiit et Triviae longe lacus, audiit amnis

cit, quae statim mortem afferre non possent, ut domum rediret et esset caussa bellorum; nam si statim periret, aut ipse aut vulneris auctor lateret." S. *successit stabulis* cf. 8, 123.

503. *prima* signum dat tumultus Silvia. — *palmis percussa lacertos* cf. Claud. RP. 2, 248 *planctuque lacertos verberat.*

504. *Conclamat* verbum est militare: *conclamare ad arma, ad vasa.* — *agrestes* substantivum est Liv. 22, 10.

505. *pestis*, Furia cf, 5, 683. Facile autem puella, quae celeriter irascitur, iram suam deponeret, nisi statim adessent, qui possent ulcisci et vindicare; furia autem eos coegerat, ita ut frequentes adessent. *Pl.* versum eiicit quasi absonum, quum pastores signo obedire debuerint. Sed non debebant adesse, ut audirent. Ut adessent haec erat opera furiae. Ac si Vgl. versum non fecit, quis potuit in eam sententiam incidere alius?

506. *improvisi* sc. Silviae i. e. adsunt opinione celerius, et caussa indicatur, cur celerius accurant, quam ipsa Silvia potuit sperare.

508. *rimanti* cf. 11, 748. — Ira ex quacunque re arma facit; ita 1, 150 *furor arma ministrat.* — *Tyrrhus* ipse socios convocat, securi armatus, qua quercum scissurus erat.

509. *quatrifidam:* „quae in quattuor partes posset findi." S. cf. G. 2, 25.

510. *spirans immane.* Spirare altum etc. saepius cf. 8, 489.

512. *Stabulum* pastoris tugurium est „Bene *culmine*, quia de tectis agrestium loquitur." S.

513. *pastorale signum*, quo vicini ad auxilium ferendum convocantur. Ita etiam apud Romanos mos fuit primis temporibus, ut comitia per buccinam convocarentur. cf. Gell. 15, 27.

514. *intendit* M2γbc. rec. *Ld. Rb.* — *incendit* M1R2. (itaque VR1 videtur dare *intendit*) rec. *Wg.*

515. Sic *saltus profundi* G. 2, 390, *silvae profundae* Lucr. 5, 42. Vel in intimis silvarum recessibus ea vox auditur. Nam ubi Allecto sonum intendit, multo fortius sonat, ut late audiatur. Quodsi illum sonum maiorem habes, quam qui esse possit, ut cornu, quod ad Tiberis ostia sonat, audiatur ad Narem fluvium, poeta quasi uno sono factum fingit, quod factum est sono ab audientibus repetito et continuato, ut revera, qui Narem accolunt, illud signum ad Tiberim datum audisse dicantur. Itaque haec sana sunt.

516. „*Triviae lacus;* locus haud longe ab Aricia, in quo lacus est, qui Speculum Dianae dicitur;" S. Prope quem nemus et templum Dianae, nunc *lago di Nemi*, non longe a vico *Gensano.* Vicinus est lacus Albanus (*lago di Castel Gandolfo*). Cf. Priscian. 4, 4, p. 629: „Lucum Dianium in nemore Aricino Egerius Laebius Tusculanus dedicavit, dictator Latinus. Hi populi communiter, Tusculanus, Aricinus, Lanuvinus, Laurens, Coranus, Tiburtis, Pometinus, Ardeatis, Rutulus." Sane hoc notandum ob nomina populorum. Cf. Strab. 5, 3, 12 p. 239. — *audiit et — audiit* cf. 10, 313.

Sulfurea Nar albus aqua fontesque Velini;
Et trepidae matres pressere ad pectora natos.
Tum vero ad vocem celeres, qua buccina signum
Dira dedit, raptis concurrunt undique telis
Indomiti agricolae; nec non et Troia pubes
Ascanio auxilium castris effundit apertis.
Direxere acies. Non iam certamine agresti,
Stipitibus duris agitur sudibusve praeustis,
Sed ferro ancipiti decernunt, atraque late
Horrescit strictis seges ensibus, aeraque fulgent
Sole lacessita et lucem sub nubila iactant:
Fluctus uti primo coepit quum albescere vento,
Paulatim sese tollit mare et altius undas
Erigit, inde imo consurgit ad aethera fundo.
Hic iuvenis primam ante aciem stridente sagitta,
Natorum Tyrrhi fuerat qui maximus, Almo
Sternitur; haesit enim sub gutture volnus, et udae
Vocis iter tenuemque inclusit sanguine vitam.

517. *Nar*, *Nera.* Cf. versum Ennii: *Sulphureas posuit spiramina Naris ad undas.* Fluvius inter Umbros et Sabinos ad Tiberim defluit. „In via Flaminia est civitas Narnia in montibus posita, quibus subest Nar fluvius . . . Dum currit, est sulphurei coloris, dum hauritur, albi, et Sabini lingua sua *Nar* dicunt sulphur.“ S. Claud. Prob. et Ol. cs. 256: *Nar vitiatus odore sulfureo.* — *Fontesque Velini.* Velinus cf. v. 712. e summo Appenino in Sabinis ortus de monte decidit inter Interamnam et Reate, et efficit lacum Velinum, qui in Narem emissus est a M'. Curio. Plin. NH. 3, 12, 17: „*Sabini Velinos accolunt* lacus, roscidis collibus. Nar amnis exhaurit illos sulphureis aquis.“ — Cic. Att. 4, 15 „Lacus Velinus a M'. Curio emissus interciso monte in Narem defluit: ex quo est illa siccata et humida tamen modice Rosia.“ Ab hominibus montem esse perforatum negare videtur Tacitus A. 1, 79. Plin. 2, 103, 106. „In Piceno lacu Velino lignum deiectum lapideo cortice obducitur.“

519. *ad vocem* sc. buccinae. „Nam quicunque sonus dici vox proprie potest.“ S. cf. ad 3, 669. „Tuba, quae directa est, appellatur. Buccina, quae in semet ipsam aereo circulo flectitur“ Veget. 3, 5. Id firmat poeta; compara v. 513. Memoratur 11, 474.

521. *nec non et* cf. 5, 100.

522. *Pubes auxilium fundit* e *castris*, dum ipsa advenit auxilio.

523. *direxere acies:* Iam acie instructa pugnant; nec agrestibus sed militaribus armis decernunt.

525. „*Ferro ancipiti* utrinque noxio. Dicit autem aut gladios aut bipennes“ S. Sic ferrum anceps dicitur bipennis ap. Lucr. 6, 168 *caedere si quem ancipiti videas ferro procul arboris auctum.* Cf. 11, 651.

526. *horrescit* cf. ad 3, 195. — *Seges* cum acie comparata 11, 601. — *Atra* est ad oculorum iudicium, longum hominum ordinem in campo prospicientium. cf. 9, 36.

527. *lacessita* i. e. pulsa solis radiis. „Naturale enim est, ut metallorum splendor plus fulgeat alia luce repercussus.“ S.

528. *primo vento* i. e. ubi primum ventus fit. Eadem comparatio est ap. Hom. Il. 4, 422. — *Albescere vento pontum* instantis tempestatis signum est; cf. Ov. M. 11, 480: *Quum mare sub noctem tumidis albescere coepit fluctibus, et praeceps spirare valentius Eurus.*

532. *Almo*, fluvius Latii; cf. Ov. M. 14, 329 *cursuque brevissimus Almo.* Ita etiam brevem homini Vgl. dedit vitam. Is autem, qui innumera hominum nomina fingere cogebatur, de fluminibus saepe sumpsit. Sic *Almonem* dixit, statim *Galaesum*, qui est fluvius Bruttiorum, mox *Ufentem* 745. *Umbronem* 752. *Lirim* 11, 670. al. Sic in Troianis *Hypanim* aliquem et *Caicum* fuisse legimus. — *fuerat* recte, occisus enim maximus esse desiit.

533. *haesit vulnus;* nam telum ibi haesit cf. 2, 529. „Vix dubito, quin Vgl. pro *udae* scripserit *una*“ *Pl.*

534. *inclusit*, exire cohibuit, ut nequeat audiri; ita Cic. pr. Rab. P. 47 *Me dolor*

Corpora multa virum circa, seniorque Galaesus,
Dum paci medium se offert, iustissimus unus
Qui fuit Ausoniisque olim ditissimus arvis:
Quinque greges illi balantum, quina redibant
Armenta, et terram centum vertebat aratris.
  Atque ea per campos aequo dum Marte geruntur,
Promissi dea facta potens, ubi sanguine bellum
Imbuit, et primae commisit funera pugnae,
Deserit Hesperiam, et caeli conversa per auras
Iunonem victrix adfatur voce superba:
En, perfecta tibi bello discordia tristi;
Dic, in amicitiam coeant et foedera iungant,
Quandoquidem Ausonio respersi sanguine Teucros.
Hoc etiam his addam, tua si mihi certa voluntas:
Finitimas in bella feram rumoribus urbes,
Accendamque animos insani Martis amore,
Undique ut auxilio veniant; spargam arma per agros.
Tum contra Iuno: terrorum et fraudis abunde est.
Stant belli caussae; pugnatur comminus armis;

debilitat includitque vocem. Usitatius ea in re est *intercludere.*

535. „Vereor, ne illum quoque locum v. 535—39, ubi aegre post *seniorque Galaesus* verbum desidero, expleturus fuerit" *Rb.* 1 p. 82.

536. Dum in medium certamen se infert pacem compositurus.

538. *quina* cf. ad 5, 560.

540—571. Turbis commotis Allecto in Tartarum redit.

540. *aequo Marte.* Quum staret acies, et antequam in cuiusquam partem inclinaret victoria, Allecto, quod bellum effecisset, laeta rediit ad Iunonem. Notanda tamen sunt verba Servii qui: „*aequo Marte*, aperta contentione, bello manifesto, *nam sic dicimus.*" S.

541. *Promissi potens facta* est, quae effecit, quod promiserat. Sic ap. Ov. M. 4, 509 *victrix iussi potens* est, quae iussa perfecit et F. 3, 269. 5, 258 *voti potens* femina, quae quod vovendo petierat nacta est, et Tissiphone est ap. Stat. Theb. 11, 57 *potens scelerum*, quae commisit, et ap Liv. 8, 13 *consilii potentes* sunt, qui exsequuntur. — Neque tamen Allecto verbis promisit, sed re, statim exsequendo, quae volebat Iuno.

542. *sanguine bellum imbuit:* „initiavit." S. Cf. 554. *primae p.* cf. 3, 69.

543. *caeli conversa per auras* M1 facileque explicatur: quum se convertisset, evolasset per auras caeli ad Iunonem rec. *Wg. Ld.* — „*Convexa per auras* (M2Rγbc. rec. *Rb.*) Probus, Asper, Donatus dicunt hoc loco *per* bis accipiendum; alloquitur Iunonem per caeli convexa *et* per auras. Potest tamen esse epexegesis *per auras* i. e. caeli convexa. Nec enim aliud sunt *aurae.* Dicit etiam quidam Commentarius *convecta* legendum, ut sit ipsa convecta, quod difficile in exemplaribus invenitur." S. *Convecta* probavit Iahnius, Heynius coniecit *caelique evecta p. a.* Bothius *connixa*, *Pl.* *caeloque invecta*, Canterus *caeli convexa peragrans.* *Rb:* „Mihi omissum esse aliquid, velut *adpetit*, videtur." Itaque ipsi non sufficit *convexa.* Fortior *Pl.* qui: „Laudarem poetam, si haec ita reliquisset: *Deserit Hesperiam. — Est locus Italiae medio* etc. (eiectis v. 543—562). Quot turbas movit error unius librarii!

544. *victrix* cf. 2, 329.

546. *Dic in amicitiam coeant:* „ac si dicat. Ita bella commovi, ut ne tuo quidem imperio possint in pacem redire. Et hoc est, quod dixit, *affatur voce superba.*" S. Iam enim aspersi sunt Italo sanguine Troiani. — *Ld.* post *iungant* punctum, post *Teucros* comma posuit.

550. *Insani Martis amore* cf. v. 462. Et quid de bello iudicaverit poeta, vides, quum talia ipsam Allecto inducat loquentem.

552. *terrorum et fraudis abunde est.* De genitivo cf. Gr. § 266. — *Terror* ex hominum caede et bello subito; *fraudes* dicuntur, quibus usae sunt Iuno et Allecto.

553. *stant belli caussae* cf. Hor. C. 1,

Quae fors prima dedit, sanguis novus imbuit arma.
Talia coniugia et tales celebrent hymenaeos
Egregium Veneris genus et rex ipse Latinus.
Te super aetherias errare licentius auras
Haud Pater ille velit, summi regnator Olympi.
Cede locis. Ego, si qua super fortuna laborum est,
Ipsa regam. Tales dederat Saturnia voces.
Illa autem attollit stridentes anguibus alas,
Cocytique petit sedem, supera ardua linquens.
Est locus Italiae medio sub montibus altis,
Nobilis et fama multis memoratus in oris,
Ampsancti valles; densis hunc frondibus atrum
Urguet utrimque latus nemoris, medioque fragosus
Dat sonitum saxis et torto vertice torrens.
Hic specus horrendum et saevi spiracula Ditis
Monstrantur, ruptoque ingens Acheronte vorago
Pestiferas aperit fauces: quis condita Erinys,

16, 18 *altis urbibus ultimae stetere caussae cur perirent funditus.*

556. *Egregium Veneris genus*, ironia de Aenea dictum; Latinum autem iam propter foedus cum Aenea factum odit Iuno.

561. *Autem* rarum apud poetas vocabulum et minime poeticum, legitur 9, 132. 10, 662.

562. *Supera ardua* dixit Vgl. ut *supera alta* 6, 788 et *supera convexa* 6, 241. 750. 10, 251 de caelo. In his locis omnibus *Rb.* scripsit *super* adverbium. Adverbium tamen difficile est explicatu; adiectiva autem neutra saepe sunt facta substantiva ita ut adiectivum assumerent aliud cf. Gr. § 374. Vglii sunt *tranquilla alta* 2, 203, *pingnia culta* 8, 63. 10, 141, *aperta serena* G. 1, 393, *magna incepta* 11, 469, *pro talibus ausis* 12, 351, *audacibus coeptis* G. 1, 40. 9, 625 *coeptis ingentibus* 10, 461. Alii poetae ausi sunt alia et duriora, ut Sil. 12, 4 *tepido sereno*, Claud. RP. 2, 90 *medio sereno*. Similia iam ap. Liviam cf. Fbr. ad 21, 11 et 33. — In libris autem scriptum erat *superardua* quod est *supera ardua*.

563. *Est locus etc.* „Hunc locum umbilicum Italiae Chorographi dicunt. Est autem in latere Campaniae et Apuliae, ubi Hirpini sunt, et habet aquas sulphureas, ideo graviores, quia ambiuntur silvis. Ideo autem ibi aditus dicitur inferorum, quod gravis odor iuxta accedentes necat: (Idem testantur Cic. de div. 1, 36, 79 et Plin. NH. 2, 91, 95, „in Hirpinis Amsancti ad Mephitis aedem, locum quem qui intravere moriuntur.") adeo ut victimae circa hunc locum non immolarentur, sed odore perirent ad aquam applicatae." S. Putant nunc esse *Fricenti.* Loci natura nunc mutata; silvae absunt. Adesse tamen dicitur lacus, magna vi et strepitu aquam ebulliens et resorbens; et ipsum aediculae locum invenisse quidam sibi visus est. — Alii alia loca quaesiverunt, quibus Virgilii verba certe ex parte quadrarent, quae quum multa eius generis in Italia essent, plura repererunt, quisque novum. — *Italiae medio* non ad amussim metiendum esse quivis videt. De structura cf. 1, 422.

568. *Specus* neutrum facit Vgl., Ovidius masculinum M. 7, 409. 11, 235, ita Hor. C. 3, 25, 2; femininum Ennius ap. Servium. Cf. 4, 462. — „Spiracula vocant spiritus letales" ex terra emissos Pl. l. l. — *saevi* propter acrem odorem; sic *saeva Mephitis* v. 84. — Locus autem ita describitur: Vallis est altis montibus cincta; hi densis silvis obsiti ipsam vallem opacant; e specu aquae sulphureae prodeunt et vapores pestiferi; quapropter descensus habetur ad inferos; rivus autem multo fragore per saxa devolvitur.

569. *rupto Acheronte*, prorupto cf. 1, 246.

570. „*Condita Erinys;* alii *condit* legunt et *se* subaudiunt." S. Tamen nisi *terras* c. *l.* eiicis, *condit* stare non potest; ortum fortasse inde, quod quis *condita Erinys* recitatum, male excepit litteris. *Pl.: numen Erinys condidit invisum et t. c. levavit.*

Invisum numen, terras caelumque levabat.
Nec minus interea extremam Saturnia bello
Imponit regina manum. Ruit omnis in urbem
Pastorum ex acie numerus, caesosque reportant
Almonem puerum foedatique ora Galaesi;
Implorantque deos, obtestanturque Latinum.
Turnus adest medioque in crimine caedis et igni
Terrorem ingeminat: Teucros in regna vocari;
Stirpem admisceri Phrygiam; se limine pelli.
Tum quorum attonitae Baccho nemora avia matres
Insultant thiasis, neque enim leve nomen Amatae,
Undique collecti coeunt Martemque fatigant.
Ilicet infandum cuncti contra omina bellum
Contra fata deum perverso numine poscunt.
Certatim regis circumstant tecta Latini.
Ille velut pelagi rupes immota resistit,

571. *terram caelumque levabat* „relevabat, cui praesentia sui erat oneri.“ S.

572—600. Latinus sceptrum deponit.

572. *Nec minus interea* cf. 1, 633.

573. *extremam imponit regina manum*, „et est translatio a pictura quam manus complet atque ornat extrema.“ S.

575. *ora Galaesi* cf. ad 4, 132. — *foedati* „cruentati“. S. cf. 2, 55. Versum eiic. *Pl.* Hic versus si abest, reliqui praebent bonam sententiam; facile etiam aliquis moveri poterat, ut ex superioribus hoc loco nomina Almonis et Galaesi repeteret. Neque tamen haec sufficiunt ad versum expellendum. Recte ipse poeta nomina repetiit eorum, qui ante alios insignes erant.

576. *implorantque deos* „ad auxilium et ultionem.“ S. — *obtestanturque Latinum:* ipsum iubent testem esse, Teucros rupisse foedus.

577. *caedis et igni* MR al. *ignis* vulgata in paucis recentioribus. Ortum per librarios post v. *caedis* scribentes *et ignis*, facili et crebro errore, ut vocabuli formam ad proximam accomodarent. — Mediis in criminationibus caedis „et in ipso fervore ac incendio seditionis“ S. quam movent Latini, advenit Turnus et auget terrorem, dicens etc.; de qua voce omissa cf. 4, 416. — *Ignis* de ira etiam dicitur 445. 12, 102 cf. 2, 575 *exarsere ignes animo*. 9, 66 *ignescunt irae*. — Et Cicero et Livius dicunt *defervescere*, *deflagrare iram;* neque poeticum et exquisitum est, sed a natura ductum et sensu communi, quare in omnibus linguis ea observatur irae et ignis vicissitudo. Ira oculi exardescunt 2, 405. 6, 467. 7, 448. — *Pl.* pro *igne* coni. *ipse Br.* coni. *caedis iniquae.*

579. *limine pelli*, quum alius admittatur sponsus. Sic dicitur *limine prohibere* Cic. pr. Caec. 12, 35. *limine submovere* Iuv. 3, 124. *limen mutare* Georg. 2, 511. A parte totum cf. 3, 468. — *Phrygiam* i. e. ignavam cf. 9, 614.

580. *nemora insultant thiasis.* Ad *insultare* verbum solet apponi dativus G. 3, 117. Hor. C. 3, 3, 40 etc. Accusativus Ter. Eun. 2, 2, 54 *Ne tu istanc* (forem) *calcibus saepe insultabis frustra* cf. 5, 235. Ap. Sall. fragm. et Tac. An. 4, 59 insultare c. acc. est ludibrio habere aliquem. Itaque filii earum, quae cum Amata sunt, coeunt. — *collecti coeunt* cf. ad 2, 169.

582. *Martemque fatigant* „proelium cum clamore deposcunt.“ S. cf. 1, 280. — *Martem*, bellum cf. 1, 171.

583. *omina* ex apibus. — *fata deum* ex Fauni oraculo nota.

584. *perverso numine* „irato“ S. quum iis aversum sit numen. Sic Plaut. Men. 5, 5, 1 *Hic dies pervorsus atque advorsus mihi obtigit.* Brut. ap. Cic. Fam. 11, 10 *Gratiorem me esse in te posse, quam isti sunt perversi in me, exploratum habes. Pl.* coni. *Contra fata, deumque adverso.* — Comparatio seditionis cum mari ventis excitato, constantis viri cum rupe, quam fluctus non possunt movere, satis frequens est. cf. 1, 148.

586. *Ille velut etc.* omni verbo omisso. Eadem comparatio eademque comparationis forma est 10, 693.

Ut pelagi rupes, magno veniente fragore,
Quae sese, multis circum latrantibus undis,
Mole tenet; scopuli nequidquam et spumea circum
Saxa fremunt, laterique inlisa refunditur alga.
Verum ubi nulla datur caecum exsuperare potestas
Consilium et saevae nutu Iunonis eunt res:
Multa deos aurasque pater testatus inanes,
Frangimur heu fatis, inquit, ferimurque procella!
Ipsi has sacrilego pendetis sanguine poenas,
O miseri. Te, Turne, nefas, te triste manebit
Supplicium, votisque deos venerabere seris.
Nam mihi parta quies omnisque in limine portus,

587. *ut pelagi rupes* iterum additum non offendit. Comparatio Latini cum rupe immota confecta est v. 586; sed resumit Vgl. et exornat comparatum. Et iam antea *Hs.* et *Hn.* in his vv. haeserunt, *Wg.* autem quos in ed. mai. improbaverat, in minore nunc intactos reliquit.

588. *sese mole tenet:* „Sic distinguendum, ut scopuli nominativus pluralis sit." S. Sua ipsius mole defenditur. — *Latrare* undae saepe dicuntur vento ad scopulos appulsae. Inde Scyllae canes explicandae sunt cf. 3, 424.

589. *Scopuli et saxa* circa sunt et undarum spumis obducti; ipsi videntur irasci et allatrare maiorem rupem, quae ad auram intactum undis caput extollit. Ceterum repetitum est *circum*, quod ut removeret, et quae alia grata non erant, *Pl.* eiic. v. 586 *scopuli — fremunt.* Nos versus ferendos putamus, et ut Virgilium etiam magis exculturum eos fuisse et ipsi credimus, tamen eius non desideramus ingenium, si ipsam spectamus imaginem. Rupes et caeli et maris impetum sustinet; scopuli et saxa circum illisis undis exsultare quasi videntur et impetum conari in rupem. In furore rerum undique circumstantium immota manet, nec usquam flectitur. Quare etiam *circum* duplex hoc loco non putamus esse molestum. *Scopulos* et *saxa* Virgilius iungit etiam G. 3, 276. Scopuli sunt prominentes, saxa iacentia ex undis vix prominentia. Si quis rupem prominentibus scopulis viderit maris fluctibus petitam, in his verbis omnia recte dicta existimabit. Omnis impetus nihil efficit, nisi ut alga rupi illisa unda resorbeatur et de rupe refundatur. — *Spumea saxa* cf. 1, 191.

590. *laterique illisa refunditur alga:* Alga litori adiecta signum magnae habetur tempestatis et alibi, ut vere est, cf. Hor. C. 3, 17, 9 *Cras foliis nemus multis et alga litus inutili demissa tempestas ab Euro sternet, aquae nisi fallit augur annosa cornix.*

593. *Auras* invocat. Cf. 3, 600. 9, 24; *Aura inanis* est, cui numen non inest, quod audit, quare nequidquam invocat.

594. *frangimur* „permansit in rupis translatione." S.

595. *sacrilego* „quia bellum sumebant contra voluntatem deorum." S. Tu deorum respicies voluntatem, quum iam tibi salus nulla supererit.

596. *te manebit* cf. ad 2, 194.

598. *mihi parta quies* „scilicet vicinae mortis beneficio." S. Portus quietis *Hafen der Ruhe*, mors, sepulcrum, saepe apud Romanos. Cf. Ennium ap. Cic. Tusc. 1, 44, 107 *Neque sepulcrum, quo se recipiat habeat, portum corporis, ubi remissa humana vita corpus requiescat a malis.* Quod dictum Cicero habet „perquam *inane*." Sen. Ag. 589 *Heu quam dulce malum mortalibus additum, Vitae dirus amor, quum pateat malis Effugium, et miseros libera mors vocet, P o r t u s aeterna placidus quiete.* Sed portum etiam dici otium senile docet Claud. Cons. Mall. 61 *Postquam parta quies et summum nacta cacumen iam secura petit privatum gloria portum.* et v. 114 eadem imagine dixit: *telluris iam certus eras.* — Attamen *portus* simpliciter de otio et securitate dici vix probatur exemplis, nec *portus est in limine* ob imaginem, quae his subest verbis, Virgilium dixisse pro certo habuerim; et Servius alio ducere videtur. Is accepit: „Securitas omnis in promptu est;" iam prope absum a portu, sum iam ad limen portus, quem introeam. Itaque *portus* est genitivus. Itaque *omnis* pro totus explica et iunge quum iam totus in limine portus i. e. in morte sim, una mihi miseria relicta est, quod funere spolior felici.

Funere felici spolior. Nec plura locutus
Saepsit se tectis, rerumque reliquit habenas.
Mos erat Hesperio in Latio, quem protinus urbes
Albanae coluere sacrum, nunc maxima rerum
Roma colit, quum prima movent in proelia Martem,
Sive Getis inferre manu lacrimabile bellum
Hyrcanisve Arabisve parant, seu tendere ad Indos
Auroramque sequi Parthosque reposcere signa.
Sunt geminae Belli portae, sic nomine dicunt,
Religione sacrae et saevi formidine Martis:
Centum aerei claudunt vectes aeternaque ferri
Robora, nec custos absistit limine Ianus.
Has, ubi certa sedet patribus sententia pugnae,
Ipse Quirinali trabea cinctuque Gabino

Br. coni. *Non mihi mortisque in l. p. Ld.: Non mihi* et *omnis* de Latino dictum sumit, *o. i. l. p.* explicat „schon in der Nahe des Grabes." *Gt: sumque ipse in limine p.* Sententia plana est, difficultas et ut apparet corruptelae suspicio haeret in *omnis. Pl.* non potest emendare, additque „videant alii quid possint." Neque adhuc quidquam potuerunt. *Hn.* et Markland hemistichium spurium habuere.

599. *funere f. spolior:* „exequiis tantum regalibus careo." S. Similis consolatio 2, 646.

600. Ubi non potest supprimere furorem, omne remittit imperium, ne se etiam scelere inquinet veritus. — Ita quum Latinus rebus se submovisset, Turno locus datus est, eaque pollebat auctoritate, qua opus erat, ut recte posset opponi Aeneae. Arripit tamen Turnus sibi potentiam, non habet potestatem legitimam.

602—640. Latini ad bellum se parant.

601. Morem Iani reserandi Vgl. ab antiquissimis temporibus deducit, Livius a Numa cf. 3, 280. — *protinus* „iugiter" S. cf. 3, 416.

602. *maxuma rerum: rerum* superlativo additum, ut augeat, Sic 2, 534 *rerum facta est pulcherrima Roma* cf. Gr. § 235 An. 6. et Bach. ad Met. 8, 49 nennt dies rerum mit Superl. den Ausdruck des umfassendsten Lobpreises. Adde et Quint 1, 12, 16 *Honesta atque pulcherrima rerum eloquentia.*

603. *movent in proelia Martem:* „Nam moris fuerat indicto bello in Martis sacrario ancilia commovere." S.

604. Iam imperium Romanum ad extremas terras progressum indicat, simulque extollit res gestas Augusti. — *lacrimabile bellum* cf. 462. Getae ad Danubium; quorum nomen etiam de Dacis et Sarmatis usurpant; quos populos sub Augusto Romanum imperium incursitantes Lentulus coercuit, non devicit Flor. 4, 12, 19 sq. — *manu* cf. 6, 344.

605. *Hyrcanis* cf. 4, 367. — Hyrcanos et Arabes ita iungit Catull 11, 5, ut extremos imperii significet, adiungit idem Parthos et Indos. *Arabis* dat. plur. quum sit nom. sing. *Arabs*, nam Ărăbĭbŭs versui non potest aptari. Sic adiectivum abl. *Arabo* fecit Ovid. Her. 15, 76 *non Arabo noster rore capillus olet.* — A. U. 730 Gallus contra Arabes expeditionem suscepit. — *ad Indos:* cf. 6, 795.

606. *Parthosque reposcere signa* cf. ad rem 1, 289.

607. *geminae Belli portae* cf. 1, 294. Fingit sibi aedem Iani in qua inclusum sit Bellum, et gemino aditu ab antica et postica parte clausis foribus ferreis repagulis munitis, custodit Ianus, ne Mars erumpat. Si bellum decretum est, Consul fores aperit, bellum indicit, classica canere iubet. Similis est opinio Ennii: *postquam Discordia tetra Belli ferratos posteis portasque refregit.*

610. De Iano cf. 180.

611. *sedet:* cf. 5, 418. „Mallem pro *has* scribere *huic*" *Pl.*

612. *Quirinali trabea* cf. 188. „Suetonius in libro de genere vestium dicit tria esse genera trabearum. Unum diis sacratum, quod est tantum de purpura. Aliud regum, quod est purpureum, habet tamen album aliquid. Tertium augurale de purpura et cocco mixtum. *Quirinali* ergo regali." S. Apud Claudianum trabea est ornatus consulis, (in Eutrop. 1. 9. 119. 370. 464. 2, 24. 123.) quae etiam *cinctus* 1, 301 et *cinctus Quiri-*

Insignis reserat stridentia limina Consul;
Ipse vocat pugnas; sequitur tum cetera pubes,
Aereaque adsensu conspirant cornua rauco.
Hoc et tum Aeneadis indicere bella Latinus
More iubebatur, tristesque recludere portas.
Abstinuit tactu pater, aversusque refugit
Foeda ministeria, et caecis se condidit umbris.
Tum regina deum caelo delapsa morantes
Impulit ipsa manu portas, et cardine verso
Belli ferratos rumpit Saturnia postes.
Ardet inexcita Ausonia atque immobilis ante,
Pars pedes ire parat campis; pars arduus altis

nalis 1, 28 dicitur. Trabeis autem etiam reges usi sunt Pl. XII. 8, 48, 74, purpurea Romulus 9, 39, 63. Et ap. Ov. M. 14, 828. Fast 1, 37 *Quirinus trabeatus* dicitur et 6, 375 *lituo pulcher trabeaque Quirinus.* Et Latinus rex 11, 334 trabeam insigne regni nostri dicit. Dion 2, 70 vestem ἐν τοῖς πάνυ τιμίοις usitatam fuisse, Florus 1, 5, 5 eam a Tuscis Romanos dicit accepisse — *cinctuque Gabino.* „Gabinus cinctus est toga sic in tergum reiecta ut una (ima?) eius lacinia a tergore vocata hominem (humerum?) cingat. Hoc autem vestimenti genere utebatur consul bella indicturus, ideo quia quum Gabii Campaniae (?) civitas sacris operaretur, bellum subito evenit. Tunc cives cincti togis suis ab aris ad bella profecti sunt et adepti victoriam. Unde hic ortus est mos.“ S. Itaque ita colligitur vestis, ut tota veste sinistra manu sublata, dextra ad defendendum prompta sit.

613. *stridentia:* e natura ductum, nam magnae sunt portae et raro moventur. Ad *has (portas* v. 611.) *stridentia limina* est appositum.

615. *cornua conspirant:* „nam et tubae simul inflabantur.“ S. „Cornua, quod ea quae nunc sunt ex aere, tunc fiebant bubulo e cornu.“ Varr. LL. 5, 117. — Certis formulis Consul Martem videtur evocasse, eas repetisse milites simul accedentes, et cornibus et tubis signum datum esse belli.

618. *refugit*, recusat, ut 2, 12 et *fugit* 9, 200.

619. *Foeda* ministeria ex Latini opinione, quod bellum iniustum movetur.

620. *Regina — Saturnia* cf. 1, 44.

622. *Rumpit*, quasi ipsos cardines evellat. — *rumpit* Mc et in γb iis compendiis librarii utuntur, ut idem intellexisse videantur. — *rupit* FP. cf. 2, 466.

623. *ardet etc.* belli cupiditate flagrat post longam pacem.

624. *pars arduus altis pulverulentus equis furit: Arduus* cum *altis equis*, *pulverulentus* cum verbo *furit* iungendum est. Cf. 3, 70. Est tamen hoc in loco aliquid soloecum; nam *si pars pedes ire parat* ferimus, *pars arduus furit* sine exemplo est et vix ferendum; neque enim *arduus* est substantivum. Neque tamen *pars ardua* laudaremus, potius *pars ardui.* — Libri aliquot dant *Mars arduus* et M1 *arduus artis.* Nihil est praeterea notatum. Facillima est ratio *equis* mutare in *eques;* sed restat *altis*, quod voce *campis* iunctum non habet sensum satis idoneum. *Gt.* coni. *P. p. i. parat; campis pars ardua latis Pulverulentus eques furit. Pl.* coni. et *Hic pedes ire parat; campis ille arduus altis ..* et *Pars pedes ire parat; campis pars altus apertis Pulverulentus eques furit.* Probat etiam *altis campis* si quis velit iungere. Quum praeferam *altis equis* iungere, desidero aliquod nomen, quo *arduus* possit iungi, et *campis* uni alterive adiectum non habeo necessarium. Neque tamen hoc loco librariorum aliquem arbitror latere errorem, sed ipsum poetam, quum post v. *pedes* cogitaret addere *eques* quod postea consilium mutavit, *arduus* scripsisse putaverim. Non defenditur *pars arduus* ratione Wgri qui: „624 *pars arduus*, 5, 108 *pars et certare parati.*“ Meae rationi assentitur *Ld.* Idem tamen sequitur Rbeckium, qui versus 624 — 27 post v. 623 sublatos transtulit post 637, et ibi positos eiicit. *Pl.* etiam versus disiicit, ut *Rb.*, sed aliter, nam suo ordine retinet v. 623 — 5 et inde ponit 28. 26. 27. 32. 33. 34. 35. 36. 29. 30. 37. His conatibus opus non est; apud Vglium ordo est hic: Aperitur templum, excitatur Ausonia 623; itaque et pedites et equites arripiunt arma, tergent, acuunt; afferun-

Pulverulentus equis furit; omnes arma requirunt.
Pars leves clipeos et spicula lucida tergent
Arvina pingui, subiguntque in cote secures;
Signaque ferre iuvat, sonitusque audire tubarum.
Quinque adeo magnae positis incudibus urbes
Tela novant, Atina potens, Tiburque superbum,
Ardea, Crustumerique, et turrigerae Antemnae.
Tegmina tuta cavant capitum, flectuntque salignas
Umbonum crates; alii thoracas aenos
Aut leves ocreas lento ducunt argento.
Vomeris huc et falcis honos, huc omnis aratri
Cessit amor; recoquunt patrios fornacibus enses.
Classica iamque sonant; it bello tessera signum.

tur signa, tubae militares sonant. 2) Quinque urbes arma nova cudunt. 3) Datur classicum et tessera, ut egrediantur milites; quare celeriter armantur. Sic singula recte procedunt.

626. *tergent* FMR. et S. legit et probavit. *tergunt* pauci. „*tergo*, *tergis* de usu penitus recessit.“ S. Cf. Gr. § 184, 4.

627. „*Arvina* est secundum Suetonium durum pingue, quod est inter cutem et viscus.“ S. — *secures* ad 11, 651.

629. *adeo* cf. 3, 203.

630. *Atina:* „Civitas haec est iuxta Pomptinas paludes.“ S. Cf. Sil. 8, 398 *nec monte nivoso descendens Atina aberat.* — *Tibur* nunc *Tivoli;* satis notus est situs urbis ad Anienem eiusque amoenitas cf. 670. — *Superbum* „aut nobile aut per transitum tetigit illud, quod aliquando, quum a senatu auxilia poscerent Tiburtes sub commemoratione beneficiorum, hoc tantum a senatu responsum acceperunt: „*Superbi estis*.“ S. Et urbs in declivi posita, unde *supinum* dicitur ap. Hor. C. 3, 4, 23, superbae speciem praebebat, et Tiburtes feroces erant aliosque subiectos habebant ac Romanis diu et fortiter restiterunt, maxime bello Latino.

631. *Ardea* cf. v. 409. — *Crustumeri* (ii) sive urbis sive incolarum est nomen, novatum est. Alibi legitur urbis nomen *Crustumeria*, *Crustumerium*, *Crustumium*, incolarum *Crustumerini* et *Crustumini;* eratque postea ap. Romanos *tribus Crustumina.* Itaque quum nomina urbium proferantur, habendum est hoc urbis nomen et comparandum cum simili *Pometios* 6, 776. Novavitque Vgl. in oppido deleto nomen propter metrum. *Lch.* Lucr. 4, 680 „neque constare adhuc puto quomodo *Crustumeri* dicere potuerit Vgl.“ Vult *Crustumerii.* Fuerat autem urbs Sabinorum prope Tiberim, non procul a Fidenis et Allia fluvio. Ad historiam cf. Liv. 1, 10. 38. 2, 19. — *Antemnae* et *Antemna*, ubi Anio Tiberi se adiungit. De muris et turribus nihil notum.

632. *tegmina cavant capitum*, galeas conficiunt, et scuta de vimine, cui corium solebat induci. Cf. Caes. BG. 2, 33: „Scutis ex cortice factis aut viminibus intextis, quae subito, *ut temporis exiguitas postulabat*, pellibus induxerant.“ Ea tamen scuta sunt Gallorum, et ut locus ipse docet subito et ad unum proelium facta. Talia scuta Persae dicuntur habuisse Xen. Cyr. 1, 2, 9.

633. *Umbo* indicat scutum, ut 9, 810. 10, 884, non est pro scuto cf. 3, 468. — *thoracas*, „quia apud maiores loricae pectora tantum tegebant. Stat.: *triplici servantur pectora ferro; pectora, nam tergo nullus metus*.“ S.

634. Ocreas etiam aureas habet Turnus 11, 488. — *Ducere* vox est ea in re propria, sic Tib. 1, 3, 50 *ensem duxerat arte faber.*

636. *recoquunt: Coquere* proprium verbum in operibus ex aere igni factis. Cf. Luc. 7, 148. Iuv. 15, 166 *rastra et sarcula tantum adsueti coquere.* Flor. 3, 20, 6 *ferro recocto* cf. Claud. RP. 1, 243 *incoctum metallum.* Et *recoquunt* est iterum coquendo transformant.

637. „*Classicum* dicimus et tubam ipsam et sonum.“ S. „*Classicum* appellatur quod buccinatores per cornu dicunt. Hoc insigne videtur imperii, quia classicum canit imperatore praesente, vel quum in militem capitaliter animadvertitur, quia hoc ex imperialibus legibus fieri necesse est“ Veget. 2, 22. Cf. Liv. 5, 47 *Luce orta vocatis classico ad concilium militibus*, et Sen. de Ira 1, 16, 4 docet classicum canere, quum praetor conscendat tribunal. — „*Tessera*, symbolum bellicum, quod ad pugnam exeunti-

Hic galeam tectis trepidus rapit; ille frementes
Ad iuga cogit equos; clipeumque, auroque trilicem
Loricam induitur fidoque accingitur ense.
Pandite nunc Helicona, deae, cantusque movete,
Qui bello exciti reges, quae quemque secutae
Complerint campos acies, quibus Itala iam tum
Floruerit terra alma viris, quibus arserit armis;
Et meministis enim, divae, et memorare potestis:
Ad nos vix tenuis famae perlabitur aura.
Primus init bellum Tyrrhenis asper ab oris
Contemptor divom Mezentius agminaque armat.
Filius huic iuxta Lausus, quo pulchrior alter
Non fuit excepto Laurentis corpore Turni.
Lausus, equum domitor, debellatorque ferarum,

bus datur. scilicet propter confusionem, ut fuit in bello Marii *Lar deus*, in Sullae *Apollo Delphicus*, in Caesaris *Venus genetrix*." S.

639. *auro trilicem loricam* cf. 5, 259. — *que* cf. 1, 701.

640. *fidus ensis*. Cf. ad 10, 593.

641 — 646. Latinorum socii recensentur.

641. *Pandite*. Idem versus 10, 163. Aperite Helicona, domum vestram, ex qua prodeatis canentes. Translata significatione *pandere rem* est narrare aliis ut 3, 179. 6, 267; *pandere oracula*, dare oracula 3, 252. 479; *pandere viam* 6, 97. Liv. 4, 15 et *pandere carmina* dixit Lucr. 4, 8. — *Cantus movere* cf. 1, 262. Aptissime iungitur cum *pandere*. Ipsae enim Musae sequentia canunt, non poeta. Quare iam hanc propter caussam praeferendum est *movete* alteri *monete*, quod iam apud Servium notatum est et errore calami ortum videtur. — In Helicone *Μουσῶν ἱερὸν καὶ ἡ Ἵππου κρήνη καὶ τὸ τῶν Λειβηθρίδων νυμφῶν ἄντρον;* cf. Strab. 9, 2, 25 p. 410. Musae invocantur, ut v. 37 et 1, 8, quae, Mnemosynes filiae, narrent ea, quae vetustate remota sunt, et quae mortalis, tantilli temporis homo, nescit. Sic 10, 163. — Huic loco simillimus est Ov. M. 15, 622 sq. — Eodem modo Homerus, quum Graecorum copias enumerat, Musam invocat Il. 2, 484.

642. *acciti* M. rec. *Wg. Ld.*, *exciti* in Mss. ceteris? rec. *Rb.*

643. *iam tum*, in laudem dictum Italiae.

644. Et viros et arma descripturus est. Sic iunxit iam 1, 1.

645. Cf. Ov. 15, 623 *scitis enim*, *nec vos fallit spatiosa vetustas*.

646. Cf. Stat. Theb. 4, 651 *Phoebe doce*, *nos rara manent exordia famae*. — Docet hic versus certas aliquas ex illa antiquitate narrationes exstitisse paucissimas.

647 — 654. Mezentius.

647. Mezentius cum filio Lauso ex Etruriae urbe Agylla sive Caerete pulsus, Ardeae commoratur; ibique eos quos secum in exilium duxerat armasse fingitur. Plura de eo 8, 479 sq. Habes alterum Tarquinium Superbum. — „Non mirum si et contemptor divum et sacrilegus Mezentius contra piam gentem prior arma corripuit." S. Contemptor divom dicitur sec. Macr. 3, 5 „quod divinos honores sibi exegerat". Deinde addit haec: „Hic aliquos commemorat, quos in bello non invenis. Item in sequentibus aliquos invenimus, quos hic omnino non posuit." — *Tyrrhenis ab oris* „oriundo, Tuscus, non qui nunc de Tuscia venit, quem antea pulsum a civibus constat." S. Ita *ab* praepositio omisso participio signat originem, unde aliquis est egressus cf. 1, 380 *genus ab Iove summo*. E. 1, 8 *agnus ab ovilibus nostris*. G. 3, 2 *pastor ab Amphryso*. 243 *dulces a fontibus undae*. Ov. M. 9, 136 *victor ab Oechalia* (Hercules). Liv. 1, 50 *Turnus Herdonius ab Aricia*. Iustin. 4, 2 *veterani ab Himera*. Gr. § 317 An. Neque tamen est pro genitivo; non est *victor ab Oechalia* victor Oechaliae, sed qui venit ab Oechalia vel inde nomen victoris accepit. — *asper* cf. 729.

649. De Lauso cf. 10, 789.

650. *excepto corpore Turni:* ex more Romano inter corpus et animum diligenter distinguit cf. Gr. § 359, 2.

Ducit Agyllina nequidquam ex urbe secutos
Mille viros, dignus, patriis qui laetior esset
Imperiis, et cui pater haud Mezentius esset.
Post hos insignem palma per gramina currum
Victoresque ostentat equos satus Hercule pulchro
Pulcher Aventinus, clipeoque insigne paternum
Centum angues cinctamque gerit serpentibus Hydram;
Collis Aventini silva quem Rhea sacerdos
Furtivum partu sub luminis edidit oras,
Mixta deo mulier, postquam Laurentia victor
Geryone exstincto Tirynthius attigit arva,
Tyrrhenoque boves in flumine lavit Iberas.
Pila manu saevosque gerunt in bella dolones,
Et tereti pugnant mucrone veruque Sabello.

652. *Nequidquam* sequuntur ii, qui dominum non a morte defendunt.

653. *laetior patriis imperiis*, qui meliore patris imperio laetaretur, uteretur. — *esset* — *esset* cf. 8, 396. Consulto eandem repetiit formam. *Pl.* coni. *dignus, patriis cui laetior aetas Imperiis et quoi pater haud Mezentius esset.*

655 — 669. Aventinus.

656. *Aventinus:* a Virgilio fictum nomen, et omnia quae de eo narrantur. Is etiam v. 660 a monte nomen sumpsit eratque, ut tradit S., Aventinus aliquis aut rex Aboriginum, aut Albae, et in monte sepultus, qui id nomen tenuit. Hoc firmant Dion. 1, 71. Liv. 1, 3. Advenerat Aventinus equis et curru, quibus victoriam reportaverat, et ostentat eos; non minus clipeum, in quo hydra illa Lernaea, quam pater occiderat, erat depicta. De insignibus clipeorum cf. 2, 392. Ita et medio aevo equites ab animalibus occisis sua insignia depromere amabant; nec minus filii patrum assumebant insignia, unde orta sunt insignia generum perpetua. Fecerunt id filii et pietate ducti, et quod fortes a fortibus creari opinio erat, ut ex more filii patrum factis gloriarentur. — *palma*, victoria, ut 5, 70, quod est praemium victoriae ut 5, 346. Cic. 11 Phil. 5, 11 etc. Liv. 10, 47 *eodem anno* (459 a. u.) *palmae tum primum, translato e Graecia more, victoribus datae.* — *pulchro*, „forti" S. cf. v. 761.

657. Simillimus est locus Silii 2, 156, ubi Herculis sacerdoti Teroni „exuviae capiti impositae tegmenque leonis terribilem attollunt excelso vertice rictum. Centum angues idem caelatum insigne gerebat in clipeo et sectis geminam serpentibus hydram." Neque tamen ex eo hic *cinctam* in *sectam* mutandum est, quod fecit *Pl.*, neque enim necesse erat victum serpentem pingi, sed vivo non minus res poterat indicari.

659. *Rhea sacerdos.* In promptu est comparatio cum Rhea Silvia, Romuli matre; praesertim quum Mars cum Hercule multis caerimoniis confundatur cf. 8, 285.

660. *furtivum* cf. 6, 568. — *luminis oras:* Ita G. 2, 47 Ennius ap. Cic. Rep. 1, 41, 64. Lucr. 1, 23. 171. 180. 5, 779. 1388 etc. Val. Fl. 4, 702. — De voce *ora* cf. 2, 282.

661. „*Mixta*, μιγεῖσα, Graece dixit. *Mulier* compendiose, deo mortalis." S. — *Laurentia arva* dici possunt latiore sensu pro toto Latio. cf. 47. Melius tamen S.: „*Laurentia arva:* Laurentum civitas plurimum potuit. Nam omnia vicina loca eius imperio subiacuerunt. Unde nunc ait arva Laurentia; quum iuxta Tiberim armenta Hercules paverit. Secundum antiquum situm ante Albam et Romam Tiberis Laurentini fuit territorii."

662. Geryone rege exstincto et bobus abstractis redux ex Iberia pervenit in Italiam Hercules, ubi Cacum interfecit, de quo cf. 8, 190 sq. Dicitur autem et Geryon et Geryones 8; 202 et tricorporem eum fuisse tradunt sive tergeminum 8, 202. Lucr. 5, 28. cf. 6, 289.

663. *Tyrrheno* — *Iberas:* Nota opposita extremis locis posita. *Hiberas* ed. *Rb.* et lacunam h. l. esse statuit, caussamque addit „Hic desidero militum quos Aventinus ducit mentionem aliquam."

664. *Dolo* est „ingens contus cum ferro brevissimo." Varro ap. Serv. h. l.

665. *Teres mucro* parvus gladius, qualis erat postea Romanorum. — *veru Sabellum* quid est? Samnitibus proprium teli genus erat σαυνίον, Samnites autem Sabellorum gens erat. cf. Strabo 5, 3.

Ipse pedes, tegumen torquens immane leonis,
Terribili impexum saeta, cum dentibus albis,
Indutus capiti; sic regia tecta subibat,
Horridus, Herculeoque humeros innexus amictu.
Tum gemini fratres Tiburtia moenia linquunt,
Fratris Tiburti dictam cognomine gentem,
Catillusque acerque Coras, Argiva iuventus;
Et primam ante aciem densa inter tela feruntur,
Ceu duo nubigenae quum vertice montis ab alto
Descendunt Centauri, Homolen Othrymque nivalem
Linquentes cursu rapido; dat euntibus ingens

1 p. 228. G. 2, 168 Volsci *veruti* dicuntur, et *veru* spiculum est ap. Tib. 1, 6, 49 videturque idem esse quod *verutum*, quod erat „telum breve et angustum“ Non. p. 554. et Sil. 3, 364 dixit *tenui instare veruto.* Quod non dictum est, qui gerant arma, sane durum est; quod vitium tollere studet *Pl.* scribendo: *Pila manus — veruque Subellae.* Sed poeta satis habuit gentem indicasse *veru Sabello.*

666. Ipse etsi equos habet veloces et qui victoriam iam reportarunt, pedes est; pro sago habet tergum leonis. — *torquens:* ita 8, 460 *Demissa ab laeva pantherae terga retorquens.* — Dum pelle leonina tegitur, eius capite pro galea utitur. Itaque *torquens* subiunctum est participio *indutus*, quare abest copula. Atque id ipsum, unum participium alteri subiungi, quod est eadem forma, quamquam raro apud Latinos reperitur. (Cf. 8, 559.) — Quod si *torquens* et *indutus* alterum ab altero dependere negatur. abest copula non bene. — Usum praepositionis *cum* vide 11, 680. — Iam *inducre alicui* et *sibi aliquid* dicitur, et *indutus* cum accusativo vestis iunctum saepe legitur cf. 2, 273; sed *indutus capiti vestem* ab usu abhorret, etsi potest aliquo modo explicari. Sic *cupiti* est v. 689.

667. *Rb.* scribit *inpexum os saeta;* additque „*os* om. libri.“

668. *sic:* ita indutus cf. 1, 225.

669. *horridus* cf. 5, 37. Sed horrida est tota oratio. Caussa traditur, „quod in re horrida horridiore etiam dicendi genere utendum putavit.“ *Wg.* Nondum limavit locum poeta, neque tamen nobis licet verba mutare et aequiorem restituere verborum decursum, sed subsistendum est in iis, quae dedit poeta. — *innexus* MVγbc *innixus* PR quod ubique variatur cf. 217. Multi sunt conatus emendandi. *Ld. indutus* substantivum habet, appositum id ad *tegumen.* *Rb.* post v. 663 sumit esse lacunam, deinde versus ordinat 66. 69. 67. 68. 70. tum in v. 67 post *impexum* infert *os.* *Pl.* scribit *Ipse pedes, tegumen rictus immane l. T. i. seta, cum d. a. l. capiti, atque humeros impexus amictu Horridus Herculeo, sic r. t. s.*

670—677. Catillus et Coras fratres.

670. *moenia — gentem* cf. 5, 734. — „*Tibur* sicut Cato facit testimonium a Catillo Arcade, praefecto classis Evandri, sicut Sextius ab Argiva iuventute. Catillus enim, Amphiarai filius, post prodigialem patris apud Thebas interitum, Oeclei avi iussu cum omni fetu ver sacrum (de quo voto cf. 796.) missus, tres liberos in Italia procreavit: Tiburtum, Coram, Catillum, qui depulsis ex oppido Siciliae (id est eius regionis Italiae, quam antiquo tempore Siculi tenebant) veteribus Sicanis a nomine Tiburti fratris natu maximi urbem vocaverunt.“ Solin. 2, 8. Hinc ap. Hor. C. 1, 18, 2 *Tibur moenia Catili.* Ov. F. 4, 71 *Tibur, Argolicae quod posuere manus.* H. C. 2, 6, 5 *Tibur Argeo positum colono.*

671. *Tiburti* iam defenditur voce *Tiburtiu.* — Conditor et *Tiburs* et *Tiburtus* et *Tiburnus* dicitur. — *acer* cf. 10, 308.

674. *Homole* et *Othrys* montes Thessaliae; ibi habitarunt Centauri, quare *nubigenae* dicuntur. — Aliter explicat vocem S. ad 8, 293, qui deducit inde, quod de Ixione et nube, Iunonis loco ei obiecta, procreati sint Centauri. Centauri autem, qui equis ferebantur, immani corpore fuisse dicuntur.

676. Ita ab apro Calydonio „*sternitur incursu nemus et propulsa fragorem silva dat*“ Ov. M. 8, 340. Tales descriptiones non offendunt, si cogitamus, quantopere poetae sibi placuerint in describenda immanitate corporum, qua prisci homines praestitissent. cf. 12, 700.

Silva locum, et magno cedunt virgulta fragore.
Nec Praenestinae fundator defuit urbis,
Volcano genitum pecora inter agrestia regem
Inventumque focis omnis quem credidit aetas,
Caeculus. Hunc late legio comitatur agrestis;
Quique altum Praeneste viri, quique arva Gabinae
Iunonis gelidumque Anienem et roscida rivis
Hernica saxa colunt, quos dives Anagnia pascit,

678—690. Caeculus.

678. „*Praeneste (Palestrina)*, ut Zenodotus, a Praeneste Ulyssis nepote Latini filio, ut Praenestini sonant libri, a Caeculo, quem iuxta ignes fortuitos invenerunt, ut fama est, *Digitorum* sorores" Solin. 2, 9 „Cato in Originibus ait, Caeculum virgines aquam petentes in foco invenisse, ideoque Vulcani filium existimasse, et quod oculos exiguos haberet Caeculum appellatum. Hic collectitiis pastoribus Praeneste fundavit. Hunc Varro ab *Depidiis* pastoribus educatum ipsique *Depidio* nomen fuisse et cognomentum Caeculo tradit libro qui inscribitur *Marius aut de fortuna*" Schol. Mai. „De civitatibus totius orbis multi quidem scripserunt, ad plenum tamen Ptolemaeus Graece, Latine Plinius. De Italicis autem urbibus Hyginus plenissime scripsit et Cato in Originibus. Apud omnes tamen si diligenter advertas, de auctoribus conditarum urbium dissensio invenitur, adeo ut ne urbis quidem Romae origo possit diligenter agnosci. Si igitur tantae civitatis certa ratio non apparet, non mirum, si in aliarum opinione dubitatur. Unde nec historicos nec commentatores, varia dicentes, imperitiae condemnare debemus.' Nam antiquitas creavit errorem et plerique fundant, plerique augent et ad se transferunt nomina, quam rem etiam non parvum errorem afferre manifestum est. Praeneste locus est haud longe ab urbe... Ibi erant Pontifices et *dii Indigetes* sicut etiam Romae. Erant etiam duo fratres qui *divi* appellabantur. Horum soror dum ad focum sederet, desiliens scintilla eius uterum percussit; unde dicitur concepisse. Postea enixa puerum iuxta templum Iovis abiecit, quem virgines aquatum euntes iuxta ignem inventum sustulerunt, qui a fonte haud longe erat. Unde Vulcani dictus est filius. Caeculus autem ideo, quia oculis minoribus fuit, quam rem frequenter efficit fumus. Hic postea collecta multitudine, postquam diu latrocinatus est, Praenestinam civitatem in montibus condidit. Et quum ad ludos vicinos populos invitasset, coepit eos hortari, ut secum habitarent, et pro gloria iactare se filium esse Vulcani. Quod quum illi non crederent, invocato Vulcano, ut eum filium suum comprobaret, omnis illius coetus est flamma circumdatus. Quo facto commoti omnes simul habitaverunt et Vulcani filium esse crediderunt. Hinc est *omnis quem credidit aetas*, quasi post dubitationem" S. Spero te non gravatum, quod tam multa tibi de uno perlegenda fuerant homine; neque iterum tibi molestus ero, neque de alio adhuc exstant tot narrationes.

679. Quem regem omnis aetas credidit Vulcano genitum esse inter pecora inventumque in focis. — *Pl.* coni. *regis*.

681. *late legio* M. rec. *Rb. legio late* PRVγbc.

682. „*Altum* quia in montibus locatum." S. — Praeneste ob situm bellis civilibus Romanorum petitum est; obtinuit Marius, occupare conatus est Catilina. De urbis situ eiusque infortunio cf. Strab. 5, 3, 11 p. 238. — *arva Gabinae Iunonis:* „Gabii diu in agris morati tandem Gabios condiderunt; unde perite *arva* dixit non *moenia* (qua re urbem Gabios nondum fuisse indicat. Cf. 6, 773 et 3, 702 et 704.). Sane illic Iuno religiosissime colitur. „Est autem locus haud longe ab Urbe" S.

683. *gelidumque Anienem*, qui Tiberi influit; nunc *Teverone*. *Gelidam* eius esse aquam et alii poetae significant, ut Sil. 10, 363 *gelidis Anio undis*, 12, 538 *gelidus sulphureis undis*. Stat. Silv. 4, 4, 17 *Aniena frigora*.

684. *Hernica saxa* „Sabinorum lingua saxa hernae vocantur." S. Hernici qui foedere Sp. Cassii (a. u. 487) cum Romanis et Latinis iuncti, postea autem bello petiti fortiter et diu restiterunt. Urbs capitalis erat Anagnia, *Anagni*. — *dives A.* fertilis, nam Sil. 8, 393 *Hernicaque impresso raduntur vomere saxa, quis putri pinguis sulcaris Anagnia gleba* et 12, 532 *surgit suspensa tumenti dorso frugiferis cerealis Anagnia glebis*. — *pascit* vulgata et ap. Servium et Macrobium Sat. 5, 18; neque offendit, si

Quos, Amasene pater. Non illis omnibus arma
Nec clipei currusve sonant: pars maxima glandes
Liventis plumbi spargit; pars spicula gestat
Bina manu, fulvosque lupi de pelle galeros
Tegmen habent capiti; vestigia nuda sinistri
Instituere pedis; crudus tegit altera pero.
At Messapus, equum domitor, Neptunia proles,
Quem neque fas igni cuiquam nec sternere ferro,
Iam pridem resides populos desuetaque bello
Agmina in arma vocat subito, ferrumque retractat.
Hi Fescenninas acies Aequosque Faliscos,

pascit sequitur vocativus *Amasene* cf. 2, 56. De curribus cf. 12, 287.

685. *Amasenus* fluvius memoratur etiam 11, 547. Praeterea unus eum memorat Vibius Sequester „*Amasenus Privernatium.*" „Fluvius vicinus civitati Privernatium." S. — *Pater*, quod deus fluvius est. — Itaque et Gabini et Hernici et Privernates Caeculo subiecti sunt.

686. *glandes* cf. 9, 586.

687. *spargit* cf. 12, 51.

688. *Bina manu* cf. 8, 661. — *Galerus* et materia differt a *galea* cf. 785, et forma; galerus enim erat pressior; eo utebantur velites Romani Polyb. 6, 22, 3: Veles *προςεπικοσμεῖται δὲ καὶ λιτῷ πεφικεφαλαίῳ ποτὲ δὲ λυκείαν ἤ τι τῶν τοιούτων ἐπιτίθεται σκέπης ἅμα καὶ σημείου χάριν.* Cf. 8, 664.

689. *Tegumen* ut 632. 11, 577 et *tegmen* ut 666. 3, 394 recte dicitur.

690. Sunt et funditores et iaculatores; pilei genus habent galeros e pelle lupina factos, sinistrum pedem nudum, dextrum perone tectum. „Pero est rusticum calceamentum" S. ut ap. Iuv. 14, 186. Sic apud Persium 5, 102 *peronatus arator.* „Hunc morem in Italia fuisse, ut uno pede calceato, altero nudo iretur ad bellum, nusquam adhuc quod sciam reperi." Haec dicit Macrobius Sat. 5, 18, qui Virgilium Graecos secutum esse affirmat, Aetolis enim eum morem fuisse doceri loco Euripidis et Aristotelis, Euripidis, qui laevum, Aristotelis, qui dextrum eos pedem nudum habuisse dicant. Nescio qui factum sit, ut post haec multi perone ocreas significatas putarent, quae si in uno tantum pede erant, erant in sinistro. Sic apud Samnites sinistrum crus ocrea tectum erat Liv. 9, 40. Idem de Sabinis narrat Sil. 8, 421, de gladiatoribus Iuv. 6, 256. Qui autem locus ex Vegetio 1, 20 affertur, ubi ita milites muniti dicuntur, *ut pedites scutati praeter cataphractas et galeas etiam ferreas ocreas in dextris cruribus cogerentur accipere*, id videtur docere: Romanos non contentos fuisse, quo scutatus miles poterat esse contentus, ut sinistrum crus ocrea tegeretur, ut etiam dextrum crus ab hoste maxime remotum tutandum esse arbitrarentur. Hic igitur locus morem necessarium, quo si una tantum ocrea utebantur, ad sinistrum pedem alligabant, videtur confirmare. Sed talia scuta quae excepto pede totum corpus tegerent, iaculatores et funditores non habebant; neque pero vel calceus pedem satis potuit defendere contra tela. Propterea autem uno pede nudo, altero calceato utebantur, ut firmo gradu consisterent, quod maxime opus erat iaculatoribus, quibus firmari debebat pes dexter. Quem morem fuisse non possum demonstrare locis aliis; sed ita res ipsa probat, ut locos quaerere supersederim. Ita Plataeenses, quo certiores incedere possent, dextro pede nudo, sinistro calceato usi sunt Thuc. 3, 22 neque eo loco quaerendum arbitror, quem morem secuti sint. — *Instituere vestigia* est figere, certo gradu incedere. Ita *insistere* vestigia Lucr. 1, 407 al.

691—705. Messapus.

691. De Messapo Tuscae regionis principe aliquo nihil certum est; erat modo in Italia inferiore Messapia regio; eiusque rex Messapus memoratur, a quo Ennius poeta suam duxit originem. — *domitor equorum* „animalium, quae pater invenerat." S. quum de Athenis certaret cum Minerva.

692. Quod Messapus igni non sternitur, finxisse poeta videtur ob Hirpinorum artes, quas vide ad 11, 785.

693. *resides* ita 6, 814. — *desueta* cf. 5, 332.

694. *retractat* cf. 10, 396.

695. „Fescennium oppidum est, ubi nuptialia inventa sunt carmina. Hi autem populi ducunt originem ab Atheniensibus."

Hi Soractis habent arces Flaviniaque arva,
Et Cimini cum monte lacum lucosque Capenos.
Ibant aequati numero, regemque canebant,
Ceu quondam nivei liquida inter nubila cycni,
Quum sese e pastu referunt et longa canoros
Dant per colla modos; sonat amnis et Asia longe
Pulsa palus.
Nec quisquam aeratas acies ex agmine tanto

S. Nunc eo in loco *Civita Castellana.* Non procul Falisci, quorum urbs Falerii. Sed memoratur etiam urbs *Aequum Faliscum* a Strab. 5, 2, 9 p. 226 in via Flaminia situm. Ita *Aequos Faliscos* dixit Sil. 7, 496. — Faliscos Aequis ex parte constitisse putat Nieb. 1, 73 sq. Faliscos esse, qui in aequo i. e. plano habitaverint Ottfr. Müller Etrusc. 1, 110. — *Aequum* contra *Wg.* derivat ab Osco *Aipo*, quod *altum* significet; cum hac derivatione consentiunt, qui Falerii, Falesii, Falisci a *fala* = turris Fest. p. 88 deductum indicant; ut sint A. F. qui in altis turribus habitent. „Falisca Argis orta (ut auctor est Cato), quae cognominatur Etruscorum" Pl. NH. 3, 8. *Aequos* adiectivum habet Serv. qui „iustos autem dicit, quia P. R. missis decem viris ab ipsis iura fetialia collegit et nonnulla supplementa duodecim tabularum accepit, nam ab Atheniensibus decem habuerant tabulas." S. Quantum huic tribuendum sit explicationi ipse expendas. *Ld.* quoque per iustos explicat. At *hi habent Fescenninas acies et Aequos Faliscos* non est ferendum. *Pl.* proposuit: *Hi Fescenninos colles, aequorque Faliscum;* sane bonum. At non bene coniecit: nam hoc si scripsisset Vgl., non esset ortum, quod nunc legitur. Ex libris nihil notatur praeter: *equi currusque Faliscos.* Simplicissima esset ratio, *acies* mutare in *arces* et *Aequos Faliscos* dictum accipere de oppido, quod erat *Aequum Faliscum.* Cf. v. 631 *Crustumeri.* Et *arces* v. 696 legitur. *Rb.* post v. 695 sumit esse lacunam. „Mihi quaedam excidisse videntur. Desideratur verbum velut *ducunt*"; deinde ponit 96. 97 post 703. 4. 5, post 98. 99. 700. 1. 2. 6. Probat id *Wd.* p. 465.

696. Soracte (S. Silvestro) mons ad Tiberim cf. 11, 785. — *Flaviniaque arva:* „Locus est in Italia *Flavinium* nomine." S. Vides non multa eum posse narrare. Apud Sil. 8, 491 legitur *Flavina.*

697. *Ciminium* saltum sive montem, lacum *Ciminium* et *Ciminum* dici docuerunt Drak. Liv. 9, 36. Oudend. Front. Strat. 1, 2. *Cimini* ad utrumque genitivus est. *C.* mons nunc *Montagna di Viterbo*, lacus *Lago di Vico* sive *de Ronciglione* non longe a lacu Volsiniensi. Mons clarus proelio, quo Fabius Tuscos devicit „Aliquando Hercules ad hos populos venit, qui quum a singulis provocaretur ad ostentandam virtutem, defixisse dicitur vectem ferreum, quo exercebatur. Qui quum terrae esset affixus et a nullo potuisset auferri, eum rogatus sustulit. Unde immensa vis aquae secuta est, quae Ciminum lacum fecit." S. — *Capena* non procul a Tiberi et Soracte; in agro erat lucus Feroniae cf. Sil. 13, 84 *Itur in agros Dives ubi ante omnis colitur Feronia luco Et sacer humectat fluvialia rura Capenas.* Adde Liv. 26, 11. De sacris quae ibi sunt cf. 11, 785. — Per *lucos Capenos* prodit Vgl. urbem Capenam tum nondum fuisse.

698. *aequati numero:* certis ordinibus; „digesti in ordinem." S. — *regemque canebant* more ovantium. Erat etiam omnino mos in incessu militari carmina in heroes canere. Ita Sil. 8, 422 de Sabinis: *Ibant et laeti pars Sancum voce vocabant Auctorem gentis, pars laudes ore ferebant, Sabe, tuas.*

699. *nubila*, MR. quod absurdum putat *Rb.* et ortum ex 5, 525, ubi *liquida nubila* memorantur; res per se probabilis, *flumina* P. improbat E. Hoffmann, rec. *Rb.* — *quondam* cf. 2, 367.

701. *Asia palus*, Ἄσιος λειμών, ad Caystrum Asiae minoris fluvium, unde toti Asiae nomen fluxisse fertur. G. 1, 383 dicit *Asia prata.*

703. Ea est sententia: Ut incedebat agmen cum cantu, e longinquo aliquis volucrum cum clangore volantium gregem, non viros militares accedere putasset. Non absonum est 699 — 702 ad cantum referre, 703 — 705 ad numerum militum, et si non satis cohaerere videntur, vide ipsum versum plenum non esse, qui has duas partes iungat. *Misceri* est congregari ut G. 4, 75 *ad praetoria miscentur.*

Misceri putet, aeriam sed gurgite ab alto
Urgueri volucrum raucarum ad litora nubem.
  Ecce Sabinorum prisco de sanguine magnum
Agmen agens Clausus magnique ipse agminis instar,
Claudia nunc a quo diffunditur et tribus et gens
Per Latium, postquam in partem data Roma Sabinis.
Una ingens Amiterna cohors, priscique Quirites,
Ereti manus omnis oliviferaeque Mutuscae;
Qui Nomentum urbem, qui Rosea rura Velini,
Qui Tetricae horrentes rupes montemque Severum,
Casperiamque colunt Forulosque et flumen Himellae;
Qui Thybrim Fabarimque bibunt; quos frigida misit
Nursia; et Hortinae classes populique Latini;

706 — 722. Clausus.

706. *Ecce* cf. 2, 57 et 3, 477. Iam laudantur illi, ex quibus antiqui Romani originem ducunt. — *Sabini antiqua* natio: *Ἔστι δὲ παλαιότατον γένος οἱ Σαβῖνοι καὶ αὐτοχθόνες* Strab. 5, 3, 1 p. 228. Propterea Sabinorum ducem facit Clausum aliquem quod Atta Clausus (cf. Liv. 2, 16) cum quinquies mille clientibus Romam commigravit et, quod tantopere auxerat civitatem, ipse in patricios receptus est, et Claudia tribus appellata. Ita laudat Claudiam gentem, per omne tempus et etiamtum nobilissimam, ex qua post Augustum imperatores prodiere. Cf. Suet. Tib. 1.

709. *In partem data Roma Sabinis* est foedere constituto cum T. Tatio, quo in urbem Sabini recepti sunt.

710. *Amiternum*, patria Sallustii historiarum scriptoris, nunc *S. Vittorino* vicus I mill. Germ. ab Aquila in Abruzzo ulteriore: vi captum a Romanis Liv. 10, 39. — *prisci Quirites*, qui Cures incolebant, patriam Numae, nunc *Correse* ad flumen eiusdem nominis. — Quirites recentes sunt Romani.

711. *Eretum* prope Tiberim in via Salaria; nunc aut vicus *Monte Rotondo* aut *Rimane*, cf. Strab. l. l. — *Mutuscae* sive Trebula, non procul a vico *Monte Leone*. „Trebulani qui cognominantur Mutuscaei“ Pl. NH. 3, 12, 17. — *Τρηβοῦρα τε καὶ Ἤρητον· ἅπασα δ' αὐτῶν ἡ γῆ διαφερόντως ἐλαιόφυτός ἐστι* etc. Str. l. l.

712. *Nomentum* „Hoc ex sua persona dicit poeta, nam adhuc civitas Nomentum non fuerat, ut in sexto ait.“ S. Cf. 773. — „Velinus lacus est circa Reate iuxta agrum, qui Rosulanus vocatur, cf. 517. Varro tamen dicit lacum hunc a quodam consule in Nartem vel Naren fluvium, nam utrumque dicitur, esse diffusum, post quod tanta est ea loca secuta fertilitas, ut etiam perticae longitudinem altitudo superaret herbarum (Narrat RR. 1, 7), quin etiam quantum per diem demptum esset, tantum per noctem crescebat; quod Vgl. transtulit G. 2. 201...“ S.

713. *Tetricae rupes* „Tetricus mons in Sabinis asperrimus.“ S.; in Apennino est ut mons Severus. Qui sint nescitur; sunt Göttling, Micali, qui tetricas rupes volunt esse *S. Giovanni, Corno, il gran Sasso.*

714. „Casperia (nunc *Aspra*) et Foruli (nunc *Civita Tomassa*) civitates sunt.“ S. Vides quam singularia Serv. potuerit afferre, quare noli a nobis exspectare plura. — *Foruli vicus* dicitur a Livio 26, 11. Strabone l. l. Memoratur cum *Casperula* et Amiterno a Sil. 8, 416. — *flumen Himellae* (nunc Aia) de genitivo cf. 5, 62. „Himella Sabinorum prope Casperiam urbem“ Vib. Sequ.

715. *Tiberim* M. et Serv. *Thybrim* vulg. quam formam praeferre videtur Vgl. ut 3, 500. 6. 87. 7, 151. 242. 8, 64, cf. S. ad 8, 31. — *Fabaris* aut Farfarus (nunc *Farsa*) Tiberi influit a sinistra parte supra Cures. Cf. Ov. M. 14, 330 *amoenae Farfarus undae.*

716. *Nursia* (Norcia) „Piceni civitas“ S. patria Sertorii. Ampliorem enim facit Sabinorum regionem, quam certe postea fuit, ita et Horta quae est in loco, ubi Nar Tiberi adiungitur, a Plinio Etruriae oppidis annumeratur. — *Classes* sunt priores ordines civium (quales sunt Romae ex institutis Servianis), unde et nomen *classici.* — *populique Latini.* Ergo oppida a Latinis habitata fuerunt etiam in agro Sabinorum. Qui si classes sunt, populi Latini sunt clientes? Latinorum lingua orta videtur esse ex gente Sabinorum dominantium et Siculorum subiectorum.

Quosque secans infaustum interluit Alia nomen:
Quam multi Libyco volvuntur marmore fluctus,
Saevus ubi Orion hibernis conditur undis;
Vel quum sole novo densae torrentur aristae,
Aut Hermi campo, aut Lyciae flaventibus arvis.
Scuta sonant, pulsuque pedum conterrita tellus.
Hinc Agamemnonius, Troiani nominis hostis,
Curru iungit Halaesus equos, Turnoque feroces
Mille rapit populos; vertunt felicia Bacchi
Massica qui rastris, et quos de collibus altis
Aurunci misere patres, Sidicinaque iuxta
Aequora, quique Cales linquunt, amnisque vadosi

717. *Allia* „fl. haud longe ab urbe est, iuxta quem Galli Brenno duce, quinto decimo Kalendarum Augustarum die deleto exercitu post triduum deleverunt etiam urbem excepto Capitolio. Sane Allia, additur unum *l* propter metrum.“ S. Ex his *Alia* videtur esse usitata scriptura cf. Gr. § 224. Aliorum scriptorum libri servant *Alia.* *Rb.* scribit *Alia*, *Ortinae*, *Allia* MP. *Alia* R. *Hortinae* MR. *Ortinae* P.

718. Tot erant armati, quod fluctus in mari hibernis tempestatibus excitati, quot aristae in fertilissimo campo; et ita se urgebant ad certamen se protrudentes, ut solent fluctus et densae aristae. Comparatum plane omittitur ut 2, 303.

719. *Orion* cf. 1, 535.

720. *sole novo* „prima aestatis parte“ S. Cf. Ov. Fast. 1, 163 *Bruma novi prima est veterisque novissima solis.* — *Vel quum* magis annectit ad *ubi*, quam ad prius *quam multi.* Simplicissima erat ratio iungere *quam multi — vel quam densae.* Itaque variatam dicemus structuram non perversam. Etiam hoc loco pro simplici *sunt* habemus *torrentur* cf. ad 3, 641.

721. *Hermus* „Lydiae fluvius, qui superfusus campis gignit fertilitatem“ S. influit in sinum Smyrnaeum. Lycia aspera et saxosa regio; inde pronum erat scribere *Lydiae;* sed ad fluvium Xanthum, qui eam perfluit, campus extenditur Herod. 1, 176. Cf. Ov. Met. 6, 317 *Lyciae fertilis agris coloni.*

722. *Scuta sonant* etc. epiphonema est. — *conterrita tellus M. R.* cf. *Hn.* — *pedum tremit excita* vulg. et *gemit* sumptum e 12, 445. *excita t.* coni. *Pl.* — Attende quantopere h. l. priscos Sabinos ornare studuerit, quum essent maiores Romanorum.

723 — 732. Halaesus.

723. *Halaesus* MPR. cf. *Rb.* ad 10, 417. — Halesum Agamemnonis dicit etiam Ovid. Am. 3, 13, 31 *Agamemnone caeso et scelus et patrias fugit Halesus opes.* Sed eum Faliscorum oppidum condidisse narrant; non imperasse Auruncis. Fast. 4, 73 *Venerat Atridae fatis agitatus Halesus; a quo se dictum terra Falisca putat.* Faliscis autem ap. Virgilium Messapus praeest v. 692 sq. Fingit Vgl. Halesum Agamemnone caeso in Italiam ad Auruncos confugisse; ibique imperio accepto, ut videtur sub Turni potestate; qui ei gentili (cf. v. 372) regni sui partem cesserat [quod si accipis probabile etiam fit eum post paucissimos annos, quibus immigravit, iam regnum habere] statim iam Troiani nominis odio commotus ad Turnum cum exercitu properat. Ab Ovidio admodum probabile est Halesum habitum esse Agamemnonis filium; Virgilius tamen voce *Agamemnonius* id non indicavit; sed modo comitem intellexit (cf. 6, 489). Silius eum dicit *Argolicum* 8, 476. — *Aurunci* ex parte certe ipsum Turnum sequuntur cf. v. 795 et 12, 94, ex quo loco intelligimus Turnum Auruncos subegisse; itaque recte potuit iis dare praefectum peregrinum aliquem, sibi deditum. — *Turno* et dativo commodi et per *ad* potes explicare cf. 5, 451.

725. *rapit* „raptim adducit“ S. cf. 10, 178. 308. 12, 450. Liv. 2, 20 *manipulos secum rapit.*

726. *mons Massicus* „est vitibus plenus“ S. cf. Plin. 14, 6, 8. „Massica, ex monte Gauro Puteolos Baiasque spectantia.“ Eo loco Plin. de vinis scribit Italiae. Adde 3, 5, 9. „*Massica* dixit, ut *Maenala.*“ S. Cf. 9, 618.

727. *Aurunci patres* „graece Ausones nominantur.“ S. Ultra Lirim habitabant, quorum Suessa Aurunca fuit, sed etiam in Latio cf. 206 et 11, 316. — *Sidicini*, quorum urbs Teanum Sidicinum (Teano).

728. *Aequora* sunt camporum, cf. 5,

Accola Volturni, pariterque Saticulus asper,
Oscorumque manus. Teretes sunt aclides illis
Tela; sed haec lento mos est aptare flagello.
Laevas cetra tegit; falcati comminus enses.
Nec tu carminibus nostris indictus abibis,
Oebale, quem generasse Telon Sebethide nympha
Fertur, Teleboum Capreas quum regna teneret,
Iam senior; patriis sed non et filius arvis
Contentus late iam tum dicione premebat
Sarrastes populos et quae rigat aequora Sarnus,
Quique Rufras Batulumque tenent atque arva Celemnae,
Et quos maliferae despectant moenia Abellae:
Teutonico ritu soliti torquere cateias;

456. — Per hoc: *quique C. l.;* ante quod *eos* omissum ex more est, facilis est transitus ad nominativos, quum illud *rapit* v. 725 accusativum requirat. Nominativus ita in enarratione absolutus; cf. 2, 170. — *Cales*, (Calvi in terra di Lavoro) urbs Campaniae; municipium.

729. *Vulturnus (Volturno).* — *Saticulus populus* Ausonum in Campaniae et Samnii confinibus in montibus habitans. Urbs Saticula, in quam Romana colonia deducta est Vell. 1, 14, nunc *Caserta Vecchio*, aut *Savignano.* — Quod in montibus habitant, asperi dicuntur. Serv. explicat *asper moribus* ut 647.

730. *Oscorum manus* intelligit sine dubio Capuae incolas. — *Aclides* tela sunt, ut ex Virgilio patet, quae loro illigata iaciuntur. Serv. ita explicat: „Legitur. quod sint clavae cubito semis factae, eminentibus hinc et hinc acuminibus, quae ita in hostem iaciuntur religatae loro vel lino, ut peractis vulneribus possint ad dominos redire.“ S. *Aclide vel tenui pugnax instare veruto.* Sil. 3, 363.

732. *Cetra* „scutum loreum quo utuntur Afri et Hispani.“ S. „Pelta cetrae haud dissimilis est“ Liv. 28, 5. Cetra fuit Hispanorum Caes. BC. 1, 39. 48. Sil. 10, 230. Afrorum Sil. 3, 278. Britannorum Tac. Agr. 36. Macedonum Liv. 33, 8. Achaeorum 35, 30. Postea vel imperator gessit Caligula cf. Suet. 19. Ut cetra maxime barbarorum videtur fuisse, ita etiam falcati enses, qui memorantur apud Afros Sil. l. l. Getas Stat. Achill. 2, 419. Etiam ap. Salernitanos Sil. 8, 585, qui sunt Osci. — *falcati comminus enses.* Affectavit varietatem; nam consequens fuerat ut diceret: *dextras armant gladii f.*“ S. cf. 728.

733 — 743. Oebalus.

733. *indictus abibis* cf. 2, 169. *Indictus* ita saepe ap. Liv., qui etiam 22, 39 *me indicente* videtur dixisse, quod legitur ap. Ter. Ad. 3, 4, 62 *non me indicente haec fiunt.* Cf. *indicta caussa.*

735. *Teleboae:* Pelasgi relicta Tapho, una ex Echinadibus insula, Capream *(Capri)* insulam Surrentino promontorio oppositam occupavere. Eorum rex Telon ex Sebethide nympha fluvii Sebethi, qui ad Neapolin est (nunc *Sebetho* et *fiume della Maddalena*), Oebalum procreavit, qui non contentus patrio regno, continentis Italiae populos subegit. Haec dat poeta; aliunde nihil innotuit. Alius est Oebalus rex Lacedaemoniorum, a quibus quum Sabini orti esse dicerentur, Ovidius T. Tatium Sabinorum regem vocat *Oebalium* Fast. 1, 260 et Romanas matronas *Oebalides matres* 3, 230.

737. *dicione premere* cf. 10, 54.

738. *Sarrastes* a Sarno Campaniae fluvio *(Sarno)* dictos accipit Servius; testari enim Cononem, Pelasgos ex Peloponneso ad eum locum venisse; qui inter alia oppida Nuceriam condiderint *(Nocera).* Memorat eos Sil. 8, 538.

739. *Rufrae Batulumque* „castella Campaniae sunt.“ — *Arva Celennae* „locus est Campaniae Iunoni sacer.“ S. In Hirpinorum finibus et Samnitium potestate videntur fuisse. — *Celemnae* M2Rc rec. *Rb. Ld. Celene* M1. *Celennae* vulg.

740. *quos despectant*, qui circum Abellam habitant. — *Abellae* Samnitium in monte exstructum *(Avella Vecchia)* prope Nolam; inter Chalcidensium colonias refertur a Iust. 20, 1. Inde nomen traxit nux Avellana, Haselnuss. Pro *Abellae* rec. *Rb.* nomen plane ignotum *Bellae*, quod habent „libri quotquot innotuerunt omnes“.

741. *soliti* sc. sunt et *raptus* sc. est cf. 5, 362. — *Cateiae* „tela Gallica unde et Teutonicum ritum dixit.“ S. Quae se-

Tegmina quis capitum raptus de subere cortex,
Aerataeque micant peltae, micat aereus ensis.
Et te montosae misere in proelia Nersae,
Ufens, insignem fama et felicibus armis:
Horrida praecipue cui gens, adsuetaque multo
Venatu nemorum, duris Aequicula glebis.
Armati terram exercent, semperque recentes
Convectare iuvat praedas et vivere rapto.
Quin et Marruvia venit de gente sacerdos,
Fronde super galeam et felici comptus oliva,
Archippi regis missu, fortissimus Umbro:
Vipereo generi et graviter spirantibus hydris
Spargere qui somnos cantuque manuque solebat,
Mulcebatque iras et morsus arte levabat.
Sed non Dardaniae medicari cuspidis ictum
Evaluit, neque eum iuvere in volnere cantus

quuntur apud eum de longitudine, corrupta sunt; extrema autem de usu sunt haec: „quam (cateiam) in hostem iaculantes, lineis, quibus eum adnexuerant, reciprocam faciebant.“ Sic ap. Gell. 9, 11 Gallus *manu telum reciprocans* memoratur. Cf. aclides v. 730. — Cateiae Afrorum memorantur a Sil. 3, 277.

742. *raptus de subere cortex:* „Bene raptus i. e. raptim sublatus, quia recens suberis cortex in quamvis formam tota flectitur facilitate.“ S.

743. *peltae* cf. 1, 490.

744—749. Ufens.

744. *Aequi*, Aequani, Aequiculi, Aequiculani (Plin.) „gens magna et ferox et rebus populi Romani imminens“ Cic. Rep. 2, 20, montes habitavit ad Anienem versus et lacum Fucinum, in regione, in qua nunc *Subiaco*. — *Nersae* urbs ignota. Tamen idcirco quod Nursini memorantur inter Sabinos a Plinio 3, 12. 1, 7 a Nursia scilicet urbe cf. v. 716, non licet inferre *Nursae*.

745. *Ufens* de fluvio v. 802, de nomine hominis v. 532.

746. *Assuetus* iungitur ablativo cf. 9, 607. *Assuetu venatu* iungendum et genitivus *nemorum* explicandus est, ut *caeli meatus* 6, 840 i. e. per caelum. Genitivum enim Romanorum eundem variis nos Germani praepositionibus reddere cogimur. Cf. Gr. § 255. Sic Sil. 8, 518 *agmina venatu dura ferarum.* At *venari nemora* audacius dictum est quam *venari feras.*

747. *duris glebis*, agris saxosis et glareosis.

748. *Terram exercere* sic *colles* 11, 319.

749. Versus repetitur fere totus 9, 613.

750—760. Umbro.

750. *Marruvia* M., *Marrubia* alii variatione perpetua. Marruvii sunt „Marsorum populi“ S.; Archippum regem finxit ex eo quod narrabatur „lacu Fucino haustum Marsorum oppidum Archippe conditum a Marsya, duce Lydorum“ Pl. NH. 3, 12, 17. Ap. Strab. 5 p. 241 et Dion. 1, 14 est *Μαρούϊον.*

751. *comptus oliva* cf. 5, 774. *felici* cf. 6, 230.

752. De Umbrone aliquo nihil nisi hos in loco; de nomine 532.

753. „*vipereo generi:* terrenis serpentibus; *hydris:* aquae serpentibus.“ S. — *graviter spirantibus:* solo nocentibus flatu. Luc. 9, 725 *Seps ante venena nocens.*

754. *spargere* „conficere ut Cic. Cat. 2, 10 *spargere venena didicerunt.*“ S. — Spargit serpentibus somnum, inducit somnum, quasi manu spargendo, et corpus mulcendo. Serpentes sopiendi genus cantu et tactu (manu) satis notum. In hac arte illo tempore excellebant Marsi Plin. 25, 2, 5 „Marsis, a filio eius (Circes) orta gente, quos esse domitores serpentium constat,“ cf. Solin. 2, 27 et Silius Marsos peritos dicit: *tactu graves sopire chelydros* 1, 412.

757. *in volnere* M1R rec. *Wg. Ld. in volnera* M2Pybc rec. *Rb.* non licet explicari aliter quam iuvare ad vulnera infligenda, ut Stat. Theb. 3, 583 *gladios in saeva recurvant vulnera* quod ab hoc loco absonum, aut iuvare adversus

Somniferi et Marsis quaesitae montibus herbae.
Te nemus Anguitiae, vitrea te Fucinus unda,
Te liquidi flevere lacus.
Ibat et Hippolyti proles pulcherrima bello,
Virbius, insignem quem mater Aricia misit,

vulnera illata, quod est contra usum dicendi, neque enim *in* solum iam habet vim adversativae sed accipit a verbo aliquo adversativo *irasci*, *orationem habere in* etc. Neque minus ineptum est explicare *ad sananda vulnera*. — Contra *in vulnere*; i. e. quum vulneratus esset ab Aenea (ut *in morte* 6, 371 et ap. optimum quemque), non invere eius artes; non potuit medicari cuspidis ictum, qui potuerat serpentis morsum levare.

758. *montibus*. Cf. Tib. 1, 5, 53 *herbasque sepulcris quaerat*. Si praepositionem addere licet praeferam addere *ex* quam *in*.

759. Lucus Anguitiae erat ad lacum Fucinum (L. di Celano) in Apennini iugis situm. — *Anguitiam* Servius esse dicit Medeam. Aliter ap. Solin. 2, 28: Caelius (Antipater) Aeetae tres filias dicit, Angitiam, Medeam et Circen *Circeios insedisse montes*.... Angitiam vicina Fucina occupavisse, ibique salubri scientia adversus morbos resistentem, quum dedisset hominem vivere, deam habitam." Sil. 8, 500 *Aeetae prolem Anguitiam mala gramina primam monstravisse ferunt tactuque domare venena*. *Anguitia Wg. Angitia Rb. Ld.* — *vitrea unda*, pellucida; ita Hor. C. 3, 13, 1. *O fons Bandusiae splendidior vitro*. Ita fontis vitrea antra memorantur a Sil. 8, 192 et 4, 347 *vitreo quem Fucinus antro nutrierat*. De Fucino mira collegit Strabo 5, 3, 13 p. 240. Rebus inanimis tribuitur sensus et motus animorum sic 8, 91. E. 1, 39. 10, 13. *Illum etiam lauri*, *etiam flevere myricae*.

761—782. Proles Hippolyti.

761. „*Hippolytus* quum *Phaedram*, *novercam*, de stupro interpellantem contempsisset, falso delatus ad patrem (Theseum) est, quod ei vim voluisset inferre. Ille Aegeum (al. Neptunum) patrem rogavit, ut se ulcisceretur, qui agitanti currus Hippolyto immisit phocam, qua equi territi eum traxerunt. Tunc Diana eius castitate commota, revocavit eum ab inferis in vitam per Aesculapium, filium Apollinis et Coronidis .... Sed Diana Hippolytum revocatum ab inferis in Aricia Nymphae commendavit Egeriae, et eum Virbium quasi *bis virum (!)* iussit vocari, cuius nunc filium cognominem dicit in bellum venire; adeo omnia ista fabulosa sunt. Nam quum castus utique inductus sit et qui semper solus habitaverit, habuisse tamen fingitur filium. Re vera autem Virbius est numen coniunctum Dianae, ut Matri deum Atys, Minervae Erichthonius, Veneri Adonis." S. Prava opinione ducti confundebant antiqui Hippolytum et Virbium. Cf. Ov. M. 15, 497—545. Fast. 6, 733 sq. Paus. 2, 27, 4. — Adeas de hac fabula librum Hartungi 2 p. 211—217. — *pulcherrima bello* i. e. praestans. Pulcher autem dicitur praeclarus quocumque in genere; qua quis re pulcher sit, indicatur addito ablativo: 1, 500 *forma pulcherrima Dido*, 9, 684 *pulcher Aequicolus armis*. Si nihil additur, intelligitur corporis forma. Sed si dicitur v. 657 *satus Hercule pulchro pulcher Aventinus*, videmus in viro intelligi eam pulchritudinem, qua vires eius conspiciuntur. Et *pulcher* a *pollere* deducunt et *polcer* antiquitus sonasse confirmant. Cf. Flor. 4, 4, 5 *tunc etiam pulcher manu apparuit*. Neque tamen absonum est iungere *ibat bello*, sed ordine verborum probatur alterum.

762. *Wg.* miratur quod eodem nomine utuntur pater et filius (cf. v. 777). Addidit *Pl.*, id etiam esse mirandum, quod poeta nihil de eodem patris et filii nomine adiecerit. Praeterea *insignem* ita nude positum non satisfacere, sed exspectari rem, qua sit insignis. Attulit etiam locum 9, 580, quo herois alicuius pater modo, non ipse nominatur. Quamquam illum versum non debebat afferre, quum ipse a Virgilio factum esse illic negaret. Et coniecit pro v. *Virbius*, *viribius;* vires enim in bellatore praecipuam esse commendationem cf. 6, 771. Liv. 8, 8 *viribus ingens*, *bellatorque primus*. Quod quamquam verum est, caussa non est, ut *Virbius* eiiciatur, nomen non fortuito natum. *Aricia mater* ut 10, 172 *Populonia mater* dicta est patria terra, cf. 3, 273; atque id probavit Silius 4, 367 et Servius, qui explicat „civitas iuxta Albam", et addit ex Aricina matre Augustum esse progenitum cf. 5, 568. Neque tamen absonum est intelligere aliquam Nympham.

Eductum Egeriae lucis, humentia circum
Litora, pinguis ubi et placabilis ara Dianae.
Namque ferunt fama Hippolytum, postquam arte novercae
Occiderit, patriasque explerit sanguine poenas
Turbatis distractus equis, ad sidera rursus
Aetheria et superas caeli venisse sub auras,
Paeoniis revocatum herbis et amore Dianae.
Tum pater omnipotens, aliquem indignatus ab umbris
Mortalem infernis ad lumina surgere vitae,
Ipse repertorem medicinae talis et artis
Fulmine Phoebigenam Stygias detrusit ad undas.
At Trivia Hippolytum secretis alma recondit
Sedibus, et nymphae Egeriae nemorique relegat,
Solus ubi in silvis Italis ignobilis aevum
Exigeret, versoque ubi nomine Virbius esset.
Unde etiam templo Triviae lucisque sacratis
Cornipedes arceantur equi, quod litore currum
Et iuvenem monstris pavidi effudere marinis.
Filius ardentes haud setius aequore campi
Exercebat equos, curruque in bella ruebat.
Ipse inter primos praestanti corpore Turnus
Vertitur arma tenens, et toto vertice supra est:

763. *Lucus Egeriae* prope Ariciam, in quo Hippolytus sepultus est Ov. F. 3, 263 sq. — *humentia* litora lacus Aricini cf. 516.

764. *pinguis*, frequenti sacrificio cf. 4, 62. — *Placabilis ara* est ara, si dii placantur sacris in ara factis cf. Ov. M. 15, 574 *placat adoratis herbosas ignibus aras*. — Sunt qui *et* tollunt et h. l. et libro 9, 585, referuntque *placabilis* ad Dianam. Ad sententiam haec bene se habent; sed in *ubi* non solet Vgl. ultimam producere. Neque quod libri dant, malum est; nam opponi videtur haec ara illi Tauricae, in qua homines advenae immolabantur; quare factum est, quum terram eam omnes vitarent, ut raro sacrum fieret; hoc autem loco saepissime. Et tamen etiam hoc in loco homines peregrinos mactatos esse docetur more, quo illius arae sacerdos constituebatur cf. Ov. F. 3, 271. Strab. 5, 3, 12 p. 237 narrat: *Λέγουσι δ' εἶναι ἀφίδρυμα τῆς Ταυροπόλου, καὶ γάρ τι βαρβαρικὸν κρατεῖ καὶ Σκυθικὸν περὶ τὸ ἱερὸν ἔθος* etc. unde dicit Sil. 8, 364 *immite nemus Triviae*. Hic mos ad Hadriani usque tempora dicitur mansisse a Paus. 2, 27, 4. Sacerdos dicebatur *rex nemorensis* Suet. Cal. 35 „abiectae conditionis et extremae sortis" homo.

768. *ad sidera* in die Oberwelt, *et sub auras* i. e. in vitam redisse cf. 6, 436. *caeli aurae* 6, 363.

769. *Paeoniis*, medicantibus cf. 12, 401.

770. *Indignari*, c. inf. et acc. ut ap. Caes. BC. 3, 108. Cf. Gr. § 429.

771. *lumina vitae* cf. 6, 829.

773. *Phoebigenam*, Aesculapium, quum multos homines in vitam arte sua reduxisset, a Iove fulmine esse percussum tradit Apollod. 3, 10, 4.

775. *relegat*, semovet a turbis vitae ad Nympham.

776. *ignobilis* i. e. ignotus, in solitudine. — *aevum exigere* 10, 53.

778. Templum Triviae et lucus ad compitum Anagninum cf. Liv. 27, 4. Pausanias l. l. id sacrasse dicit Hippolytum.

779. *currum et iuvenem effundere* zeugma esse dicitur: evertere currum et .. cf. 1, 356. *Pl.:* „Poeta versum longe meliorem facere potuisset: *quod litora circum Attoniti monstris iuvenem traxere marinis* vel *rapuere*." Markland coni. *litora circum Heu iuvenem*, probatus a Spitta Pr. Sondersh. 67 p. 30.

781. *haud setius*. Itaque tantae fuit audaciae, ut patris morte non deterreretur. Neque addit quos duxerit filius Hippolyti, neque postea in bello eius facta memorat, ut videatur modo clari illius nemoris Dianii mentionem facere voluisse.

783—802. Turnus.

784. *vertitur arma tenens*; celeriter se movet et vegeto animo et corpore. —

Cui triplici crinita iuba galea alta Chimaeram
Sustinet, Aetnaeos efflantem faucibus ignes;
Tam magis illa fremens et tristibus effera flammis,
Quam magis effuso crudescunt sanguine pugnae.
At levem clipeum sublatis cornibus Io
Auro insignibat, iam saetis obsita, iam bos
Argumentum ingens, et custos virginis Argus,
Caelataque amnem fundens pater Inachus urna.
Insequitur nimbus peditum, clipeataque totis
Agmina densentur campis: Argivaque pubes,
Auruncaeque manus, Rutuli, veteresque Sicani,

toto v. supra; ita Aiax est ἔξοχος Ἀργείων κεφαλήν; ita Saulus, rex Israëlitarum.

785. Galea ex metallo fiebat, erantque additae cristae e cono prominentes. Cf. 3, 468. 8, 620. Cristas autem poeta memorat *rubras* 9, 50. 270. 12, 89, *sanguineas* 9, 733, *purpureos* 9, 163. *comantes* 3, 468. Cristis maxime excellebant Samnites Liv. 9, 40. 10, 39. Triplici iuba ornati erant hastati apud Romanos (*προςεπικοσμοῦνται πτερίνῳ στεφάνῳ καὶ πτεροῖς φοινικίοις ἢ μέλασιν ὀρθοῖς τρισίν.* Crista tanta erat, ut homo duplo maior quam esset videretur Polyb. 6, 23, 12), qui plura arma ac tela militaria a Samnitibus mutuati sunt Sall. Cat. 51. Sic Turnus habet galeam, triplici iuba ornatam, in eaque erat chimaera, quae pro motu ferentis vehementiore ipsa ardescere videbatur. Cf. 8, 620. — De toto ornatu cf. 9, 26.

786. Ignes Aetnaei sunt, quales iacit Aetna.

787. *tam magis — quam magis* cum positivo: sic Plaut. Bacch. 5, 1, 5. Poen. 1, 2, 135. Liv. 7, 1. 21, 43. ut *quom magis — magis* G. 3, 309. *tam — quam* enim iungitur etiam cum superlativo, quod fit ap. Sall. Iug. 31 *quam quisque pessime facit, tam maxime tutus est.* Ter. Ad. 3, 4, 56. Heaut. 5, 2, 44.

788. *crudescunt pugnae* cf. 10, 682.

789. Io in levi clipeo insculpta erat aurata, et iam ut bos, cornuta et saetis obsita. Ius fabulam Ov. narrat M. 1, 568. Argus custos erat Ius.

791. *Argumentum* de opere arte facto, quo fabula aliqua continetur. Cic. Verr. 4, 56, 124 *Ex ebore diligentissime perfecta erant argumenta in valvis.*

792. Inachus Ius pater, ut deus fluvialis depingitur nisus urna, ex qua aqua profluit. Hac pictura monstratur Turnus e Graecis ortus; solebant enim in scutis maiorum fata et facta picta habere. Cf. ad v. 656.

793. *nimbus peditum*, νέφος πεζῶν Hom. Il. 4, 274.

794. „*Densentur*, denseo, denses dicimus, aliter non“ S. Quid hoc loco Mss. dent, non dicit *Rb.*, qui affert ad 11, 650 *denset* sed suprascripto *a* M. *densat* Rγc et 12, 264 *densete* Rbc *densate* MPγ G. 1, 248 *densentur* PRγb *densantur* Mc et 419 *denset* Rγbc *denset* sed suprascripto *a* M. Itaque libri non servant eandem scripturam; editores etiam sequuntur diversa. *Densare* legitimum est, sed *densere* videtur certe postea fuisse usitatum. — *Argiva pubes*, cf. 371. — Auruncos fortasse eos, qui cis Lirim habitabant, sub suo ipsius imperio habuit, quum eos qui trans Lirim essent, Haleso tradidisset. Cf. v. 725.

795. *veteres Sicani* „Bene veteres, nam ubi nunc Roma est, ibi fuerunt Sicani, quos postea pepulerunt Aborigines.“ S. *Veteres Sicani* etiam 11, 316 prope Tiberim habitasse dicuntur; neque minus esse antiquissimi eius regionis incolae memorantur (ap. Macr. Sat. 1, 5. Gell. N. A. 1, 10) cum Auruncis et Rutulis, et 8, 328 dicuntur post auream aetatem immigrasse. Sicanos autem a Virgilio et qui post eum scripserunt appellatos esse Siculos post Gronovium etiam Niebuhrii est sententia 1 p. 48 sq. (qui eos Pelasgos habet) quae firmatur Servii verbis ad 1, 2 „iuxta Tiberim habitasse Siculos, ubi est Laurolavinium, manifestum est,“ et Dionysii auctoritate, qui eo loco, quo Roma condita est, antiquitus habitasse Σικέλους ἔθνος αὐθιγενὲς narrat, eosque magno bello ab Aboriginibus esse expulsos. Et Serv. h. l.: „Gabii et Aricia a Siculis structae dicuntur ab Hemina ap. Solin. 2, 10. Cf. etiam Servium ad 8, 328: „Sicani autem secundum nonnullos populi sunt Hispaniae a fluvio Sicori dicti (?). Hi duce Siculo venerunt ad Italiam et

Et Sacranae acies, et picti scuta Labici;
Qui saltus, Tiberine, tuos, sacrumque Numici
Litus arant, Rutulosque exercent vomere colles,
Circaeumque iugum; quis Iuppiter Auxurus arvis
Praesidet, et viridi gaudens Feronia luco;
Qua Saturae iacet atra palus, gelidusque per imas
Quaerit iter valles atque in mare conditur Ufens.

eam tenuerunt exclusis Aboriginibus. Mox ipsi pulsi ab illis, quos ante pepulerant, insulam vicinam Italiae occupaverunt, et eam Sicaniam a gentis nomine, Siciliam vero a ducis nomine dixerunt." Quodsi antiquorum non ex accurata et diligenti antiquitatis disquisitione ortae sententiae, sed ex nominibus variis natae sunt opiniones, quidni liceat proponere novam: Italos et Siculos nomen accepisse ab ratione, qua affirmaverint: *sic* et *ita* cf. *Langue d'oc* et *d'oui*. Qua ratione multa facile explicueris cf. 1, 533, quamquam veram esse eam non audeo dicere. Ceterum *Sicanus* et *Siculus* cohaerent eodem modo quo *Romanus* et *Romulus*. Et Italus et Sicanus fratres dicuntur fuisse cf. v. 179. Illud addam, Diodorum, qui erat Siculus, pluribus locis, diversos dicere esse Siculos et Sicanos.

796. „*Sacranas acies*. Ardeatum (?) volunt, qui aliquando quum pestilentia laborarent, ver sacrum voverunt. Unde Sacrani dicti sunt." S. „Sacrani appellati sunt Reate orti, (Et Reate prima urbs Sabinorum cf. Dion. 2, 49.) qui ex Septimontio Ligures Siculosque exegerunt: nam vere sacro nati erant." Festus p. 321. M. Idem videtur Sisenna narrare ap. Non. 522 M. et Paulus ex Festo p. 379 M. haec habet: „Ver sacrum vovendi mos fuit Italis: magnis enim periculis adducti vovebant, quaecunque proximo vere nata essent apud se animalia, immolaturos; sed quum crudele videretur pueros ac puellas innocentes interficere, perductos in adultam aetatem velabant atque ita extra fines suos exigebant." Idem fere narrat Serv. ad h. l. Ver sacrum nonnunquam ad sola pecora pertinebat cf. Liv. 34, 44. 22. 10, quo loco est vovendi formula. Notandum est, quod Sil. 8, 359 habet *sacra manus Rutuli*. — *picti scuta Labici* et *Lavici;* aut moris erat picta gerere scuta apud Lavicos, ut in Arcadibus notat Vgl. et in Samnitibus Liv. 9, 39, aut est: „in bello frequenter probati; nam apud maiores virorum fortium picta erant scuta, e contra inertium et tironum pura erant. Unde est 9, 548 *parmaque inglorius alba*." S. Inde etiam clipeorum insignia cf. 656. Omnino autem quo magis aliquis excellit ornatu, eo magis in se hostium convertit oculos et manus, si tamen vult tutus esse, potest tantum fortitudine. Oppidum *Labicum* et *Labici* Sil. 8, 368 et *Lavici* Liv. 4, 45; unde et *Lavicani* incolae Liv. 4, 45. Inter montem Algidum et Praeneste urbem erat.

797. Iam describit locos, quos populi dicti inhabitaverint. — De Numicio cf. 150. De saltibus Tiberini cf. 35.

798. *Rutulos* colles memorare, postquam Rutuli iam dicti sunt, certe negligentis est, potius dicas insipientis. Neque aliunde cognitum habemus, dictos esse aliquot colles Rutulos. Videtur vox *Rutulos* simile aliquod vocabulum expulisse. *Pl.* igitur coni. *durosque exercent*.

799. Circaeum iugum (*C. Circello*) cf. 10. — Iuppiter Anxur colebatur Anxuri sive Terracinae, quo nomine oppidum adhuc exstat. Insula antea fuisse dicitur. „Tarracina insula ante circumflua immenso mari, nunc aevo nectente addita continenti." Solin. 2, 22.

800. Feroniae lucus, fons et templum ad tertium est lapidem a Terracina cf. Plin. 2, 55, 56. — Alius memoratur v. 697. „Non vacat, quod addidit *viridi*. Nam quum aliquando huius fontis lucus fortuito arsisset incendio, et vellent incolae exinde transferre simulacra, subito reviruit." S. Talia epitheta vulgo solent dicere *ornantia*, et intelligunt *superflua*. Neque tamen bonus poeta verba otiosa addit. Nonnunquam ut hic locus docet, poetae spectaverunt aliquid, quod nos ignoramus. Quare temere eos calumniamur, quando quoniam nos non intelligimus, certam alicuius vocabuli subesse caussam negamus.

801. *Saturae* Mss. *Asturae* in libris legi notat Servius. Hoc erat oppidum „haud longe a Terracina et eius cognominis fluvius." S.

802. *Ufens* flumen (Uffente) qui per paludes Pomptinas (imas valles) ad Terracinam mari influit; *quaerit iter*, quod vix potest per paludes penetrare, sed iis ipsis absorbetur. Cf. Strab. 5, 3, 6 p. 233. Adde Sil. 8, 382 *qua Saturae ne-*

Hos super advenit Volsca de gente Camilla,
Agmen agens equitum et florentes aere catervas,
Bellatrix, non illa colo calathisve Minervae
Femineas adsueta manus, sed proelia virgo
Dura pati cursuque pedum praevertere ventos.
Illa vel intactae segetis per summa volaret
Gramina, nec teneras cursu laesisset aristas;
Vel mare per medium fluctu suspensa tumenti,
Ferret iter, celeres nec tingueret aequore plantas.
Illam omnis tectis agrisque effusa iuventus
Turbaque miratur matrum et prospectat euntem,
Attonitis inhians animis, ut regius ostro
Velet honos leves humeros, ut fibula crinem
Auro internectat, Lyciam ut gerat ipsa pharetram
Et pastoralem praefixa cuspide myrtum.

bulosa palus restagnat, et atro liventes coeno per squalida turbidus arva cogit aquas Ufens, atque inficit aequora limo. Claud. in Prob. cons. 257 *Tardatus suis erroribus Ufens.*

803—817. Camilla.

803. De Camilla cf. 11, 535 sq. — *hos super:* Hoc *super* significat iam narratum iri rem mirificentiorem. Cf. 462. — Volscorum est dux Camilla; Volsci acerrimi nominis Romani hostes.

804. Idem versus 11, 433. *Florere* ap. poetas de quavis abundantia dicitur cf. Lucr. 4, 452 *Bina lucernarum florentia lumina flammis.* 5, 1441 *Tum mare velivolum florebat navibus pandis.*

805. A Minerva esse textrinae artem docet 5, 284. 8, 409 et nota Arachnes historia cf. Ov. M. 6, 53. — *calathi*, in quibus lanificae pensa sua inter opus reponebant. Cf. Ov. M. 4, 10 *parent matresque nurusque telasque calathosque infectaque pensa reponunt.*

807. *dura pati:* de inf. cf. 4, 564. E voce *dura* ad *praevertere* eruendum est *potens* cf. 1, 356. — *Cursu pedum praevertere ventos* satis usitatum cf. 1, 317.

808. Cf. Ov. M. 10, 654 *Posse putes ill[illegible] sicca freta radere passu, et seges canae stantes percurrere aristas.* Easque descriptiones repetierunt omnes Latini poetae; quae si nimiae tibi videntur, attendas velim Virgilium et Ovidium rem non ut factam sed quae fieri posset vel videretur, narrare, et Homerum iam idem dixisse Il. 20, 226. Iam mira sunt, quae narrat Stat. Theb. 6, 566. *Pl.* coni. *Illa et lactentis (!)*, quod sit crescentis, tenerae. Abripit tandem mutandi libido.

809. *laesisset* cf. 2, 94.

811. *ferret iter* cf. Sil. 9, 243 *citosque ferre datum cursus.*

814. *inhians* „stupore quodam ore patefacti.“ S. — Purpurea est chlamys, quales regum solent esse.

815. „Crinem eius non ars feminea, sed virilis fibula militarisque nectebat.“ Don.

816. *Lycia pharetra* cf. 5, 311. — *ipsa* cf. 12, 303.

817. Myrtus et pastorum in usu erat et hastis aptabatur cf. 3, 23. — In fine libri non est omittendem, quod Servius monet ad v. 715: „Sciendum Turno dari auxilia a tractu Piceni, Samnii, Campaniae et pro parte Apuliae, omnis vero Tuscia superior et Venetia Aeneae praestat auxilium.“ Omnes etiam, qui contra Aeneam stant, aliquo modo a Graecis vel Pelasgis originem deducunt. Multae autem et variae maximeque diversae exstabant de antiquissimis Italiae populis eorumque origine narrationes, e quibus Vgl. elegit, quae consilio suo aptas iudicabat; neque interpretis potest esse eas ad certam formam exigere et quid verum sit constituere, quamvis sit animus. Sufficit si modo ex aliis scriptoribus ea affert, quae possunt quid Vgl. secutus sit docere. Multum autem proficiet et multo magis et poetae doctrinam et in singulis consilium intelliget, quam ex dispersis annotationibus fieri licet, si quis quae Niebuhrius aliique de illis gentibus disquisiverunt imbiberit.

P. VIRGILII MARONIS
A E N E I D O S
LIBER OCTAVUS.

Ut belli signum Laurenti Turnus ab arce
Extulit, et rauco strepuerunt cornua cantu,
Utque acres concussit equos, utque impulit arma:
Extemplo turbati animi; simul omne tumultu
Coniurat trepido Latium, saevitque iuventus
Effera. Ductores primi Messapus et Ufens
Contemtorque deum Mezentius undique cogunt
Auxilia et latos vastant cultoribus agros.

Latinus, quum subito tumultu victus pugnandi ardorem, quo populus flagrabat, reprimere non posset, ipse regnum deposuerat cf. 7, 600. Quo facto, quum rege carerent Latini legitimo, successit Turnus, rex vicinus et qui putabatur fore Latini heres.

1 — 17. Conveniunt Latini. Ad Diomedem legatio mittitur.

1. *Belli signum:* Cic. 8 Ph. 1. „Potest esse bellum sine tumultu, *tumultus* esse sine bello non potest. Quid est enim aliud tumultus nisi perturbatio tanta, ut maior timor oriatur [tumultus erat bellum intra fines] unde etiam nomen ductum est tumultus. Itaque maiores nostri tumultum Italicum, quod erat domesticus; tumultum Gallicum, quod erat Italiae finitimus, praeterea nullum nominabant. Gravius autem tumultum esse quam bellum, hinc intelligi licet, quod bello vacationes valent, tumultu non valent.“ Idem fere S.: „Si esset *tumultus*, i. e. bellum Italicum vel Gallicum (cf. 6, 858), in quibus ex periculi vicinitate erat timor multus, quia singulos *interrogare* non vacabat, qui fuerat ducturus exercitum, ibat ad Capitolium et exinde proferens duo *vexilla*, unum *roseum*, (al. russeum) quod pedites evocabat, et unum *caeruleum*, quod erat equitum, dicebat: *Qui rempublicam salvam esse vult, me sequatur*, et qui convenissent, simul iurabant, et dicebatur ista militia *coniuratio*.“ *Vexillum* etiam positum erat in Ianiculo comitiis habitis, quod si tollebatur, populus iubebatur discedere, ita ut esset vexillum omnino signum populi cogendi. Etiam in castris vexillum propositum „erat insigne, quum ad arma concurri oporteret“. Caes. BG. 2, 20. 3, 89.

3. *ut conc. equos, atque imp. arma* „Quidam sane suos equos et sua arma, de Turno tradunt; scilicet ut ceteris esset exemplum.“ S. Sic Hannibal ap. Sil. 12, 683 *Rursus in arma vocat trepidos clipeoque tremendum increpat atque armis imitatur murmura caeli.* Sic *Mago quatit currus* 3, 240 parans bellum. Versum ei. ut „perversum“ *Pl. Rb.*

4. *tumultu trepido* „festino“ S. cf. 10, 282.

6. *Effera* adiectivum aut pro participio positum est cf. 4, 642 aut prolepsi cf. 7, 340. — De Messapo cf. 7, 691; de Ufente 7, 745; de Mezentio 7, 647.

8. *vastant* cf. 1, 471. Finge tibi Turnum accitis sociis, qui l. VII. memorantur,

Mittitur et magni Venulus Diomedis ad urbem,
Qui petat auxilium, et, Latio consistere Teucros,
Advectum Aenean classi victosque Penates
Inferre et fatis regem se dicere posci,
Edoceat, multasque viro se adiungere gentes
Dardanio, et late Latio increbrescere nomen.
Quid struat his coeptis, quem, si fortuna sequatur,
Eventum pugnae cupiat, manifestius ipsi,
Quam Turno regi aut regi adparere Latino.
Talia per Latium. Quae Laomedontius heros
Cuncta videns magno curarum fluctuat aestu;
Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
In partesque rapit varias, perque omnia versat:
Sicut aquae tremulum labris ubi lumen aenis

in Latium, ubi rex Latinus belli cupiditati renititur, irruere et abripere incolas; quo in negotio ipse peregrinus peregrinis utitur ducibus, et dum ipse Laurentibus signum dat belli, alii duces extra urbem milites cogunt. Sic Romani praetores in partes Italiae dimittebantur, ut legiones conscriberent. Neque in his repetuntur quae iam narrata sunt; nam quum l. VII, alias gentes ad bellum evocatas Vgl. narraverit, h. l. Latinos etiam in bellum cogi memorat, neque enim illud de cervo certamen bellum potest dici. Hoc autem bellum quod suscipitur iam propterea iniustum est, quod non iubetur a iusto rege.

9. Latini praeter eos, qui iam ultro se offerebant, alios sibi socios parare student, imprimis Diomedem. „Diomedes postquam reperit, ira Veneris a se vulneratae, uxorem (Aegialeam) apud Argos turpiter vivere, noluit reverti, sed tenuit partes Apuliae et edomita omni montis Gargani multitudine in eodem tractu civitates plurimas condidit. Nam et Beneventum et Aequumtuticum ipse condidit et Arpos, quae Argiripa dicitur, (cf. 11, 246) ad quam nunc Venulus mittitur.“ S.

10. *consistere* „iam esse conditos i. e. fundasse civitatem“ S. ut 6, 808. *Consistere* dicuntur ii, qui post vagos errores certis in sedibus quiescunt cf. Ov. Met. 11, 407 *Nec tamen hac profugum consistere Pelea terra fata sinunt.*

11. *victos Penates* cf. 1, 68 *inferre* 1, 6.

12. *fatis posci* eadem formula 5, 707. Ad rem 7, 272.

13. *multasque viro se adiungere gentes:* Haec verba *Hn. Wg.* dormitantis esse putant Virgilii, quod rem narraverit, quae facta non esset, *Pl. Rb.* non posse talem poetam id committere censentes verba *multas — nomen* eiiciunt. At caussa non erat mittendae legationis, nisi Aeneae socios iam exstare multos satis fuisset certum, nisi iam terreret eius potentia et opes. Neque enim hominis inopis minae Diomedem excitarent. Et „bene non Aeneae dixit, sed *viro Dardanio;* ut non sit mirum, si sequebantur hominem sibi cognatione sociatum.“ S. Et male agunt, qui his dictis Diomedem a foedere contra Aeneam ineundo magis averti dicunt. Quod contra est; periculo enim si moraretur imminente ad celere excitatur auxilium.

15. Quid velit Aeneas his conatibus, et si fortuna faveat, eum maxime cupere, ut a Diomede poenas sumat, vetere hoste, et qui ex patria expulerit, id melius intellecturum ipsum, quam Latinum aut Turnum. A Latino autem bellum probari id mentiuntur, ut Diomedem ad societatem trahant.

18 — 65. Tiberinus deus Aeneam ut Evandri petat auxilium exhortatur.

18. *Talia per Latium* „*gerebantur* subaudis, et est formosa Eclipsis“ S. ut ap. Val. Fl. 1, 767 *Talia per lacrimas: et* etc. Signantur ea omnia, quae a l. 7, 540 narrantur.

19. *magno curarum fluctuat aestu* cf. 4, 532.

20. 21. Idem versus 4, 285. 286. Varias tentat rationes, quibus ex periculis se expediat. — Imago lunae est quae redditur aqua; res autem satis nota describitur sc. lumen aqua repercuti eaque mota ipsum moveri, ut in tectis errare videatur. Comparatio igitur aptissima. Ad verba cf. Ov. Her. 18, 77 *Unda repercussae radiabat imagine lunae.*

Sole repercussum aut radiantis imagine Lunae
Omnia pervolitat late loca, iamque sub auras
Erigitur summique ferit laquearia tecti.
Nox erat, et terras animalia fessa per omnes
Alituum pecudumque genus sopor altus habebat:
Quum pater in ripa gelidique sub aetheris axe
Aeneas, tristi turbatus pectora bello,
Procubuit, seramque dedit per membra quietem.
Huic deus ipse loci fluvio Tiberinus amoeno
Populeas inter senior se attollere frondes
Visus; eum tenuis glauco velabat amictu
Carbasus, et crines umbrosa tegebat arundo;
Tum sic adfari et curas his demere dictis:
O sate gente deum, Troianam ex hostibus urbem
Qui revehis nobis aeternaque Pergama servas,
Expectate solo Laurenti arvisque Latinis,
Hic tibi certa domus, certi, ne absiste, Penates;
Neu belli terrere minis. Tumor omnis et irae
Concessere deum.
Iamque tibi, ne vana putes haec fingere somnum,

23. *repercusso* coni. *Hf.* rec. *Rb.* in ed. min.

24. *Sub auras* est *sursum*, cf. 3, 422.

25. *laquearia*, singularis *lacunar*. *lacuaria Rb.* Ad rem cf. 66. Tectum erat tignis transversis in quadratas depressiones s. loculamenta (*lacus* vel *lacunas*) divisum, quae auro, coloribus, picturis illustrabantur. Magna in hoc genere luxuria erat cf. 1, 726. Plin. NH. 33, 3, 18. Sen. Ep. 14 et saepe apud poetas memoratur. Similem instituit comparationem Sil. 7, 142 *Miscetque exacuens varia ad conamina mentem. sicut aquae splendor radiatus lampade solis dissultat per tecta, vaga sub imagine vibrans, luminis et tremula laquearia verberat umbra.*

27. *alituum* pro *alitum;* sic iam Lucr. 2, 927. 5, 799 et multo post Avien. desc. orb. terr. 1359. Stat. Silv. 1, 2, 184. Cf. Gr. § 86 An. 7.

30. Sero tantum somno se dat; *per membra* autem diditur somnus, ut quivis intelligit, qui renitens obdormiscit. — *dedit quietem per membra:* passus est somnum per membra diffundi. Cf. 406.

31. „In sacris Tiberinus, in coenolexia Tiberis, in poemate Tibris (Thybris?) vocatur.“ S. Ita se ipsum vocat v. 64. Cf. 7, 797 et Liv. 2, 10. Tiberinus deus describitur a Claudiano in Prob. et Ol. cons. v. 209—225.

33. Fluvii glauco vel caeruleo amictu vestiuntur et velantur arundine; ita 10, 205. 12, 885. Ov. F. 5, 637 al. cf. Vell. 2, 82 *Quum caeruleatus et nudus caputque redimitus arundine et caudam trahens genibus innixus Glaucum saltasset.* Viridis vestis est fluvio apud Ov. Met. 9, 32. — *visus* cf. 2, 271.

34. *Carbasus* cf. 11, 775.

35. Idem v. 2, 775. 3, 153.

36. *O sate gente deum.* Similia saepe in exhortatione cf. 6, 125. 322. — *urbem revehis;* simile dictum 1, 68 *Ilium in Italiam portans.* Aeneae est Dardanidas in suam terram reducere: et gaudet Thybris, quod sibi etiam inde gloria nascatur, quare addit *nobis.*

37. Tu servas, ut aeterna sint. Cf. 4, 22.

39. *Certa domus* ut 3, 89 *propria domus.* Itaque iam non est timendum, ne hinc expellaris; et profecto Aeneas per reliquum carmen intrepidus rem suam gerit.

40. „Mire quidam conclusit hunc versum dicens: profugis nova moenia Teucris“ S. MPR omittunt.

42. Hac de re iam Helenus vaticinatus est (cf. 3, 389—393) paene iisdem verbis. Recte 46 *hic locus* qui est eo in loco, in quo est qui loquitur, et 3, 393 *is locus* qui est eo in loco, de quo locutus est, qui loquitur. Poteris his locis uti ad horum pronominum significationem demonstrandam. Hic locus est Lavinium, ex quo post triginta annos condita est Alba; idemque tradit Varro RR. 2, 4.

Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus,
Triginta capitum fetus enixa, iacebit,
Alba, solo recubans, albi circum ubera nati.
Hic locus urbis erit, requies ea certa laborum:
Ex quo ter denis urbem redeuntibus annis

„Illud antiquissimum (portentum) fuisse scribitur, quod sus Aeneae Lavinii XXX porcos pepererit albos. Itaque quod portenderit factum XXX annis, ut Lavinienses condiderint oppidum Albam. Huius suis ac porcorum etiam nunc vestigia apparent Lavinii, quod et simulacra eorum ahenea etiam nunc in publico posita et corpus matris ab sacerdotibus, quod in salsura fuerit, demonstratur.“ Idem Varro LL. 5, 144 haec habet: „Oppidum quod primum conditum in Latio stirpis Romanae, *Lavinium*. Nam ibi dii penates nostri. Hoc a Latini filia, quae coniuncta Aeneae, Lavinia, appellatum. Hinc post triginta annos oppidum alterum conditum *Alba*; id ab sue alba nominatum. Haec a navi Aeneae quum fugisset Lavinium, triginta parit porcos; ex hoc prodigio post Lavinium conditum annis triginta haec urbs facta, propter colorem suis et loci naturam Alba Longa dicta. Hinc mater Romuli Rhea, ex hac Romulus, hinc Roma“; et Prop. 4, 1, 35: *Et stetit Alba potens, albae suis omine nata.* Orditur qui loquitur a confessione, qua divinum dicit esse Aeneam, transit ad eius merita, propter quae deorum promittit auxilium, quod promissum simul firmat prodigio. Ex hoc prodigio, quod eisdem paene verbis repetit Tiberinus, quibus Helenus erat vaticinatus, deum apparet haec et vera loqui.

47. *redeuntibus annis* cf. 4, 556.

Versus 42—49: *Iamque tibi — cano* ei. *Hn. Pl. Rb.* Improbandi erant caussae, quod v. 42. 43. 44. 45. 46 iam alio loco lecti essent, neque Virgilius soleret eandem rem iisdem verbis repetere, quod 47. 48 mutuati essent e libro 1. 249; et *quod hic tibi certa domus* v. 39 et *hic locus urbis erit, requies ea certa laborum* v. 46 legeretur, bis idem; quod *ex quo* non posset explicari; quod ridicula esset illa etymologia, proposita v. 48, neque nobile quidquam esset in sue; quod v. 46 esset *urbis* et 48 *urbem*; quod v. 39 *certa domus* et 46 *certa requies*, v. 49 *haud incerta*; quod v. 46 abesset a Mediceo. At haec quidem caussa nihil valet; si omissus est unus versus, omissus est errore. Easdem autem voculas brevibus repeti spatiis saepius apud Virgilium vidimus ad 6, 901; neque id ingratum est, si ea verba sunt usitatissima. Romani autem, ut monstratum est ad versum 42. Albam ab illa alba sue, quam Aeneas invenerat, nomen accepisse putabant; quare poeta accipere debebat; neque ridiculi quidquam inest, possuntque nostrae patriae urbes afferri, quarum nomina non dicuntur habere originem nobiliorem. Tum ad *Ex quo* supple *loco*, et omnia habebis plana et sana. Deinde et quod mutatis verbis sententia aliqua repetitur et quod immutatis affertur ad improbandum locum prolatum est; sed altera ratio tollit alteram. Iam vero ut intelligatur, quam saepe Virgilius repetat versus singulos, plures apponam locos, ubi repetit versus totos et immutatos. Sic 1, 30 legitur et 3, 87. 1, 73 et 4, 126; 1, 313 et 12, 165; 1, 434. 435 et G. 4, 167. 168; 1, 530—3 et 3, 163—166; 1, 571 et 8, 171; 1, 601 et E. 5, 78; 1, 744 et 3, 516; 2, 54 et E. 1, 16; 2, 498 et G. 1, 482; 2, 774 et 3, 48; 2, 775 et 3, 153 et 8, 35; 2, 792—4 et 6, 700—2; 3, 472 et 8, 80; 4, 177 et 10, 767; 4, 285; 6 et 8, 20. 21; 4, 288 et 12, 561; 4, 418 et G. 1, 304; 4, 445. 6 et G. 2, 291. 2; 4, 482 et 6, 798; 5, 143 et 8, 690; 5, 606 et 9, 2; 6, 306—8 et G. 4, 475—7; 6, 429 et 11, 28; 6, 438. 39 et G. 4, 479. 80; 6, 625 et G. 2, 43; 7, 641 et 10, 163; 7, 804 et 11, 433; 8, 449—53 et G. 4, 171—5; 9, 104—6 et 10, 113—5; 10, 745. 6 et 12, 309. 10; 11, 831 et et 12, 952. — Saepe versus repetiit uno alterove verbo mutato; qua maxime re ostendit quantopere versus, qui placebant, repetere amaverit. Neque hi loci sunt pauci. Cf. 1, 101 et 8, 539; 1, 114 et 4, 160; 1, 127 et G. 4, 352; 1, 161 et G. 4, 420; 1, 310 et 3, 229; 1, 431—3 et G. 4, 162—64; 1, 482 et 6, 469; 2, 381 et G. 3, 421; 2, 473 et G. 3, 437; 3, 12 et 8, 679; 3, 192—5 et 5, 8—11; 5, 137. 38 et G. 3, 105. 6; 5, 144. 5 et G. 3, 103. 4; 5, 744 et 9, 259; 6, 309. 10 et G. 4, 473. 4; 6, 660 et 7, 182; 6, 783 et G. 2, 535; 7, 14 et G. 1, 294; 7, 749 et 9, 613; 7, 764 et 9, 585; 8, 149 et G. 2, 158; 8, 449—51 et G. 4, 171—3; 8, 596 et 11, 875; 9, 126 et 10, 276; 9, 572 et 10, 754; 9, 607 et G. 2, 472; 12, 720 et G. 3, 220. — Omisi eos locos, quos libri Mss. non sa-

Ascanius clari condet cognominis Albam.
Haud incerta cano. Nunc qua ratione quod instat
Expedias victor, paucis, adverte, docebo.
Arcades his oris, genus a Pallante profectum,
Qui regem Euandrum comites, qui signa secuti,
Delegere locum et posuere in montibus urbem
Pallantis proavi de nomine Pallanteum.
Hi bellum adsidue ducunt cum gente Latina;
Hos castris adhibe socios, et foedera iunge.
Ipse ego te ripis et recto flumine ducam,
Adversum remis superes subvectus ut amnem.
Surge age, nate dea, primisque cadentibus astris
Iunoni fer rite preces, iramque minasque
Supplicibus supera votis. Mihi victor honorem
Persolves. Ego sum, pleno quem flumine cernis
Stringentem ripas et pinguia culta secantem,
Caeruleus Thybris, caelo gratissimus amnis.
Hic mihi magna domus, celsis caput urbibus exit.

tis firmant, omnes autem me praeterea, locos invenisse, non est probabile, quum modo per tempus aliquod ei rei fuerim intentus. Numerum tamen satis magnum collegisse mihi videor, ut ex ea repetitione versus suppositos esse doceri non posse appareat. Neque mirum, quod suos versus repetiit, quum multos versus aliorum poetarum sed mutatos suis carminibus intulerit, quod docuit Macrobius. Sic secundum Senecam Suas. III Ovidius in multis versibus Virgilium „non surripiendi caussa, sed hoc animo, ut vellet agnosci", secutus est. Placebat enim bonarum sententiarum bona repetitio. — *Rb.* addit: „Quae intercedunt (42 — 49) fortasse ab ipsis poetae amicis interpolata sunt." Qua re concedit, illos intellexisse non minus quam ipsum, hos versus esse ad narrationem necessarios. Nonne poterat idem sentire auctor carminis? Quid vero? nonne legit *Rb.* Varium et Tuccam nihil addidisse? Itaque ut spurii aliquid vidisse videatur, inducitur, ut praetervideat res certas, componat res discrepantes.

49. *quod instat* statim tibi peragendum. Cf. ad 4, 115.

51. Pallas, Lycaonis filius, inter Arcadum proavos memoratur.

52. Evander (Pelasgus) Arcadum rex cum matre fatidica Carmenta in Italiam immigravit oppidumque condidit in monte Palatino. Multae sunt et variae de eo fabulae cf. Ov. F. 1, 469. Prop. 4, 1. Liv. 1, 7. Dion. 1, 33. al.

53. *ponere urbem* cf. 5, 59. — In *montibus* dicit, quod Aeneae non potest explicare accuratius, quo in monte urbs posita sit.

55. *Bellum ducere* est continuare Caes. BC. 1, 61. Liv. 22, 25. Sil. 5, 97; quare illud *assidue* auget significationem. — Quod deus suadet, ipsa ratio praecepit facere; sed epicus poeta et recte et prave cogitata deo alicui attribuit aut propitio aut irato cf. 12, 554.

56. *foedera iunge* firmatur etiam v. 7, 546. *foedere iunge* Mss. alq. et Serv. „*Foedera iunge* legitur et *foedere iunge*." Mutari saepius *e* et *a* vidimus ad 4, 98.

57. *recto flumine* i. e. recto fluminis itinere, ut 6, 901 *recto litore*, non quasi flumen recta linea feratur. Itaque *ripis* idem est quod *recto flumine*. *Gt.* coni. *rivis*, *retracto flumine*, *ducam*.

59. *cadentibus astris* cf. 2, 9.

60. *Iunoni f. r. p.* Idem praeceptum dat Helenus 3, 435. *Superare* deum *precibus* cf. 3, 439.

61. *victor* cf. 2, 329.

62. In *persolves* inest debitum esse honorem. Cf. Sil. 4, 739 *Nobis persolves meritos securus honores.*

63. *stringentem* „radentem, imminuentem, nam hoc est Tiberini fluminis proprium, adeo ut ab antiquis *Rumon* dictus sit, quasi ripas ruminans et exedens. In sacris etiam *Serra* dicebatur." S. — *Culta* substantivum est 10, 141. G. 1, 153. *pinguia culta* cf. 7, 562. — *secantem:* Imago est satis a natura ipsa probata, nec exempla desunt cf. Plin. XII. 5, 22 *Cydnus Tarsum secans.* Val. Fl. 4, 601 *Proxima Thermodon hic iam secat arva.*

65. His verbis extremis fidem addit

Dixit, deinde lacu Fluvius se condidit alto,
Ima petens; nox Aenean somnusque reliquit.
Surgit, et, aetherii spectans orientia Solis
Lumina, rite cavis undam de flumine palmis
Sustinet, ac tales effundit ad aethera voces:
Nymphae, Laurentes Nymphae, genus amnibus unde est,
Tuque, o Thybri tuo genitor cum flumine sancto,
Accipite Aenean et tandem arcete periclis.
Quo te cunque lacus, miserantem incommoda nostra,

promissis suis, qui sit demonstrans. Quum vero de se dicat et quis sit doceat, etiam versum 65 eodem pertinere probabile est. Et ita explicuit Servius: „*hic m. m. domus:* scilicet circa exitum suum.“ Ibi enim aut in fontibus fluvii habitare dicebantur. „*celsis c. u. exit*; de Tuscia, quam illis multum constat floruisse temporibus.“ S. Sic *exire* Ov. M. 11, 440 *Carpe viam, donec venias ad fluminis ortus; spumiferoque tuum fonti, quā plurimus exit, Subde caput.* Itaque hic ego habito, *caput* meum i. e. fons ut G. 4, 319 de celsis urbibus descendit. Hanc explicationem, versu 74 et 75 firmatam sunt qui improbent, et vaticinium urbis Romae his verbis inesse censeant: Hic mihi magna domus surget Roma, quae celsis urbibus erit caput. Sic *Rb.* qui comma posuit post *urbibus.* Et vere Roma potest domus dici Tiberini, quum ea in urbe colatur (cf. 1, 16) et *caput* substantivum recte dativo iungitur, (cf. 1, 429) et *exire* exsurgere est alibi, (cf. G. 2, 81 *exiit ad caelum arbos*), et praesens in vaticiniis, ut quae rem repraesentent, pro futuro dici posse constat. At ipsum vaticinium tam obscurum est, ut Servius non divinarit, Aeneas autem intelligere potuerit nullo modo, is, ad cuius mentem verba debebant accomodari. Neque ita videtur intellexisse Silius 4, 740. 1. *Wg. Ld.* mecum sentiunt.

66—80. Ad Tiberim precatio.

66. „*Lacus* est quoddam latentis adhuc aquae receptaculum et dictus *lacus* quasi *lacuna*, ex qua erumpens aqua efficit *fontem*, qui quum fluere coeperit, *alveum* facit.“ S. ad v. 74: „Lacus lacuna magna, ubi aqua contineri potest.“ Varr. LL. 5, 26. Sic *lacus Servilius* ap. Cic. RA. 32, 89. Sen. provid. 3.

68. Preces post somnia factas cf. 3, 177. — Quod addit *rite*, intelligimus, qua ratione Romanos fluvios invocare consueverint. — *Undam de flumine*, ut *homo de plebe* satis usitata formula dicendi. Cf. 11, 464. — *spectans orientia Solis.* Ad Orientem spectabant antiqui, si precabantur cf. 12, 172.

70. *effundit voces* cf. 5, 482. — *Pl.* improbat *ad aethera* propter *aetherii* v. 68 et coni. *pectore* allato 5, 482, quo opus non erat.

71. *unde* i. e. a quibus; ex fontibus enim amnes. „Sane cum *unde* hodie ad locum referamus, veteres etiam personis applicabant, ita ut ad omne genus et ad omnem numerum referrent.“ S. — Sic *unde* est et *a quo* et *a quibus*; neque originem tantum, ut hoc et locis allatis indicat sed etiam caussam et auctorem, nulla enim numeri in adverbio notio est. Sall. Iug. 14 *unde* (a quo) *minime decuit, vita erepta est.* Cic. de or. 1, 15. 2, 87. Ter. Eun. 1, 2, 34 *addebat e praedonibus, unde emerat, se audisse*, quo loco *unde* est *a quibus*, ut Hor. C. 2, 12, 7. 3, 13, 15 alibi. Sic *ubi*, apud quos Sall. C. 20. *quo*, ad quam 5, 489, ad quem Caes. BG. 5, 14, et ceterae particulae locales, ut *hinc* 1, 21. 10. 145 *inde* 3, 663 *ibi* Liv. 1, 24 *illuc* Tac. A. 1, 3 cf. Gr. § 473.

72. *Thybri*, ut Ov. F. 3, 524 vocativus graecus; ut *Alexi* Ecl. 2, 6, 65. *Daphni* 5, 25. 27. al. Gr. § 94, 5. — *genitor* ut deus 1, 255. — *cum flumine sancto.* Sic apud Ennium: *Teque pater Tiberine tuo cum flumine sancto veneror*, cf. 9, 816 et Serv.: „Sic enim invocatur in precibus: *Adesto Tiberine cum tuis undis.* Tiberim vero alii a rege Aboriginum dictum volunt, qui iuxta dimicans interemptus est .... alii, inter quos et Livius, ab Albano rege, qui in eum cecidit.“ S. Idem ad v. 330 Livii narrationem redarguit „quia etiam ante Albam Tybris dictus invenitur“ et ipse facit regem Tuscorum, narratque alia multa, ut certa aliqua fabula exstitisse non videatur.

73. *arcete periclis* „pro a me prohibete pericula.“ S. Cf. 1, 31.

74. *Lacus* subterranei fontes alere putabantur cf. G. 4, 364.

Fonte tenet, quocunque solo pulcherrimus exis;
Semper honore meo, semper celebrabere donis,
Corniger Hesperidum fluvius regnator aequarum:
Adsis o tantum et propius tua numina firmes!
Sic memorat, geminasque legit de classe biremes,
Remigioque aptat; socios simul instruit armis.
    Ecce autem, subitum atque oculis mirabile monstrum,
Candida per silvam cum fetu concolor albo
Procubuit, viridique in litore conspicitur sus:
Quam pius Aeneas tibi enim, tibi, maxima Iuno,
Mactat, sacra ferens et cum grege sistit ad aram.
Thybris ea fluvium, quam longa est, nocte tumentem
Leniit; et tacita refluens ita substitit unda,
Mitis ut in morem stagni placidaeque paludis
Sterneret aequor aquis, remo ut luctamen abesset.
Ergo iter inceptum celerant; rumore secundo

76. *honore meo*, quem tribuam cf. 1, 49.

77. *Corniger:* Fluviorum dii cornuti sunt; ita Achelous Soph. Trach. 12. Ov. Met. 9, 1. Eridanus Georg. 4, 371, Hebrus Claud. in Eutr. 2, 163, et *tauriformis* est Aufidus Hor. C. 4, 14, 25. — *Fluvius* „vocativus antiquus est, quia apud maiores in omni forma similis erat nominativo .... Plerumque poetae euphoniae caussa antiquitatem sequuntur.“ S. Cf. Gr. § 75. Cf. Dion. Perig. 353 *Θύμβρις ἐϋῤῥείτης, ποταμῶν βασιλεύτατος ἄλλων.* Sic G. 1, 482 *Fluviorum rex Eridanus* et Sil. 9, 187 *pater aquarum Ausonidum Eridanus.*

78. *adsis* cf. 1, 734. — *tantum* cf. 6, 74. — *Propius* ut *praesentius* est firmius, magis perspicue. — *numina firmare* cf. 2, 691. Atque hoc loco firmat Tiberinus quae dixit, quod statim apparet illa sus fatalis. *Gt.* coni. *tua iam omina firmes.*

80. *remigio aptat* i. e. instruit remis cf. 3, 471.

81—101. Sacro Iunoni facto Aeneas ad Evandrum proficiscitur.

81. *Ecce* cf. 2, 57. — *subitum monstrum* cf. 2, 680.

82. De praepositione *per* cf. ad 5, 103.

83. Idem legitur 3, 389, et fieri *fluminis ad ripam*, quod hoc loco *in litore;* unde noli sumere nec *ripam* et *litus* significare idem, nec poetam miscere contraria. Illi enim loco additum est *illic* et 8, 42 est *hic* quod ad *illic* spectat, et *litoreis ilicibus,* ut erroris locus ne possit quidem esse. Sed res fit et ad ripam et in litore, nam fit in Tiberis ostio.

84. Suem et gregem sistit ad aram, Iunoni sacra facturus. Ei enim, ut testatur Servius, porca mactatur. — *tibi enim.* Pronomina coniunguntur cum *enim* saepius, ut ea particula affirmativa ipsa magis firmentur; quod fit nostra particula *eben, gerade.* Cic. de div. 2, 26, 56 *Id enim est, inquies, ostentum: Das eben ist ja das Wunder.* — Sic hoc loco post v. 60 exspectatur Iunoni ante omnes futurum esse sacrum. Adde Sil. 13, 136 *Mactat Diva tibi, tibi enim, haec gratissima sacra.* — *Maxima* Iunonis est proprium. Sic apud Ovidium ipsa dixit *Maxima Iuno rite vocor* M. 3, 264.

85. *cum grege* et ipsum gregem (cf. 2, 72.) triginta porculorum. — *sistit ad aram* cf. 5, 237.

86. *quam longa est* cf. 4, 193.

87. *refluens substitit* „velut in alveum suum recurrens, ut Aeneas contra undas pergens descendentis celeritate propemodum uteretur.“ S. — *tacita unda substitit:* Plenius dictum, ut Tib. 4, 1, 126 *placidis mare constitit undis.* cf. 4, 22.

89. *Sternit aquis aequor*, qui aquis stratis facit aequor. Defluens fluvii aqua substitit, ut ascensus non esset adverso flumine navigantibus. *Remo luctari* dixit etiam Ov. Tr. 4, 5, 19.

90. *rumore secundo Pl.* censet esse *clamore secundo* accipiendum; neque tamen probabile, in terra incognita et in summa rerum exspectatione nautas clamorem sustulisse, quod factum est 3, 128. *Rumor* etiam est sonus suppressus non clarus, et de remorum sine ulla haesitatione motorum strepitu recte dicitur *rumor secundus.* Neque v. 108 *ta-*

Labitur uncta vadis abies; mirantur et undae,
Miratur nemus insuetum fulgentia longe
Scuta virum fluvio pictasque innare carinas.
Olli remigio noctemque diemque fatigant,
Et longos superant flexus variisque teguntur
Arboribus viridesque secant placido aequore silvas.
Sol medium caeli conscenderat igneus orbem,
Quum muros arcemque procul ac rara domorum
Tecta vident, quae nunc Romana potentia caelo
Aequavit; tum res inopes Euandrus habebat.
Ocius advertunt proras, urbique propinquant.
    Forte die sollemnem illo rex Arcas honorem
Amphitryoniadae magno divisque ferebat
Ante urbem in luco. Pallas huic filius una,
Una omnes iuvenum primi pauperque senatus
Tura dabant, tepidusque cruor fumabat ad aras.
Ut celsas videre rates, atque inter opacum
Adlabi nemus et tacitis incumbere remis:
Terrentur visu subito, cunctique relictis

citi remi obstant cf. Auson. Mosell. 21 *amoena fluenta subterlabentis tacito rumore Mosellae.* Sunt autem iam in itinere, inceptum iam iter celerant.

91. *Labitur uncta* (pice) *abies.* Monet Macr. 6, 1 Ennium dixisse *Labitur uncta vadis abies* et *labitur uncta carina.* — *Mirantur undae* cf. 7, 759. — *mirantur et* — *miratur* cf. 10, 313.

93. Pictae naves cf. 7, 431.

94. *noctemque diemque fatigant.* Cf. Prop. 4, 11, 81 *Sat tibi sint noctes, quas de me Paule fatigas.* Val. Fl. 5, 602 *Nec requies, quin Marte diem noctemque fatiget.* Per tempus qui aliquid intentus et anxius agit, ipsum tempus exagitare videtur. Ita *exercere* 10, 808.

95. *superant flexus* ut *superare iter*, cf. 1, 244. Tiberis autem flexuosus est. — *variisque teguntur a.* cf. 125.

96. Itaque in utraque ripa silvae erant, (cf 7, 35) quas secant in flumine navigantes. Rem simplicissimam turbat *Pl.* „virides silvae de reddita silvarum ex aquis imagine vix dici possunt“ (nec dicuntur) *viridesque* mutat in *versas* et explicat: „Superant longos flexus riparum, arboribus florentium, quarum imago in speculo aquae redditur.“

98. *rara* cf. 4, 131.

99. *nunc* c. perf. cf. 4, 345. Ad rem cf. Ov. Fast. 5, 91 sq. — *caelo aequavit:* „ad caelum extulit.“ S. Simile ad 1, 287.

102—125. Aeneas benigne excipitur.

103. *Amphitryoniadae*, Herculi, qui Iovis ex Alcmena, Amphitruonis uxore, filius. Herculis cultus a Livio 1, 7 ad Evandrum refertur. — *divisque ferebat:* „Nam cuivis deo sacrificaretur, necesse erat post ipsum reliquos invocari.“ S. Cf. 3, 19.

104. *Ante urbem in luco.* Evander habitabat in monte Palatino; Ara maxima illa Herculis erat ad montem Aventinum. „Bono omine victori deo Troianis venientibus sacra celebrabantur.“ S. Colebatur autem Hercules victor; et qui triumphaverat, in ara maxima Herculis partem praedae decimam deponebat ad civium viscerationem. Athen. 5, 65. 221. (Cf. Plut. Sull. 35. Dion 1, 40.) Sacrum, post victoriam a deo conditum, laetum erat; coronis velabantur et aperto capite sacrificabant, quod Graeco ritu fieri dicebant ipsi Romani. Cf. 189. — *Lucus* cf. 7, 83.

108. *Allabi* est leni impetu cf. 3, 131; quare *remi* iam *taciti* sunt, i. e. non audiuntur. — Terrentur magnitudine navium (marinarum), et silentio appropinquantium.

109. *Terrentur visu subito:* Iis, qui cum finitimis continuum gerunt bellum, hostilis impetus semper metuendus est. Inde etiam audacia Pallantis intelligitur, quod ad ripam accurrit ipse i. e. solus ut 11, 218; sed principis filium secuti sunt alii cf. 119.

Consurgunt mensis. Audax quos rumpere Pallas
Sacra vetat, raptoque volat telo obvius ipse,
Et procul e tumulo: Iuvenes, quae caussa subegit
Ignotas tentare vias? quo tenditis? inquit.
Qui genus? unde domo? pacemne huc fertis, an arma?
Tum pater Aeneas puppi sic fatur ab alta,
Paciferaeque manu ramum praetendit olivae:
Troiugenas ac tela vides inimica Latinis,
Quos illi bello profugos egere superbo.
Euandrum petimus. Ferte haec, et dicite lectos
Dardaniae venisse duces, socia arma rogantes.
Obstipuit tanto percussus nomine Pallas:
Egredere o quicunque es, ait, coramque parentem
Adloquere, ac nostris succede penatibus hospes!
Excepitque manu, dextramque amplexus inhaesit.
Progressi subeunt luco fluviumque relinquunt.
    Tum regem Aeneas dictis adfatur amicis:
Optime Graiugenum, cui me Fortuna precari

110. Turbantur sacra, si interrumpuntur; quod si fit, piaculum est. Quanta autem ea in re usi sint Romani cura et diligentia docent Liv. 2, 36 (Cic.) de har. resp. c. 10 et 11. Plut. Coriol. 25, qui addit *τοιαύτη εὐλάβεια πρὸς τὸ θεῖον Ῥωμαίων.* — De instauratione cf. 4, 63.

112. *Iuvenes* sunt aetatis militaris. — *subegit* cf. 2, 33.

113. *ignotas:* Propius enim accedens videt eos esse peregrinos.

114. „*Qui genus?* quo genere? *unde domo?* de qua civitate?“ S. De accusativo, cf. Gr. § 305. Sic Ov. Fast. 4, 65 *Graius uterque genus.* Iam ut ad *qui* additum est *genus*, sic ad *unde* additum *domo*, quod explicet particulam. De ablativo cf. 4, 36. et *domo* sic legitur 10, 141 *Maeonia generose domo*; 183 *qui Caerete domo.* Suet. Vit. 2. *P. Vitellius domo Nuceria.*

115. *puppi*, quae ipsa, ubi appellunt, terrae proxima est. cf. 6, 3.

116. *ramum olivae praetendit* cf. 7, 154. Primum enim erat oliva demonstrare se velle pacem, deinde dicere se esse Troianos, esse hostes Latinorum, petere Evandrum.

117. Breve et aptum omni ratione responsum est ad singulas quaestiones. — *inimica Latinis.* Inde commendantur cf. v. 55.

118. *superbo*, quod adversus supplices geritur. cf. 1, 565.

120. *Dardania* cf. 2, 281.

121. *tanto nomine* sc. Dardaniae et Troiae.

122. *quicunque es:* Ipsius enim nomen nondum audiit, sed genus tantum.

123. *penatibus* i. e. domo cf. 1, 527. — „*Succedere* veteres dativo iunxerunt; (ut 2, 478. 3, 541. 7, 501. E. 5, 6.) Sallustius tamen accusativo iunxit.“ S. Neque multum interesse docet Livius, qui dixit et *moenibus succedere* 24, 19 et *muros succedere* 27, 18 et *ad urbem succedere* 26, 44: Sic *subire* cum dativo est 125. 5, 346. 6, 222. 7, 161. 9, 371 cf. ad l., cum accusativo 6, 13. 8, 362. 10, 798.

124. Filius bene institutus pro patre nihil respondet. — *inhaesit* cf. 4, 73.

125. *fluviumque relinquunt* „Hypallage in sensu; nam primum est fluvium relinquere, deinde lucum subire.“ S. Poterat fluvius attingere lucum; quod si non erat, tamen non opus est hypallage aliqua, quae dicitur hysteron proteron. Solet enim Vgl. per *que* annectere rem aliquam secundariam et consecutivam vel explicativam. Exempla multa sunt; pauca tantum afferre in animo est. Cf. 2, 208. 353. 749. 3, 115. 226. 355. 444. 4, 257. 5, 292. 316. 6, 543. 551. 7, 7. 9, 374. 12, 196. al. Huc referendi etiam multi loci ad 12, 944 allati.

126 — 174. Aeneas ab Evandro in amicitiam recipitur.

127. *Cui* non minus recte pendet a. v. *precari*, quam a *praetendere ramos;* nam *precari* apud antiquos etiam cum dativo eius, a quo quid petitur, est coniunctum. Plaut. Amph. 2, 2, 108 *Prodi-*

Et vitta comptos voluit praetendere ramos,
Non equidem extimui, Danaum quod ductor et Arcas,
Quodque ab stirpe fores geminis coniunctus Atridis;
Sed mea me virtus et sancta oracula divom,
Cognatique patres, tua terris didita fama
Coniunxere tibi et fatis egere volentem.
Dardanus, Iliacae primus pater urbis et auctor,
Electra, ut Graii perhibent, Atlantide cretus,
Advehitur Teucros; Electram maximus Atlas
Edidit, aetherios humero qui sustinet orbes.
Vobis Mercurius pater est, quem candida Maia
Cyllenae gelido conceptum vertice fudit;
At Maiam, auditis si quidquam credimus, Atlas,
Idem Atlas generat, caeli qui sidera tollit.
Sic genus amborum scindit se sanguine ab uno.
His fretus non legatos neque prima per artem
Tentamenta tui pepigi; me, me ipse meumque
Obieci caput et supplex ad limina veni.
Gens eadem, quae te, crudeli Daunia bello
Insequitur; nos si pellant, nihil afore credunt,
Quin omnem Hesperiam penitus sua sub iuga mittant,
Et mare, quod supra, teneant, quodque adluit infra.
Accipe, daque fidem. Sunt nobis fortia bello

giali Iovi comprecatam oportuit. Ter. Phorm. 1, 2, 90 *qui mihi sic orct.*

130. *gemini* Atridae cf. 1, 162.

131. *mea me virtus:* „Haec arrogatio ad honorem Evandri pertinet.“ S. Cf. 1, 379. Stat. Th. 1, 644. *Non missus Advenio, mea me pietas et conscia virtus Has egere vias.* — *Oracula* data sunt 6, 97.

132. *cognati patres coniunxere.* Nota Romanae linguae indolem a nostra diversam. Cf. 12, 219. — *terris didita fama*, cf. 7, 144.

133. *fatis egere volentem:* fecere, ut libens facerem, quae cogor fatis. *Kl.* pro *fatis* coni. *votis.*

134. *Pater urbis* est, qui condidit. Cic. de div. 1, 2, 3 *huius urbis parens Romulus.*

135. *ut Graii perhibent:* Itaque rei testes invocat ipsos Evandri populares. Sic nunc etiam *Wg.* qui in ed. maiore poetam vituperaverat, quem secutus *Pl.* eiecto *Graii* coni. *Electra matre, ut perhibent,* (iam qui sunt hi?) *Atlantide, cretus.*

136. *advehitur Teucros:* De accus. cf. 4, 106. In nomine *Teucros* prolepsis est. — *Maximus Atlas* ut 1, 741.

138. *candida* cf. 5, 571.

139. *Cyllene* mons in septentrionali Arcadiae parte ad Pellenen situs, non procul a Sicyone; in eo templum erat Mercurii, qui in eo natus esse dicebatur, et inde Cyllenii nomen traxit.

141. Idem repetit, quod modo dixerat v. 137. Eius rei caussa est, quod in eo Atlante, caelum qui sustinet, (nam possunt esse eius nominis alii) amborum genera coeunt, quod in eo nititur cognatio. Non inanis igitur est haec repetitio nec imbecillitas dicendi.

142. *Scindit* se, ut fluvius in duos alveos. Sic *diffundere* 7, 708.

143. Non ego per alios, neque per artificiosas fraudes et ambages tuam voluntatem explorare volui. — *legatos, per artem* cf. 6, 692.

144. *Pl. pepigi* mutat in *petii!* Non *pepigit*, non pactione aliqua sibi tutelam firmavit, sed ipse se obtulit.

145. *Obieci caput*, cf. Liv. 22, 40 *Hostium se telis potius, quam suffragiis iratorum civium caput obiecturum.*

146. *Gens Daunia*, „Rutula, a Dauno,“ S. Turni patre. Versum eiicit *Rb.*

149. Mare *superum* est Adriaticum; *inferum* Tyrrhenum. *Pl.* eiicit et *Rb.* additque „Haec plane sapiunt glossam Geographicam. Omnis Hesperia satis est.“ Cur igitur quis addidit?

Pectora, sunt animi et rebus spectata iuventus.
Dixerat Aeneas. Ille os oculosque loquentis
Iamdudum et totum lustrabat lumine corpus.
Tum sic pauca refert: Ut te, fortissime Teucrum,
Accipio adgnoscoque libens! ut verba parentis
Et vocem Anchisae magni voltumque recordor!
Nam memini Hesionae visentem regna sororis
Laomedontiaden Priamum Salamina petentem
Protinus Arcadiae gelidos invisere fines.
Tum mihi prima genas vestibat flore iuventa;
Mirabarque duces Teucros, mirabar et ipsum
Laomedontiaden; sed cunctis altior ibat
Anchises. Mihi mens iuvenali ardebat amore
Compellare virum et dextrae coniungere dextram.
Accessi et cupidus Phenei sub moenia duxi.
Ille mihi insignem pharetram Lyciasque sagittas
Discedens chlamydemque auro dedit intertextam
Frenaque bina, meus quae nunc habet aurea Pallas.

151. *Rebus spectata iuventus* est „decennali proelio. Et bene promissionem rebus confirmat et testimoniis, quae est verbis invalida.“ S.

153. Aeneas non dixerat quis esset, Troianum modo se professus erat. Sed Evander iamdudum docetur eum esse filium Anchisae, quem et ore et oculis et statura refert. Inde vera omnia esse quae Aeneas dixerat cognoscit, laetaturque eius quod filium recipere potest senex, quem adolescens quondam amaverat.

155. Similis locus Silii, ubi Syphax Scipione conspecto patris sibi memoriam gratam revocat 16, 190 sq.

157. Itaque commentus est haec: Priamus ad visendam Salami sororem Hesionam profectus proceres secum ducit et inter eos Anchisen, quo in itinere in Arcadiam venit, ibique cum suis ab Evandro conspicitur. — *visentem:* cf. 1, 305. *Pl.* ut *visentem invisere* sono ingratum tolleret proposuit *Protinus Arcadia gelidos quoque visere fines.*

159. *Protinus* cf. 3, 416. — *gelidos:* Arcadia enim propter montes altos gelida est.

160. Lucr. 5, 886 *Pueris aevo florente iuventas occipit et molli vestit lanugine malas.* — *iuventas* M. al. — *iuventa* P. al. cf. 1, 590. h. l. receptum est ab interpretibus propter praegressum *genas.*

161. *Mirabarque duces:* „Hos laudat, quo melior sit ille, quem praefert.“ S.

163. *iuvenalis* cf. 2, 518. — *ardebat* c. inf. 2, 105.

165. *Pheneum* Arcadiae urbem memorat Hom. Il. 2, 605. „Graeci et Varro Humanarum rerum Dardanum non ex Italia, sed de Arcadiae urbe Pheneo oriundum dicunt.“ Serv. 3, 167. et Phenei incolis Troianos admixtos esse testatur Dion. 1, 34. 42. 60. Inde discas non sine consilio eam urbem nominavisse, neque omnino talia nomina narrationi fortuito iniecisse Virgilium, sed respexisse ubique antiquam aliquam fabulam.

166. Quod chlamydem et frena donat Anchyses, illuc pertinet, quod equorum est cultor et nutritor, multisque in locis et in ipsa Arcadia, in qua eius sepulcrum ostendebatur. colebatur, quod equos lutaretur. Bene autem Evander quae acceperit dona memorat, non quae dederit; et quum cognationem ostenderit Aeneas, ipse antiquum esse docet hospitium. — *Lycias sagittas* cf. 5, 311.

167. *intertextam* MP2. — *intertexto* P1. R. Utrumque probum. De chlamyde auro intertexta cf. 9, 582.

168. Male dissecantur verba ita: *f. b*, *m. q. n. h.*, *a.*, *P.;* ut iungantur dissociata, dissocientur coniuncta; nec *Frena bina aurea* Latinum est. Sed poetae saepissime adiectivum a substantivo, si id ad duo pertinet enuntiata, ita separant, ut in altero ponant substantivum, adiectivum in altero. Caussae possunt variae esse, quibus id fit, ut hoc loco noluit poeta iungere *f. b. a.;* caussa igitur est suo quaeque loco exquirenda. Nunc usus est declarandus. Simplicissima est ratio, si enuntiata paria sunt et copula tantum separata, ut 2, 552: *Dextraque coruscum extulit ac lateri capulo tenus ab-*

Ergo et quam petitis iuncta est mihi foedere dextra,
Et lux quum primum terris se crastina reddet,
Auxilio laetos dimittam opibusque iuvabo.
Interea sacra haec, quando huc venistis amici,
Annua, quae differre nefas, celebrate faventes
Nobiscum, et iam nunc sociorum adsuescite mensis.
    Haec ubi dicta, dapes iubet et sublata reponi
Pocula, gramineoque viros locat ipse sedili,
Praecipuumque toro et villosi pelle leonis
Accipit Aenean solioque invitat acerno.
Tum lecti iuvenes certatim araeque sacerdos
Viscera tosta ferunt taurorum onerantque canistris
Dona laboratae Cereris Bacchumque ministrant.
Vescitur Aeneas simul et Troiana iuventus
Perpetui tergo bovis et lustralibus extis.
    Postquam exempta fames et amor compressus edendi,
Rex Euandrus ait: Non haec sollemnia nobis,

didit ensem. 1, 695: *Iamque ibat dicto parens et dona Cupido portabat.* Sic 2, 419 *saevitque tridenti spumeus atque imo Nireus ciet aequora fundo* 9, 9 Septra *Palatini* sedemque petit *Evandri* 11, 659 *Threiciae.. et . . Amazones.* Sed etiam disiunctivis particulis secernitur substantivum ab adiectivo: cf. Claud. B. Gild. 130: *Nec sicco Cybele, nec stabat lumine Iuno.* Adde Ov. Am. 3, 9, 21 *Quid pater Ismario, quid mater profuit Orpheo* et Sil. 6. 60. Facilius iam A. 3, 161 *Nec haec tibi litora suasit Delius, aut Cretae iussit considere Apollo.* Sed is usus invaluit etiam, si alterum alteri enuntiato subiectum est. Sic relativo separatur adiectivum a substantivo, ut h. l. et 5, 728. Neque solum adiectivum enuntiato relativo includitur, alio nonnunquam casu, sed etiam substantivum. Cf. 11, 687 Hor. Sat. 1, 10, 16 *Illi, scripta quibus comoedia prisca viris est.* Ep. 2, 37 *Quis non malarum, quas amor curas habet, haec inter obliviscitur.* cf. Gr. § 249. — Sed reperiuntur etiam aliae particulae. cf. 1, 4 *vicina coegi, ut parerent arva colono.* cf. 9, 133. Val. Fl. 2, 244 *Non ulla meo te carmine dictam abstulerint, durent Latiis modo saecula fastis.* Is usus docet, Romanos periodum existimasse unum esse enuntiatum. Simile est, quod notatur ad 1, 411. Huc etiam pertinet is usus saepe obvius, quo substantivum, cui additur enuntiatum relativum, ipsi ei enuntiato infertur ut 6, 567 *subigit fateri quae quis piacula distulit*, pro: piacula, quae quis distulit.

169. *iuncta est mihi foedere dextra* cf. 3, 83.

171. Idem paene versus 1, 571.

175—183. Troiani intersunt Herculis sacro.

175. *reponi*, „quia metu reliquerant mensas." S. — *dapes* cf. 3, 224.

176. *sedili:* „In templo Herculis lectisternium esse non licebat." S.

177. Praecipuus accipitur A. et toro et pelle, quum ceteri in gramine locentur. Cf. Sil. 11, 275 *Praecipuis* multoque procul splendentibus ostro Accipitur sublime *toris*, quem locum attulit *Wg.*

178. Solium acernum ex illius temporis simplicitate. cf. Ov. Fast. 3, 359. — *Invitare* ita 9, 676 *invitant moenibus hostem.* De dativo loci, cf. 5, 451.

179. *lecti iuvenes:* „Non vacat *lecti.* In sacris enim Herculis nec servi intererant, nec liberti." S. nec feminae Prop. 4, 9, 69. Gell. 11, 6. Visceratio illa (cf. v. 104.) iis tantum videtur esse data, qui poterant arma ferre. Male tamen Servius *lecti* huc refert, sed lecti iuvenes sunt, qui parent sacrum, non omnes, qui sacris adsunt et epulantur.

180. *viscera* cf. 6, 253. — *onerantque canistris* cf. 1, 195.

183. De voce perpetuus cf. 7, 176. — *Lustralia exta* de hostia sunt, qua quum vescuntur, sine dubio et purgari sive lustrari et diis gratiores se fieri putabant. De hoc sacro cf. Liv. 1, 7.

184—279. Cacus ab Hercule interficitur.

Historiam Caci ab Hercule interempti,

Has ex more dapes, hanc tanti numinis aram
Vana superstitio veterumque ignara deorum
Imposuit: saevis, hospes Troiane, periclis
Servati facimus meritosque novamus honores.
Iam primum saxis suspensam hanc adspice rupem:
Disiectae procul ut moles, desertaque montis
Stat domus, et scopuli ingentem traxere ruinam.
Hic spelunca fuit, vasto submota recessu,
Semihominis Caci facies quam dira tenebat,
Solis inaccessam radiis; semperque recenti
Caede tepebat humus, foribusque adfixa superbis
Ora virum tristi pendebant pallida tabo.
Huic monstro Volcanus erat pater: illius atros
Ore vomens ignes magna se mole ferebat.
Attulit et nobis aliquando optantibus aetas
Auxilium adventumque dei. Nam maximus ultor,
Tergemini nece Geryonae spoliisque superbus,
Alcides aderat, taurosque hac victor agebat

quo facto Herculi ara maxima exstructa sit, narrant imprimis Liv. 1, 7. Ov. Fast. 1, 543 sq. Prop. 4, 9. Căci nomen S. deducit a *κἄκός*. Sic opponeretur Euandros, bonus vir, malo. Grotefend in Geograph. veteris Italiae 3, 26 cum *καπνός* putat cohaerere.

186. *has ex more dapes* cf. ad 11, 464.

189. *meritos* honores cf. ad 3, 118. — *Novamus* quovis anno. Haec autem est Evandri sententia: „Non ideo Herculem colimus, aut quia omnem religionem veram putamus, (vana superstitio) aut quia deos ignoramus antiquos. Cautum enim fuerat et ap. Athenienses et Romanos, ne quis novas introduceret religiones.“ S. Omnia autem ex Romanis moribus explicanda esse iam dictum est. Profecto mirum poterat videri Romano homini, quod Graeco heroi Romae structa erat *ara maxima*, ad quam singulares aliqui flebant ritus. Itaque narrat vulgatam de Caco interempto fabulam. Neque poeta poterat sequi aliam, etsi exstabat alia, qua „Garanus fuerat pastor magnarum virium, qui Cacum afflixit“ S. ad v. 203. Apud Aur. Vict. 6 est Recaranus. Quae nomina a gerendo deducuntur explicanturque, per *redemptor*, *restitutor*. Quare anniversaria sacra a praetore, et triumphali die ab imperatore extraordinaria instituebantur. Itaque quum triumphanti deo a iuventute et duce post partam victoriam sacra fierent: postea Graeci his sacris subesse Herculem suum putabant, et Romani, ut erant propensi ad recipiendas Graecorum fabulas, facile credebant egregium omnis antiquitatis heroem Romam venisse ibique reliquisse potentiae suae documenta.

190. *suspensam* „quasi iam iamque lapsuram.“ S.

192. *traxere ruinam* cf. 2, 466. *adspice*, *ut stat* cf. 6, 780.

193. *vasto submota recessu:* cf. 2, 300. Ov. v. 555 *longis spelunca recessibus ingens abdita*.

194. *semihominis* „feritate corrupti.“ S. De metro cf. 4, 686. — *Caci facies* cf. ad 4, 132. *tenebat*. Sed *Rb.* 1, 285 memorat in MPR esse *tegebat* additque „quod recipere debebam“ et p. 307 „dubitari potest, utra verior sit scriptura“ neque in ed. minore recepit.

195. *inaccessum* cf. 7, 11.

196. *foribus superbis* cf. ad 2, 504. — Quasi spolia, quae in foribus suspendere mos erat, cf. 7, 183 occisorum cadavera affigit. Idem narrat Ov. v. 557.

197. *pallida* Mss. *squallida* M1. rec. *Rb.* in ed. min. iam antea probatum a Bentleio et *Pl.* Sed *Wg.* hoc vocabulum ubique uno l scribi affirmat.

200. *et nobis*, ut aliis gentibus.

201. *Auxilium* quomodo fiat, explicatur per *adventum* cf. 220. 289 et excursum ad l. 1. — *maximus ultor*. Sic Lucanus 4, 610 Herculem dicit *terras monstris aequorque levantem*.

202. *tergemini* cf. 6, 286. — *spoliisque superbus* cf. 5, 268. — De Geryone cf. 7, 662.

203. *victor* cf. 362.

Ingentes; vallemque boves amnemque tenebant.
At furiis Caci mens effera, ne quid inausum
Aut intractatum scelerisve dolive fuisset,
Quattuor a stabulis praestanti corpore tauros
Avertit, totidem forma superante iuvencas,
Atque hos, ne qua forent pedibus vestigia rectis,
Cauda in speluncam tractos versisque viarum
Indiciis raptos saxo occultabat opaco.
Quaerenti nulla ad speluncam signa ferebant.
Interea, quum iam stabulis saturata moveret
Amphitryoniades armenta abitumque pararet,
Discessu mugire boves, atque omne querelis
Impleri nemus et colles clamore relinqui.
Reddidit una boum vocem vastoque sub antro
Mugiit, et Caci spem custodita fefellit.
Hic vero Alcidae furiis exarserat atro
Felle dolor: rapit arma manu nodisque gravatum
Robur, et aerii cursu petit ardua montis.
Tum primum nostri Cacum videre timentem
Turbatumque oculi. Fugit ilicet ocior Euro,

205. *furiis* MPRγb testatur *Rb.* Contra *Hr.* in M *furis* dicit esse, idque probat; *furis* dat etiam Serv. Quae quam facile mutata sint, intelliges. Furiis Cacum agi nimium esse videbatur; sed mali semper maiora ad facinora mente sua impelluntur, ut tandem poenas luant, hae sunt eorum furiae. Quare magis placebit *furiis Caci* mens effera, quam *furis Caci.* Neque *mens Caci* (in quo haeret *Pl.*) advertit, ut facile intelligitur, sed *Cacus* [praesertim enuntiato interiecto, locumque attulit simillimum *Ld.* Livii 1, 15, 1.]. *Pl.* ut omnem tolleret difficultatem coni.: *At furis Caci manus effera!*

206. *Fuisset* ex mente dictum Evandri narrantis.

207. *tauros* praestanti corpore et iuvencas forma superante. De abl. cf. 1, 71.

208. *Avertit* ita 1, 472. 10, 78. Cat. Epith. 5 *Auratam optantes Colchis avertere pellem.* Sic *vertere* 1, 528.

209. *Pedibus rectis* ablativus est, sc. ne vestigia essent, si recti pedes essent; ea autem turbantur et tolluntur pedibus inversis.

211. *Raptos* Wakefieldius suo Marte mutavit in *raptor,* ut dicitur Cacus Prop. 4, 9, 11. eamque coniecturam amplexatus est *Rb.* saepiusque laudat p. 286. 365, et intulit, *raptos* autem post *tractos* putavit esse superfluum.

212. *quaerenti*: ei qui quaerit; id est, quicunque quaerit. Nemini signa apparent. Cf. 1, 102.

215. *mugire.* De inf. historico cf. 2, 132. — Cf. Ov. M, 6, 547 *implebo silvas et conscia saxa querelis.*

216. *colles clamore relinqui* a bobus. Forsitan mireris, quod haec addam; sed quamquam per se facile intelligi videntur, exstat tamen explicatio alia haec: Colles superantur boum mugitu. Sic nonnunquam ut mala tacite removeat qui interpretatur etiam plana cogitur explanare. *Pl.* coni. *clamare propinqui.*

217. *sub antro* cf. 6, 203.

218. *mugiit* „more suo pro mugivit." S. Cf. 3, 603.

219. *exarserat.* De plusquamperfecto cf. 10, 546. *Pl.* coni. *Hic v. Alcides furiis exarsit, et atro felle dolens, r. a. m. n. g. Robur.*

220. *Arma* explicatur per *nodis gravatum robur*, quae est clava. cf. 201. Sic eadem clava Herculis *robur* dicitur Val. Fl. 1, 634. Mart. 9, 44, 4 et *nodosum robur* Val. Fl. 2, 534.

221. *Aerii* dicuntur montes 6, 234. Cat. 68, 56. *Alpes* G. 3, 474. Ov. M. 2, 226. *quercus* A. 3, 680. *ulmus* E. 2, 59. — *aetherii* in Mss. aliqt.; improbatur, quod *aetherius* non mons quivis, sed Olympus appellatur cf. 319. 6, 579. 10, 621. 11, 867. — *ardua montis* cf. 1, 422.

223. *turbatum oculis* MPR et S. rec. *Rb. Wg.*: Oculis Cacus animi turbam prodit. cf. 5, 505. „Alii *oculi* legunt" S. rec. *Ld.* prob. *Pl.*; sed *Rb.* non dicit

Speluncamque petit; pedibus timor addidit alas.
Ut sese inclusit ruptisque immane catenis
Deiecit saxum, ferro quod et arte paterna
Pendebat, fultosque emuniit obiice postes:
Ecce furens animis aderat Tirynthius, omnemque
Accessum lustrans huc ora ferebat et illuc,
Dentibus infrendens. Ter totum fervidus ira
Lustrat Aventini montem; ter saxea tentat
Limina nequidquam; ter fessus valle resedit.
Stabat acuta silex, praecisis undique saxis
Speluncae dorso insurgens, altissima visu;
Dirarum nidis domus opportuna volucrum:
Hanc, ut prona iugo laevum incumbebat ad amnem,
Dexter in adversum nitens concussit, et imis
Avolsam volvit radicibus; inde repente
Impulit: impulsu quo maximus intonat aether;
Dissultant ripae, refluitque exterritus amnis.
At specus et Caci detecta adparuit ingens
Regia et umbrosae penitus patuere cavernae:
Non secus, ac si qua penitus vi terra dehiscens
Infernas reseret sedes et regna recludat

Ms., in quo legatur, modo *oculos* legi eleganter" in γ; neque *Hn.* neque *Wg.* de libris docent, retinent autem *oculis*. A pluribus solet praeferri *oculis*. Id tamen apparet, *nostri* dictum esse ita, ut rei interfuisse ipse non videatur. *Turbatus* autem nullo addito vocabulo legitur 435. 7, 767 ac qui *oculis turbatus* est non probe videt cf. Liv. 7, 26 „Oculis simul ac mente turbatum Valerius obtruncat" Neque tam prope accesserunt ad Cacum Arcades, ut viderent oculos, neque opus erat, ut turbatum eum ex oculorum intelligerent obtutu, quem fugere videbant. Et *oculi nostri* recte dici, si opus esset, docetur exemplis ut 2, 740, Ov. M. 7, 679 *si non formosius isto viderunt oculi telum iaculabile nostri*. — *ocior Euro* cf. 1, 317. — *ilicet* cf. 2, 424.

226. A patre Vulcano didicisse fingitur catenis magnum saxum alligare, quod potuit demittere, ita ut ab omni parte spelunca clausa esset. Hercules autem aliud saxum, altum et abruptum speluncaeque impositum, quum ad laevam partem inclinaret, a dextra aggressus in Tiberim devolvit atque ita sibi aditum parat.

227. *emuniit: E* praepositio in compositis nonnunquam vim simplicis verbi auget. ita *edoceo*, *eluctor*, *evinco*, *eneco*, vel finem, ad quem verbum simplex tendit, attingi significat, ut *edisco*, *elaboro*, *efficio*, *effingo*, *evito*, *everbero* 12, 866. — *Fulti obice postes:* Ita Tib. 1, 2, 6 *Clauditur et dura ianua fulta sera.* Ov. A. A. 2, 244 *Atque erit apposita ianua fulta sera.* — Quod iungitur *fultos emuniit* cf. ad 4, 22.

228. *furens animis* cf. ad 2, 386. *Pl.* eiicit *que Accessum — ira.*

231. *Aventini montem.* De genitivo cf. 5, 52. Sed potest intelligi ille Aventinus rex, a quo mons accepit nomen cf. 7, 655.

233. *silex* „Paene omnes *hunc silicem* dicunt; nam et Varro et Lucretius (1, 573) ita dicunt; tanta tamen est Virgilii auctoritas, ut persuadeat nobis etiam *hanc silicem* dici." S. Dixit *dura silex* 6, 471 *acuta silex* 602. Scilicet in aliis casibus nihil intererat a vulgari genere decedere. Cf. 4, 462.

235. Dirae volucres sunt h. l., quae cadaveribus vescuntur. De voce *dirus* cf. 12, 845.

242. *Regia* dicitur Caci, cum irrisione; ita Aeoli caverna *aula* dicitur 1, 140. *Pl.* eiicit *et Caci — Regia et*, deinde scribit *umbrosaeque intus* patuere etc.

243. *penitus.* „Confert poeta miraculo miraculum, ut non sine vi repetita hic videatur vox *penitus*" *Wg.* cf. 6, 901. — *penitus patuere:* „admissum lumen est usque ad secreta speluncae." S.

244. *reseret — recludat.* Coniunctivi in re cogitata, non facta. — *regna*, Tartarus; *dis invisa: τάτε στυγέουσι θεοί περ* Hom. Il. 20, 64.

Pallida, dis invisa, superque immane barathrum
Cernatur, trepident immisso lumine Manes.
Ergo insperata deprensum in luce repente,
Inclusumque cavo saxo atque insueta rudentem
Desuper Alcides telis premit, òmniaque arma
Advocat et ramis vastisque molaribus instat.
Ille autem, neque enim fuga iam super ulla pericli,
Faucibus ingentem fumum, mirabile dictu,
Evomit, involvitque domum caligine caeca,
Prospectum eripiens oculis, glomeratque sub antro
Fumiferam noctem commixtis igne tenebris.
Non tulit Alcides animis, seque ipse per ignem
Praecipiti iecit saltu, qua plurimus undam
Fumus agit, nebulaque ingens specus aestuat atra.
Hic Cacum in tenebris incendia vana vomentem
Corripit in nodum complexus et angit inhaerens
Elisos oculos et siccum sanguine guttur.
Panditur extemplo foribus domus atra revolsis,
Abstractaeque boves abiurataeque rapinae
Caelo ostenduntur, pedibusque informe cadaver
Protrahitur. Nequeunt expleri corda tuendo
Terribiles oculos, voltum, villosaque saetis
Pectora semiferi, atque exstinctos faucibus ignes.
Ex illo celebratus honos, laetique minores

246. Simile Ov. M. 5, 359 *immissusque dies trepidantes terreat umbras.* cf. Sil. 5, 610 sq. *trepident* MPγb. sine *que*, *trepidantque* R.

248. *insueta* adverbium cf. 489; quamquam non minus potest obiectum verbi haberi.

249. *telis premit* cf. 1, 324.

250. *Molaribus* saxa significat molaribus paria magnitudine.

253. *caligo caeca* ut 9, 34 *caligo atra.*

257. *iecit* MR al. — *iniecit* Pγ. Sufficit simplex, cf. exempla 9, 711, et ad 5, 154.

258. *fumus undam agit*, cf. 2, 609.

259. *vana*, quod ipsi ad salutem nihil proficiunt.

260. *in nodum* cf. 6, 42. — *corripit complexus* fortius quam complecitur cf. 2, 169.

261. *siccum sanguine guttur angit et elisos oculos.* Ita angit, ut siccum sit guttur et elisi oculi cf. 4, 22. — Siccum sanguine guttur dicitur, quod abest sanguis. Sic 9, 64 *siccae sanguine fauces.* Sil. 8, 19 *siccasque cruore hebescere dextras.* — *Angere* sic Ov. M. 9, 78 *angebar ceu guttura forcipe pressus.*

263. *abiurataeque rapinae:* „Respicit epitheton rem supra non memoratam, sed intellectu facilem, Cacum periurio negasse se boves apud se habere.“ *Hn.*

265. *expleri corda nequeunt tuendo* cf. 1, 713. Simile Val. Fl. 4, 332 *qua mole iacentis ipse etiam victor expleri nequit.*

268. *minores:* „Nove et satis licenter *minores* dixit, quum ab ipso Evandro Herculem constet esse susceptum, et *minores* non dicamus, nisi quotiens graduum deficit nomen, ut puta filius, nepos, pronepos, abnepos, abneptis, trinepos; ubi isti gradus defecerint, merito iam dicimus *minores:* sicut etiam *maiores* dicimus post patris, avi, proavi, abavi, atavique vocabulum.“ S. Non adscripsissem, nisi etiam nunc homines illa verba arriperent ad versum improbandum. Hoc enim loco Evander non potest dicere *minores* alios, quam *iuniores*, post illud factum natos. Ipse enim vidit Herculem, nunc admodum est longaevus. Omisit addere *natu*, vocem quae hoc loco Aeneas post ea, quae narrata sunt, non poterat non intelligere. Sic *minorem* 9, 593. *Natu* additur, si quando est opus. Addere libet unum locum Silii, quo admodum pueri signantur: *Te maesta virorum ora vocant, primaque sonant te voce minores* 2, 491. Iam haec narrat: Ex illo die

Servavere diem, primusque Potitius auctor,
Et domus Herculei custos Pinaria sacri.
Hanc aram luco statuit, quae maxima semper
Dicetur nobis et erit quae maxima semper.
Quare agite, o iuvenes, tantarum in munere laudum
Cingite fronde comas, et pocula porgite dextris,
Communemque vocate deum, et date vina volentes.
Dixerat: Herculea bicolor quum populus umbra
Velavitque comas foliisque innexa pependit;
Et sacer implevit dextram scyphus. Ocius omnes
In mensam laeti libant, divosque precantur.
Devexo interea propior fit Vesper Olympo:

honos est habitus Herculi, et postea minores diem celebravere: Potitius et Pinarius aram statuere, quae semper maxima et dicetur a nobis et habebitur.

269. Res varie narratur, alii ab ipso Hercule aram esse conditam dicunt, alii ab Evandro eiusque sociis, atque ita narrat h. l. Evander, ut sacerdotibus solis tribuat, quae scriptores cum sacerdotibus eum fecisse tradidere. Omnes autem in eo consentiunt, sacra curasse Potitiorum et Pinariorum familiam. Potitio enim et Pinario Herculem ipsum ostendisse tradunt, ,,qualiter se coli vellet; scilicet ut mane et vespere ei sacrificaretur.“ S. Sed quum ad sacra Pinarius sero venisset, ,,Hercules iratus statuit, ut Pinariorum familia tantum ministra esset epulantibus Potitiis et complentibus sacra.“ S. — Iam antiqui Pinariorum nomen ἀπὸ τῆς πείνης, Potitiorum ab eo quod potiti sunt, deducunt. Unde intelligimus modo victores victoris dei dapibus vesci oportere. Quae praeterea de iis scitu opus aut certe iucundum erit, vide ap. Festum s. v. p. 237. M. Liv. 1, 7. 9, 29. — *Potitius auctor*, quod is auctor erat Herculis dei colendi. Ita *primus* v. 281.

271. et 2 eiecit *Hn.*, a *laeti* — *semper* i. e. a. v. 268—72 ei. *Pl.* Recte defenderunt *Wg.* et *Ih.*, retinuerunt *Ld. Rb.* Ac neglexerunt illi animadvertere, quanto culta sit ara maxima honore, ut in hac narratione vel ipsum nomen omittere Virgilius non potuerit, qui cupide arripit, si quae ex antiquitate potest referre. Iam vero si certe nominasse poeta aram comprobatur, versus retinendi sunt; et si quis improbare velit, connivendum est, si expellere, resistendum. Ara maxima ad forum boarium fuisse dicitur Dion. 1. 40. Ov. F. 1. 582.

273. *in munere*, quod pro tantis laudibus offerimus; laudes saepe de laudabiliter factis cf. 1, 461. — *in munere* ut 5. 537.

274. Libatio fit manu porrecta.

275. *Communem*, nam Aeneas socius est et amicus, cf. 12, 118.

277. *pependit:* Factum narratur, quod modo fit cf. 2, 442. — ,,*pependit populus* i. e. corona de populo. Atqui lauro coronari solebant, qui apud aram maximam sacra faciebant. Sed hoc post urbem conditam coepit fieri, neque alia fronde (quam laurea) circumdat caput praetor urbanus, qui Graeco ritu sacrificat. Sed poeta ad illud tempus retulit, quo Evander apud aram maximam sacra celebravit. Varro enim rerum humanarum docet in Aventino institutum lauretum, de quo proximo monte decerpta laurus sumebatur ad sacra.“ S. in alqt. Ea desumpta sunt e Macr. Sat. 3, 12. Hos autem de Evandri tempore nihil potuisse referre, ipsa verba satis docent. Itaque quae caussa fuerit, populum ut nominaret non laurum, nos ignoramus. Id unum, populum esse Alcidae gratissimam Ecl. 7, 61 eaque velatum fuisse eum, quum ex Orco rediret, satis est notum. cf. 5, 134. — *velavit* cf. 5. 72.

278. *scyphus.* ,,Legitur in libris antiquis, Herculem ad Italiam ingens ligneum poculum attulisse, quo utebantur in sacris, quod ne carie consumeretur, pice oblitum servabatur.“ S. Multa de scypho eo attulit Macr. 5. 21. — *Ocius* cf. v. 555.

279. *in mensam* cf. 1, 736. Festus Pauli p. 156. M.: Mensae in aedibus sacris ararum vicem obtinebant. ,,Diis hospitalibus et Iovi in mensa libabatur.“ S. ad 1, 740. cod. Fuld.

280—305. Instauratur sacrificium.

280. *devexo Olympo:* Iam vesperascit. Olympus raro pro caelo ipso cf. ad 1, 374. Fingebant autem poetae rem, aut ita ut solem et stellas per caelum decurrere di-

Iamque sacerdotes primusque Potitius ibant,
Pellibus in morem cincti, flammasque ferebant.
Instaurant epulas, et mensae grata secundae
Dona ferunt, cumulantque oneratis lancibus aras.
Tum Salii ad cantus incensa altaria circum
Populeis adsunt evincti tempora ramis;
Hic iuvenum chorus, ille senum; qui carmine laudes
Herculeas et facta ferunt: ut prima novercae
Monstra manu geminosque premens eliserit angues;
Ut bello egregias idem disiecerit urbes,
Troiamque Oechaliamque; ut duros mille labores

cerent, aut eas in caelo fixas simul cum ipso caelo circumagi vellent. Cf. 2, 250. Vesperi autem alterum fit sacrum. Cf. S. ad v. 269.

281. *Hn.* sumit v. 283. 4. ab ipso poeta adscriptos ad v. 279, ut postea eligeret; *Pl. Rb.* eiiciunt. Cod. Menag. dat hoc ordine: 85. 86. 83. 84. Ut nunc versus leguntur, (nam v. 283. 284 eiicere caussa idonea non est in re nobis ignota) ita Herculi videtur sacrificium factum esse: Ante meridiem sacro facto epulantur; meridie (98) interveniunt Troiani, invitantur ad coenam, qua peracta (184) narrat Evander, cur Herculi sacra fiant; et simul ad extremam sacrificii partem proceditur. Epulis enim confectis omnes se fronde populea cingunt, pompa accedunt ad aram, praeeuntibus sacerdotibus; qui antiquo et Herculeo more pellibus vestiti ignem ferunt, quem arae imponant, simul libant, tura offerunt et alia, quae possunt dici mensae grata secundae dona. Simul Salii incedunt, qui saltent, dum sacrificant sacerdotes; tum omnes in seniores et iuniores discedentes hymnum in Herculem canunt, cuius argumentum proponitur; quo finito totum est sacrificium confectum. — *primus* cf. 2, 263.

282. *in morem:* cf. 3, 369.

283. *Instaurant epulas*, denuo arae dapes apponunt cf. ad 4, 63.

284. Idem v. 12, 215. G. 2, 194 *lancibus et pandis fumantia reddimus exta;* itaque etiam carnem appositam esse sumere licet. — *cumulare aram re* cf. 11, 50.

285. *Tum* enumerat singula, non est temporale. Sic 1, 164. 2, 697. 5, 455. 6, 20. 278. 577. al. — *Salii* „qui tripudiantes aras circumibant," S. a Numa dicuntur instituti in Martis honorem; duodecim iuvenes patricii, qui ancilia ferebant; erant autem duo sodalitia, et *Palatini* et *Collini* secundum Dion. 2, 70, qui hos ab Hostilio narrat additos; *Collini* et *Quirinales* secundum Servium, qui ab Hostilio alios institutos esse tradit *Pavorios* et *Pallorios*. Multa de eorum origine Ov. Fast. 3, 260 sq. Adde Liv. 1, 20. Festum p. 326 M. „Salios a saliendo et saltando dictos esse quamvis dubitari non debeat, tamen Polemon ait Arcada quendam fuisse nomine Salium, (cf. 5, 298) quem Aeneas a Mantinea in Italiam deduxerit, qui iuvenes Italicos *ἐνόπλιον ὄρχησιν* docuerit." Talia conamina explicandi nominis commoda sunt ad demonstrandum eorum officium. Sic Dion. l. l. *οἱ Σάλιοι χορευταί τινές εἰσι καὶ ὑμνηταὶ τῶν ἐνοπλίων θεῶν*, unde intelligimus optimo iure poetam Herculis etiam Salios fingere potuisse. At vero quum Macrobius Sat. 3, 12 ex antiquis scriptoribus doceat et Tiburi et Romae Herculis fuisse Salios, et si addimus, quod Herculem eundem esse ac Martem probavit Varro et Pontifices, non iam finxisse poetam, sed narrasse hanc rem dicemus. — „Salii sunt in tutela Iovis, Martis, Quirini" S. ad v. 663. — *incendere altaria* dicitur cf. 1, 704.

288. *laudes Herculeas et facta* adiectivum pro genitivo cf. 2, 584. — Dat hymni argumentum, eius facta, mox autem in ipsam hymni formam transit a v. 293. In sacris saepius senum et iuvenum chori sibi invicem respondebant. — *ut prima* „Bene *prima*, nam et alia omnia Iunonis insidiis pertulit." S. — *Noverca* est Iuno, Iovis enim est filius. „Hercules natus est cum Iphiclo Amphitryonis filio; sed quum Iuno duos serpentes immisisset Herculi, Iphiclus de cunis terrore lapsus suo vagitu excitavit parentes; qui quum surrexissent, viderunt Herculem angentem manibus angues immissos ei novercalibus odiis." S.

289. *Monstra* explicatur sequente *geminos angues*. Cf. 201. — *Premere* et *elidere* iunxerunt etiam alii, ut Sil. 6, 235 *nunc vasto corpore gaudet elisisse premens.* Sen. Her. Oet. 1235 *Hisne ego lacertis colla Nemaei mali elisa pressi?*

291. *Troiam* „H. evertit propter nega-

Rege sub Eurystheo, fatis Iunonis iniquae,
Pertulerit. Tu nubigenas, invicte, bimembres
Hylaeumque Pholumque manu, tu Cresia mactas
Prodigia, et vastum Nemeae sub rupe leonem.
Te Stygii tremuere lacus, te ianitor Orci
Ossa super recubans antro semiesa cruento;
Nec te ullae facies, non terruit ipse Typhoeus
Arduus arma tenens; non te rationis egentem
Lernaeus turba capitum circumstetit anguis.
Salve, vera Iovis proles, decus addite divis:
Et nos, et tua dexter adi pede sacra secundo.
Talia carminibus celebrant; super omnia Caci
Speluncam adiiciunt, spirantemque ignibus ipsum.
Consonat omne nemus strepitu collesque resultant.
Exin se cuncti divinis rebus ad urbem
Perfectis referunt. Ibat rex obsitus aevo,

tos sibi a Laomedonte equos divino semine procreatos et Hesionae nuptias, quam a ceto liberaverat." S. — *Oechaliamque:* Eurytus, rex Oechaliae, quae erat urbs Euboeae, Iolen filiam denegavit Herculi ante promissam, unde iratus Hercules eversa civitate interemit Eurytum et Iolen sustulit.

292. *Fatum* erat, ut uter ex Alcmene aut Nicippe, Steneli uxore, prior nasceretur, alterius esset dominus. Factum autem est *Iunonis* iniquitate, ut Hercules posterius quam ex Nicippe Eurystheus nasceretur, quare ille huic parere debebat ex fato, quo usa est Iuno ad imponendos ei labores.

293. Sic a narratione convertitur oratio in ipsum qui laudatur in simili laudatione Herculis ap. Claud. RP. II. praef. 33. Alia eius conversionis exempla sunt ap. Ov. M. 4, 14. 7, 434. — *Nubigenas.* Cf. 7, 674. — *Bimembres:* et ap. Ov. M. 12, 240 dicuntur ob duplicem hominis et equi formam. Cf. 6, 286.

294. Hylaeum et Pholum inter Centauros in noto illo Lapitharum proelio caesos refert Vgl. G. 2. 456. — *Cresia prodigia;* nam leonem in Creta dicitur interfecisse et taurum illum ignivomum ad Eurystheum adduxisse cf. Serv. et Apoll. 2, 5, 7. — *mactas.* De praesente cf. 2, 663.

296. *te Stygii tremuere lacus* etc. Cf. 6, 392.

297. Cerberus canis non nisi ossibus vesci probabilis erat opinio, et deduxere nomen a κρεοβόρος. Vis est in *ossa*, quod iam indicatur loco. Itaque terrebat non *recubans* sed *ossibus* semiesis et *cruento* antro.

298. *facies*, quales multae in aditu inferorum cf. 6, 273 sq. — *Typhoeus* cf. ad 1, 665 et 9, 716, in Tartarum detrusus est. Cf. Hes. Theog. 821 — 68. — *nec* — *non* — *non.* Duplex *non* continet per partes idem, quod est in enuntiato, cui *nec* praeest, neque opponitur *non* et *nec.* Cf. 4, 35.

299. *arduus arma tenens* ut 5, 278. *Kl.* v. 299 et 300 post v. 295 poni iubet, sic *Ard. a. t.* pertinet ad *mactus* et ad ipsum Herculem, non additur ad Typhoeum, ad quem additum languet; deinde quae in orco facta sunt, ponuntur loco extremo. At hoc est emendare poetam non restituere eius carmen. — *Non te circumstetit rationis egentem*, i. e. ita ut ratione egeres. Cf. 4, 22.

300. *anguis* turba suorum capitum. „ἐν Λέρνῃ πολυαύχενον ὤλεσεν ὕδραν." Lerne lacus Argolidos.

301. *salve* cf. 5, 80. — *decus* cf. 10, 507.

302. *dexter*, propitius, ut 2, 388. Ov. F. 1, 69 *dexter ades Patribusque tuis, populoque Quirini.* — *adi pede sacra secundo* ita saepius ut 10, 255; nam qui pede secundo adit, ipse secundus, propitius est.

303. *super omnia* cf. 7, 462.

305. *collesque resultant* cf. 5, 150.

306 — 369. Romae cognoscit Aeneas regionem.

307. *obsitus aevo;* ita Ter. Eun. 2, 2, 5 *aegrum, pannis annisque obsitum.* Val. Max. 2, 9, 5 *horridae vetustatis rubigine obsitum imperium.*

Et comitem Aenean iuxta natumque tenebat
Ingrediens, varioque viam sermone levabat.
Miratur, facilesque oculos fert omnia circum
Aeneas, capiturque locis, et singula laetus
Exquiritque auditque virum monumenta priorum.
Tum rex Euandrus Romanae conditor arcis:
Haec nemora indigenae Fauni Nymphaeque tenebant,
Gensque virum truncis et duro robore nata,
Quis neque mos neque cultus erat, nec iungere tauros
Aut componere opes norant aut parcere parto,
Sed rami atque asper victu venatus alebat.
Primus ab aetheriò venit Saturnus Olympo,
Arma Iovis fugiens et regnis exsul ademptis:
Is genus indocile ac dispersum montibus altis
Composuit, legesque dedit, Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.
Aurea quae perhibent illo sub rege fuerunt
Saecula: sic placida populos in pace regebat:

309. *Varioque viam sermone levabat*, ingrediendi laborem; nam „sermo iter facientes decipit“ Sen. brev. vit. 9, 3. Simile Ov. Met. 4, 39 *Utile opus manuum vario sermone levemus.*

310. *facilesque oculos*, mobiles; ita Manil. 1, 647 *Circumfer faciles oculos.*

312. *monumenta priorum.* Quaerit qui homines antea ibi fuerint, et qui monumenta reliquerint, quale est Ianiculum, Saturnia. — Iam praesciens quasi Aeneas, hoc in loco nepotes suos ad summam gloriam perventuros et imperium condituros infinitum, cognoscere cupit omnia. Ita simul occasio datur poetae praecipere res Romanas. Poetae autem aevi Augustei iungebant sui et antiquissimi temporis commemorationem, qua tenues res veterum cum praesentium rerum magnitudine et splendore comparare gestiebant.

313. *Romanae conditor arcis.* Condiderat enim Pallanteum in monte Palatino, in quo Romulus urbem suam fundavit et in quo domus erat Augusti. *Pl.* eiic: *R. c. arcis.*

314. *Fauni Nymphaeque:* semidei et feri homines modo inerant. Cf. Iuv. 6, 11 „Quippe aliter tunc orbe novo caeloque recenti Vivebant homines, qui rupto robore nati Compositive luto nullos habuere parentes“.

316. *Mos* certum vitae institutum (inde *morem dare*, *imponere* cf. 1, 264) *cultus* ad externas res spectat, sc. ad vestitum, aedificia etc.

317. *componere opes:* Sic Tib. 1, 1, 77 *composito securus acervo ... despiciam famem — parcere parto:* „De die vivebant nec inventa servabant.“ S. Qui est status bestiarum ne omnium quidem. Placet autem antiquis ea doctrina, qua homines ab initio bestiis non praestiterint, sed ab heroibus et diis docti tandem pervenerint ad humanum cultum. Cf. Cic. Inv. 1, 2, 2. Hinc fabulae de Cerere, Triptolemo et Saturno. Hoc loco Vgl. vitam incultam accuratissime descripsit. Mos ei non est, qui insolens est, qui non respicit nec sequitur id, quod solent ii qui circa sunt facere; quae est summa inhumanitas; neque aliquam colendae et ornandae vitae habebant cupiditatem, et artem, non vestitus, non supellectilis, non aedificiorum; nec sciebant iungere boves i. e. bestias domare, ut servirent ad agrum colendum. Agricultura autem ab omnibus et exordium est et fundamentum habitum humanitatis. Nesciebant opes componere, i. e. in futurum prospicientes colligere, quibus postea uterentur; neque poterant sibi temperare ut collectis parcerent.

318. *asper victu* ut *gens asperrima bello* 1, 14. Sic *virgo aspera* est 11, 664 sc. bello. Cf. Sil. 3, 180 *mensis asper populus victuque maligno*, 6, 19 *asper ense*, 481 *aspera ferro pectora* et 12, 550 *asper ab* ira. Sic *asper* solum significat *asper moribus* v. 330 et 7, 647. 729.

319. *aetherio Olympo* cf. 6, 577.

322. *composuit.* Iunxit civitate et leges dedit. Cf. 7, 203.

323. *Maluit*, nam et *Saturnia* dicebatur in eius honorem.

Deterior donec paulatim ac decolor aetas
Et belli rabies et amor successit habendi.
Tum manus Ausonia et gentes venere Sicanae,
Saepius et nomen posuit Saturnia tellus:
Tum reges asperque immani corpore Thybris,
A quo post Itali fluvium cognomine Thybrim
Diximus; amisit verum vetus Albula nomen.
Me pulsum patria pelagique extrema sequentem
Fortuna omnipotens et ineluctabile fatum
His posuere locis, matrisque egere tremenda
Carmentis Nymphae monita et deus auctor Apollo.
Vix ea dicta: dehinc progressus monstrat et aram,
Et Carmentalem Romani nomine portam
Quam memorant, Nymphae priscum Carmentis honorem,
Vatis fatidicae, cecinit quae prima futuros
Aeneadas magnos et nobile Pallanteum.
Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer Asylum
Rettulit, et gelida monstrat sub rupe Lupercal.

326. *Decolor aetas* ex imagine eadem dixit, qua aetatem optimam *auream* dixerat; *deterior* color est ferri et aeris, si cum auro comparas.

327. Subsecuta sunt bella. Mox enim exstitere, qui culta arva et fruges sine labore sibi vellent comparare. — *amor habendi:* Ita Ov. M. 1, 131 *amor sceleratus habendi.* Ov. F. 1, 195 *tempore crevit amor qui nunc est summus habendi.* Hor. Ep. I, 7, 85 *amore senescit habendi.* Habere absolute positum, ut *οἱ ἔχοντες* divites sunt.

328. In terram Indigenarum (Aboriginum) immigravere Ausones et Sicani vel Siculi iam 7, 796 memorati.

329. *Nomen posuit Sat. t.* i. e. deposuit, ut 1, 298 ferociam, 11, 309 *spem.* — *Saepius, et M.* „Alii sic distinguunt *Sicanae*, et subiungunt Saepius et . . Semel enim Sicani ex Hispania in Italiam venisse dicuntur: at Italia plura nomina habuit, dicta est enim Hesperia, Ausonia, Saturnia, Vitalia“ S. Adde 1, 532.

330. *reges asperque Thybris* per copulam generi subiungitur saepius unus, qui maxime praestat cf. 1, 30. — De Thybri cf. 72.

333. *pelagi extrema*, de struct. 1, 422. Evandri tempore revera Hesperia extrema noti orbis pars erat. Ita Aeneas *maria omnia* navigat 1, 32.

334. *ineluctabile fatum* ut 2, 324 *inel. tempus*, contra quod luctari non potest homo; itaque non culpa aliqua expulsus est, et Ov. F. 1, 481 *sic erat in fatis, nec te tua culpa fugavit* verba sunt Carmentae, quae dicit filio.

337. Monstrat aram, honorem matris Carmentae, vel Carmentis (a *carmen*) quam Romani Carmentalem dicunt. „*Καὶ βωμοὺς ἐθεασάμην ἱδρυμένους Καρμέντῃ μὲν, ὑπὸ τῷ καλουμένῳ Καπιτωλίῳ παρὰ ταῖς Καρμεντίσι πύλαις, Εὐάνδρῳ δὲ πρὸς ἑτέρῳ τῶν λόφων, Αὐεντίνῳ λεγομένῳ.*“ Dion. 1, 32. — „*Aram*, quam matri fecit exstinctae. Est autem iuxta portam, quae primo a Carmente Carmentalis dicta est, post Scelerata a Fabiis CCCVI, qui per ipsam in bellum profecti, non sunt reversi.“ S. „Pars infima Capitolini montis habitaculum Carmenti fuit, ubi Carmentis nunc fanum est, a qua Carmentali portae nomen datum est.“ Solin. 1, 13.

338. *Romani* M., al. boni — *Romano* Rbc. „Ad sensum perinde est, *Romani* an *Romano* legas. Sed apparet *Romani* propterea scripsisse Virgilium, ne haec et *Carmentalem — portam* e verbo *monstrat* suspensa faciant legentes, sed proximo demum versu absolvi orationem sentiant.“ *Wg.*

340. *De vate Carmenta* cf. Ov. Fast. 1, 467 sq. — *prima* „quia postea etiam Sibylla dixit.“ S.

342. *Asylum* cf. Liv. 1, 8. — *acer* cf. 10, 308.

343. „*Rettulit*, hoc est fecit ad imitationem Atheniensis Asyli.“ S. Magis tamen convenit explicare restituit cf. 5, 598; nam Aeneae iam tempore lucus erat. — *Lupercal* sub monte Palatino septen-

Parrhasio dictum Panos de more Lycaei.
Nec non et sacri monstrat nemus Argileti,
Testaturque locum, et letum docet hospitis Argi.
Hinc ad Tarpeiam sedem et Capitolia ducit,
Aurea nunc, olim silvestribus horrida dumis.
Iam tum religio pavidos terrebat agrestes
Dira loci; iam tum silvam saxumque tremebant.
Hoc nemus, hunc, inquit, frondoso vertice collem,
Qui deus, incertum est, habitat deus; Arcades ipsum
Credunt se vidisse Iovem, quum saepe nigrantem
Aegida concuteret dextra nimbosque cieret.
Haec duo praeterea disiectis oppida muris,
Reliquias veterumque vides monumenta virorum.
Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit arcem:
Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

trionali; unde h. l. *gelida rupes.* Cf. Liv. 1. 5. Dion. 1, 32. 79., quod nomen varie derivare conati sunt. Erat etiam festum Romae Lupercalia cf. Ov. F. 2, 267 sq. Serv. qui hoc loco multa habet, quae iucunda tectu tamen necessaria non sunt, locum ab Evandro Pani dicatum Lupercal esse dictum tradit „quod praesidio ipsius numinis lupi a pecudibus arcerentur".

344. *Panos* graecum genitivum in *os* retinuit Vgl., ne *Panis* diceret cf. Gr. § 94, 2. Panem, Graecorum pastorum deum, Romani suo more cum suis confundebant, Luperco et Inuo (6, 776). Pan Lycaeus, a monte Arcadiae Lycaeo dictus; sed deducebant nomen etiam a voce λύκος, *lupus*, unde *Lupercal.* — *Parrhasia* urbs Arcadiae, Hom. Il. 2, 608; unde et terrae idem nomen inditum. Ita *Parrhasius Evander* 11,31. „Ordo est: *monstrat Lup. Panos Lyc. dictum ex more Parrh.*" S. i. e. Arcadico. Dictum est igitur Lupercal ad modum Arcadum, apud quos Pan Lycaeus dicitur.

345. *Nemus Argileti* sub Capitolio erat. Sane Argiletum quasi *argilletum* alii volunt a pingui terra, *argilla*; alii a fabula: nam „Evander Argum quendam suscepit hospitio, qui quum de eius cogitaret interitu, ut ipse regnaret, Evandro hoc non sentiente socii intellexerunt et Argum necarunt. Cui Evander et sepulcrum fecit et locum sacravit, non quod ille merebatur, sed hospitalitatis caussa. Bene autem in hac re E. commoratur et docet caussas, ne apud hospitem veniat in suspicionem." S. Argeorum sacrorum aliam alii originem docent.

346. *testaturque locum:* In testimonium, se caedis innocentem esse, ipsum locum advocat. *Pl.* versum vult abesse, corrigit saltem in *Testatur locus et.*

347. De *Tarpeia* cf. Liv. 1, 11. Varr. LL. 5, 41.

348. *Aurea nunc* recte dixit Vgl., siquidem 12000 auri talenta aedi inducta sunt Plut. Popl. 15. Lacunar inauratum fuisse testatur etiam Plin. 33, 3, 18.

350. *tremere* c. acc. cf. 2, 31.

352. *Quis deus* habitet, incertum est, sed habitat deus.

353. *Viderunt, quum saepe* concuteret: viderunt, quum concuteret, quod saepe faciebat, neque est, quod transpositum putemus hoc *saepe;* quasi rectius dictum esset, *saepe viderunt, quum concuteret.*

354. *aegida nigrantem:* Graeci turbines et procellas καταιγίδες dixerunt; ita quassata aegide exeunt imbres et fulmina, quibus terret homines Iuppiter. Cf. Hom. Il. 17, 593. Non est scutum, quo se tegat, sed est res, qua terrorem movet; quare non absurdum est, si eam dextra concuti putamus. Sic Serv.: „concuteret Aegida atque per eam nimbos moveret." Claud. RP. 3, 60 *Sentiet iratam procul aegida, sentiet ictum fulminis.* Sil. 12, 718 *Adspice quantum aegida commoveat nimbos flammasque vomentem Iuppiter et quantas pascat ferus ignibus iras.* De aegide diversa traduntur, et a voce αἴξ et ἀΐσσειν deducitur; id autem ubique observatur, esse aliquid quo Iuppiter ipse tutus terrorem moveat. — De antiquo illo tempore Prop. 4, 1, 7 *Tarpeiusque pater nuda de rupe tonabat;* quod carmen non sine fructu h. l. leges.

358. Oppidum Ianiculum erat in Ianiculo, Saturnia in Capitolino. Cf. Varr. LL. 5, 42 „Antiquum oppidum in hoc

Talibus inter se dictis ad tecta subibant
Pauperis Euandri, passimque armenta videbant
Romanoque foro et lautis mugire Carinis.
Ut ventum ad sedes: Haec, inquit, limina victor
Alcides subiit; haec illum regia cepit.
Aude, hospes, contemnere opes, et te quoque dignum
Finge deo, rebusque veni non asper egenis.
Dixit, et angusti subter fastigia tecti
Ingentem Aenean duxit, stratisque locavit
Effultum foliis et pelle Libystidis ursae.
Nox ruit et fuscis tellurem amplectitur alis.
At Venus haud animo nequidquam exterrita mater,
Laurentumque minis et duro mota tumultu,
Volcanum adloquitur, thalamoque haec coniugis aureo
Incipit, et dictis divinum adspirat amorem:
Dum bello Argolici vastabant Pergama reges

(Tarpeio) fuisse Saturnia scribitur etc." Adde Macr. Sat. 1, 7. 23. Iust. 43, 1.

361. *Forum Romanum* (Nunc iterum *Campo Vaccino*) ad montem Capitolinum et Palatinum, quare ab Evandri domo, quae erat in Palatino, conspiciebatur, nec minus *Carinae*, quae a foro Romano (ab arcu Constantini) inter Esquilinum et Caelium montem protendebantur, cf. Varro LL. 5, 47. *lautae*, quod ibi magnificae erant domus Pompeii, Antonii, aliorum. — Ex *videbant* ad hunc versum supplendum est verbum audiendi, ut 529. Cf. 1, 356.

362. Hercules victor: „Bonum Aeneae omen ostenditur." S. — *Victor* additur et propter Caci victoriam et quod omnino eius nomen est, nam „Romae Victoris Herculis aedes duae sunt, una ad portam trigeminam, altera ad forum boarium." S. — *limina subiit* sc. capite demisso cf. 123.

363. *Haec illum regia cepit*, ea erat contentus cf. 9, 644 *nec te Troia capit*. Curt. 7, 8, 12 ad Alexandrum: Si dii habitum corporis tui aviditate animi parem esse voluissent, orbis te non caperet; altera manu orientem, altera occidentem attingeres.

364. *aude* „quasi rem arduam et difficilem." S. — *dignum deo:* Divinum enim est opes contemnere hominemque ex virtute non opibus aestimare. Itaque simul se ipsum laudat Evander. Voluit autem cavere, ne Aeneas, qui plurimas aedes magnificas vidit, ipsum contemnat ex rerum inopia.

365. *asper* „non aspernator i. e. fastidiosus." S. Cum dat. ut Hor. AP. 163 *monitoribus asper*. Sil. 12, 347 *asper paci*.

368. *pelle L. ursae* cf. 5, 37.

369. *nox ruit* cf. 6, 539.

370—406. A Vulcano petit Venus ut arma faciat Aeneae.

370. Venus, Aeneae mater, in belli periculis de filio sollicita a Vulcano petit arma, quae perfringi nequeant. — *exterrita mater:* „territa, quia mater." S. — „Venus (Vulcani uxor) petitura pro filio de adulterio procreato, orationem suam ingenti arte composuit, quod etiam Vulcanus ipse testatur dicens (395) *quid caussas petis ex alto?* Non enim aperta est petitio eius, sed longo prooemio perversam amore mariti circumvenit mentem" etc. S. — Sane haec tota de armis factis narratio multis non placet; quod inhonesta sit petitio, et sine necessitate inculcata imitatorem nimis aperte prodat. Caruit enim armis Achilles, non Aeneas. At quamquam haec recte poetae obiiciuntur; tamen iam ap. Gell. 9, 10 multi laudabant honestum et purum dicendi genus, quo Virgilium castum facile agnoscas. Iam quod ante bellum nova arma parantur Aeneae, bellum ipsum gravius instare suspicamur; quod contra Rutulos non sufficiunt arma, quibus Aeneas per decem annos tutus et tectus erat adversus Graecos, quanto fortiores Latini sint Graecis intelligimus. Inde tota res satis puto defenditur.

373. Adspiratur amor ap. antiquos poetas Tib. 2, 4, 57 *Indomitis gregibus Venus afflat amores*. Theocr. 17, 51 *ὥδε βροτοῖς μαλακῶς μὲν ἔρωτας Προςπνείει.*

Debita casurasque inimicis ignibus arces:
Non ullum auxilium miseris, non arma rogavi
Artis opisque tuae; nec te, carissime coniunx,
Incassumve tuos volui exercere labores;
Quamvis et Priami deberem plurima natis,
Et durum Aeneae flevissem saepe laborem.
Nunc Iovis imperiis Rutulorum constitit oris.
Ergo eadem supplex venio, et sanctum mihi numen
Arma rogo, genetrix nato. Te filia Nerei,
Te potuit lacrimis Tithonia flectere coniunx.
Adspice, qui coeant populi, quae moenia clausis
Ferrum acuant portis in me excidiumque meorum.
Dixerat, et niveis hinc atque hinc diva lacertis
Cunctantem amplexu molli fovet. Ille repente
Accepit solitam flammam; notusque medullas
Intravit calor, et labefacta per ossa cucurrit.
Non secus atque olim, tonitru quum rupta corusco
Ignea rima micans percurrit lumine nimbos.
Sensit laeta dolis et formae conscia coniunx.
Tum pater aeterno fatur devinctus amore:
Quid caussas petis ex alto? fiducia cessit

375. *debita* sc. vastari. Cf. 9, 108 et G. 1, 223 *debita sulcis committas semina*, i. e. quae debentur committi.

378. Nolui te quidquam contra fata suscipere, sed nunc Iovis iussu quae fiunt, peto ut velis adiuvare. Ad hoc respondet Vulcanus v. 397 sq.

379. *Priami natis:* Intelligit Paridem, qui eam pulcherrimam indicaverat, hunc tamen noluit certius significare.

381. *nunc* c. perf. cf. 99.

382. *et sanctum mihi numen*, sanctum, quod maritus est, quem debet observare uxor. — *numen* MRbc. *nomen* γ. et *Rb.* scripsit: *(sanctum mihi nomen)*, Schrader *sanctum tibi nomen*.

383. *Filia Nerei* Thetis est Achillis mater.

384. *Tithoni* coniux Aurora, eiusque filius Memnon, Aethiopum rex, cuius in bello Troiano cyclici poetae fecere mentionem cf. 1, 751. „Et bonis utitur comparationibus dicendo *filia* Nerei, quum ipsa Iovis sit filia. Item *uxor* Tithonia, quum sit ipsa Vulcani." S.

385. *clausis portis*; in pace enim portae patent. Cf. 2, 27.

386. *Ferrum acuere* saepius etiam ap. nos dicitur pro *bellum parare* cf. Hor. C. 1, 2, 21 *audiet cives acuisse ferrum*.

387. *hinc atque hinc* cf. 1, 162.

389. *Solita flamma* est amoris, quam *accipit* praesente Venere. (Ad structuram cf. 1, 730, et *debita* v. 375.)

390. *labefacta per ossa* M. al. Serv. Ita 4, 395 animus amore labefactus dicitur, quum iam non resistat. Et iam Lucretius verbo hoc usus est de igne corpus solvente cf. 1, 494 *Contabefactatus rigor auri solvitur aestu* et 4, 701 *igni conlabefacta* ea dicit, quae comburuntur, i. e. solutis igne compagibus dissolvuntur in cinerem. — *calefacta* R. al. illatum est.

391. *Olim* ut *quondam* et graecum ποτὲ in comparationibus additur praesenti. Cf. Ov. Fast. 3, 555 *Diffugiunt Tyrii, quo quemque agit error, ut olim amisso dubiae rege vagantur apes.* M. 14, 429 *Verba fundebat, ut olim carmina iam moriens canit exsequialia cycnus.* Lucr. 6, 147. Hor. C. 4, 4, 5. Sat. 1, 1, 25 *ut pueris olim dant crustula blandi doctores, elementa velint ut discere prima.* Serv. explicat *olim* per *ut fere solet.* Cf. 5, 125. — Tam celeriter, quam fulmen nubes percurrit: fulmen autem nubes rumpere videtur.

393. *Sensit* obiecto non addito cf. 2, 377. — *formae conscia*, quae sciebat se forma sua permoturam.

394. *aeterno — amore;* tam vehementer amat, ut nunquam amare desistat. Ita Lucr. 1, 35 *aeterno devinctus volnere amoris*.

395. Caussas petere ex alto. Sic Cic.

Quo tibi, diva, mei? Similis si cura fuisset,
Tum quoque fas nobis Teucros armare fuisset;
Nec pater omnipotens Troiam nec fata vetabant
Stare decemque alios Priamum superesse per annos.
Et nunc, si bellare paras, atque haec tibi mens est:
Quidquid in arte mea possum promittere curae,
Quod fieri ferro liquidove potest electro,
Quantum ignes animaeque valent, absiste precando
Viribus indubitare tuis. Ea verba locutus
Optatos dedit amplexus placidumque petivit
Coniugis infusus gremio per membra soporem.
    Inde ubi prima quies medio iam noctis abactae
Curriculo expulerat somnum, quum femina primum,
Cui tolerare colo vitam tenuique Minerva
Impositum, cinerem et sopitos suscitat ignes,
Noctem addens operi, famulasque ad lumina longo
Exercet penso, castum ut servare cubile
Coniugis et possit parvos educere natos:

Fam. 3. 5 *ex alto repetere aliquid*, weit aus- (her-) holen.

396. *fuisset — fuisset* cf. 7, 653. *Hs.* versum 397 eiecit, tuetur *Hn.* et *Pl.*

399. Deus enim retardare potest fata. Cf. 7, 315.

400. *si bellare paras.* Non ad illa respicit, quibus se angi et infestari dixit Venus, sed ad eius voluntatem se omnino accommodat.

402. *electrum* cf. Plin. 33, 4, 23 Auro „ubicunque quinta argenti portio est, electrum vocatur". His si additur aes, fit nobile illud aes Corinthium Plin. 9. 40. 65.

403. *Animae* de aere moto, vento: ita Hor. C. 4, 12. 2 *impellunt animae lintea Thraciae.* Lucr. 5, 237 *Aurarumque leves animae* — „Spiritus, quo fabriles inflari folles solent." S.

404. *Indubitare* v. quod primus videtur fecisse Vgl., reperitur etiam ap. Stat. S. 3, 5. 110 *tuis moribus indubito.* Est autem hoc loco aliqua aposiopesis. Sententia est: Tibi servient et voluntas mea et vires; quantum possum promittere, promitto. Id verbum non dixit, sed addit: absiste de tua potentia, qua me regis, dubitare. Iam nimium se sentit uxoris voluntati obnoxium, neque vult audire plura.

406. *Infusus*, sich anschmiegend. Cf. Ov. M. 11, 386 *collo infusa mariti .. verbisque precatur et lacrimis.* *Pl.* coni.: *Coniugis in gremio, fusum per membra, soporem.* — *per membra soporem* cf. 30.

407—453. Vulcanus cum Cyclopibus arma facere aggreditur.

407. *ubi prima* cf. 3, 69. Optime tempus post mediam noctem describit, dum infert comparationem cum femina paupere, quae quum familiam probe velit sustentare, iam paulo post noctem mediam surgit. Tertium quod dicitur comparationis in eo est, quod uterque cavet, ne tempus perdat somno. Neque potuit maius et intentius studium Vulcani indicari. — *medio noctis abactae* curriculo, est media nocte abacta, ut opus non videatur esse cum *Pl*o mutare *abactae* in *opacae*, scilicet ne quis putet iam totam praeterlapsam esse noctem. Quies autem somnum pellere recte dicitur; qua enim re magis somnus pellitur, quam si quiete corpus vires resumpsit? Qua re alia fames pellitur quam edendo? Deinde *Pl.* coni. *quum f., durum cui ... impositum, ..* At in *tolerare vitam* iam inest esse eam duram.

409. *tenuique Minerva*, i. e. „non filo tenui i. e. subtili artificio, sed parvo pretio lanificii i. e. tenuiter et exiliter victum praebente." S.

410. *cui impositum* „cui haec necessitas est data." S. — *sopitos suscitat ignes* ita 5, 743 et *cinerem sopitum* dixit Stat. Theb. 1, 513 et contra Horatius *vigiles lucernas* Carm. 3, 8, 14 et Vgl. *vigilem sacraverat ignem* i. e. perpetuum 4, 200, cf. 542.

411. *Longo exercet penso* i. e. fatigat longum pensum ancillis imponens. — *ad lumina* cf. 4, 513.

412. *castum etc.*, ut natos sustentet servata pudicitia.

413. *educere*, educare, ut Cic. de or. 2, 28, 124 *neque est liberalis parentis*,

Haud secus Ignipotens nec tempore segnior illo
Mollibus e stratis opera ad fabrilia surgit.
Insula Sicanium iuxta latus Aeoliamque
Erigitur Liparen, fumantibus ardua saxis:
Quem subter specus et Cyclopum exesa caminis
Antra Aetnaea tonant, validique incudibus ictus
Auditi referunt gemitum, striduntque cavernis
Stricturae Chalybum, et fornacibus ignis anhelat;
Volcani domus, et Volcania nomine tellus.
Hoc tunc Ignipotens caelo descendit ab alto.
Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro.
Brontesque Steropesque et nudus membra Pyracmon.
His informatum manibus iam parte polita
Fulmen erat; toto Genitor quae plurima caelo
Deiicit in terras; pars imperfecta manebat.
Tres imbris torti radios, tres nubis aquosae
Addiderant, rutili tres ignis et alitis austri.
Fulgores nunc terrificos sonitumque metumque

quem procrearit et eduxerit, eum non et vestire et ornare. Liv. 27, 19 *orbum a patre relictum apud maternum avum Galam, regem Numidarum eductum.* Cf. 21. 43. 35, 36 etc. Sic 6, 765. 780. 7, 763. 9, 584. 673.

415. *mollibus e stratis opera ad fabrilia.* Sentire nos iubet illum dolorem. quo molle lectum iam ante tempus relinquendum est ad durum laborem ferendum.

417. Lipare (Lipari) Aeolia dicitur; ab Aeolo ventorum rege cf. 1, 52. Inter eam et Siciliam sita est insula Vulcania.

418. *Subter eam* tonant specus et antra, qualia Aetnaea sunt, exesa caminis Cyclopum.

421. *Strictura* „est terra ferri in massam coacta. *Chalybes* autem proprie populi sunt, apud quos nascitur ferrum.“ S. (cf. G. 1, 58) et quibus ars est id indurandi. — *ignis anhelat:* sonum anhelantis mittit.

422. *Volcania tellus*, nunc *Volcano*; in qua insula mons est ignivomus: inde Vulcani officina habebatur.

423. „*Hoc tunc;* i. e. huc tum: et *hoc* pro *huc* posuit secundum antiquum morem. Nam antea *hoc* adverbium loci fuit, quod nunc abolevit. Nam crebro in antiquis lectionibus invenitur, sicut in epistolis probat Verrius Flaccus exemplis, auctoritate, ratione, dicens in adverbiis pro *u o* plerumque maiores ponere consuetos.“ S. Exempla ex Plauto et Ciceronis epistolis congessit Hand Turs. 3. p. 95. Apud Virgilium non reperitur locus alius, quae res movet dubitationem, cf. v. 440. *hoc tunc* MR. *huc tum* Pγ. *Hoc* etiam ap. Nep. Phoc. 3. ed. Nipp. et probatur particulis *eo. quo.*

425. *Brontes* a tonitru (βροντὴ) *Steropes* a fulgetra (στεροπὴ. ἀστραπὴ) *Pyracmon* ab ardente incude (πῦρ et ἄκμων) nomen accepit. In his nominibus eum secutus est Claud. III cons. Hon. 193. Apud alios non *Pyracmon* sed *Arges* (ἀργὴς) tertius est. — *membra nudus:* „Per hunc etiam ceteros nudos fuisse significat.“ S. Ita *nudi Chalybes* G. 1. 58. ut qui aes liquefaciunt.

426. *Informatum* i. e. inceptum fulmen erat. pars eius iam polita. pars ne perfecta quidem. — Ad *manibus* S. notavit deesse *in*. quod inferri iubet *Pl.* Facile potuit per *m* antecedens absorberi: et si additur. facilior est oratio. At quum nulli praebeant libri. nec Servius legerit, non licet inferri. Neque puto iungendum esse *manibus erat fulmen*, sed *manibus informatum.*

427. *toto caelo* „ab omni parte caeli.“ S. Dicta haec ad notandam dei potentiam, nobis ea vix placuerint. — *fulmen quae plurima* cf. Cic. Mil. 4 *atqui si tempus est ullum iure hominis necandi. quae multa sunt.* Hom. Od. 5. 422 κῆτος, οἷά τε πολλὰ τρέφει κλυτὸς Ἀμφιτρίτη. — Radios fulminum, nubium, grandinum (imbrium tortorum) et ventorum fecerunt. Haec in tempestatibus coniuncta esse solent.

430. *ales auster* cf. 5. 319.

431. *metumque* i. e. qui fit, excitatur, non qui habetur cf. 1, 280.

Miscebant operi flammisque sequacibus iras.
Parte alia Marti currumque rotasque volucres
Instabant, quibus ille viros, quibus excitat urbes;
Aegidaque horriferam turbatae Palladis arma,
Certatim squamis serpentum auroque polibant,
Connexosque angues, ipsamque in pectore divae
Gorgona, desecto vertentem lumina collo.
Tollite cuncta, inquit, coeptosque auferte labores,
Aetnaei Cyclopes, et huc advertite mentem:
Arma acri facienda viro. Nunc viribus usus,
Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magistra.
Praecipitate moras. Nec plura effatus; at illi
Ocius incubuere omnes, pariterque laborem
Sortiti: fluit aes rivis aurique metallum,
Volnificusque chalybs vasta fornace liquescit.
Ingentem clipeum informant, unum omnia contra
Tela Latinorum; septenosque orbibus orbes
Impediunt. Alii ventosis follibus auras
Accipiunt redduntque, alii stridentia tinguunt
Aera lacu, gemit impositis incudibus antrum.
Illi inter sese multa vi brachia tollunt
In numerum, versantque tenaci forcipe massam.
Haec pater Aeoliis properat dum Lemnius oris,

432. *flammis sequacibus* quae quum aere fluido nascantur, facile sequuntur voluntatem operantium cf. 5, 193.

433. *rotas volucres* cf. 10, 440.

434. *instabant currum* „nova locutio“ S. i. e. instabant perficere currum.

435. „Aegida horriferam aureis squamis serpentum certatim polibant.“ S. De ea cf. 354. — *turbatae* „pro turbantis; nam timuit homoeoteleuton.“ S. Itaque *turbatum* dici ira irritatum non reperiebat. Sed si quis turbatur religione ut Suet. Ner. 19, potest etiam ira et quovis affectu nimio cf. *turbidus* 12, 10. Servii autem explicandi ratio omnem pervertit grammaticam. Cf. v. 636.

438. *vertentem*, volventem oculos, ut, quamquam desecto collo caput caelatum sit, tamen vivere videatur.

440. *Aetnaei Cyclopes* ut 3, 678.

442. *nunc arte magistra*, meisterliche Kunst, ita 12, 427. — *usus est arte* cf. Gr. § 329 An. 2.

445. *sortiti* sc. sunt; „diviserunt inter se laboris officium“ S. sc. sorte. Sic *sortiri remos* 3, 510, et *sortiti vices* 3, 634. — Bene composita haec omnia sunt ad fabrorum officinam et fornaces, in quibus aera solvuntur.

447. Clipei, quibus antea Romanos usos esse refert Liv. 8, 8 (post scutis, cf. 662), erant rotundi 2, 227. 3, 637. 10, 546. 12, 925, ingentes 9, 709; ex aere 10, 336. 11, 10; ex aere, ferro, corio taurino 10, 482. ex aere, lino, tauro facti 10, 783.

448. *orbibus orbes impediunt:* Laminae aliae aliis impinguntur; atque ita tenet vel impedit alia alium. Clipeus igitur fit septemplex ut 12, 925.

451. *aera.* Idem usus in ferro durando. Antiqui autem arma diu ex aere i. e. cupro fecere; inde *χαλκοχίτωνες*, *χάλκεα ἔγχεα.* Potest autem cuprum paene ferri duritiem adaequare; ut demonstravit Caylus, comes de antiquitatis rebus optime meritus. Sed sensim ubi ferri usus invaluit, etiam de hoc metallo vox *aes* usurpata est. — *lacu.* „Amat lacum pro aqua ponere.“ S. cf. 66.

452. *illi etc.* Metrum est quaesitum, quo intentio indicetur, qua graves martelli tolluntur. — *in numerum*, ordinatis vicibus feriendi et versandi: ut fabri solent, quos qui aliquando artem suam exercere viderit, omnia verba accuratissime electa esse intelliget. Idem v. G. 4, 171—75 qui 449—53.

454—519. Evander exhortatur Aeneam ut Tyrrhenos sibi adiungat.

454. Evander exhortatur Aeneam, ut

Euandrum ex humili tecto lux suscitat alma
Et matutini volucrum sub culmine cantus.
Consurgit senior, tunicaque inducitur artus,
Et Tyrrhena pedum circumdat vincula plantis;
Tum lateri atque humeris Tegeaeum subligat ensem,
Demissa ab laeva pantherae terga retorquens;
Nec non et gemini custodes limine ab alto
Praecedunt gressumque canes comitantur herilem.
Hospitis Aeneae sedem et secreta petebat,
Sermonum memor et promissi muneris, heros.
Nec minus Aeneas se matutinus agebat.
Filius huic Pallas, illi comes ibat Achates.
Congressi iungunt dextras, mediisque residunt
Aedibus, et licito tandem sermone fruuntur.
Rex prior haec:
Maxime Teucrorum ductor, quo sospite nunquam

Caere adeat, eiusque incolas sibi socios adiungat ob receptum regem Mezentium iam in bellum contra Rutulos propensos sed retentos vaticinio; simul filium suum se in bellum missurum promittit. — *pater Lemnius*, Vulcanus, cui Lemnos insula sacra erat. Similis temporis matutini descriptio Ov. Her. 10, 7. *Tempus erat, vitrea quo primum terra pruina, spargitur et tectae fronde queruntur aves.* Alia 11, 183. — Tales, qualis h. l., apud antiquos minus saepe reperiuntur.

456. *sub culmine:* Si forte quaeras, quae eae aves sint, facillime hirundines intelliges, quae primo mane solent satis clare canere; quod si ipse non audisti, crede Anacreonti, qui ad hirundinem haec: *τί μευ καλῶν ὀνείρων ὑπορθρίαισι φωναῖς ἀφήρπασας Βάθυλλον.* — Intellexerunt alii gallos gallinaceos. Quod nimis rusticum indicans *Pl.* coni. *certamine* pro *sub culmine.*

458. *Tyrrhena pedum vincula* „Tusca calceamenta. Et dicit crepidas, quas primo habuere senatores, post equites Romani, nunc milites.“ S. Indicat igitur Vgl. antiquorum simplicitatem.

459. *Tegeaeum ensem.* Tegea clara urbs Arcadiae; Tegeatae fortitudine insignes. Ensem non cingit sed balteo suspendit, ut apud nos olim pedites gregarii, ita 9, 303. 11, 11.

460. *retorquens* cf. 7, 666. „A sinistro humero pellem demissam habuit, quam retorquens et in dextram revocans partem se amiciebat.“ S. *Pl.* coni. *Tum lateri ab laeva T. s. e., Demissaeque humeris p. t. retorquet.*

461. *nec non et* cf. 5, 100. — *limine ab alto* Mss. Sunt quibus videtur poeta oblitus esse, quae v. 366 de eadem Evandri domo dixerat. Hunc poetae non librariorum errorem, si esset, emendaremus, si cum Marklando legeremus: *limine ab arto;* quamquam quum regia sit cf. 363, habet *altum limen*, si comparas cum reliquis domibus; *artum*, si cum aliis regiis componis. Ut hoc poetae obiicitur sine caussa, sic *Wg.* v. 359 — 368 dissidere censet ab hoc loco, nam hoc loco Aeneam noctem non in domo Evandri transegisse narrari, qua in re fallitur cf. ad 463. — *Pl.* „Mihi pro *ab alto* in mentem venit (!) *aperto.*“

462. *Praecedunt* canum more, si e porta emittuntur.

463. *secreta*, interiorem aedium partem, in qua hospites sunt cf. Hor. C. 2, 13, 6. Sed quum illuc iret, iam obviam venit Aeneas, itaque in atrio considunt, unde possunt suspicere quae fiunt 524.

464. *sermonum et promissi muneris* i. e. quae v. 171 promiserat.

465. *se matutinus agebat:* „Rem temporis ad personam transtulit.“ S. Cf. 4, 490. G. 3, 538 *lupus gregibus nocturnus obambulat.* Hor. AP. 268 *Vos exemplaria Graeca nocturna versate manu, versate diurna.* Adde v. 543 et Gr. § 367, 2. — *se agebat* cf. 9, 696.

466. *huic — illi. Huic* pertinet ad eum, qui cogitatione non loco proximus est, cf. Gr. § 381, 3.

468. *licito*, quod soli sunt, aut quod hesterno die ob sacra de belli rebus non licitum erat colloqui. — *Pl.* coni. *tacito!* quod explicat *remotis arbitris!*

470. Simillimus est locus Ovidii: *Non tota cadet te sospite Troia* M. 15, 440

Res equidem Troiae victas aut regna fatebor;
Nobis ad belli auxilium pro nomine tanto
Exiguae vires: hinc Tusco claudimur amni,
Hinc Rutulus premit, et murum circumsonat armis.
Sed tibi ego ingentes populos opulentaque regnis
Iungere castra paro, quam fors inopina salutem
Ostentat: fatis huc te poscentibus adfers.
Haud procul hinc saxo incolitur fundata vetusto
Urbis Agyllinae sedes, ubi Lydia quondam
Gens, bello praeclara, iugis insedit Etruscis.
Hanc multos florentem annos rex deinde superbo
Imperio et saevis tenuit Mezentius armis.
Quid memorem infandas caedes, quid facta tyranni
Effera? di capiti ipsius generique reservent!

472. *pro nomine tanto*, socii nomine, ad quem tu supplex venias.

474. Nostrum regnum admodum est parvum, ab una parte *Tusco amni* i. e. Tiberi cf. 11, 316 claudimur; ab altera Rutuli et Latini tam prope fines habent, ut armorum strepitum audiamus. — *Premit* non est de hostili animo intelligendum, sed qui terminat, premit etiam et coercet. Ita G. 4, 290 *Qua ... vicinia Persidis urguet.* Ov. M. 4, 635 *humum vicinia nulla premebat.* Cf. Ov. Tr. 5, 3, 11 *nunc procul a patria Geticis circumsonor armis.*

475. „Artificiose agit, ut et quae monstrantur auxilia ipsius esse videantur.“ S. *Pl.* coni. *opulentaque regum.*

476. *Castra*, in quibus simul plura *regna* sunt, i. e. plures populi et reges consociati.

478. *saxo vetusto fundata* i. e. „antiquo opere.“ S. Nam Tusci urbes suas substruxerunt saxis ingentibus multorum angulorum, ut 3, 84. Avien. descr. terr. 517 *Croton priscis attollit moenia muris.* Paulo aliter Lucan. 4, 12 *fundata vetusta surgit Ilerda manu.* Contra Hor. C. 2, 15, 20 *deorum templa novo decorare saxo.*

479. Agylla, urbs Etruriae aliquando florentissima, dicta est, quum a Pelasgis incolebatur, postea ab Etruscis habitata vocabatur Caere. Docet hoc Dion. 3, 58. Ap. Strab. 5, 2, 3 p 220 Agylla est *Πελάσγων κτίσμα τῶν ἐκ Θετταλίας ἀφιγμένων*, Lydique, Tyrrheni nominati, eam aggressi sunt. *Caere* ab Etruscis (cf. 600) *Agylla a Pelasgis conditoribus dictum* Plin. 3, 5. Iam ab antiquissimis temporibus Romanis foedere iuncta erat, et bello Gallico recepit Roma profugos deos. Tusci autem Troianis cognati, quod Dardanus ex Tusca urbe Cortona in Asiam profectus est, neque minus Tyrrheni e Lydia vel Maeonia in Italiam immigrasse dicebantur, cuius rei antiquissimus auctor est Herodotus 1, 94; post Cic. Hort. 87 ed. Or. „Maeoniam — cuius dum brevitas duos fratres Lydum et Tyrrhenum ferre non posset, ex sorte Tyrrhenus cum ingenti multitudine profectus partem Italiae tenuit et Tyrrheniam nominavit.“ Strabo 5, 2, 3. *Dion.* 1, 27. Vell. 1, 1. Tac. An. 4, 55. Unde Tyrrheni gens Lydia et Maeonia et Maeonidae 11, 759 et Etruria Maeonia v. 499. et Ov. M. 3, 583; inde Sil. 15, 35 Maeonium lacum dixit Trasimenum. Iam quod socii fiunt Aeneae Tyrrheni, recte puto concludimus Virgilium sumpsisse, inter primos Romae conditores fuisse Etruscos, quae erat sententia Niebuhrii. — Antiqua erat narratio, qua Mezentius cum Aenea bellum gesserat, in quo etiam Aeneas in Numicio flumine periisse dicebatur. Is secundum Catonem in Origg. (cf. Macrob. 3, 5.) a Latinis divinum honorem postulavit; hinc recte contemptor superum dicitur, sed non minus quod homines crudelissime tractans eorum non timuit vindictam cf. 10, 789. Quod autem tormenti genus h. l. memoratur, in captivos Tusci dicuntur admisisse cf. Cic. Hort. 85 *qui quondam, quum in praedonum Etruscorum manus incidissent, crudelitate excogitata necabantur; quorum corpora viva cum mortuis, adversa adversis accomodata, quam aptissime colligabantur.* Hinc Vgl. suum sibi finxit Mezentium. Quod autem expulsum eum esse dicit, hoc assequitur, ut iam ab antiquissimo tempore Caere amica sit populi Romani.

484. *di capiti.* Tales imprecationes 2, 190. 6, 529.

Mortua quin etiam iungebat corpora vivis,
Componens manibusque manus atque oribus ora,
Tormenti genus, et sanie taboque fluentes
Complexu in misero longa sic morte necabat.
At fessi tandem cives infanda furentem
Armati circumsistunt ipsumque domumque;
Obtruncant socios, ignem ad fastigia iactant.
Ille inter caedem Rutulorum elapsus in agros
Confugere, et Turni defendier hospitis armis.
Ergo omnis furiis surrexit Etruria iustis;
Regem ad supplicium praesenti Marte reposcunt.
His ego te, Aenea, ductorem millibus addam.
Toto namque fremunt condensae litore puppes,
Signaque ferre iubent; retinet longaevus haruspex
Fata canens: O Maeoniae delecta iuventus,
Flos veterum virtusque virum, quos iustus in hostem
Fert dolor, et merita accendit Mezentius ira;
Nulli fas Italo tantam subiungere gentem:
Externos optate duces. Tum Etrusca resedit
Hoc acies campo, monitis exterrita divom.
Ipse oratores ad me regnique coronam

485. *Quin etiam* secundo loco positum repetiit Tac. G. 3.

487. *tormenti genus.* De eo accusativo cf. 11, 76.

488. *Sic* post participium abundans cf. 1, 225.

489. *fessi*, pertaesi crudelitatis, ut Germani *müde*; iam ferre non valentes. — *infanda furentem.* Accusativum apud Latinos adverbii locum videmus sustinere; sic *partim*, *facile*, *sublime*. *plerumque*, alia; sic in comparativis omnibus. Eum usum secuti sunt poetae. et accusativum singularis et pluralis adiectivorum positivi pro adverbio usurpant. Dabo aliqua ex Virgilii carminibus exempla. Sic *multum iactatus* 1, 3. *lacrimans* 3, 348. *magnum fluens* G. 3, 28. *horrendum intonat* 12, 700. *longum lactari* 10, 740. — *torvum clamare* 7, 399. *immane spirans* 7, 510. *hians* 10, 726. *fremens* 12, 335. (*saevum fremebat* Claud. R. P. 1, 287.) *immane sonat* G. 3, 238. (*impar sonans* Calp. Sic. 2, 3. Sic *dulce*. *grande*, *raucum sonare* ap. Ovidium.) *lugubre rubent* 10, 273. (*prodigiale rubens* Cl. RP. 1, 234.) *horrendum stridens* 9, 632. *transversa fremunt* 5, 19. *transversa tuens* E. 3, 8. Val. Fl. 2, 154. *acerba tuens* 9, 794. 12, 398. Lucr. 5, 34. (Val. Fl. 3, 229.) *torva tuens* 6, 407. Val. 2, 555. (*tranquilla tuens* Val. 1, 38.) *insueta rudens* v. 248. *crebra ferit* G. 3, 500. *rauca sonans* 9, 125. al. Cf. Gr. § 306.

492. Inter *caedem* suorum elapsus effugit in agros Rutulorum.

493. De infinitivo historico cf. 2, 132. — *praesenti Marte* „sine aliqua dilatione." S.

497. *Puppes* fremunt (prae ira, quod ab ulciscendo retinentur) et iubent, si ii fremunt et iubent, qui insunt.

498. *Maeoniae.* Cf. 479. *haruspex* cf. 10, 176.

500. *flos veterum virtusque virum.* Idem ordo verborum 11, 658. Val. Fl. 2, 653 *pares primaeva ministri corpora.* Cic: Off. 3, 31 *Iuravit hoc coactus terrore Pomponius* cf. Gr. § 507, 15.

503. *duces.* Pluralis incertum aliquem signat cf. 7, 98. — *optate.* eligite, quae est verbi vis primaria cf. 1. 425. *resedit*, substiterunt Etrusci terrore coacti, quum iam prope fines essent, nolunt tamen redire sed quaerunt ducem promissum.

504. *hoc campo:* Itaque proxime adest eius exercitus ad bellum instructus; opus est duce tantum. — *monitis* cf. 7, 110.

505. *oratores* cf. 7, 153. — Coronam Tuscos reges nunquam habuisse monet Servius. Sed tiaram, diadema, vittam regiam vel quod aliud erat antiquo tempore regii capitis insigne, coronam posse dici. neque has res admodum differre facile intelligimus. Et coronam apud Tus-

Cum sceptro misit, mandatque insignia Tarchon,
Succedam castris Tyrrhenaque regna capessam.
Sed mihi tarda gelu saeclisque effeta senectus
Invidet imperium seraeque ad fortia vires.
Natum exhortarer, ni mixtus matre Sabella
Hinc partem patriae traheret. Tu, cuius et annis
Et generi fata indulgent, quem numina poscunt,
Ingredere, o Teucrum atque Italum fortissime ductor,
Hunc tibi praeterea, spes et solatia nostri,
Pallanta adiungam; sub te tolerare magistro
Militiam et grave Martis opus, tua cernere facta
Adsuescat, primis et te miretur ab annis.
Arcadas huic equites bis centum, robora pubis
Lecta, dabo; totidemque suo tibi nomine Pallas.
Vix ea fatus erat; defixique ora tenebant
Aeneas Anchisiades et fidus Achates
Multaque duro suo tristi cum corde putabant:

cos sceptrumque fuisse docet Dion. 3, 61. Talia regum insignia memorantur 1, 655. 7, 247. 12, 163, quos locos conferas. — Sceptrum igitur et tiaram regia insignia rex Tarcho mittit ipse et mandat mihi postulatque, ut succedam regno. Sic coniunctivus non addita particula et suppresso altero verbo 1, 644 *praemittit Achaten, Ascanio ferat haec.* 4, 288 *vocat, classem aptent.* 11, 513 *praemisit, quaterent campos.* 10, 53 *iubet — premat.* Cf. Gr. § 397. An. 1.

506. *Mandare insignia* non minus recte dicitur, quam *mandare honores, magistratum*, quod saepius dixit Cicero. — *Misit* autem et missis legatis *mandat;* itaque tempora apta sunt cf. 2, 466. — Insignia regum et magistratuum Romani accepisse dicuntur ab Etruscis Flor. 1, 5, 6. Sic singula verba carminis rebus revera gestis Vgl. captasse deprehenditur. — De voce *Tarchon* cf. 603. *Pl.* scribit *Ipse oratores regnique insignia Tarchon Misit* versu manco, ceterisque verbis eiectis!

508. Saeculum est *Menschenalter* non *Jahrhundert;* sic Nestor est trisaeclisenex, et ap. Cic. CM. 7 Agricola *serit arbores, quae alteri saeculo prosint.* — Ceterum cum hoc versu cf. 5, 395. 415.

509. *Sera ad fortia vires* sunt nimis vetustae et inde debiles. Sic ap. Ov. A. A. 1, 65 *sera* (ad amandum) *et sapientior aetas;* 2, 697 *nec platanus, nisi sera, potest obsistere Phoebo.*

511. *partem patriae traheret:* „Sic dixit *traheret*, quomodo dicitur *originem ducere.*" S. — *et annis.* Aeneas neque annis, ut Evander, neque genere, ut Pallas, retinetur, et a diis monstratus est. cf. 503.

513. *ingredere:* rem fortiter et volens suscipe. G. 1, 42 *Ingredere et votis iam nunc adsuesce vocari.* — Iam ducem nuncupat Italorum.

514. *spes et solatia nostri:* „*Spes*, quia multa sibi de eius virtute promittebat pater, *solatium*, quia amissa coniuge unici filii utebatur solatio." S.

517. „Optima enim ingenia necesse est, ut ea, quae mirantur, imitentur." S. Ita Luc. 9, 807 Tullus dicitur mirator Catonis. Simillimus locus ap. Val. Fl. 1, 268 sq. Sil. 4, 430. Expressit Romanum morem, quo iuvenes nobiles probato alicui duci addebantur, eiusque comites militabant vel ante annum lege constitutum.

518. *Arcades* non est supervacaneum. Hoc enim dicit Evander: Ne tamen putes tantum ad Etruscorum opes me provocare, dabo de nostro populo milites. — Cf. Cat. 64, 4 *lecti iuvenes Argivae robora pubis.* *Pl.* coni. *Arcadiae huic!* — Ut acceptior sit Pallas, eius etiam nomine dantur equites.

519. *nomine* Mc, *Rb.* illatum putat ex v. 121! *munere* PRγb et *suo tibi* M2. PRbcγ — *tui sibi* M1, *suo sibi munere Rb.*

520—540. Venus Aeneae promittit deorum auxilium.

520. *defixique ora tenebant* cf. ad 2, 1. — *vix* — *que* cf. 5, 857.

522. *multa dura:* Tristes sunt maxime, quod auxilium non praesens, sed longius remotum ostenditur et quod auxilium,

Ni signum caelo Cytherea dedisset aperto.
Namque improviso vibratus ab aethere fulgor
Cum sonitu venit, et ruere omnia visa repente,
Tyrrhenusque tubae mugire per aethera clangor.
Suspiciunt: iterum atque iterum fragor increpat ingens;
Arma inter nubem caeli in regione serena
Per sudum rutilare vident et pulsa tonare.
Obstipuere animis alii; sed Troius heros
Adgnovit sonitum et divae promissa parentis.
Tum memorat: Ne vero, hospes, ne quaere profecto,
Quem casum portenta ferant: ego poscor; Olympo
Hoc signum cecinit missuram diva creatrix,
Si bellum ingrueret, Volcaniaque arma per auras
Laturam auxilio.
Heu quantae miseris caedes Laurentibus instant!
Quas poenas mihi, Turne, dabis! quam multa sub undas
Scuta virum galeasque et fortia corpora volves,
Thybri pater! Poscant acies, et foedera rumpant!

quod ab Evandro diis ipsis auctoribus exspectabant, ab aliis iubentur sperare. — *putabant — ni:* Putabant et diutius putassent, ni etc. cf. 6, 358. — *cum corde suo* cf. 6, 185.

523. *caelo aperto* i. e. sereno, nubibus non obducto cf. 1, 394. — Subito fulmen cum tonitru de sereno caelo conspicitur, ut 9, 630, tonitru autem sonitum tubarum reddere videtur. Et ter fulgurat, ut 7, 141; simul in nube, quae sola est ea in caeli parte, arma apparent.

526. *mugire* cf. 4, 490. et Lucr. 4, 549 *Quum tuba depresso graviter sub murmure mugit.* — *Tyrrhenusque tubae clangor* auditur, ut iam ad Tyrrhena castra vocari Aeneas videatur. „Apud Tuscos tubam constat inventam." S. „Aeneam tubam Pisaeum Tyrrhenum invenisse dicunt." Plin. NH. 7, 56, 57. Inde Stat. Theb. 6, 404 sonum tubae dixit *Tyrrhenum murmur.* — Exspectatur *Tyrrhenae tubae c.*; at *Tyrrhenus c. t.* non minus recte dicitur, quam illud, quamquam idem non est. Cf. Gr. § 372.

528. Arma in caelo visa etiam alibi inter prodigia sunt G. 1, 474. Ov. M. 15, 783. Tib. 2, 5, 73. Liv. 22, 1. *Plin.* NH. 2, 57, 58. *caeli in regione* M2PRγbc; *in* omittit M1 et *Rb.* Sed *inter* et *in* eodem modo iuncta legisti 3, 646 et leges 11, 225.

529. *per sudum.* Sic Val. Fl. 2, 115 *Dea se per sudum praecipitat.* Festus Pauli p. 295 M. „Sudum, siccum, quasi seudum i. e. sine udo." *suidum* dat Rb. — *vident tonare* cf. 1, 361.

530. *animis* abl. additus cf. 2, 386.

531. *promissa Veneris.* „*Κατὰ τὸ σιωπώμενον* intelligimus Venerem ei promisisse cf. 612. — *sonitum;* hoc est, quid sonitus significaret." S.

533. *ego poscor Olympo:* „aut de Olympo poscor i. e. haec signa mei caussa fiunt, aut certe in Olympum poscor, . . alii *Olympo* sequentibus iungunt." S. Haec praestat ratio, ut *Olympo* cum *missuram* iungatur. Sic 12, 245 Iuno *alto dat signum caelo.* Haec Aeneas affirmat, ne Arcades terreantur. *Poscere* absolute dicitur etiam ap. Cic. — Iam quod oraculum memorat ante non allatum, id fit 123—27; 7, 123. et ap. Hom. Il. 21, 277 Thetidis Achilles, Od. 12, 398 Calypsus Ulixes memorat novum et inauditum. — *Ld. profecto* habet dativum participii perfecti, quod sit pro futuro exacto, et intelligit *pallanti*, qui per *profecto*, quum profectus non sit, satis abscure indicatur. Sed his artibus opus non est, nam id patet, aliis omnibus rem miram videri nec apparere quo pertineat, unum eam perspicere Aeneam. *Pl.* coni. *ne quaere, ferant quem Haec casum portenta: profecto ego poscor (!)* Ut ego *Ld.*, *ego poscor Olympo; Wg. Rb.*

537. Iam ita est certus victoriae, ut misereatur victorum. Sic Hannibal *quas*, inquit, *poenas mihi curia pendes!* Sil. 2, 456. — Cf. 9, 356.

540. *Poscant acies etc.*, nihil recuso, quum in suam modo perniciem poscant. *pater* cf. 3, 89.

Haec ubi dicta dedit, solio se tollit ab alto;
Et primum Herculeis sopitas ignibus aras
Excitat, hesternumque Larem parvosque Penates
Laetus adit; mactant lectas de more bidentes
Euandrus pariter, pariter Troiana iuventus.
Post hinc ad naves graditur, sociosque revisit:
Quorum de numero qui sese in bella sequantur
Praestantes virtute legit; pars cetera prona
Fertur aqua segnisque secundo defluit amni,
Nuntia ventura Ascanio rerumque patrisque.
Dantur equi Teucris Tyrrhena petentibus arva:
Ducunt exsortem Aeneae; quem fulva leonis
Pellis obit totum, praefulgens unguibus aureis
Fama volat parvam subito volgata per urbem,
Ocius ire equites Tyrrheni ad litora regis.

541—553. Aeneas Caere proficiscitur.

541. *dicta dedit* cf. 1, 63. — *solio ab alto*, ut 2, 2. 11, 301. Solium autem ut his iocis, ita saepius regiae dignitatis signum cf. 1, 506. 6, 396. 7, 168. 10, 825. *Solium Iovis* Hor. Ep. 1, 17, 34.

542. Iterum accepto oraculo sacrificatur cf. 3, 177. — *Ignibus sopitae arae* sunt defectu ignium; qui quum adsunt, vigilare videtur ara. De ea structura cf. 3, 70. — Ignis autem sopitus dicitur v. 410. — Herculis ara erat in luco ante urbem. Nunc autem in aedibus sacrificatur; itaque res modo sic expeditur, ut dicamus etiam domi aram fuisse Herculis, in eaque non minus quam in luco sacrum esse factum. quod silet Vgl. Tacet etiam de sacrificio Lari facto; quamquam hoc facile intelligitur. Mos enim erat, si hospites domum adissent, Laribus sacra fieri 1, 632. Et quovis sacro aliis facto Lar dona accepit, cui ignis in foco sacer erat. Quare non male Herculei ignes dicuntur, qui in Herculis sacro et ara accenduntur. *Herceis* coniecit *Hn.*, quod facile post memorata Herculis sacra potuit mutari, et apud Graecos Iovis Hercei in domibus arae erant. cf. 2, 512. Sed ad Graecum morem non sunt Virgilii verba formanda, neque opus est coniectura. *Pl.* coni. *Et primum cinerem et ..* docetque locis 5, 743. 8, 410 al. posse dici, quod nemo negat.

543. *hesternumque Larem*, „cui pridie sacrificaverat.“ S. cf. E. 6, 15 *hesternus Iacchus* i. e. vinum heri potum. Ov. M. 8, 641 *Inde foco tepidum cinerem dimovit et ignes suscitat hesternos.* Prop. 1, 15, 5 *Et potes hesternos manibus componere crines.* cf. 465. — *parvos Penates*, ut in parva domo. Larem et Penates ita iungi docet Liv. 1, 29 *quum Larem ac Penates, tectaque, in quibus natus quisque educatusque esset, relinquentes exirent.*

544. *adit* i. e. precando et venerando. Cic. Legg. 2, 10, 24 *Caste iubet lex adire ad deos.* — *lectas de more bidentes:* Idem legitur 4, 57. 5, 96. 6, 39. 7, 93. et *bidens* 12, 170. „*Bidentes* oves sunt circa bimatum, habentes duos dentes eminentiores, quae erant aptae sacrificiis.“ S. Adde Gell. 16, 6 „*Lectae* verbum est sacerdotale de ovibus, quas diis mactare fas est; ita dicebatur *porcus eximius, bos egregius.*“ — *mactare* cf. 4, 57.

547. *in bella sequantur*, quae possint ingruere; nam proficiscitur ad Tuscorum castra, quorum dux fore cupit. Praestantissimos eligit, reliquos cum navi ad Ascanium, qui in castris remanserat, devehi et quid ipse egerit et ubi sit narrare iubet. Habes igitur ducem providum. Eorum tamen in sequentibus nulla fit mentio; neque opus erat. Attamen ex nuntio, quem illi attulerant, perspicuum fit, cur tam fortiter Troiani restiterint. cf. Librum nonum.

549. *segnis*, descendentibus enim nullus labor erat. Id significatur versu.

551. *Petentibus* recte, cf. 558.

553. *praef. unguibus aureis:* Auro ungues ornatae sunt ita 5, 352 et ap. Stat. Theb. 6, 724 *extremos auro mansueverat ungues.*

554—584. Evander ultimum Vale dicit filio.

555. „*Ocius* positivus antiquus est, i. e. celeriter. Nec enim potest esse comparativus, ubi nulla est comparatio.“ S

Vota metu duplicant matres, propiusque periclo
It timor, et maior Martis iam adparet imago.
Tum pater Euandrus dextram complexus euntis
Haeret, inexpletus lacrimans, ac talia fatur:
O mihi praeteritos referat si Iuppiter annos!
Qualis eram, quum primam aciem Praeneste sub ipsa
Stravi scutorumque incendi victor acervos,
Et regem hac Erilum dextra sub Tartara misi,
Nascenti cui tres animas Feronia mater —
Horrendum dictu! — dederat (terna arma movenda,
Ter leto sternendus erat; cui tunc tamen omnes
Abstulit haec animas dextra et totidem exuit armis):
Non ego nunc dulci amplexu divellerer usquam,

Recte; at neglexit Servius usus originem; nam ut *senior* pro *senex* apud poetas usurpatum ex comparativi natura explicatur, sic *ocius* non est pro positivo *ociter*, qui certe apud bonos scriptores non legitur, sed maiorem aliquam indicat celeritatem. Quae autem primaria fuerit vocabuli significatio nescimus, neque *ocius* a positivo ὠκέως derivandum esse dicimus, satis contenti, quod in voce *saepius*, *öfters*, si cum saepe, *oft*, comparamus, eandem invenimus similitudinem. *Ocius* sic usurpatum vide v. 101. 278. 5, 828. 9, 402. 10, 786. 12, 556. 681 al. Sil. 1, 458. 2, 529. 594 al. Iuv. 14, 252 al. Quod *ocius* ita dicitur legi ap. Caes. BG. 5, 44, est in loco admodum corrupto. — *ad litora* MRγ2b; in litore autem castra habuit Tarcho, (v. 497) qui rex Tyrrhenus vocatur, i. e. summus dux Lucumonum. — *ad limina* Pγlc., quasi ad regiam Tarchonis accesserint. — Equites, quos promiserat Evander, sequuntur Aeneam.

556. *Duplicant.* Matres, quae pro filiorum salute vota facere solent, duplicant, quum eos videant in bellum proficisci. — *Propius it timor periclo* i. e. ex periculo, non ad periculum; magis urget timor, quum pericula magis impendeant. Sic Luc. 7, 543 *Semel ortus in omnes it timor.* Deinde Tac. Agr. 16 *quos conscientia defectionis et propius ex legato timor agitabat.* Sil. 1, 32 *iam propius metuens;* et Sen. Troad. 519 *Levius solet timere, qui propius timet.*

557. *et maior Martis apparet imago:* Omnia iam magis belli speciem referunt cf. 2, 369 *plurima mortis imago.*

558. *pater* sc. *euntis;* de quo participio cf. ad 2, 111.

559. *inexpletum* M. correctum in *inexpletus;* idem factum est in P. *inpletus* Rγ. *lacrimis* M. corr. in *lacrimans.* „Haeret inexpletus: multi sic distingunt, ut sit: inexpletus haesit et talia locutus est lacrimans. Alii legunt *inexpletus lacrimis.* Honestius tamen est *inexpletum lacrimans*, ut sit nomen pro adverbio" S. Videtur *inexpletus* ab ipso esse Virgilio, quod explica: Dum lacrimas fundit, non expletur, non expletur lacrimando. Adiectivum noli explicare, ut sit adverbii loco cf. 3, 70. Alii iungunt: *Haeret inexpletus, lacrimans ac.*

560. *Si* optantis est ut 6, 187. 883. — Nonnunquam etiam ut h. l. *o* additum est; sic 11, 415. cf. Gr. § 409, 6.

561. *primam aciem.* cf. 7, 61. *Praeneste sub ipsa: Praeneste* est ablativus a nominativo neutrius *Praeneste* cf. Gr. § 85, An. 6. Quod est generis feminini cf. Gr. § 66 An. 8. *sub ipsa* cf. 6, 191. *Pl.* coni. *Qualis Praenestinam aciem.*

562. *victor incendi:* Morem Romanum significavit. „Tarquinius enim Priscus victis Sabinis in honorem Vulcani eorum arma succendit, quem postea secuti sunt ceteri." S. Idem narrat Liv. 1, 35, is qui arma capta hostium concremata esse a Romanis saepissime refert. Adde Flor. 4, 12, 9.

563. *sub* cf. 4, 387.

564. *Feronia* „nympha Campaniae; (cf. 7, 800.) haec etiam libertorum dea est, in cuius templo raso capite pileum accipiebant." S. Senum more Evander de sua pristina fortitudine gloriatur.

565. Quum tres haberet animas, ter contra eum arma movere coactus sum, ter eum prosternere; tria ab eo retuli spolia.

566. *leto* dat. cf. 2, 398.

567. *et totidem* sc. *quem armis exuit* cf. 12, 941. *Pl.* eiicit *cui tum — armis.*

Nate, tuo, neque finitimo Mezentius unquam
Huic capiti insultans tot ferro saeva dedisset
Funera, tam multis viduasset civibus urbem.
At vos, o superi, et divom tu maxime rector
Iuppiter, Arcadii, quaeso, miserescite regis,
Et patrias audite preces: Si numina vestra
Incolumem Pallanta mihi, si fata reservant,
Si visurus eum vivo et venturus in unum:
Vitam oro, patior quemvis durare laborem.
Sin aliquem infandum casum, Fortuna, minaris,
Nunc, nunc o liceat crudelem abrumpere vitam,
Dum curae ambiguae, dum spes incerta futuri,
Dum te, care puer, mea sola et sera voluptas,
Complexus teneo; gravior neu nuntius aures
Volneret. Haec genitor digressu dicta supremo
Fundebat; famuli collapsum in tecta ferebant.
Iamque adeo exierat portis equitatus apertis,
Aeneas inter primos et fidus Achates,

569. *finitimo* MP2R et Serv. „quod languet“ *Rb.*, *finitimos* (sed s perforato!) P1, rec. *Rb.* et addit I p 317 „non *finitimos* (quod est pro *finitimus!*) tot saeva funera dedisset sententia est.“ Num hoc minus languidum? Deinde si *finitimus* fuisset in libris, quis mutasset? Evander autem recte dicit factam sibi insultationem, quod monenti et mitiora suadenti Mezentius non obedivit.

570. *Caput* de homine dici docet v. 484, 9, 496 et simillimus huic locus 11, 399. Cf. 4, 132. — *insultans:* „Ad curam enim viri fortis et viri boni pertinet, ne quid iniuriose fiat alicui homini. Ergo et hic contumeliam ducit, quod finitimos a tyranni iniuria non defenderit.“ S. cf. 569.

571. *viduasset civibus urbem:* Sic ap. Hor. C. 2, 9 8 *foliis viduantur orni* et G. 4, 518 *arva pruinis.* Similia ap. posteriores.

576. *venturus in unum* i. e. conventurus eum, si una iterum erimus. Ita *in unum convenire* Sall. Iug. 11. *in unum se recipere* 50. *conducere* 51. *convocare* Cat. 17.

577. *patior* MPR al. Si mihi servare et reddere volunt dii filium, peto vitam et libenti animo quicunque mihi alius casus et labor impositus fuerit fero. Coniunctivus usitatissimus in re tali. Quare *patiar* correctum in P. — *Durare rem*, idem quod perferre, raro invenitur apud poetas, ut Hor. C. 1, 14, 7 *Vix durare carinae possunt aequor.* Stat. Silv. 5, 2, 153 *durabis quascunque vias.*

578. *infandum casum:* „Parentis est, quod formidat, nolle memorare.“ S. *Infandus* cf. 2, 3.

579. *crudelem vitam* i. e. tristem, quae angit et cruciat. Val. Fl. 4, 459 *crudelis egestas.* *Pl.* quod vita nondum crudelis esset, pro *crudelem* proposuit *crudelis* sc. fortuna. — *nunc nunc o* Mγbc. — *nunc o nunc* R. Augetur magis vis particulae *nunc*, si statim repetita in thesi graviorem sonum recipit. — *abrumpere vitam* cf. 4, 631.

580. *curae ambiguae;* dum incertum, curae iustae an vanae sint.

581. *mea sola et sera v.* MR al. Serv. — *mea sera et sola* Pb. rec. *Rb.* *Sera* autem cum vi postpositum; nam quo minus diu fructus est, eo diutius in posterum frui cupit. — Est igitur Pallas τηλύγετος cf. 6, 764.

582. *complexu* M1Pγ *complexus* M2R. Vis inest in *teneo*, non in *complexu.* Iust. 23, 2 *discedentes parvuli flebili ululatu amplexi patrem tenebant.* — *Vulnerat aures nuntius* translata dicitur significatione, quae iam a Cicerone inchoata est; neque tamen is tantum recessit a prima significatione, si dixit: *Quos ferro trucidari oportebat, eos nondum voce vulnero;* neque tam multum abest Ovidius, qui dixit *fortunae vulneror ictu* Pont. 2, 7, 41. Quod Evander tam maesto animo filium dimittit, malum est omen cf. 12, 72.

585—607. Aeneas ad Tyrrhenos pervenit.

585. *iamque adeo* cf. 2, 567.

Inde alii Troiae proceres; ipse agmine Pallas
In medio chlamyde et pictis conspectus in armis:
Qualis ubi Oceani perfusus Lucifer unda,
Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes,
Extulit os sacrum caelo tenebrasque resolvit.
Stant pavidae in muris matres oculisque sequuntur
Pulveream nubem et fulgentes aere catervas.
Olli per dumos, qua proxima meta viarum,
Armati tendunt; it clamor, et agmine facto
Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.
    Est ingens gelidum lucus prope Caeritis amnem,
Religione patrum late sacer; undique colles
Inclusere cavi et nigra nemus abiete cingunt;
Silvano fama est veteres sacrasse Pelasgos,
Arvorum pecorisque deo, lucumque diemque
Qui primi fines aliquando habuere Latinos.
Haud procul hinc Tarcho et Tyrrheni tuta tenebant
Castra locis, celsoque omnis de colle videri

588. *conspectus* conspicuus est. Neque tamen participium pro nomine est. cf. G. 3, 17 *victor ego et Tyrio conspectus in ostro.* et Liv. 21, 4 de Hannibale *Vestitus nihil inter aequales excellens, arma atque equi conspiciebantur.* — *De chlamyde* cf. 3, 484. — Picta arma Arcades habent 12, 281, Amazones 11, 660, Labicani 7, 796. — Qui repetito *in* offensi sunt, mutarunt in *it medio* sic Markland, *Pl.;* neque tamen Latini tam anxii levium verborum vitabant repetitionem cf. 6, 404 *Ad genitorem imas Erebi descendit ad undas.*

589. Comparatur Pallas cum Veneris stella, ubi primo mane, quod nomine *Lucifer* iam significatur, oritur et suo splendore caelum complet. Et alibi stellae habentur species pulchritudinis. Hor. C. 3, 9, 21 *Sidere pulchrior ille est.* — Stellae quoniam e mari emergere videbantur, aqua spargi dicebantur. Sic ap. Sen. Hipp. 750 *lotus undis Hesperus* est, ut iam ap. Hom. Il. 5, 6.

591. *extulit* perf. cf. 2, 380.

594. *qua proxima meta viarum.* Itinere rectissimo ad Tuscorum castra proficiscuntur.

595. *armati*, armis parati ad subita belli. Cf. 547. — *agmine facto:* „*Agmen* est proprie exercitus ambulans, quidquid fuerit aliud, abusive dicitur“ S. cf. 5, 211.

596. Versus ob sonum laudatus cf. § 1. Idem paene v. 11, 875.

597. *Caeritis* genitivus est nominis *Caere*, ablativus *Caerete* 10, 183, et *Caerite* ap. Hor. Ep. 1, 6, 62, et *Caeretes aquas* ap. Liv. 22, 1. Ubi Drakenb.: „Utrumque *Caerites* et *Caeretes* apud ipsum Livium legitur.“ Lucus (v. 599 nemore inclusus cf. 7, 83) cinctus collibus, qui abietibus consiti sunt. Non procul ab eo luco castra sunt, proiecta valle et amne Minione (cf. 10, 183) satis munita. Ea castra de adverso monte ad lucum descendentes conspiciunt Troiani.

598. *late sacer.* Non solum colebatur a civibus, sed etiam ab accolis.

600. Silvano deo et lucum et certum diem festum sacraverant antiquissimi incolae. Silvanus deus agricolarum est tutor finium Hor. Ep. 2, 22; piatur lacte Epist. 2, 1, 143, ornatus est serto e ferulis et liliis Vgl. E. 10, 24. — *Pelasgos:* cf. 479.

603. *Tarcho:* „*Tarchon*, hoc nomen ubique Graece ponit excepto uno loco, (qui est hic) quod metri caussa fecit.“ S. ad 10, 153 et hoc ipso loco: „*Tarcho* Latinus nominativus est veniens ab eo, quod est *Tarchon* perdito *n* et ω in o mutato; aliter versus non stat.“ Quare locis reliquis Tarchon legit Servius. Quin etiam h. l. MPγ *Tarchon* dant reclamante metro. Itaque ubi licet *Tarchon* retinendum. Sic *Sinon* 2, 259. Vgl. cum Solino 1, 8 facit *Tarchonem* 11, 727, *Tarcontis* Sil. 8, 475. Ceterum Tyrrhenus *δώδεκα πόλεις ἔκτισεν, οἰκιστὴν ἐπιστήσας Τάρκωνα, ἀφ' οὗ Ταρκυνία ἡ πόλις.* Strab. 5, 2, 2, p. 219.

Iam poterat legio, et latis tendebat in arvis.
Huc pater Aeneas et bello lecta iuventus
Succedunt, fessique et equos et corpora curant.
At Venus aetherios inter dea candida nimbos
Dona ferens aderat; natumque in valle reducta
Ut procul egelido secretum flumine vidit,
Talibus adfata est dictis, seque obtulit ultro:
En, perfecta mei promissa coniugis arte
Munera, ne mox aut Laurentes, nate, superbos,
Aut acrem dubites in proelia poscere Turnum.
Dixit, et amplexus nati Cytherea petivit;
Arma sub adversa posuit radiantia quercu.
Ille, deae donis et tanto laetus honore,
Expleri nequit, atque oculos per singula volvit,
Miraturque interque manus et brachia versat
Terribilem cristis galeam flammasque vomentem,

605. *Legio* ut 10, 120 totum significat exercitum, ut qui lectus est ex incolis. Adde quod 2, 436. *tendebat* cf. 2, 29.

606. *huc:* in lucum, ubi de itinere quiescunt et parant se, ut compti et ornati castra introeant. Oblata ibi Vulcani arma aptissima sunt, quorum Tuscos moveat splendore. — *bello lecta iuventus* cf. 547.

607. „Ingenti arte quod sequebatur omisit, redditurus in decimo. Namque si vellet dicere, venisse Aenean, vidisse Tarchontem (sic), petisse auxilium, satis longum fuerat." S.

608—731. Aeneae Venus arma affert. Arma describuntur.

Sequitur armorum, imprimis clipei descriptio, in quo sculptas fingit res Romanorum memorabiles. Nam quum et alibi sibi locos parasset, quibus eas expromeret, ita divisit, ut ne compendium scribere videretur. Itaque diversis locis e tota historia desumpsit aliquid, habita etiam locorum ratione, ut l. VI. modo homines claros memorare potuit, sic h. l. facta posuit, quae possent depingi. Singula persequi et quomodo desculpta haec sibi finxerit poeta, ad amussim describi non potest cf. 652.

608. *at* cf. 4, 1. — *dea candida* cf. 5, 571. — *nimbos* cf. 11, 566.

609. *valle reducta* (cf. 6. 703.) ea, in qua est lucus. Talis vallis revera fingitur in tabula Sickleri, qua Latium descripsit.

610. *egelido* rec. *Rb.* est in bc et M suprascripto *t*; sed *Wg.* refert in M. vers. 585—642 non esse; *etgelido* in PRγ rec. *Wg. Pl.* coni. *a gelido.* *Egelidus* sive per *minus gelidus* (Ov. Am. 2, 11, 10 *et gelidum Borean egelidumque Notum*, ita Suet. Aug. 82 *egelida aqua* sole multo calefacta) sive *per satis gelidus* explicas, quod ob versum 597 praeferendum est, caussa non est, cur huic loco ineptum dicas vocabulum, etsi plane supervacaneum videtur esse. — *secretum*, remotum ab aliis.

612. *promissa* cf. 531.

613. *Munera* est nominativus cf. 1, 461. — *Laurentes superbos* cf. 118.

614. „*Poscere*, provocare, Cicero (in Verr. 1, 26. 66) Poscunt maioribus poculis." S. — *acer* cf. 10, 308.

616. *adversa*, opposita cf. 1, 420.

617. *tanto honore*, *laetus* quod tam magnificis donis honorem accipiat. Serv.: „munera divae; quod manifestam viderat matrem et plenam numinis sui." Alii honorem accipiunt de pulchritudine armorum cf. 1, 591.

619. *inter manus:* Cf. 9, 502. — *versat* ut 5, 408.

620. *flammas vomentem:* E galeis, levi et candido metallo cusis, flammas exire si fingunt poetae, non est mirum, sed ad rerum speciem comparatum. Itaque inde ab Homero hoc dicitur. Sic Il. 5. 4 *Δαῖέ οἱ ἐκ κόρυθός τε καὶ ἀσπίδος ἀκάματον πῦρ.* Cf. Aen. 8, 786. Quod fieri videtur, revera fecit ille Domitius ap. Flor. 4, 12, 16 „Non minimum terroris incussit barbaris Domitius centurio, satis barbarae, efficasis tamen apud paris homines stoliditatis; qui foculum gerens super cassidem, suscitatam motu corporis flammam velut ardenti capite fundebat." — *vomentem* MIIbc. *minantem* Pγ prob. *Rb.*, *micantem* coni. E. Hoffmann.

Fatiferumque ensem, loricam ex aere rigentem,
Sanguineam, ingentem, qualis quum caerula nubes
Solis inardescit radiis longeque refulget;
Tum leves ocreas electro auroque recocto,
Hastamque, et clipei non enarrabile textum.
Illic res Italas Romanorumque triumphos,
Haud vatum ignarus venturique inscius aevi,
Fecerat Ignipotens; illic genus omne futurae
Stirpis ab Ascanio, pugnataque in ordine bella.
Fecerat et viridi fetam Mavortis in antro
Procubuisse lupam: geminos huic ubera circum
Ludere pendentes pueros, et lambere matrem
Impavidos; illam tereti cervice reflexam
Mulcere alternos et corpora fingere lingua.
Nec procul hinc Romam, et raptas sine more Sabinas
Consessu caveae magnis Circensibus actis

622. *sanguinea* est colore, nam ex aere facta est; exornatur apta comparatione.

624. De ocreis cf. 7, 690. — *electro* cf. ad v. 402. — *recocto* „saepe purgato, quia quanto plus coquitur, eo melius fit" S. Cf. 7, 636.

625. *clipei non enarrabile textum*, textum, cuius argumentum resque in eo factae non possunt omnes enarrari. Antiquitus enim e viminibus texi solita esse videntur scuta, et Spartacus talia suis facienda curabat; et alibi memorantur cf. 7, 632. Inde dixit Lucr. 6, 1052 *ferrea texta*. Cf. clipeum Achillis apud Homerum, Herculis apud Hesiodum, Hannibalis apud Sil. 2, 395—454. Sic libro VII Turni et Aventini clipei continent res maiorum.

626. *res Italae* cf. 3, 1.

627. *haud vatum ignarus:* Genitivus est partitivus; Is etiam a positivo pendet cf. Gr. § 264, e. *fatum* 3 Mss.; sed non contrahitur genitivus *fatorum* in *fatum*, ortum ex coniectura, quod *vatum* non intelligebatur. *Pl.* coni. *fati*.

629. *pugnataque*; quo sunt revera ordine pugnata, quo scripsit Vgl. tempore, iam tunc in clipeo descripta erant. Non est perfectum pro futuro, neque *pugnanda* temere inferendum.

630. *fecerat et:* praeter alia, quae omisit Vgl., haec fecit. — *Pl.* pro *fecerat et* coni. *spectares*. — *Mavortis in antro:* Et antrum et tota res, ut hic describitur, in nummis et gemmis comparet.

631. „*Procubuisse* i. e. prima parte se inclinasse, quod Graeci προκύπτειν dicunt, ut inclinatione corporis ubera praeberet infantibus. — Sciendum autem voluisse eum gestum proprie exprimere, quem in ipsius lupae cernimus statuis." S. *Facere* autem cum infinitivo iungitur, si significat fingere, sive fingat poeta (Cf. Cic. ND. 3, 16, 41 Herculem *Homerus apud inferos conveniri facit ab Ulixe*) sive artifex. Cf. Ov. M. 6, 108 Arachne *fecit oloriuis Ledam recubare sub alis.*

633. *tereti cervice:* „rotunda cum longitudine." S. *reflexam* Mc rec. *Wg. Ld. reflexa* PRγb rec. *Rb.*

634. *corpora fingere lingua:* Fetum suum a sordibus lambendo purgare; ut multae faciunt bestiae. Ov. Fast. 2, 418 lupa „fingit lingua corpora bina sua. Marte satos scires: timor afuit." Ad rem cf. Liv. 1, 4.

635. *sine more;* contra ius gentium. Sic de eadem re Ov. A. A. 1, 119.

636. *consessu caveae:* cf. 5, 340. — *Magnis Circensibus actis* „quum agerentur, quia non erat praesens a passivo participium." S. Sed iam erat magna ludorum pars peracta, et ipsis finis est impositus virginum raptu. De participiis iis perfecti, quae praesentis loco posita videntur cf. 5, 113. — Raptas autem virgines narrant Cic. Rep. 2, 7, 12. Liv. 1, 9 ludis Consualibus, Conso seu Neptuno equestri dicatis. Adde Plut. Rom. 14. Dion. Hal. 2, 31. 1, 33. Serv. ad h. l.: Romulus celetes se Neptuno Equestri deo, qui et Consus dicitur, editurum proposuit. Post: „Raptae autem Sabinae Consualibus, hoc est mense Martio." Varr. LL. 6, 20 „Consualia dicta a Conso, quod tum feriae publicae ei Deo et *in circo* ad aram eius ab sacerdotibus fiunt; ludi illi, quibus virgines Sabinae

Addiderat subitoque novum consurgere bellum
Romulidis Tatioque seni Curibusque severis.
Post idem inter se posito certamine reges
Armati Iovis ante aram paterasque tenentes
Stabant et caesa iungebant foedera porca.
Haud procul inde citae Metium in diversa quadrigae
Distulerant — at tu dictis, Albane, maneres! —
Raptabatque viri mendacis viscera Tullus
Per silvam, et sparsi rorabant sanguine vepres.
Nec non Tarquinium eiectum Porsenna iubebat
Accipere, ingentique urbem obsidione premebat;
Aeneadae in ferrum pro libertate ruebant.
Illum indignanti similem, similemque minanti

raptae.“ Val. Max. 2, 4, 4 „*circensi* spectaculo, quod primus Romulus raptis virginibus *Consualium* nomine celebravit.“ Diversi sunt ab iis Ludi Romani, quos primos dedit Tarquinius Priscus, dicati Iovi, Iunoni, Minervae (Cic. II. Verr. 5, 14, 36.), qui sunt mense Septembri; *magni* illi dicti etiam, et *maximi* cf. Cic. Rep. 2, 20, 36 (atque eundem (Tar. Pr.) primum ludos maximos, qui Romani dicti sunt, fecisse accepimus.) Itaque iam ille Pseudo Asconius ad Verr. act. 1, 10, 31 „Romani ludi sub regibus instituti magnique appellati, quod magnis impensis dati. Tunc primum ludis impensa sunt ducenta milia nummum. Alii ideo magnos ludos vocatos putant, quod [Conso] consiliorum secretorum deo, i. e. Neptuno, laticum regi et rerum conditarum, et diis magnis, i. e. laribus urbis Romae dati sunt; quibus aiunt raptas Sabinas esse, ut videatur propter hoc dicere Vgl. *Magnis Cirsensibus actis.* Et circenses ludi sunt.“ *magnis* „quantum ad paupertatem pristinam pertinet. Nam legimus propter equorum inopiam diversis eos tunc usos animalibus.“ S. Id firmatur ex Pauli Festo qui p. 148. M. „Mulis celebrabantur ludi in Circo Maximo Consualibus, quia id genus quadrupedum primum putatur coeptum currui vehiculoque adiungi.“ Poeta ex sui temporis more describit ludos antiquos. Cf. Liv. 1, 9—13. *Pl.* coni. *C. caveae magno*, *C. a.*

638. *Romulidis* graeca forma, cf. 6, 844, et dicuntur, ut *Aeneadae* 1, 157, qui rege utuntur Romulo. Cures cf. 7, 710. — *severis:* Notat severam Sabinorum disciplinam cf. 9, 603 sq.

639. *posito* cf. 329.

640. Reges sacrificio facto foedus iungunt. „Huius autem facti in sacra via signa stant, Romulus a parte Palatii, Tatius venientibus a rostris.“ S.

641. *caesa porca:* „Quaedam non tam ratione quam sensu iudicantur: ut illud *c. i. f. p.* fecit elegans fictio nominis: quod si fuisset *porco* vile erat.“ Quint. 8, 3, 19. 684. Aliam affert caussam vocabuli Servius: „Illud ostendit, quia in omnibus sacris feminei generis plus valent victimae. Si per marem litare non possent, succidanea dabatur femina: si autem per feminam non litassent, succidanea adhiberi non poterat.“ S. In foedere sanciendo porcum immolare Romanus erat mos, cf. 12, 170 et Liv. 1, 24. 9, 5. vel in nuptiis apud Etruscos reges et „sublimes“ viros Varr. R. R. 2, 4, 9. Sed porca etiam foedus ici docet Suet. Claud. 25. Festus Pauli p. 235. M. „Caesa porca foedus firmare solebant.“ *Rb.* post v. 641 infert v. 654. quod iam in ed. Parmensi et probatum a *Pl. Ld.*

642. *Medium* M1 *Metium* M2. Quid in aliis? Apud Livium et Florum Mettius, apud Ennium Metius. — *Mettum* ed. *Hn. Wg. Ld. Rb.* — De re cf. Liv. 1, 28. Flor. 1, 3. — De quadrigis 12, 287.

643 *dictis vel promissis manere* i. e. fidem servare cf. 2, 160. — De subiunctivo optativo cf. 4, 678. Prior autem subiunctivus positus est ut 11, 153., quod, qui optat, re atroci ita movetur, ut ipsi facinori interesse sibi videatur. Ea autem compellatio crudelitatis minuit invidiam, quae est in Tullo. Sic Tullum Livius excusat. *at* cf. 1, 543.

644. *mendax*, quod foederis fidem non servavit.

645. *sparsi:* conspersi cf. 4, 635.

646. *Porsenna*: „Unum *n* addidit metri caussa.“ S. *Porsĕna* est ap. Horat. Silium et Martialem. De re cf. Liv. 2, 9 sq.

648. *accipere iubebat* cf. 2, 3.

Adspiceres; pontem auderet quia vellere Cocles,
Et fluvium vinclis innaret Cloelia ruptis.
In summo custos Tarpeiae Manlius arcis
Stabat pro templo et Capitolia celsa tenebat;
Romuleoque recens horrebat regia culmo.
Atque hic auratis volitans argenteus anser
Porticibus Gallos in limine adesse canebat;
Galli per dumos aderant, arcemque tenebant,
Defensi tenebris et dono noctis opacae:
Aurea caesaries ollis, atque aurea vestis;

650. *De Coclite* cf. Liv. 2, 10. — *De Cloelia* Liv. 2, 13. „cui data est statua equestris, quam in via Sacra hodieque conspicimus.“ cf. Dion. 5, 35.

651. *vinclis:* „Atqui obsides non ligantur, sed vincta pro custodiis accipiamus. Ita Liv.: *frustrata custodes.*“ S. — *fluvium innaret* cf. 6, 369.

652. De Manlio et Gallorum incursione cf. Liv. 5, 47. Flor. 1, 13. In summa arce custos Manlius stabat pro templo i. e. id defensurus. Cf. *pro rostris*, *suggestu* et *pro aris et focis pugnare.* cf. 9, 677 *intus pro turribus adstant.* — Templum est Iovis Capitolini. — *In summo* alii accipiunt clipeo, ut locus significetur clipei quo haec descripta sint. Satis obscure dictum esset hoc loco, neque v. 575 *in medio* accipitur *clipeo* sed *mari.* Neque omnia, quae in clipeo erant sculpta, enarraturus erat, (630) quare nihil profuit singulis certum dare locum; neque ipse sibi poeta haec distinxisse videtur. Quare probabilius videatur iungere *in summo arcis;* neque *custos* nimis esset nude dictum; nihil enim impedit, quominus etiam *custos arcis* iungatur. *Pl.* pro *in summo* coni. *insomnis*, quum Manlium constet anserum esse e somno experrectum clamore.

653. *Tenere* behaupten „verbum militare“ S. cf. 9, 169. 470. Caes. BC. 1, 44.

654. Romuli casa servabatur, tecta culmis, qui quum essent vetustate comminuti, reparabantur; hinc *recens* semper erat. Videtur autem stramina Vulcanus finxisse auro, ut diversa metalla adhibuit, quibus rerum diversarum colorem exprimeret. Versus tamen hic multis videtur esse delendus, aliis retrahendus post v. 641. Rem enim alienam historiae inferre dicunt. At non animadverterunt illi, non historiam narrari, sed describi imaginem inenarrabilem. Regiam Romuli memoratu dignam esse non negant. Conspiciuntur igitur templum Iovis Capitolini et Romuli regia, aedificia illius temporis maxime memorabilia; conspicitur Manlius, adest anser; in parte adversa Galli iam arcem adscenderant. Ita res pingitur, quum esset in summo discrimine. Itaque caussa non est, ut versum dicamus ab alio illatum. Aliquam tamen movere potest dubitationem, quod Curiam Calabram Servius a Virgilio dixit significari. Erat ea in Capitolio. Cf. Varr. LL. 6, 27, qui 5, 13 quid ibi fiat exponit, quorum consentit Fest. Paul. p. 37 M. *Calabra curia dicebatur, ubi tantum ratio sacrorum gerebatur.* Sed non constat eam stramentis tectam fuisse, neque quomodo *regia* dici possit videmus. Alia est difficultas, quod Romulum Plutarchus (c. 20) ad Palatium scribit habitasse, et Fabius Pictor (eius enim verba sunt, quod bene vidit Reiskius) ap. Dion. A. R. 1, 79 refert καὶ εἰς ἐμὲ ἦν casa, quae Romuli dicitur, eamque qualem Vgl. describit, sed ad Palatinum montem esse narrat. Iam ex his scriptoribus poterit argumentum duci contra versum modo defensum. Nam etsi Vglii tempore bis ea casa concremata est, (cf. Dio Cass. 48, 43. 54, 29, anno 716 et 742) tamen eius locum mutatum esse probabile non est. Sed etiam contra eos scriptores stabit hic versus. Firmat enim auctor satis idoneus Vitruvius, Virgilii aequalis, qui 2, 1: *Item in Capitolio commonefacere potest et significare mores vetustatis Romuli casa in arce sacrorum stramentis tecta.*

655. *argenteus anser.* Ut albitudinem signaret, argenteum fecit. „Et satis prudenter argenteum anserem dixit. Nam quasi et epitheton est coloris et significavit rem veram; nam in Capitolio in honorem illius anseris, qui Gallorum nuntiaverat adventum, positus fuerat anser argenteus.“ S. — *volitans;* anser enim expansis alis volatum tentans clamores edere solet. — *auratis porticibus*, a Vulcano auro caelatis.

659. *aurea caesaries:* Galli h. l. ut

Virgatis lucent sagulis; tum lactea colla
Auro innectuntur; duo quisque Alpina coruscant
Gaesa manu, scutis protecti corpora longis.
Hic exsultantes Salios, nudosque Lupercos,
Lanigerosque apices, et lapsa ancilia caelo
Extuderat; castae ducebant sacra per urbem
Pilentis matres in mollibus. [Hinc procul addit
Tartareas etiam sedes, alta ostia Ditis;
Et scelerum poenas, et te, Catilina, minaci

Germani ubique flavis crinibus esse dicuntur.

660. „*virgatis lucent sagulis;* quae habebant in virgarum modum deductas vias.“ S. — *lactea colla*, cf. 10, 137. Candor corporum qui erat Gallorum laudatur a Liv. 38, 21. — *colla auro innectuntur* ita Ov. M. 6, 161 *lauroque innectite crinem.* Adhibuit igitur pro rebus diversam materiam. Eodem modo Gallum describit ornatum Sil. 4, 154 *Colla viri fulvo radiabant lactea torque; auro virgatae vestes, manicaeque rigebant ex auro, et simili rutilabat crista metallo.*

661. *duo quisque.* Poeta sibi sumpsit ponere cardinale, ubi distributivum in usu est, quum distributivi notio iam ex *quisque* satis esset conspicua. cf. Gr. § 122. 1. — Duo hastilia gerere bellatores, saepe memoratur, cf. 1. 312. 5, 557. 7, 688. 12. 165, et hastatos duobus missilibus armatos fuisse docet Polyb. 6, 23. — *innectere auro colla* cf. 6. 229.

662. *Gaesum* „grave iaculum“ Paul. Fest. Cui addit Muellerus: „Gaesum *δόρυ* vel *ἐμβόλιον ὁλοσίδηρον* fuisse traditur a Polluce 7, 33, 156 et Hesychio v. *γαισός*.“ p. 99. Consentit Serv.: Gaesa, hastas viriles. Nam etiam viros fortes Galli gaesos (Gaesatos) vocant.“ Dissentit Nonius qui p. 555.: „telum Galliarum tenerum.“ Sed etiam Romanos iis usos esse, multis docetur locis, imprimis Liv. 8, 8 „Leves, qui hastam tantum gaesaque gererent, vocabantur.“ — *scutis longis:* Cf. Liv. 38, 21 *Scuta longa, ceterum ad amplitudinem corporum parum lata et ea ipsa plana, male tegebant Gallos.* Itaque Gallorum scuta longiora erant et angustiora Romanis. Romanum scutum describit Polyb. 6, 23. Est quattuor pedes longum duos et dimidium latum et ita incurvatum, ut corpori maxime aptetur. Ex aere et ferro maximam partem constabant.

663. *exsultantes Salios* cf. 285. — *nudosque Lupercos* cf. 343.

664. *lanigerosque apices:* „Flamines in capite habebant pileum, in quo erat brevis virga desuper habens lanae aliquid; quod quum per aestus ferre non possent, filo tantum capita religare coeperunt; nam nudis penitus eos capitibus incedere nefas fuerat.“ S. *Et tollens apicem generoso vertice flamen* Luc. 1, 604. „Suetonius tria genera *pileorum* dixit, quibus sacerdotes utuntur, *apicem, tutulum, galerum.* Sed *apicem* pileum subtile (sutile?) circa medium virga eminente: *tutulum* pileum lanatum metae figura: *galerum* pileum ex pelle hostiae caesae.“ S. ad 2, 683 Cod. Fuld. Inde ap. Ov. F. 3, 397 est *apicatus Dialis* flamen Dialis et Ennius ap. Fest. p. 354. M. flamines dixit *tutulatos.* — Ut in Saliis saltationem, in Lupercis quod nudi incedunt, sic in Flaminibus signum memoravit, quo poterant cognosci; neque apices lanigeri inde tantum dicti sunt, quod *flamines* metro aptari non posset; — *lapsa ancilia* cf. 7, 188. Hanc quam Virgilius tangit historiam uberius narrat Ov. F. 3. 259—397.

665. *extundere* tundendo opera caelata fingere. — „*Pilenta* sunt vehicula, sicut nunc *basternas* videmus. Erant autem tunc veneti coloris, non ut nunc russati, quibus nisi castae non utebantur.“ S. „Pilentis et carpentis per urbem vehi matronis concessum est, quod quum aurum non reperiretur, ex voto, quod Camillus voverat Apollini Delphico, contulerunt,“ Fest. p. 245. M. Accuratius eum describit honorem Livius „ut pilento ad sacra ludosque, carpento festo profestoque die uterentur.“ 5, 25. — „Matronae pilentis vehebantur ad templa pergentes.“ S. ad 11, 478. — *ducere sacra:* Sic *thensas ducere* dicuntur qui ludis Circensibus ex Capitolio in Circum vehunt cf. Liv. 5, 41. 9, 40. Suet. Aug. 43. — *mollibus:* Sic *molle feretrum* 11, 64, *mollia oscilla* G. 2, 389.

668. Catilinam ex omnibus, qui contra rempublicam arma tulerant, elegit, quod evertendae civitatis crimen in eo erat manifestum. — *minaci scopulo pendet,*

Pendentem scopulo, Furiarumque ora trementem;
Secretosque pios; his dantem iura Catonem.]
Haec inter tumidi late maris ibat imago
Aurea: sed fluctu spumabant caerula cano;
Et circum argento clari delphines in orbem
Aequora verrebant caudis aestumque secabant.
In medio classes aeratas, Actia bella,
Cernere erat; totumque instructo Marte videres
Fervere Leucaten, auroque effulgere fluctus.
Hinc Augustus agens Italos in proelia Caesar
Cum Patribus Populoque, Penatibus et magnis dis,

qui minatur ruere eumque opprimere. Urgent etiam furiae. Itaque terrore tenetur ancipiti.

670. *secretosque pios*, seclusos ab impiis et tutos cf. Hor. C. 2, 13, 23 *vidimus . . Sedesque secretas piorum.* — Cato Censorius iam 6, 842 memoratur, neque is intelligitur, quod secundum tempora res Vgl. descripsit, et Uticensis qui in reipublicae libertate suam salutem ponebat, Catilinae rempublicam eversuro melius opponitur, praesertim quum Catonis in opprimendis Catilinariis partes fuerint primariae cf. Sall. Cat. 52. Tantopere autem eius laus ferebatur, ut vel sub Augusto et sequentibus imperatoribus eum laudare mos fuerit cf. Hor. C. 1, 12, 35 in carmine ad Augustum scripto. Adde quantopere extollat Lucanus. Sed aliud est, si Horatius *Catonis nobile letum* memorat; quis enim etiam in hoste et inimico hoc non agnoscat? et si Vgl. Catonem iudicem apud inferos constitui dicit. Deinde Aeneae tempore nondum poterat esse iudex Cato, nec minus offendit, quod Cato in Elysio iudicia agit, ubi iudiciis opus non est. (cf. 6, 673.) Deinde Cato *ipse manu sibi letum peperit*, quamvis *insons*; quare ex poetae doctrina ne admitti quidem potuit ad Elysium. Et „qui in libro octavo aliquid fingit contrarium rebus, quas finxit in libro sexto, ubi idem argumentum diligentissime elaboravit, is propter negligentiam et incogitantiam vehementer reprehendendus est.“ *Pl.* Servius h. l. Censorium intelligit, quod Uticensis maxime adversarius fuerit Caesaris. Neque Catilinae et Catonis memoria Augusto grata. — Tum poeta non indicavit, utrum Catonem intelligeret. Postremo *his dantem* etc. non bene cohaerent cum prioribus; neque totus locus per illud *hinc procul addit* bene additus est (Sed ea formula usus est 1, 469); neque praesenti per totam clipei descriptionem iterum usus est poeta. His indiciis eo perducimur, ut admodum suspectos versus habeamus. Accedit, ut praeterea *Romanorum triumphos* describat, hoc uno loco ab eo more recedat. Et inter res gloriosas Romanorum et ante Augusti splendidas laudes non opportuno loco Catilinae scelera et flagitia memorari videntur. *Rb.* hanc „parum aptam Tartari commemorationem“ servat propter *haec inter* v. 671 „quae non possunt intelligi, nisi statuamus inter Tartari et eorum quae in terra gesta finguntur imaginem Oceanum fluxisse. Tamen non dubito quin hunc maxime locum secundis curis poeta retractaturus fuerit.“ Assentitur Spitta, qui tamen v. 667 ex G. 4, 467 ab alio illatum putat. Ex illo *haec inter* tale quid non probari docetur ad v. 608. Et si v. 666 imperfectus est, ex *inter haec* nihil concluditur aliud, quam poetam aliqua fuisse additurum. *Ld.* vult *hic* dantem iura Catonem sc. Censorium, ut sit Tartari, Elysii et Iudicii imago. Cato Censorius iudex severus fuerat. — *Pl.* „Mihi quidem haec semper visa sunt tam inepta, ut, si Vgl. ipse posuerit, tunc, quum ponebat, omni iudicio destitutum fuisse arbitrer,“ eiicitque *Hinc procul — Catonem.*

672. Cf. *Leni canebant aequora sulco* Val. 3, 32 *Pl.* pro *aurea* coni. *caerula*, pro *caerula* coni. *aequora*, pro *aequora* coni. *litora* et 677 pro *auro* coni. *ferro.*

675. *Actia bella.* De adiectivi forma cf. 1, 686. — *in medio* sc. maris. — *naves aeratas* cf. 5, 198.

676. *Esse* cum infin. cf. 6, 266.

677. *auroque effulgere fluctus:* Resplendet enim mare, ex auro pictum, fulgore armorum. Quomodo id in opere ipso possit exprimi vix dicas; sed etiam totam pugnam, ut scripsit Vgl., quomodo possit aliquis caelare, nescis fortasse. Itaque non assentieris iis, qui quod fulgor ille non possit indicari in clipeo, verba *a. e. f.* sustulerunt.

679. De *Penatibus et magnis dis* cf.

Stans celsa in puppi: geminas cui tempora flammas
Laeta vomunt, patriumque aperitur vertice sidus.
Parte alia ventis et dis Agrippa secundis
Arduus agmen agens: cui, belli insigne superbum,
Tempora navali fulgent rostrata corona.
Hinc ope barbarica variisque Antonius armis,
Victor ab Aurorae populis et litore rubro,
Aegyptum, viresque Orientis, et ultima secum
Bactra vehit; sequiturque, nefas! Aegyptia coniunx.
Una omnes ruere, ac totum spumare reductis
Convolsum remis rostrisque tridentibus aequor.
Alta petunt: pelago credas innare revolsas
Cycladas, aut montes concurrere montibus altos:
Tanta mole viri turritis puppibus instant.
Stuppea flamma manu telisque volatile ferrum

3, 12. Magni dii sunt Romani Aegyptiis superiores.

680. *geminas cui temp. flammas laeta vomunt patr.* etc. Scilicet cassis magnum dedit splendorem cf. 620. „Augustus in honorem patris (Caesaris cuius post mortem nova stella apparuit in septentrione, ita ut in stellam mutatus esse putaretur. cf. Suet. Caes. 88.) stellam in galea coepit habere.“ S. — *aperiri* autem stella oriens dicitur. Narrant Suetonius et Servius Augustum igneos habuisse oculos.

684. *tempora navali f. rostrata corona.* „Insigne coronae classicae, quo nemo (inde est insigne superbum) unquam Romanorum donatus erat, hoc bello (contra Sext. Pompeium) Agrippa singulari virtute meruit“ Vell. 2, 81, 3. Idem Senec. de benef. 3, 32. Dio Cass. 49, 14. Ut ex Dione intelligimus, aurea erat, et in ea rostra caelata. Satis autem audacter, quod corona tempora ambit, ipsa dicit *rostrata*. cf. 12, 536.

685. In Antonii auxiliis describendis quaerit magnifica vocabula, ut maior videatur victoria. cf. 6, 831. — *variis armis.* Heinsius coniecit *Phariis* probante *Pl.*, ut Aegyptiis armis ipsum indutum esse Antonium poeta diceret. Sed varia erant arma diversorum populorum, quos Antonius adduxit; neque *ope barbarica* indutus est Antonius, sed ea utitur. *Gt.* coni. *auratisque.*

686. *victor ab;* qui victor rediit ab Aurorae populis cf. 7, 647. Victoriam quam de Parthis reportavit, non fuisse admodum insignem testantur, qui eas res scripserunt. — *litore rubro:* „mari Erythraeo, quod est inter Aegyptum et Indiam.“ S.

688. *Bactra* (Balkh) extrema in regione, quae nota erat Romanis. Narrat Plut. Ant. 61 etiam Medorum regem auxilia misisse. — *nefas!* Tales exclamationes Romani scriptores saepe ingerunt, saepissime Florus et Lucanus cf. 7, 73. Peregrinam autem in matrimonium ducere Romano flagitium erat cf. Hor. C. 3, 5, 5, alibi.

689. *Ruere* de cupidine pugnandi recte dicitur cf. 648. — *reductis remis.* Nam *reducunt ad pectora remos* Ov. M. 11, 461, qui remigant.

690. Idem v. 5, 143.

691. *credas.* Praesenti usus est poeta, quasi adsit clipeus. cf. 4, 401.

693. Ad rem cf. Flor. 4, 11, 5. „Nobis quadringentae amplius naves, ducentae non minus hostium (Antonii); sed numerum magnitudo pensabat. Quippe a senis in novenos remorum ordinibus, ad hoc turribus atque tabulatis allevatae, castellorum et urbium specie, non sine gemitu maris et labore ventorum ferebantur. Quaeritur uter praestiterit rem amplificando. — *turritis puppibus instant.* „Hoc de historia traxit; nam Agrippa primus hoc genus turrium invenit, ut de tabulatis subito erigerentur, simul ac ventum esset in proelium, turres hostibus improvisae.“ S. Turres autem et propugnacula iam ante erant Romanis Caes. BG. 3, 14.

694. *manu flamma stuppea*, et *telis* ferrum volatile iacitur, ferrum enim telis praefixum est. De re cf. Hor. C. 1, 37, 13 *vix una sospes navis ab ignibus.* et Dio. 50, 34 magnam Antoniarum navium partem igne iacto consumptam esse tradit. — Talia tela dicebantur *malleoli* et phalaricae. Veget 4, 18 „Malleoli

Spargitur; arva nova Neptunia caede rubescunt.
Regina in mediis patrio vocat agmina sistro;
Necdum etiam geminos a tergo respicit angues;
Omnigenumque deum monstra et latrator Anubis
Contra Neptunum et Venerem contraque Minervam
Tela tenent. Saevit medio in certamine Mavors
Caelatus ferro, tristesque ex aethere Dirae;
Et scissa gaudens vadit Discordia palla;
Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.
Actius haec cernens arcum intendebat Apollo
Desuper: omnis eo terrore Aegyptus et Indi,
Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabaei.
Ipsa videbatur ventis regina vocatis
Vela dare, et laxos iam iamque immittere funes.
Illam inter caedes pallentem morte futura

velut sagittae sunt et ubi adhaeserint (quia ardentes veniunt) universa conflagrant. Phalarica autem, ad modum hastae, valido praefigitur ferro, inter tubum et hastile sulfure resina, bitumine stupisque convolvitur infuso oleo, quod incendiarium vocant, quae balistae impetu destinata, perrupto munimine ardens figitur ligno, turritamque machinam frequenter incendit." Non. p. 556 „Malleoli, manipuli spartei pice contecti, qui incensi aut in muros aut in testudines iaciuntur" et ut h. l. in naves.

695. *spargitur* cf. 12, 51. — *arva Neptunia*, mare. — *caede nova* „magna, nimia" S.

696. *Regina:* Cleopatra. „Augustus in commemoratione vitae suae refert, Antonium iussisse, ut (sic) legiones suae apud Cleopatram excubarent eiusque nutu (sic) et iussu parerent." S. *Sistrum* instrumentum Aegyptium (hinc patrium) ex metallo factum, arguto sono et in sacris Isidis usurpatum. cf. Prop. 3, 9, 43 *Romanamque tubam crepitanti pellere sistro.* Lucan. 10, 64 *Terruit illa* (Cleop.) *suo, si fas, Capitolia sistro, Et Romana petit imbelli signa Canopo.* Isidis sacra iam eo tempore a Romanis recepta erant mulieribus, quae sistro suo crepitabant. Neque tamen ex his poetarum locis consequitur, etiam ad belli usum sistrum fuisse accomodatum. Cleopatra enim in bellum profecta est quasi ad ludum et iocum cum turba feminarum. Itaque illis locis sistrum cum summa indignatione memorant poetae. Isidis autem cultus et sistri usus apud Romanos per omne tempus infamis erat.

697. *necdum etc.* Itaque Vulcanus fecit a tergo Cleopatrae duos angues, signum eius mortis futurae; aspide enim admota se dicitur interfecisse. De eius morte cf. Strabo 17, 1, 10. p. 795. Dio 51, 14. Plut. Ant. 85 sq. Flor. 4, 11. Vell. 2, 87. Hor. C. 1, 37, 26.

698. *deum monstra:* Formae deorum Aegyptiorum ab humana multum recedentes facie, Graeco Romanove homini vere monstruosae poterant videri. „Varro indignatur Alexandrinos deos Romae coli," S. quod a Sullanis inde temporibus factum est. — *latrator Anubis* cf. Prop. 3, 9, 41 *Ausa Iovi nostro latrantem opponere Anubim.* „Latrator A., quia capite canino pingitur." — Est deorum certamen non hominum. — *amnigenum* coni. E. Hoffm. laudat *Ld. Niligenum Lch.* Lucr. p. 292.

701. *caelatus ferro* Mars est cf. v. 654. In sequentibus vel pallorem v. 709. exprimit metallo, et docuit Plinius (34, 14, 40.) caelatores mixtis diverso modo metallis etiam animi affectus reddere conatos esse. — *Dirae ex aethere:* Sic alata est Furia 7, 476 et *Εὐμενίδες αἵ τε τὸν ταναὸν αἰθέρ᾽ ἀμπάλλεθ᾽* Eur. Or. 315.

704. *Apollo desuper*, de templo suo Actiaco; de quo iam 3, 274.

706. *Sabaei* Arabum gens divitiis clara. Ex Arabia Malchus rex inter auxiliares Antonii memoratur ap. Plut. Ant. 61.

707. Venti ut dii et placantur et vocantur in auxilium ut 3, 253. 5, 211.

708. *laxos immittere funes*, quo magis vela ventum possent excipere. cf. 10, 229. *vela dare* cf. 3, 9.

709. *pallentem morte futura:* Iam quasi praesentit suam sortem.

Fecerat Ignipotens undis et Iapyge ferri;
Contra autem magno maerentem corpore Nilum,
Pandentemque sinus et tota veste vocantem
Caeruleum in gremium latebrosaque flumina victos.
At Caesar triplici invectus Romana triumpho
Moenia, dis Italis votum immortale sacrabat,
Maxima tercentum totam delubra per Urbem.
Laetitia ludisque viae plausuque fremebant;
Omnibus in templis matrum chorus, omnibus arae;
Ante aras terram caesi stravere iuvenci.
Ipse, sedens niveo candentis limine Phoebi,
Dona recognoscit populorum, aptatque superbis
Postibus: incedunt victae longo ordine gentes,
Quam variae linguis, habitu tam vestis et armis.
Hic Nomadum genus et discinctos Mulciber Afros,

710. *Iapyge* „vento, qui de Apulia flans optime ad Orientem ducit; Iapygia enim Apulia dicta est.“ S. cf. Hor. C. 1, 3, 4.

711. Nilus deus maeret de clade, simulque refugium promittit. Omnino enim mirati sunt Romani, quod Cleopatra usa terrae natura se in altiores Aegypti partes non recepisset, ubi eam reperire et vincere magnus labor erat. Hor. C. 1, 37, 21 *Cleopatram, quae generosius perire quaerens, nec muliebriter expavit ensem, nec latentes classe cita reparavit oras.*“

712. tota veste vocantem. „Wie wir mit Tüchern abreisenden oder ankommenden Freunden Zeichen geben, so die Alten mit dem Kleide oder der Toga Ov. Am. 3, 2. 73 *Revocate, Quirites, Et date iactatis undique signa togis.* Veg. de re mil. 3, 5 „Praeterea manu aliquid vel flagello vel certe mota veste significat“ Ld.

713. *gremium et latebrosa flumina*, ubi lateret Cleopatra, quod fontes Nili ignoti sunt.

714. *triplici:* „Nam primo die triumphavit exercitus, qui Antonium vicerat, secundo qui Dalmatas vicerat; tertio ipse cum Alexandrino est ingressus triumpho.“ S. Suet. Oct. 22.

715. Itaque victoriae votum Augusti fuisse fingitur templorum collapsorum reparatio. Saepius Augustus ob restituta templa laudatur a scriptoribus eius aetatis; cf. Hor. C. 3, 6. Suet. 29.

716. *ter centum:* numerus rotundus ut dicitur. Augustus enim erat restitutor omnium templorum Liv. 4, 20. Describuntur deinde supplicationes in triumphis factae, ubi matronae per delubra vagabantur cf. Liv. 5, 23, et sacra fiebant: omnibus in templis eae sunt; in omnibus arae, ad quas hostiae mactantur.

717. De laetitia, qua exceptus est Augustus, refert Vell. 2, 89.

719. *Pl.* coni. *omnibus arae Ardentes*, „quod magnopere placet *Rb.*“

720. Ipse fingitur Augustus triumpho acto ante Apollinis Palatini templum sedens et recognoscens populos a se victos, in quibus non modo qui sub Antonio militarant refert poeta, sed qui omnino ab eo victi sunt. — *candentis* cf. 5, 571. — Participium pro adiectivo cf. 1, 681. Sic usu receptum *sapiens*, *diligens*, alia.

721. *Dona populorum*, quae triumphantibus a victis dari solebant, imprimis coronae cf. Liv. 40, 43. Inde ortum est sub imperatoribus aurum coronarium, quod subditi certis temporibus dare iubebantur. „Aurum coronarium dicit, quod hodieque a victis gentibus datur. Imponebant autem hoc imperatores propter concessam vitam.“ S. — *superbis postibus* ex more cf. 196. 202. „Porticum enim Augustus fecerat, in qua simulacra omnium gentium collocaverat, quae porticus appellabatur *Ad nationes.*“ S.

723. Sic Luc. 3, 228 *coiere nec unquam tam variae cultu gentes, tam dissona vulgi ora.* Claud. Stil. 1, 152 *nec tantis dissona linguis turba, nec armorum cultu diversior unquam confluxit populus.*

724. *Nomadum* i. e. Numidarum *genus et Afros*, qui erant in partibus Antonii. — *discinctos* sc. armis detractis. Ita Flor. 2, 4, 3 *Victos Aemilius in Capitolio discinxit.* Mart. 9, 101, 5 (Hercules) *Peltatam Scythico discinxit Amazona nodo.* — Putant etiam discinctos esse dictos, quod cingulo non uterentur

Hic Lelegas Carasque sagittiferosque Gelonos
Finxerat; Euphrates ibat iam mollior undis,
Extremique hominum Morini, Rhenusque bicornis;
Indomitique Dahae, et pontem indignatus Araxes.
Talia per clipeum Volcani, dona parentis,
Miratur, rerumque ignarus imagine gaudet;
Attollens humero famamque et fata nepotum.

Afri (Sil. 3, 236); ap. Romanos autem male cingi tunicam probrum erat.

725. Leleges et Cares, iam ante Iones clari, Asiam minorem incolebant. Posuit igitur eorum nomina pro iis, qui tum eam terram incolebant, vetustate nominum carmini quaerens dignitatem. — *Geloni*, populus ultra Istrum, cum Dacis, Sarmatis et Getis miscentur. — *sagittiferos* cf. Hor. C. 3, 4, 35 *pharetrati Geloni*.

726. *Euphrates mollior it undis*, quod domitus est. Ita Hor. C. 2, 9, 21 dicit *Medum flumen minores volvere vortices*. Parthi enim signa Crasso erepta remittentes victos se profitebantur cf. ad 1, 289. Quod fluvio tribuitur, quod est accolarum cf. 6, 801.

727. *extremi hominum Morini* cf. Caes. BG. 2, 4. 3, 9. 28. etc. Habitabant extremam Galliam, Britanniae proximi; quae quum alius dicatur orbis, (cf. Ecl. 1, 67. Claud. de Cons. Mall. 51 *nostro diducta Britannia mundo.*) recte sunt extremi hominum Morini. — *Rhenus bicornis*. Duo enim habebat eo tempore ostia, Rhenum et Vahalim (Waal).

728. *Dahae*, Nomades ad Caspium mare habitantes. — *Araxes*, fluvius Armeniae, quae Augusto parebat; et Augustum firmo ponte eum fluvium iunxisse narrat Servius. — *pontem indignatus*. Sic Val. Fl. 1, 9 *Oceanus Phrygios prius indignatus Iulos*, al.

729. Talia et alia (cf. v. 608) per clipeum miratur a parente donatum. — *clipeum — dona parentis*. Pluralis appositus singulari, ut 5, 359 *clipeum, Didymaonis artes*. 6, 26. Sil. 2, 396 *Ecce autem clipeum Oceani gentes ductori dona ferebant. Callaicae telluris opus.* 6, 645 *ingentem taurum, dona Iovi*. Stat. Theb. 2, 586 *ensem — Mavortia munera*. 10, 58 *peplum — castae velamina divae*. cf. 7, 98 et Gr. § 362, An. 2.

731. „Hunc versum notant Critici, quasi superflue et inutiliter additum, nec convenientem gravitati eius, namque est magis neotericus." S. — Fama est gloria, et fata res gestae, quas ex fatis gerent. Aeneas autem, qui laetatur rerum imagine, quid significent nescit, et ignarus tollit simul cum clipeo suorum fata. Et summi critici hunc versum defenderunt.

Solent homines docti in Homeri carminibus, quamquam multi opinantur ea esse conglutinata, tamen perfecta et absoluta censere omnia. Quod faciant ut libet, modo ne iniuste reprehenderent alios. Sic Vglium saepe comparant ita, ut multo eum Homero censeant esse inferiorem. Sic h. l. *Ld.* reprehendit Vglium, quod scutum iam factum describat, non fieri, ut Homerus, deinde quod non nisi Romanas res in eo factas sumat. Addit Gabbari Progr. Trient 68, quod officina Vulcani pluribus describatur, quam apud Homerum, quod apud Homerum officina sit in caelo, contra apud Virgilium Vulcanus e caelo in terram ire et redire cogatur, quod apud Homerum scutum Vulcanus faciat ipse, apud Virgilium per Cyclopes; laudat etiam quod lavatur Vulcanus antequam Thetidem accipiat (Quod opus non erat apud Virgilium). Igitur „non modo Virgilium superat, verum etiam inexsuperabilis videtur." Iam excusandus Vgl., si non superat inexsuperabilem! At quam inania sunt illa quae obiecta sunt. Nonne poterant poetae duo diversa diverse narrando uterque esse probus?

P. VIRGILII MARONIS

AENEIDOS

LIBER NONUS.

Atque ea diversa penitus dum parte geruntur,
Irim de caelo misit Saturnia Iuno
Audacem ad Turnum. Luco tum forte parentis
Pilumni Turnus sacrata valle sedebat.
Ad quem sic roseo Thaumantias ore locuta est:
Turne, quod optanti divom promittere nemo

Dum abest Aeneas, locus est Turni efferre virtutes. Id facere opus erat, ut Aeneae in Turni victoria laus esset. Fecit id Vgl. summa arte, modo simplicissimo. Boni ducis erat arripere occasionem, qua a suis Aeneas aberat. Deinde ita illustranda erat Turni virtus, tanta erat ei danda victoria, ut laudem ipse summam adipisceretur, servarentur hostes. Quum castra Troianorum Turnus oppugnaret, duo poterant esse casus, aut ut expugnaret, aut ut repelleretur. Si illud factum esset, Troianis exstinctis, Ascanio amisso, Aeneae non superfuit quod restitueret; si hoc, Aeneae eiusque sociis nihil erat re peracta faciendum, neque laus paranda, quum Turnus iam a solis Troianis cessisset; immo Aeneae cognita esset formido, qui auxilia quaesiverat contra eum, qui a Troianis suo a duce desertis iam victus erat. Hoc libro Turnus vincit quidem et egregie vincit, sed violentia sua, quae ei propria est, ita abripitur, victoria ut non satis uteretur (cf. v. 757). Hoc vero cognoscimus Troianos interituros, nisi auxilio allato servarentur.

1—24. Turnus ab Iride ad bellum excitatur.

1. *Diversa penitus* iungendum. cf. 12, 256.

2. Idem versus 5, 606.

3. *audacem.* Audacia eius maxime inde conspicitur, quod statim etsi nescit a quo deo monitus sit, cupit pugnare, deinde quod cupit, quum ab Iride ne spes quidem victoriae sit ostentata. Providus vir omina firmari, certas spes ostendi postulasset. Attende praeterea Iridem verbo vera tradere, re falsa: Caere extrema quidem urbs est Etruriae, sed ab ea parte quae Latio est proxima.

4. *Pilumni parentis* cf. 10, 619: cui hunc locum non adversari docebunt verba iurisconsulti: „Appellatione enim *parentis* non tantum pater, sed etiam avus et proavus et deinceps omnes superiores continentur, sed et mater, et avia et proavia.“ Forc. ex Ulp. Quare caussa non erat, ut *parentis* improbaretur, et pro eo inferretur *virenti*. — *sacrata valle* Mss.; unus et schol. Statii Theb. 1, 104 habere dicitur *secreta*, quod hoc loco praeferrem cum *Pt*, si satis firmatum esse scirem. Satis est eum fuisse in luco, non opus est addito *sacrata valle;* sed aptius addebatur, eum fuisse solum.

5. *Thaumantias*, Iris Thaumantis et Electrae Oceaninae filia.

6. *divum nemo.* „*Nemo* pro *nullus* posuit, et est Acyrologia. Nam *divum nemo* non possumus dicere, quum pro-

Auderet, volvenda dies, en, attulit ultro.
Aeneas urbe et sociis et classe relicta
Sceptra Palatini sedemque petit Euandri.
Nec satis: extremas Corythi penetravit ad urbes,
Lydorumque manum, collectos armat agrestes.
Quid dubitas? nunc tempus equos, nunc poscere currus.
Rumpe moras omnes et turbata arripe castra.
Dixit, et in caelum paribus se sustulit alis,
Ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum.
Adgnovit iuvenis, duplicesque ad sidera palmas
Sustulit, et tali fugientem est voce secutus:
Iri, decus caeli, quis te mihi nubibus actam
Detulit in terras? unde haec tam clara repente
Tempestas? medium video discedere caelum,
Palantesque polo stellas. Sequor omina tanta,
Quisquis in arma vocas. Et sic effatus ad undam
Processit, summoque hausit de gurgite lymphas,
Multa deos orans; oneravitque aethera votis.
    Iamque omnis campis exercitus ibat apertis,
Dives equum, dives pictai vestis et auri;

prie *nemo* sit *nec homo.*" S. Recte haec monuit S.; non tamen puto Romanorum quisquam in eo vocabulo haesisse, nisi qui erat grammaticus cf. Liv. 9, 1.

7. *auderet*, cf 3, 187. — *volvenda dies*. Recte gerundivum: dies, cuius est ut volvatur, praetereat; quare cunctandum non est, nam non redibit occasio, quae nunc offertur. Male: *qui volvitur*, esset enim otiosum. Cf. 1, 269.

8. *urbe* i. e. Troia nova ut 48. cf. 7, 158. „Hanc *Castrum Laurens* ait dici Varro." S.

9. *sceptra*, regnum; cf. 1, 253. *Palatini — que Evandri* cf. 8, 168.

10. *Corythi ad urbes* i. e. Etruriae cf. 3, 170. — *Petit* praesens recte, nam adhuc in petendo occupatus est; *penetravit* perfectum non minus recte; indicat enim, quo usque iam processerit. cf. § 10.

11. *Lydorum*, Tuscorum cf. 8, 479. — *agrestes* ita 10, 310 *turmae agrestes* memorantur. — *collectos* MPRb. al. *collectosque* num in ullo Ms? rec. *Ld. Pl.*

12. *tempus* c. inf. cf. 5, 638.

13. Sic *arripere locum*, *terram* saepius cf. 3, 477. 10, 298. 11, 531. — *Turbata arripe* contractum pro turba et arripe. *Gt.* coni. *atque orbata.* — *rumpe moras* ita 4, 569.

14. *paribus alis* cf. 4, 252.

15. Iidem fere versus 5, 657. 58.

16. *duplices palmas* cf. 1, 93. — *palmas* 5, 233.

17. *et* MR, *ac* dat *Rb.*

18. *quis:* „Irim tantum agnovit, non et a quo missa esset . . . hinc est *quis te* etc." S. et inde v. 22 *quisquis.* cf. 4, 577. — *decus caeli;* ita Luna ap. Hor. CS. 2 *lucidum caeli decus* dicitur. — *nubibus actam* ut 10, 38 „quia sine nubis beneficio arcus non videtur." S.

19. *clara repente tempestas:* Ortum est caelum serenum statim interveniente dea. cf. 1, 255.

20. *discedere caelum*, ita ut per foramen adspicere liceat stellas supra caelum positas; caelum enim quasi velum est stellis obductum.

21. et *sequor* et *sequar* in Mss. *Sequor omina* est accipio omen, cf. 4, 576 *sequimur te, sancte deorum.* — Quae, si ad probandum non sufficiunt indicativum, adde 12, 13.

23. Statim post omen acceptum libat cf. 3, 177.

24. *oneravitque aethera votis:* Vota facit diis, si secundent inceptum. Pro diis *aethera* dixit Vgl., in quo habitant. Sic aurae invocantur 7, 593, et caeli spirabile numen in testimonium vocatur 3, 600.

25 — 76. Turnus Troianorum castra frustra aggressus naves incendere parat.

25. *campis apertis* cf. 5, 212.

26. *pictai* cf. 3, 354. — *Dives pictai vestis et auri:* Armorum ornatum Itali,

Messapus primas acies, postrema coercent
Tyrrhidae iuvenes; medio dux agmine Turnus:
[Vertitur arma tenens, et toto vertice supra est.]
Ceu septem surgens sedatis amnibus altus
Per tacitum Ganges, aut pingui flumine Nilus
Quum refluit campis, et iam se condidit alveo.
Hic subitam nigro glomerari pulvere nubem
Prospiciunt Teucri ac tenebras insurgere campis.
Primus ab adversa conclamat mole Caicus:
Quis globus, o cives, caligine volvitur atra!
Ferte citi ferrum, date tela, adscendite muros,
Hostis adest, heia. Ingenti clamore per omnes
Condunt se Teucri portas, et moenia complent.
Namque ita discedens praeceperat optimus armis
Aeneas: si qua interea fortuna fuisset,

ut omnes gentes bellicosae, amasse videntur cf. 7, 785. Constat de Samnitibus cf. Flor. 1, 16, 7 *gentem, si opulentiam quaeris aureis et argenteis armis, discolori veste usque ad ambitum armatam.* Et de eo loco Niebuhr. — Aureis clipeis usi sunt duces Carthaginienses Plin. XII. 35, 3, 4.

27. *Messapus* cf. 7, 691.

28. *Tyrrhidae*, Tyrrhi pastoris filii. 7, 484. 532.

29. *vertitur etc.* Hic versus abest a MPRγbc al. et legitur iam 7, 784, unde in nonnullis libris huc videtur translatus esse, et male ante comparatum inseritur. Itali antea tumultu excitati, ut l. VII. narratur, et huc illuc discursitantes iam instructa acie et taciti procedunt: hinc comparantur cum flumine, quod antea exundans campis et sonitu fragoso tonans iam in alveum suum recedit et undis profluit sedatioribus. *Gr.* eiicit etiam v. 30—32.

31. *Ganges* „qui secundum Senecam in situ Indiae novem alveis fluit, secundum Melonem (sic)? septem.“ S. Mela 3, 7: *Ganges . . . in septem ora dispergitur.* Itaque is numerus etiam ab aliis datur. Satis nota sunt *septemflua flumina Nili.* Multiflua flumina posuit, quod etiam diversa agmina contra castra, procedunt. Comparatio est omnibus numeris absoluta. — *pingui flumine:* Nilus limum secum fert et eo agros reddit fertiles. — *per tacitum* adverbium cf. 5, 793. Sic *per tacitum* Sil. 10, 353, ubi somnus dicitur *per tacitum allapus.* Sen. Thyest. 396 *Leni perfruar otio; nullis nota Quiritibus aetas per tacitum fluat.*

32. Quod autem comparatio infertur per *quum — Nilus* etc. caussa non est offensionis; quum saepissime ea forma usus sit Vgl. cf. 4, 402. Itaque h. l. iunge. Tam *taciti* incedunt ceu quum Ganges aut Nilus in alveo contractus fluit. Obscurata est aliquantulum structura, quod *quum* propius finem positum est. — *refluit* sc. de *campis* cf. 1, 358. *Kl.* et *Ld.* ex *ibat* supplent *it* ad *Ganges* et *Nilus.*

35. *adversa mole* i. e. turri Latinis advenientibus opposita.

36. *Quis* „admirantis est; non enim interrogat, qui nuntiat.“ S. — *caligine* cf. 7, 526.

37. *date tela*, ut 4, 594. — *date tela ascendite* M. alii. *Ascendere* verbum legitur v. 507 itaque Vgl. non respuit ut nimis pedestre vocabulum. — *tela scandite* alii absorpta una *a* litera, ut 10, 251. — *tela etscandite* alii, ut FRbc, quod est *escendite.* Cf. § 8.

38. *Heia* est exhortantis et excitantis; sic cum imperativo iungitur 4, 569. — De clamore cf. 11, 622.

39. *condunt se:* Recipiunt intra muros, qui extra fuerant.

40. *namque:* „Excusatio Troianorum, ne portas clausisse timore viderentur“ S. cf. 44. Sunt modo obedientes dictis imperatoris. — *optimus armis:* „Peritus armorum, dux egregius, qui et futura providet.“ S. — *Bonus* cum ablativo rei, qua quis bonus est et excellit, iungitur. Sic *bonus iaculo* 572. *bonus militia* Tac. An. 1, 3. *b. consilio* Sall. Iug. 7. al. — *melior iaculo* 5, 68 *pedibus* 9, 556 *armis* 10, 735 *lingua* 11, 338. *melior bello* Sall. Iug. 13. 49. Liv. 7, 9. 25, 18. *pugna melior* Hor. Ep. 1, 10, 34. *m. sagittis* C. 3, 6, 16. — *optimus bello* Liv. 38, 15. *optimus hasta* Val. Fl. 1, 143.

41. *Fortuna fuisset:* Sunt qui praeferant *tulisset*, aut *novasset* (*Pl.*) cf. 5, 604.

Neu struere auderent aciem, neu credere campo;
Castra modo et tutos servarent aggere muros.
Ergo etsi conferre manum pudor iraque monstrat,
Obiiciunt portas tamen et praecepta facessunt,
Armatique cavis exspectant turribus hostem.
Turnus, ut ante volans tardum praecesserat agmen,
Viginti lectis equitum comitatus, et urbi
Improvisus adest; maculis quem Thracius albis
Portat equus, cristaque tegit galea aurea rubra:
Ecquis erit mecum, iuvenes, qui primus in hostem?
En, ait. Et iaculum adtorquens emittit in auras,
Principium pugnae, et campo sese arduus infert.
Clamorem excipiunt socii fremituque sequuntur
Horrisono; Teucrum mirantur inertia corda,
Non aequo dare se campo, non obvia ferre
Arma viros, sed castra fovere. Huc turbidus atque huc
Lustrat equo muros, aditumque per avia quaerit.
Ac veluti pleno lupus insidiatus ovili

quum *fortuna* non nisi de *secunda fortuna* dicatur. Quod falsum est cf. 2, 79. Fortuna nec secunda nec adversa est; si esset, ea adiectiva non adderentur. Facile autem poterat providere, se absente Turnum aliquid esse ausurum. — *fuisset* cf. 2, 94.

43. *aggere muros* cf. 10, 24.

45. *facessunt* cf. 4, 295.

47. *tardum*, sc. peditum, qui non tam celeriter sequi poterant.

48. *improvisus*, quod agmini antecedit. „Omnino scribendum arbitror *V. l. c. comitantibus, urbi l. a.*" *Pl.*

49. Thracus equus cf. 5, 311. Sed facile poterat poeta fingere, iam eo tempore equos Thracios in Italia fuisse.

50. *crista galea aurea rubra:* „Duo ablativi sunt et duo nominativi, quos metrica ratione discernimus. Sane huius modi versus pessimi sunt." S. Sic v. 181. Peiores erant eo tempore, quo longum *a*, si extrema erat littera, a brevi non discernebatur. Ablativus est qualitatis cf. 1, 71. — De cristis cf. 7, 785. — Post *rubra* punctum solet poni. Quod si fieret, recte monuit Heynius *et* post *comitatus* melius abesse. Neque ego video ullam rationem verborum iungendorum aliam; nam quae facta est: *Turnus, ut praecesserat, comitatus et improvisus adest*, eam nullam esse iudico. Aut *adest* est in apodosi, quae voce *rubra* clauditur, et est *et* delendum, aut si *et*, sive si librorum verba intacta relinquere est in animo, post *rubra* punctum tollendum est, *adest* ad protasin referendum, cuius in apodosi est *ait* v. 52. Si prius probaveris, melius erit Peerlkampii *comitantibus*, ductum e 3, 346.

51. Quis est, qui primus mecum in hostem irruere velit. *Pl.* dat *Eequis io! Gl.* coni. *Ecquis, ait*, et 52 *inruat* pro *en ait.*

52. *adtorquens* h. l. tantum legitur ap. Virgilium, aptum quod alte mittendum est telum, hinrichtend. Similia *advelare* 5, 246, *adlacrimare* 10, 628. — In uno Med. est *intorquens*, quod ex 10, 323 huc videtur translatum; in paucis *torquens*.

53. *principium pugnae:* de acc. cf. 11, 76. Ad rem refer quae Liv. 1, 32 dat de fetialibus Romanorum, apud quos Fetialium primus, qui erat Pater patratus, hasta in hostium fines missa bellum factum esse indicabat. Turnus advocat comites ut facti sint testes, non qui ipsi iacula mittant.

54. *Clamorem* MPγ1bc *clamore* FRγ2. Utrumque iam legit Servius et utrumque explicat.

55. Dare se campo est prodire in apertum. Ignavi videntur esse Troiani, quum aequo campo decertare ne conentur quidem. — *mirantur* iungitur accusativo et infinitivo cum accusativo cf. 3, 180.

57. *castra fovere:* „Veteres *fovere* pro *diu incolere* et *habitare* dicebant." S. Ita G. 3, 420. 4, 43. — *turbidus* cf. 12, 10. — *huc atque huc* cf. 12, 558.

58. *aditumque per avia q.:* „Exprimitur Turni violentia, nam viam per avia nullus requirit." S. — *lustrat muros* cf. 2, 528.

59. De hominis et lupi comparatione cf. 2, 356. — *insidiatus* et *perpessus*

Quum fremit ad caulas, ventos perpessus et imbres,
Nocte super media; tuti sub matribus agni
Balatum exercent: ille asper et improbus ira
Saevit in absentes; collecta fatigat edendi
Ex longo rabies, et siccae sanguine fauces:
Haud aliter Rutulo, muros et castra tuenti,
Ignescunt irae; duris dolor ossibus ardet,
Qua tentet ratione aditus, et quae via clausos
Excutiat Teucros vallo atque effundat in aequum.
Classem, quae lateri castrorum adiuncta latebat,
Aggeribus saeptam circum et fluvialibus undis.
Invadit, sociosque incendia poscit ovantes,
Atque manum pinu flagranti fervidus implet.
Tum vero incumbunt — urguet praesentia Turni —
Atque omnis facibus pubes accingitur atris.
Diripuere focos; piceum fert fumida lumen
Taeda et commixtam Volcanus ad astra favillam.
Quis deus, o Musae, tam saeva incendia Teucris
Avertit? tantos ratibus quis depulit ignes?

perfecta sunt, non praesentia cf. 5, 113. Diu frustra insidiatus et imbres perpessus fremit et fertur rabie, qua iam multo minus, quam insidiis, quidquam perficiet neque oves territabit. — *ac veluti quum* cf. 4, 402.

61. *nocte super media* cf. 6, 203.

62. *improbus*, nimius, vehemens, cf. 2, 356.

63. *saevit ira* iunge ex praecepto Servii. — *in absentes:* „Phantasiam saevitiae expressit, quia lupi sic circa caulas fremunt, ut in ipsis animalibus solent.“ S. Cf. Val. Fl. 3, 589 *frangit et absentem vacuis sub dentibus hostem.*

64. *rabies edendi*, fames acerrima, cf. 6, 421, ex longo tempore collecta. Ita *colligere rabiem* Ov. M. 1, 233. — *siccae sanguine fauces* cf. 3, 69. 8, 261.

67. *qua ratione* possit in castra irrumpere, *et* (pro quo *aut* exspectaveris) qua ratione e castris elicere Troianos. Recte autem etiam *et* dictum, quod utrum fiat Turni nihil interest cf. 2, 37. Vult modo sibi pugnandi fieri potestatem. Tamen *Pl.* poscit *aut* pro *et.* — *qua via* FMγbc, ex quo quis rei metricae quam grammaticae peritior scripsit *quae via*, quod est in R et P; sed in hoc expunctum est *e*. Utrumque agnoscit Servius. *Rb.* coni. *qua vi.*

68. *effundat in aequum* FMP2R. — *aequor* P1 rec. *Rb.* Re non differt, nam *in aequum* est, ubi aequa esset pugna, et *aequor* est camporum cf. Liv. 22, 12 *in aequum degressus.*

69. Quum ad castra aditum nullum reperisset, invasit classem, quae in flumine munita quidem aggere, sed extra castra stabat, eamque incendere parat, ut Troiani classi subvenire et proelium inire cogerentur.

72. *fervidus implet*, ut 350. 10, 788 *fervidus instat;* adiectivo ad subiectum tracto. Cf. 5, 137. *Rb.* post v. 72 infert v. 146. 147. Idem facit *Ld.*

73. *urguet praesentia Turni*: Milites ubi a duce se conspici intelligunt, maiore studio in proelium feruntur.

74. *accingitur facibus* „armatur, instruitur.“ S. Nove hoc dictum cf. 12, 451. — *atris*, fumidis, tristi omine, cf. v. 719.

75. „Quaeritur quid sibi faciant foci. Sed in carminibus quaedam nec ad subtilitatem nec ad veritatem exigenda sunt.“ S. Aliter *Pl.:* „Quicunque in casis rusticorum invenirentur. Hinc rapiebant ligna sub cinere posita.“ Neque tamen tam prope habitasse videntur a castris Troianorum Latini. Videtur autem poeta cogitasse focos, qui erant in castris Latinorum cf. v. 160. Noluit autem verbis extendere tempus, per quod Turnus quid faciat deliberat, et quod intercessit, dum faces apportarentur. Simile 5, 660.

77 — 122. Troianorum naves in nymphas mutatae.

77. Idem narrat Ov. M. 14, 525 — 565. — *o Musae:* „quia res deorum est et ardua, ideo per se eam non potest dicere.“ S. Cf. 7, 641.

Dicite. Prisca fides facto, sed fama perennis.
Tempore quo primum Phrygia formabat in Ida
Aeneas classem, et pelagi petere alta parabat;
Ipsa deum fertur genetrix Berecyntia magnum
Vocibus his adfata Iovem: Da, nate, petenti,
Quod tua cara parens domito te poscit Olympo.
Pinea silva mihi, multos dilecta per annos;
Lucus in arce fuit summa, quo sacra ferebant,
Nigranti picea trabibusque obscurus acernis:
Has ego Dardanio iuveni, quum classis egeret,
Laeta dedi; nunc sollicitam timor anxius angit.
Solve metus, atque hoc precibus sine posse parentem,
Neu cursu quassatae ullo neu turbine venti
Vincantur; prosit nostris in montibus ortas.
Filius huic contra, torquet qui sidera mundi:

79. *prisca fides facto etc.:* „Antiquitas difficile pura et incorrupta manat in posteros." S. Firmatur ex eo, quod fama est perennis. Cf. 1, 15 et Ov. M. 1, 400 *Quis hoc credat, nisi sit pro teste vetustas.*

80. *Phrygia;* nam et aliae erant Idae. Ida autem silvis consita est cf. Ov. M. 13, 324. De classis aedificatione 3, 5.

82. *fertur* cf. 1, 15. — *deum mater Berecyntia* cf. 6, 785.

83. *da nate petenti* „ac si diceret: ei quae iubere debuerat." S. Addit etiam *parens.*

84. *domito Olympo:* „Videtur hoc dicere: Praesta ei, cuius beneficio servatus ad Olympi regna venisti. Saturnus enim quum omnes consumeret filios, Iovem solum esse non potuit, celatum matris auxilio." S. Cybele autem et Rhea eadem habetur. Simul id indicat: qui Olympum domare potuit, poterit etiam facere, quae cupio. „Melior (?) esset versus ita conceptus: *Quod te per domitum poscit tua mater Olympum*" *Pl.*

85. *Pinea silva:* „Pinus in tutela est matris deum." S. *Rb.* hunc v. dittographiam putans delet, *Hn.* duos v. sequentes.

86. *in arce summa* sc. in monte Idae, cuius cacumen Gargara. — *Arx* de monte Ov. M. 1, 467 *Parnasi arce.* Sen. Oed. 227 *gemina Parnasi nivalis arx.* Avien. D. T. 1210 *ab arce rupis.* Cf. 2, 322 et Berg u. Burg. — *quo sacra ferebant:* „Non addit qui, sed intelligimus Phrygas." S.

87. *trabes:* „Notandum, trabes eum dixisse de arboribus, quum non dicantur *trabes*, nisi iam caesae sint et compositae." S. Sic ap. Sil. 4, 746 Appennini *condiderat nix alta trabes.* — Ita autem versus intellige: Est mihi pinea silva, in ea lucus fuit (iam nunc ab Aenea excisus) piceis et aceribus consitus [*obscurus*] (quem quamdiu Troiani erant, pie colebant) quas ego arbores Aeneae concessi. Iam puto caussa non est, ut hunc versum ab alio habeamus illatum. Verborum enim sententia perspicua est, neque quomodo alius ut versum 87 inferret potuerit perduci, satis intelligitur, neque in Mss. eius rei signum apparet.

88. *Egere* cum gen. cf. 11, 27.

89. *Laeta dedi:* „Concedentis benignitas numinis exclusit piaculum." S. — *timor anxius angit.* — Quaesivit Vgl. eiusdem soni vocabula cf. 10, 735. Sic Luc. 3, 1006 *quem volucres lacerant atque exest anxius angor.* Quomodo autem differat *anxietas* ab *angore* eum, qui non ipse potest intelligere, docet Cic. Tusc. 4, 12. — *timor anxius* cf. 1, 202.

90. *solvere metus*, sc. alienos; aliter accipiendum *solvere metus* 5, 420 sc. suos. Sic *tollere animos* ancipiti est significatione cf. v. 127.

91. *neu cursu* MRh. — *ne* Pc. rec. *Rb. Pl.* pro *cursu* coni. *fluctu.*

92. *prosit* etc. cf. Iuv. 4, 36 *Prosit mihi vos dixisse puellas.* Sic contrarium *nocet* ap. Ov. M. 9, 477 *Possum, si non sit frater amare, et me dignus erat, verum nocet esse sororem.*

93. *torquet qui sidera.* Torquere non pro simplici *regere* dictum, sed sua est vi cf. 4, 269; ubi Iuppiter caelum et terram torquere dicitur. Quare nolumus accedere iis, (*Hn. Pl.*) qui haec verba ab alio putant assuta, certe is satis bene haec verba excogitavit, nam h. l. propter ea, quae sequuntur, desideratur aliqua

O genetrix, quo fata vocas? aut quid petis istis?
Mortaline manu factae immortale carinae
Fas habeant? certusque incerta pericula lustret
Aeneas? cui tanta deo permissa potestas?
Immo, ubi defunctae finem portusque tenebunt
Ausonios olim, quaecunque evaserit undis
Dardaniumque ducem Laurentia vexerit arva,
Mortalem eripiam formam, magnique iubebo
Aequoris esse deas, qualis Nereia Doto
Et Galathea secant spumantem pectore pontum.
Dixerat, idque ratum Stygii per flumina fratris,
Per pice torrentes atraque voragine ripas
Adnuit, et totum nutu tremefecit Olympum.
  Ergo aderat promissa dies, et tempora Parcae
Debita complerant: quum Turni iniuria Matrem
Admonuit ratibus sacris depellere taedas.
Hic primum nova lux oculis offulsit, et ingens
Visus ab Aurora caelum transcurrere nimbus
Idaeique chori; tum vox horrenda per auras
Excidit et Troum Rutulorumque agmina complet:
Ne trepidate meas, Teucri, defendere naves,

summae Iovis potentiae significatio, neque versum verba complent, sed sententiam.

94. *quo fata vocas?* Apud Servium praescriptum est *trahis;* quod ad sententiam non differt, ortum tamen *trahis* videtur ex explicatione Servii, in qua *vocare* per *trahere* explicat. Fata dii flectere non possunt; ei sunt subiecti omnes cf. 1, 4. 3, 250 et v. 97. Fatum autem quod sit, docet v. 96. Fato expleto, si quae restant naves, potest Iuppiter uti sua potentia.

96. *fas habeant:* „Neque enim possunt aeterna esse, quae ab hominibus facta sunt. Horat. (AP. 63) *Debemus morti nos nostraque.*“ S. — *certusque incerta p.* „Securus dubia tentet. Aeneas sorte, qua homo est, navigationis debet timere periculum, quod perit, si eius navibus aeternitas detur.“ S. — Eas promittit aeternas et nymphas se facturum, quae usque ad Latium perductae fuerint. In itinere autem periere una Orontis 1, 113, quattuor in Sicilia 5, 699.

98. *defunctae* ita 6, 83 *magnis pelagi defuncte periclis.*

102. *Tales deas esse* iubebo, qualis est Nerei filia Doto et Galatea. Nereides si nant, e fluctu eminent ad pectus usque cf. Cat. Epith. 18 *Nymphas, nutricum tenus exstantes e gurgite cano.* De comparationis forma cf. 3, 641.

104. *Stygis fratris.* Plutonis. Per Stygem iurat cf. 6, 324.

106. Hunc versum si legimus, in mentem veniunt noti illi Homeri Il. 1, 528 sq. cf. Cat. Epith. 204. Ov. M. 1, 179. Stat. Theb. 7, 3. Hor. C. 3, 1, 8. Versus 104—106 iterum leguntur 10, 113—115.

108. *debita* sc. compleri cf. 8, 375. „Quod naves in Nymphas mutarentur, erat singulare aliquod Iovis beneficium, non fato destinata res.“ S. Parcae illud tempus complerant, quod significatur supra v. 94—96, per quod fato debebat Aeneas circumagi et omnibus obiici maris periculis. Hoc tempore completo iam locus est Iovis beneficio.

110. *offulsit* i. e. obiicitur oculis nova i. e. inusitata lux. Miraculum si explicandum esset, subito ortam diceres esse tempestatem crebris fulminibus et tonitribus, ab eaque naves ancoris ruptis mersas esse; talem tempestatem fecit Ovidius. Apparent famuli deae, Idaeus chorus, Dactyli Idaei et Corybantes. Ita Idaeos choros in Cybeles comitatu memorat Prop. 3, 15, 36. Nam quum ipsa sit Idaea cf. 10. 252, quidquid eius est, est Idaeum.

113. *agmina complet vox.* Sic prosa oratio hoc verbo utitur cf. Cic. Rep. 6, 18 *Quis est, qui complet aures meas tam dulcis sonus?* et Liv. 26, 50 *Implevit populares laudibus et meritis Scipionis.* Cf. 4, 189.

114. *ne trepidate* etc.: „ne trepide festinetis ad navium defensionem.“ S. Cf. 10, 283. — De infinitivo cf. 2, 33. —

Neve armate manus; maria ante exurere Turno,
Quam sacras dabitur pinus. Vos ite solutae,
Ite deae pelagi; genetrix iubet. Et, sua quaeque
Continuo puppes abrumpunt vincula ripis,
Delphinumque modo demersis aequora rostris
Ima petunt. Hinc virgineae, — mirabile monstrum! —
[Quot prius aeratae steterant ad litora prorae]
Reddunt se totidem facies, pontoque feruntur.
Obstipuere animi Rutulis; conterritus ipse
Turbatis Messapus equis; cunctatur et amnis
Rauca sonans revocatque pedem Tiberinus ab alto.
At non audaci Turno fiducia cessit;
Ultro animos tollit dictis, atque increpat ultro:
Troianos haec monstra petunt; his Iuppiter ipse
Auxilium solitum eripuit; non tela, neque ignes
Exspectant Rutulos. Ergo maria invia Teucris,
Nec spes ulla fugae; rerum pars altera adempta est:

Itaque Troiani se parant ad naves defendendas.

116. *dabitur* cf. 1, 66. — *pinus* cf. 11, 136.

120. *mirabile monstrum* cf. 7, 73. Ipse omni modo curat, ne talia narrans nimis credulus habeatur.

121. Versus abest a FMPRγbc. in aliis diverso loco legitur; praeterea et *naves*, et *puppes* et *prorae* datur, quae discrepantia signum est versus ex memoria adscripti. Est enim l. 10, 223. Volebant etiam habere, quo referrent *totidem* v. 122, quod satis explicatur per: *et sua quaeque puppes vincula rumpunt.* — *reddunt se*, emergunt.

122. Multi hanc narrationem absurdam esse censuerunt; „quandoquidem minore hoc doctrina indiget, quam argumentis idoneis eam defendere." *Hn.* Iam apud Servium legimus: „Hoc figmentum licet poeticum sit, tamen quia exemplo caret, notatur a Criticis. Unde longo prooemio excusatur. Nam ideo et prisca ratione religionis et Iovis beneficio dicit esse perfectum, ut naves mutarentur in Nymphas, quo vel aliqua ex parte possit esse verisimile." Arboribus Nymphas inesse communis erat opinio, et saepe homines in arbores mutati sunt; tamen talem mutationem, qualis hic est, sine exemplo esse concedimus, et Vgl. concessit, ut recte observavit Servius, adstruxit enim aliquod deorum colloquium et quod fieri potuisse vix credibile est, Iovis tantum potentia effectum scribit. Sed satis defenditur Vgl., quod secutus eum est Ovidius; unde elucet, antiquam fuisse famam. Et antiqui animarunt etiam inanimata. Sic Aristophanes navibus vitam tribuit et παρθένους eas appellat Equit. 1299 sq. cf. 5, 162. Iam concedamus necesse est, poetam res ita composuisse, ut dignae sint carmine heroico.

123—167. Turnus animos tollit Rutulorum et in posterum diem pugnam sperari iubet.

123. *obstipuere animi Rutulis* MPγ1b1 cf. 2, 120. — *animis Rutuli* FRγ2b2c. „Timuerunt Rutuli, timuit Messapus, numinis marini filius, timuit Tiberis. Per hos autem gradus maior Turni designatur audacia." S.

125. *rauca* pro adverbio est cf. 8, 489. — *revocatque pedem Tiberinus:* retrahit undas. Sic ap. Lucr. 5, 273 *via secta liquido pede detulit undas* et ap. Sil. 6, 140 *lento pede sulcat arenas Bagrada.*

127. *ultro:* Ubi satis est audaciae non frangi animo, Turnus vel spes novas ex re adversa sumit. Inde bis *ultro* cf. 12, 3.

128. *T. h. m. petunt:* Vox gladiatorum; est petere hostili animo. Itaque contra Troianos haec monstra sunt.

129. *auxilium solitum* sc. fugae; fugere iis solet esse auxilium. — *non tela Rutula neque ignes R.* cf. 4, 588.

130. *exspectant* sc. *naves*, quamquam non certis signis indicantur, neque enim aliud subiectum esse potest (cf. 3, 484). Non exspectant, dum a nobis deleantur, sed ipsae Troianos deserunt. *exspectant* M2FPRγb2c *exspectans* M1 rec. *Wg. Rb. exspectat* coni. *Pl.*

131. *rerum pars altera* sc. mare; al-

Terra autem in nostris manibus; tot millia, gentes
Arma ferunt Italae. Nil me fatalia terrent,
Si qua Phryges prae se iactant responsa deorum.
Sat fatis Venerique datum, tetigere quod arva
Fertilis Ausoniae Troes. Sunt et mea contra
Fata mihi, ferro sceleratam exscindere gentem,
Coniuge praerepta; nec solos tangit Atridas
Iste dolor, solisque licet capere arma Mycenis.
Sed periisse semel satis est. — Peccare fuisset
Ante satis, penitus modo non genus omne perosos
Femineum. Quibus haec medii fiducia valli
Fossarumque morae, leti discrimina parva,
Dant animos. At non viderunt moenia Troiae
Neptuni fabricata manu considere in ignes?
Sed vos, o lecti, ferro quis scindere vallum
Apparat et mecum invadit trepidantia castra?
Non armis mihi Volcani, non mille carinis
Est opus in Teucros. Addant se protinus omnes

tera, terra, in nostra est potestate: quare Troianis iam nihil restat auxilii.

132. Tot milia et quidem gentes Italae, quarum sc. nota est fortitudo. Sic nude positum *milia*, ut intelligatur *militum* 8, 496. „Comma post *milia* sustuli, ut sententia sit: *tot milia efficiunt gentes Italae, quae arma ferunt*" *Rb.* quam sententiam negat *Ld.* in verbis inesse. — *autem* cf. 7, 561.

133. *fatalia responsa*, quibus Aeneas in Italiam debuit venire et regnum condere. Sed hoc silet. Commate post *iactant* sublato haec est sententia: Non timeo quae fingunt responsa deorum cf. 8, 168.

135. *Sat datum:* Iam fata rata sunt, quod pervenerunt in Italiam; ibi iis est pereundum. — *tangere terram*, cf. 4, 658.

136. *sunt et mea contra.* Hoc falsum est, quod dicit Turnus; sed mendacio utitur eo, quod redarguere nemo potest.

137. *exscindere gentem* 4, 425. *exscindere hostem* Tac. A. 2, 25.

138. *coniuge praerepta:* Iam coniugem dicit Laviniam, quam modo in matrimonium petierat. — *nec solos etc.* cf. Hom. Il. 9, 340 ubi Achilles: *ἦ μοῦνοι φιλέουσ' ἀλόχους μερόπων ἀνθρώπων Ἀτρεΐδαι;* De verbis cf. Ov. P. 2, 3, 63 *quique dolor pectus tetigisset Caesaris.*

140. *Sed periisse semel etc.* Pro et contra disputat sic: Potest aliquis obiicere: satis fuit, quod semel Troia est exstincta. Ei respondeo: Si semel peccasse (Paride auctore) satis fuisset eos, quos omnino propter casus, quibus acti sunt erepta muliere, omnes feminas odisse deceret. Sed Italiam nacti iterum peccaverunt, iterum iis pereundum erit.

141. *modo non* FMPγbc. Serv. rec. *Wg. non modo* R. *modo nunc* ed. Veneta „praeclara scriptura" *Rb.* 1, p. 359 recepta ab eo et *Ld.* — *Penitus* ad *perosos* pertinet. Cf. 1.

142. *quibus* animum facit hoc unum, quod inter ipsos et hostes interest vallum, quod fossas permeare moram affert; quae res modo per breve tempus mortem eorum poterit retardare. — *fossarum morae* ut *moras loricae* 10, 485. Cf. 6. 177.

144. *At non etc.:* Sed quomodo hae res animum facere possunt iis, qui muros a deis exstructos corruere viderunt? Ita *at non* firmatur. Tamen *an non*, quod iam Servii tempore non minus quam *at non* in Mss. erat, non minus probum cf. 7, 363.

145. *considere in ignes* ut 2, 624.

146. *sed vos* FMPRγbc, tamen *Rb.* et *Ld. sic vos*, versusque 146 et 147 transferunt post v. 72. — *quiscindere* FMPRγbc uno verbo, ut et *quis* possit inesse et *qui*. — *scindere vallum* dicitur 524 cf. 6, 583 et ap. Caes. BG. 3, 5. 5, 51.

147. *trepidantia castra*, in quibus formidine trepidant milites, cf. 1, 355, ut ex eo intelligitur, quod excedere non audent.

148. *non armis Volcani*, quibus usus est Achilles. Neque arma habuit Turnus a Vulcano facta, sed modo gladium 12, 90. — *non mille carinis* cf. 2, 198.

149. Haec dicit, ne quis putet, se eum

Etrusci socios. Tenebras et inertia furta
[Palladii caesis summae custodibus arcis]
Ne timeant, nec equi caeca condemur in alvo;
Luce, palam certum est igni circumdare muros.
Haud sibi cum Danais rem faxo et pube Pelasga
Esse putent, decimum quos distulit Hector in annum.
Nunc adeo melior quoniam pars acta diei,
Quod superest, laeti bene gestis corpora rebus
Procurate, viri, et pugnam sperate parari.
Interea vigilum excubiis obsidere portas
Cura datur Messapo et moenia cingere flammis.
Bis septem Rutuli, muros qui milite servent,
Delecti; ast illos centeni quemque sequuntur
Purpurei cristis iuvenes auroque corusci.
Discurrunt, variantque vices, fusique per herbam

exercitum, quem Aeneas adducturus est, timentem antea velle delere eos, qui adsunt.

150. *inertia furta*, ignava facta quae in obscuro fiunt cf. 6, 568. Neque tamen dubium est, quin poeta Palladium cogitaverit.

151. *Palladii etc.* Versus in Mss. omnibus, sed alienus. Remoratur Turni loquentis impetum et absurdus est, nam in castris Troianorum nec arx erat summa, nec Palladium. Quod Servius non explicat, est suspiciosum. Rem conficit quod genitivus legitur Pāllădīī, qui Virgilii esse non videtur cf. 3, 702. Primus quisque qui legit ad v. *inertia furta* adscripsit *Palladii*, quod legens alius. aut is ipse qui primus annotavit, memor eius versus, qui est 2, 166 de eadem re, continuavit et versum fere totum ex illo loco huc transtulit. Ubi ita potest aliena origo demonstrari, iam dubitandum non est. Petermann Progr. Glogau 63 versum defendit et 3, 702, studetque probare formas *Palladii*, *fluvii*.

152. *equi alvo:* Notatur equus Troianus.

153. *luce*, *palam*, non ut Graeci nocte et insidiis eorum urbem capiemus. — *Luce palam* iunctum Cic. Sest. 38, 83. Liv. 22, 24.

154. *faxo*, fecero (cf. 6, 89): ut ne putent, sibi cum Danais esse pugnandum.

155. *putent* MRγ2bc rec. *Wg. Ld. ferant* FPγ1. rec. *Rb.* — *Hector:* Solius Hectoris opera Troia defensa est, qui nunc occidit. Sic Hector: *columen patriae, mora fatorum, tu praesidium Phrygibus fessis, tu murus eras; humerisque tuis stetit illa decem fulta per annos. Tecum cecidit, summusque dies Hectoris idem patriaeque fuit.* Sen. Troad. 124. Hoc loco et saepius Turnus eiusque socii fortitudine superare dicuntur Graecos; quo magis extollantur Troiani. Et sunt illi Rutuli maiores Romanorum; Ita ut Silius nonnunquam in bello Punico describendo, ubi iam diu Rutulorum nulla erat mentio, Rutulorum nomine signet Romanos, et Scipionem dicat ducem Rutulorum.

157. *quod superest* procurandum — *bene gestis rebus;* quod ubi primum ipsi in campis conspecti sunt, Troianos trepida fuga in castra repulerunt; et quod naves perdiderunt.

158. „Pugnaturos vos scitote, licet hostes muris se teneant.“ S. Cf. 11, 18. *Sperate* autem dixit, quod viri sunt fortes et certaminis cupidi.

160. Cura datur Messapo *obsidere* portas et flammis *cingere* moenia et milite *servare* muros sc. Troianorum, non suorum, ne illi per noctem aufugiant. Illud *moenia cingere flammis* legitur 10, 118 alia significatione. Itaque difficultatem tollit omnem *Pl.*, qui delet *m. c. f.* Sed v. imperfectus ap. Vgl. non constat tribus pedibus.

161. Sunt igitur MCD. milites, a XIV centurionibus ducti. — Ii disponuntur ante castra per spatia, vices variant; ignes lucent; qui non sunt in specula, vino et ludo indulgent, nihil anxii, quasi hostis non adesset.

163. *purpurei cristis i.*, cf. 7, 483.

164. *Vices* legitur iterum v. 175 *exercet vices;* 222 *servant vices statione relicta;* adde quod 3, 634 est *sortiri vices*, et confer quid sit *invicem* et *vicarius:* iam intelliges *vices* esse militum in stationes aliorum successiones. Sic Curt. 8, 6, 11 *in permutandis stationum vicibus.*

Indulgent vino et vertunt crateras aenos.
Collucent ignes; noctem custodia ducit
Insomnem ludo.
    Haec super e vallo prospectant Troes, et armis
Alta tenent; nec non trepidi formidine portas
Explorant, pontesque et propugnacula iungunt;
Tela gerunt. Instant Mnestheus acerque Serestus,
Quos pater Aeneas, si quando adversa vocarent,
Rectores iuvenum et rerum dedit esse magistros,
Omnis per muros legio, sortita periclum,
Excubat exercetque vices, quod cuique tuendum est.
    Nisus erat portae custos, acerrimus armis,
Hyrtacides; comitem Aeneae quem miserat Ida

Stat. Theb. 10, 17 *dat tessera signum excubiis, positaeque vices.* — *fusi per herbam* cf. 5, 102.

166. *noctem ducunt*, exigunt cf. Prop. 4, 6, 85 *sic noctem patera, sic ducam carmine.*

168—175. Troiani trepidi castra custodiunt.

168. Multum differt imago castrorum Troianorum: anxii omnes aditus revisunt, armati semper sunt et parati ad subitum impetum excipiendum; nemo securo somno se dat, omnes sunt in statione certa, accurate excubias agunt, neque quisquam officium suum omittit. — *et armis alta tenent* i. e. muros.

169. *tenent* „custodiunt". Cf. 8, 653.

170. *pontes* quibus propugnacula, qualis memoratur turris 529, cohaerent cum muro.

171. „*gerunt*, tragen herbei, vgl. Liv. 28, 19 *feminae puerique: saxa in muros munientibus gerunt* 37, 5 *feminae tela omnis generis saxaque in muros gererent.*" *Ld.* — *instant* MR *instat* Pγbc rec. *Rb.*

172. *adversa*, res adversae, pericula. — *vocarent*, iuberent, cogerent. Sic *vocat labor* 11, 476. *pugna* 12, 125.

175. *quod cuique tuendum est:* „ego ex linguae ratione vix explicari posse arbitror." *Pl.* Itaque eiecit, etsi iam ab Ambrosio verba lecta esse confirmat. Etiam Nonius p. 413. M. haec verba laudat sub voce *tueri*, et Servius explicat: „*q. c. t. e.* exercet unus quisque vices ad id, quod accipit tuendum." In Mss. leguntur verba omnibus. Satis explicantur a Servio, quamquam non tam accomodantur ad grammaticam. Iunge excubat exercetque vices i. e. exercens (cf. 8, 125) vices sortita periclum, quod cuique tuendum.

176—223. Nisus et Euryalus ad Aeneam proficisci consilium capiunt.

176. Perventum est ad locum satis decantatum, in quo Nisi et Euryali mors narratur. Et sane est, quod moveat animum. Ad eum locum Heynius haec habet: „Magistri utantur tali loco, suadeo, ad tentandas et alliciendas mentes adolescentum, qui alias seu naturae seu institutionis vitio ad poetarum delicias callo obductum palatum habent. Quem vero ne huius quidem loci dulcedine tactum videant iuvenem, eum omni liberali disciplina indignum iudicent." Bene annectitur antecedentibus narratio; id modo, Heynius reprehendit, „quod ad carminis summam episodii nulla vis et effectus est"; quamquam facit ad sequentem pugnam, quod Troiani sciunt, se nullo modo posse certiorem facere Aeneam de rebus quae fiunt, omnemque spem in sua sitam esse sentiunt fortitudine.

177. *Aeneae* dativus est a *miserat* pendens. — Quod Ida venatrix filium suum tradiderit Aeneae in omnia pericula abducenti, dum ipsa remanet in sua terra, mirum iam antiquis visum est, ut nonnulli Idam montem intellexerint et *venatrix* explicarint *quae venationibus abundat*, quos refellit Servius. Deinde „*comes* plerumque interiorem significat amicitiam et necessitudinem, quam erat inter Aeneam et Nisum" *Pl.* Tum *comes* v. 179 redit loco meliore. Sed quamquam haec ita sunt, quamquam v. 178. ex 5, 68 potest videri formatus esse, tamen nolim verba *comitem* — *sagittis* eiicere, sed Virgilio imputare, si quid peccatum est. Sed non est; neque *comes* interiorem significat amicitiam, neque Nisum non fuisse acceptum Aeneae constat; Euryalus certe, Nisi amicus, matrem habet de gente Priami (v. 284). Neque certum

Venatrix, iaculo celerem levibusque sagittis;
Et iuxta comes Euryalus, quo pulchrior alter
Non fuit Aeneadum Troiana neque induit arma;
Ora puer prima signans intonsa iuventa.
His amor unus erat, pariterque in bella ruebant;
Tum quoque communi portam statione tenebant.
Nisus ait: Dine hunc ardorem mentibus addunt,
Euryale, an sua cuique deus fit dira cupido?
Aut pugnam, aut aliquid iamdudum invadere magnum
Mens agitat mihi, nec placida contenta quiete est.
Cernis, quae Rutulos habeat fiducia rerum:
Lumina rara micant; somno vinoque soluti
Procubuere; silent late loca. Percipe porro,
Quid dubitem, et quae nunc animo sententia surgat.
Aenean acciri omnes, populusque patresque,
Exposcunt, mittique viros, qui certa reportent.
Si tibi quae posco promittunt, — nam mihi facti
Fama sat est — tumulo videor reperire sub illo
Posse viam ad muros et moenia Pallantea.
Obstipuit magno laudum percussus amore

est, Nisum modo ad errores Aeneae, non etiam in bellum missum esse Troianum. Iam vero poeta, si viri egregii aut insigni facinore pereuntis mortem narraturus est, eius aliquid memorabile vitae addere solet. Id tamen non intelligimus, cur venatricem dixerit Nisi matrem.

179. *et* MPRγbc *it* ed. *Rb.*

181. *puer signans ora intonsa prima iuventa.* Nota quod puer ora sua signare dicitur, non signari eius ora iuventa, ut 7, 160. Ita etiam Ov. M. 8, 753 Acis puer *signarat dubia teneras lanugine malas; — intonsa:* „Hoc ad sua tempora retulit; alioquin heroes non tondebantur.“ S.

184. *addunt;* nos *zufügen*; ita G. 4, 150 *naturas Iuppiter ipse addidit apibus* i. e. apibus iam natis 1, 150. Tac. H. 4, 23 *inde non loco neque munimentis labor additus.*

185. *an sua etc.:* An putamus modo, si nostra cupidine impellimur, moneri nos a deo? Simile Hom. Od. 4, 712 ad sententiam; ad verba Ov. M. 8, 72 *sibi quisque profecto fit deus — dira cupido*, sic 6, 373, immanis, ut *labor improbus*, ingens.

186. *aliquid* cf. 2, 48. et Val. Fl. 2, 184 *Magnum aliquod spirabit amor. — invadere* cf. 12, 712.

187. *quiete*, qua custos manet in statione. — *Mens mihi agitat* c. inf. nam idem est, quod *volo*, *cupio.*

189. *lumina*, ignes vigilum. — *rara* cf. 4, 131. — *soluti* MR. al. aptum ad *procubuere*, et de custodibus, qui somno vincuntur. — *sepulti* S. et Mss. inferiores magis aptum 2, 265, ubi ne minimum quidem periculum esse Troiani putant. Vigiles, qui tam negligentes fuerant, ut ludo et vino tempus fallere studerent v. 165 sq., iam tandem somno victi sunt, neque aluntur ignes, pluresque iam exstincti sunt.

191. *quid dubitem*, „i. e. cogitem, omnis enim cogitatio in dubitatione est ante sententiam.“ S. Sic omnis Latinitatis auctores Terentius et Cicero. Cf. T. Ad. 4, 5, 57 *Haec dum dubitas, menses abierunt decem.* C. RA. 31, 88 *Restat ut hoc dubitemus, uter potius S. Roscium occiderit.*

192. *populusque patresque.* Ubique ad Romanum morem composita esse omnia monet h. l. Servius.

193. *reportent* „portent, nam *re* vacat.“ S. Non vacat cf. 7, 167.

196. *muros et moenia P.* cf. 2, 234. Sed tamen hoc loco alterum admodum esse otiosum concedimus *Plo*, sed si pro *muros* scribat *montes*, tautologiam eum tollere negamus. — Ad Evandrum Aeneam contendisse Troiani sciunt.

197. Eo in consilio obstupuit, quum quantae ex ea re laudes possint reportari cogitet, neque sibi occasionem laudum, quam non putavit adesse antea, eripi si-

Euryalus; simul his ardentem adfatur amicum:
Mene igitur socium summis adiungere rebus,
Nise, fugis? solum te in tanta pericula mittam?
Non ita me genitor, bellis adsuetus Opheltes
Argolicum terrorem inter Troiaeque labores
Sublatum erudiit; nec tecum talia gessi,
Magnanimum Aenean et fata extrema secutus.
Est hic, est animus lucis contemptor, et istum
Qui vita bene credat emi, quo tendis, honorem.
Nisus ad haec; Equidem de te nil tale verebar;
Nec fas; non: ita me referat tibi magnus ovantem
Iuppiter, aut quicunque oculis haec adspicit aequis.
Sed si quis — quae multa vides discrimine tali —
Si quis in adversum rapiat casusve deusve,
Te superesse velim; tua vita dignior aetas.
Sit, qui me raptum pugna pretiove redemptum
Mandet humo; solita aut si qua id Fortuna vetabit,

nit. Sic G. 2, 476 *ingenti percussus amore.*

200. *fugis*, vitas, non vis, recusas. Nam fugere saepe est vitare ap. Cic. et Caes.; hinc etiam recusare ut Liv. 9, 1. *iudicem neminem neque populum neque privatum fugio.* Ita Ter. Ovid. sic *refugio* cf. 2, 12. — Fugis c. inf. est poetarum cf. 2, 12 et 31.

203. *sublatum.* „susceptum“ S. Infantes, ubi nati erant, pedibus solebant apponi patris, qui quem tollebat, suum esse velle indicavit. Itaque sublatus eodem tempore quo natus est. Potuit esse si annos numeras, quod in poeta non placet, iuvenis fere decem et septem annorum; quodsi minor natu erat, potuit iam fortia facta edidisse. De his amicis lege iterum, antequam pergis 5, 294—361.

205. *hic* i. e. „in meo pectore“ S. — *animus contemptor.* cf. Gr. § 364.

206. Ita 5, 206 *vitamque volunt pro laude pacisci.* — *bene emi.* Simile Silii 4, 757 *Optatum bene credit emi quocunque periclo bellandi tempus.*

207. *nil tale* „quale tu suspicaris.“ S. *nec fas* post ea, quae iam egisti.

208. *Ita*, Graecis οὕτως; nos *so;* in asseverando saepius usurpatur. Nota est formula *ita me di ament.* — *ovare* cf. 10, 690.

209. *aequus*, propitius cf. 6, 129. — *Adspicere aliquem aequis oculis* ut 4, 372. Simile Hor. 4, 3, 1 *Quem tu Melpomene semel nascentem placido lumine videris.* Ov. M. 13, 70 *Adspiciunt oculis superi mortalia iustis.* Etiam simplex *adspicere* 1, 526. 2, 690.

210. *quae multa.* Similiter interiectum enuntiatum est 7, 200.

211. *quis* cf. 6, 561. — *casusve deusve* cf. Ov. M. 14, 162 *qui te casusve deusve servat.* Val. Fl. 3, 574 *quis — casusve laborve.* *Ve — ve* non invenitur nisi apud poetas.

212. *dignior aetas* est Euryali, quod minor est natus. — Ego te servatum volo, volo etiam ut sit, qui mihi si pereo iusta solvat et me sepeliat; nolo deinde matrem tuam, quae ut tecum esset, nulla nec maris nec belli pericula recusavit, privare dilecto filio. Neque tamen Euryalus movetur, sed acer iuvenis ne colloquendo tempus terat, consilium statim exsequitur.

214. Mortuus aut rapi debebat hostibus pugna, (cf. Liv. 2, 47 et quanto studio Achivi de Patroclo caeso pugnaverint.) aut ab iis redimi pretio (quod fecit Priamus in Hectore 1, 484.) Si utrumque fieri nequit, certe cenotaphium exstruendum est. (cf. 6, 505.) — *Solita*, quod in omnibus legitur Mss. et ap. Servium aliisque antiquis grammaticis, aut trahitur ad *humo* et explicatur: „solito ritu mandet humo, qua mortui condi solent“. Sed quaeritur num hoc ei verbo inesse possit. Aut explicant „patria“; sed natus est in Troade, non in Latio: aut „cui mandari defuncti solent“; neque hoc in simplici verbo inesse posse confido. Omnes has explicationes communis premit difficultas, quod *mandare* ablativum non assumit. Alii iungunt *solita Fortuna*, nam *Invida fata piis et fors ingentibus ausis rara comes* Stat. Theb. 10, 384. Eaque est sententia huic loco aptissima: Solet fortuna invidere forti, et quaevis, etiamsi

Absenti ferat inferias, decoretque sepulcro.
Neu matri miserae tanti sim caussa doloris,
Quae te sola, puer, multis e matribus ausa,
Persequitur, magni nec moenia curat Acestae.
Ille autem: Caussas nequidquam nectis inanes,
Nec mea iam mutata loco sententia cedit;
Acceleremus, ait. Vigiles simul excitat. Illi
Succedunt, servantque vices; statione relicta
Ipse comes Niso graditur, regemque requirunt.
Cetera per terras omnes animalia somno
Laxabant curas et corda oblita laborum:
Ductores Teucrum primi, delecta iuventus,
Consilium summis regni de rebus habebant,
Quid facerent, quisve Aeneae iam nuntius esset;
Stant longis adnixi hastis et scuta tenentes,
Castrorum et campi medio. Tum Nisus et una
Euryalus confestim alacres admittier orant;
Rem magnam, pretiumque morae fore. Primus Iulus

fortuna diversa est. Inde defenditur *si qua* i. e. qualiscunque est, invida esse solet. Recepit hanc explicationem *Kl.* Utraque iungendi ratio iam a Servio notatur et in Mss. observatur. Elegans est *Pli* coniectura *humo; aut saltem, si qua id etc.*, Henry coni. *Mandet humo saltem, aut si qua*, affertque Apul. Metam. 1, 13 „supersit hic saltem, qui miselli huius corpus parva contumulet humo.“ Facilius etiam hoc quam quod *Pl.* proposuit; sed non verisimile ex *saltem* ortum esse *solita*. id. quod difficile est intellectu.

216. *miserae;* si te unum filium amitteret.

217. Sola ex longaevis mulieribus, non apud Acesten remansit sed te secuta est. Omnes autem mulieres in Sicilia remansisse neque 5, 755 neque hoc loco dictum est, neque est verisimile, et aperte negat poeta 11, 35.

218. *persequitur:* inest studium sequendi, ut in *ausa* periculorum cogitatio. — *Curat* etiam nunc in belli periculis, neque optat remansisse in Sicilia, quum te secum habeat.

220. *nec mutata loco sententia cedit:* Sumpta est imago de pugnatore, qui se ab adversario de loco suo deturbari non patitur.

222. Excitat qui in ipsorum loco vigilent.

223. *regem*, Ascanium, regis filium. Cf. Val. Fl. 1, 174. Ita dicitur *regina* Ilia 1, 273. Ariadne 6, 28, Medea ap. Val. Fl. 5, 374. 386. 443, Hypsipyle 2, 261.

224—313. A principibus Troianorum id consilium comprobatur.

224. Noctis descriptio cf. 4, 522.

226. *delecta iuventus:* Iuvenes omnes dicuntur, qui rem militarem tractare possunt. — *et delecta i.* „*et* quibus in libris exstet nescio, abest a FMPRγb“ *Rb.* In nullo igitur Ms. legitur. Copula tamen placet ob v. 309, et quod *delecta iuventus* otiosum est appositum ad *ductores primi*, et quod Romani duces in consilium etiam centuriones adhibere solebant.

227. Lucilius fecit versum: *Consilium summis hominum de rebus habebant.* — In rebus trepidis consilio habito in eo consentiunt, Aeneae nuntium esse mittendum; quem mittant, nesciunt.

229. *Stant l. annixi hastis.* „Quod stant, Romani moris est et bellicae necessitatis“ S.; quod annixi sunt, vides eos iam fessos esse. Ita Sall. in fragm.: *fessi arma sua quisque stantes incumbere.* — *et scuta tenentis* FMRγbc *enscut atquentes* P. Inde coni. *Rb. in scuta tuentes.*

230. *campi medio* cf. 1, 422. „In medio campi spatio, qui campus castrorum medius fuit.“ S. Praetorium in mediis castris erat.

232. Dicunt rem magnam se afferre, (non *nuntiare*, ut iam explicatum est) et ob quam consultandi moram fecisse non pigeat. Placet h. l. Ascanii, regii pueri, rebus in trepidis cura et in consiliis agendis assiduitas, unde spem concipimus, magnum eum aliquando fore ducem.

Accepit trepidos, ac Nisum dicere iussit.
Tum sic Hyrtacides: Audite o mentibus aequis,
Aeneadae, neve haec nostris spectentur ab annis,
Quae ferimus. Rutuli somno vinoque soluti
Conticuere; locum insidiis conspeximus ipsi,
Qui patet in bivio portae, quae proxima ponto;
Interrupti ignes, aterque ad sidera fumus
Erigitur; si fortuna permittitis uti,
Quaesitum Aenean et moenia Pallantea:
Mox hic cum spoliis, ingenti caede peracta,
Adfore cernetis. Nec nos via fallet euntes:
Vidimus obscuris primam sub vallibus urbem
Venatu adsiduo et totum cognovimus amnem.
Hic annis gravis atque animi maturus Aletes:
Di patrii, quorum semper sub numine Troia est,
Non tamen omnino Teucros delere paratis,
Quum tales animos iuvenum et tam certa tulistis

233. *trepidos* prae festinatione cf. 10, 283.

235. *spectentur ab annis*, aestimentur. Sic cum praepositione *ex* Ter. Andr. 4, 1, 22 *tuum animum ex animo spectavi meo;* Cic. Tusc. 5, 10, 31 *Non ex singulis vocibus philosophi spectandi sunt, sed ex perpetuitate atque constantia.*

238. *in bivio portae, quae pr. ponto.* Ex porta, quae ad mare spectat, egrediendi et castra hostium perrumpendi potestas erit.

239. Multi iam ignes exstincti et ater fumus est signum sopitorum ignium. Hinc patet ipsos custodes dormire.

241. *quaesitum Aenean et* MRal. *ut quaeramus* explicat Servius, *pergemus quaesitum* Donatus. Est: Si permittitis experiri, ut quaeramus Aeneam et Palatium, mox eum affore cernetis ingenti caede peracta. Supinum enim ponitur non modo post verba eundi sed antiquitus etiam post omnia verba, quae intentionem aliquam significant. Sic explicandum *dare nuptum;* ita Sallustius antiquitatis studiosus: *neque ego vos ultum iniurias hortor* or. M. Lic. 17. Nonnunquam etiam Supinum regit casum, quamquam rarius id fit, quam fieri videtur cf. Gr. § 442. Hoc illatum est ab eo, qui *quasitum* Supinum esse ignorabat.

243. *affore.* Subiectum omissum est. Nisum alii et Euryalum, alii esse putant Aeneam. Sed nuntiorum non erat, ut caedem antea peragerent; neque ut ii mox redirent, tantopere optabant proceres, quam ut adesset Aeneas; neque modesti adolescentes tantum de se promitterent, sed „in Aenea tantam spem ponebant, ut non dubitarent, quin si modo sciret suos laborantes, statim auxilio venturus et hostes profligaturus esset.“ *Pl.* Et recte, nam Aeneas est instar milium; is quum absit, in summo versantur Troiani periculo; neque proceres minus quam Nisus, ab Aenea hostes victum iri putant et *nos* v. 243 opponitur Aeneae — *fallet* M. rec. *Wg. Ld. fallit* rec. *Rb.*

244. *vidimus etc.* „Nos in obscuris vallibus positi vidimus primam partem urbis; nam Pallanteum in monte est, non in vallibus.“ S. Recte; nam poeta ipse iam in monte urbem sitam esse narraverat 7, 53. — *sub vallibus* cf. 4, 387. — *Pl.* eiicit v. 244 et *et* e v. 245.

245. Bene docet occasionem esse per castra hostium perrumpendi, neque postea erroris esse locum, quum loca iam cognita haberent. — *Venatu assiduo* ad utrumque pertinet: Et amnem cognovimus et ipsam urbem saepius vidimus, quum assidue venaremur.

246. *animi maturus:* Ita genitivus *aevi maturus* 5, 73 *animis* R., ortum quod *annis* praecedit. — Simile dictum Ov. M. 8, 617 *animo maturus et aevo.* Casus variatur ut in voce *integer* cf. 2, 638.

247. *quorum sub numine Troia est* Sil. 16, 654 *sub numine quorum gens Troiana sumus* Ov. M. 15, 546 *numine sub dominae lateo.* Cf. 2, 703.

248. *tamen (doch wenigstens)* consolandi habet vim cf. v. 315.

249. *quum — tulistis*, eo tempore quo. cf. 2, 117. tulistis sc. nobis attulistis auxilio. — *certa*, fortia.

Pectora. — Sic memorans, humeros dextrasque tenebat
Amborum et voltum lacrimis atque ora rigabat. —
Quae vobis, quae digna, viri, pro laudibus istis
Praemia posse rear solvi? Pulcherrima primum
Di moresque dabunt vestri; tum caetera reddet
Actutum pius Aeneas, atque integer aevi
Ascanius, meriti tanti non immemor unquam.
Immo ego vos, cui sola salus genitore reducto,
Excipit Ascanius, per magnos, Nise Penates,
Assaracique Larem, et canae penetralia Vestae
Obtestor: quaecunque mihi fortuna fidesque est,
In vestris pono gremiis; revocate parentem,
Reddite conspectum; nihil illo triste recepto.
Bina dabo argento perfecta atque aspera signis
Pocula, devicta genitor quae cepit Arisba;
Et tripodas geminos, auri duo magna talenta;
Cratera antiquum, quem dat Sidonia Dido.
Si vero capere Italiam sceptrisque potiri
Contigerit victori, et praedae dicere sortem:
Vidisti: quo Turnus equo, quibus ibat in armis
Aureus, ipsum illum clipeum cristasque rubentes
Excipiam sorti, iam nunc tua praemia, Nise.

250. *humeros dextrasque* amborum cf. 10, 845. *Wg.*: „Nempe alteri inhaerebat Aletes post alterum, et sinistram imponebat humero, dextra dextram amplectebatur.“

252. *laudibus istis.* Idem 10, 825. *laudibus* cf. 1, 461 *istis* cf. Gr. § 381.

253. *pulcherrima primum etc.* Nam Cic. ait Phil. 2, 44, 114 *Satis in ipsa conscientia pulcherrimi facti fructus.*

255. *integer aevi* cf. ad 2, 638. „Cui aetas integra superest.“ S.; qui igitur diu gratias referre poterit.

257. *immo ego vos* „Pulchre poeta fidem sponsionis Aleti addidit, ut eum statim promissa Ascanii sequerentur.“ S. — *vos — Nise revocate*, cf. 1, 140.

259. *Assaracique Larem*, „i. e. familiae nostrae et generi proprium.“ S. — Idem fere versus 5, 744.

260. Omnem meam fortunam, eiusque fidem i. e. spem; itaque res et spes omnis mea in vobis posita est: nam nisi Aeneas cito redit, omnes certum est perituros. Interponit eum sermonem, ut magis eos impellat.

261. *in vestris pono gremiis* i. e. cura et fide vestra; ex eo, quod quem mater in gremio habet filium infantem, summe curat et custodit.

263. *argento perfecta* „i. e. tota argentea.“ S. — *aspera signis* cf. 5, 267.

264. *quae genitor (Aeneas) cepit Arisba. Arisba* oppidum Troadis. „Atqui secundum Homerum Arisba Troianis misit auxilium et ab Achille subversa est. Sed accipimus id aut (!) ante bellum Graecorum Arisbam a Troianis captam et in amicitiae foedus admissam, aut (!!) certe pocula haec data ab Heleno, qui in Achillis bona per Pyrrhi successerat hereditatem, ut si quae *cepit* pro quae *accepit* (!) devicta Arisba sc. ab Achille.“ Vides Servium non potuisse hanc discrepantiam explicare et frustra esse nisum. Quae in aliquot eius libris praeterea insunt, toti repugnant Aeneidi.

265. *tripodas* cf. 5, 110.

266. *dat.* De praesenti cf. 4, 228. Versum eiicit *Pl.*

268. *victori* sc. mihi. — Et *dicere* MPγI et *ducere* Rbc et *deicere* (quod est aut *deiicere* cf. 5, 490 aut *dicere.*) *Dicere sortem* recte explicat Servius *statuere*, et dicit sortem is, qui constituit quae sors praedae alicui obveniat. Ea tamen sors non est sors. Melior est sententia haec: Si vicerimus et praedam sortitione facta dividere licuerit, sorti tibi excipiam. — *Ducere sortem* est militis, non regis.

269. *ibat in armis* cf. 5, 37. — *Ibat* non pendet a *vidisti* cf. 6, 780.

271. *Excipiam sorti*, praeter sortem dabo, γέρας ἐξαίρετον, qualia solebant attribui ducibus et iis, qui in bello in primis virtutem suam comprobaverant.

Praeterea bis sex genitor lectissima matrum
Corpora, captivosque dabit, suaque omnibus arma;
Insuper his, campi quod rex habet ipse Latinus.
Te vero, mea quem spatiis propioribus aetas
Insequitur, venerande puer, iam pectore toto
Accipio et comitem casus complector in omnes.
Nulla meis sine te quaeretur gloria rebus;
Seu pacem seu bella geram, tibi maxima rerum
Verborumque fides. Contra quem talia fatur
Euryalus: Me nulla dies tam fortibus ausis

Saepe duces ad res gerendas praemiis propositis excitabant, quod dicebatur *pronuntiare praemia* Liv. 2, 20. 21, 45.

273. *captivos suaque omnibus arma* i. e. captivos et eorum arma dabit.

274. *insuper his* sc. addam. Non opus est, ut habeatur *his* ablativus et *insuper* praepositio, quam praepositionem loci qui afferuntur non firmant. — *campi quod* etc.: „Mos fuerat, ut viris fortibus sive regibus pro honore daretur aliqua publici agri particula, ut habuit Tarquinius Superbus in campo Martio, quod spatium ab Homero τέμενος dicitur. Hoc ergo quod Latinus pro honore de republica habuit, ab Ascanio intelligamus esse promissum." S. Cf. Dion. 3, 1 τῶν ἀεὶ βασιλέων κλῆρος. Ita Cocles et Mucius donantur Liv. 2, 10. 13. At vero nimius est in promittendo Ascanius, promittit duo pocula aurea, duo tripodes, duo talenta, (cratera unum, ubi recte quaerimus utri detur, neque possumus expediri aliter, quam ut omnia haec Niso dicamus proponi; sed id verum non est v. 301.) deinde Turni arma et equum, duodecim matres, totidem servos, et eorum arma, et Latini agrum. Profecto haec magna satis sunt praemia, in quibus nescimus, utrum promittentis an accipientis satis mirari possimus impudentiam. Auletes magna satis praemia dari non posse affirmat, daturum tamen Aeneam aliqua exspectat; eius spem confirmare poterat filius, sed ea promittit, quae patrem daturum non potest sperare. Primum Latino agrum suum Aeneas erepturus non est, ne post bellum quidem cf. 12, 190; multo minus eo tempore, quo bellum cum Latino nondum est. Latinus pacem promiserat et servavit; Turnus tantum turbavit. Quae ea est iniuria, amicum et fidum spoliare? (Poteris opponere id nescisse Ascanium neque omnino scire potuisse. At scivit Vgl.) Sed ut hoc voluerit, quid restat Aeneae victori, si quae Latini sunt, traduntur Niso. Virgilius eratne ita antiquitatis ignarus, ut regum illis temporibus ut aliorum hominum opulentiam in fundis et gregibus fuisse positam, ut nondum fuisse reditus et vectigalia nesciret? Frustra sudat Aeneas, omnia pro Niso laborat. Et talia audet promittere filius! Servas etiam dono datas vidimus esse 5, 285. At promittuntur duodecim! et a puero adolescenti! Si impudentiae crimen priore promisso non effugit, nunc tenebitur crimine impudicitiae. Iam *suaque omnibus arma* durum est dicendi genus pro *omnium*. Si dico *liber mihi est*, non possum dicere *liber mihi a te lectus est*. Quod explicant *suaque omnibus arma* αὐτοῖς τεύχεσιν, nec graece nec latine satis scio, ut haec eadem esse intelligam. Deinde *omnibus* ita dictum est, ut etiam ad matres pertinere videatur. Omnino haec ab Ascanio donorum promissio mirum quantum inepta videtur. Non placet nobis puer viris fortibus praemia promittens ea, quae neque habet neque parare sibi ipse potest, ut Turni equum et arma, qua in re aperte poeta Doloneian Homeri respexisse deprehenditur. Non placent dona a Didone oblata; neque enim feminam curaret Nisus, vir fortis, neque splendidum est donum, quod aliis damus, ut modo iniuriarum quas fecimus memoriam menti eximamus. Quid igitur restat? Aut Virgilius hoc loco non dormitavit, sed omni mente captus fuit, aut aliquis homo fatuus et ineptus Virgiliana suis absurditatibus auxit, aut Virgilius varia reliquit tentamina, e quibus optima eligeret. *Pl.* versus 272. 3. 4. delet.

275. *propioribus* cf. Ov. M. 3, 541 *vos, acrior aetas, o iuvenes, propiorque meae.*

276. *insequitur;* Ascanius igitur iunior Euryalo. — *pectore toto* „omni affectu, et est de proverbio. Cicero de legibus *nisi toto pectore amatur ut dicitur.*" S.

277. *casus in omnes:* Cf. Sil. 1, 76 et sc *participem casus sociarat in omnes.*

279. *seu pacem seu bella geram* cf. 7, 444.

281. Equidem nunquam hoc facto in-

Dissimilem arguerit; tantum, fortuna secunda
Aut adversa cadat. Sed te super omnia dona
Unum oro: genetrix Priami de gente vetusta
Est mihi, quam miseram tenuit non Ilia tellus
Mecum excedentem, non moenia regis Acestae.
Hanc ego nunc ignaram huius quodcunque pericli est
Inque salutatam linquo, Nox, et tua testis
Dextera, quod nequeam lacrimas perferre parentis.
At tu, oro, solare inopem, et succurre relictae.
Hanc sine me spem ferre tui: audentior ibo
In casus omnes. Percussa mente dedere
Dardanidae lacrimas; ante omnes pulcher Iulus,
Atque animum patriae strinxit pietatis imago.
Tum sic effatur:
Sponde digna tuis ingentibus omnia coeptis.
Namque erit ista mihi genetrix, nomenque Creusae
Solum defuerit, nec partum gratia talem
Parva manet. Casus factum quicunque sequentur,

dignum me geram. — *arguerit* in sententia certa pro futuro cf. 6, 89. — *fortibus ausis* cf. 12, 351.

282. *tantum:* Tantum de me possum promittere, fortuna secunda aut adversa cadat, semper me fore fortem. — *haut* MPR; quae forma dubium est sitne *aut* an *haud*, quod nonnulli accipiunt et explicant: Fortem me praestitero, modo ne fortuna, quae nunc secunda est, fiat adversa. Equidem nescio quam fortunam secundam intelligant, quae ne adversa fiat metuat Euryalus. Potius explicarem: Modo fortuna secunda, non adversa cadat. Servius iam et *haud* et *aut* explicatum invenit, hoc probavit et explicavit: „Tantummodo hoc possum de me promittere, ut (sic) semper velim fortiter facere.“ *haud* γ1 *aut* γ2bc. *Pl.* coni. *Me n. d. t. f. a. D. arguerit* (at metrum?) *unquam, f. s. A. a.* c. — *Mv.* coni. *cadet.*

283. *super omnia dona* „ultra omnia, magis quam omnia; proprie enim super id significat“ S. cf. 7, 462.

284. *Priami de gente:* Commendat matrem ex cognatione.

285. *miseram*, cui talia perferenda fuerunt et fortasse erunt cf. v. 216. — *non Ilia tellus:* Itaque remanserunt plures Troiani in Troiae reliquiis.

286. *mecum excedentem* i. e. quum vellet excedere mecum, cf. 1, 305.

289. Itaque prae amore matris non potest ferre lacrimas. — Linquo insalutatam matrem meam, quod matris lacrimas nequeam perferre, cuius rei nox et tu ipse testis eris; non est *quod* iungendum cum *testis*, quod fecit *Wg.*

292. *lacrimas dedere* cf. 2, 698.

293. *pulcher:* „Incongruum epitheton pulchritudinis posuit, quum res sit in hoc loco religionis.“ S. Cf. 11, 213.

294. *strinxit* etc.: Movit eum in alio imago eius pietatis, qua ipse ferebatur in patrem. Sic 2, 560 imago Anchisae in Priamo subit Aeneam. Idem fere versus legitur 10, 824. Hunc versum delet *Pl.*, dum adhaeret explicationibus perversis, quas quum recte improbasset, statim, ante quam quaereret meliorem, omnia eiecit. Ea tamen h. l. adscripsit de poeta Virgilio, quae saepius repetenda existimo, tam vera haec sunt: „Virgilius artem non omnia dicendi probe intelligebat. Multa legentibus supplenda relinquit, qui si supplere sciant, tanto sibi feliciores et doctiores videntur. Optimi veteres rationem hominum inescandorum tenebant, sciebantque illud *sapienti sat* non modo in ipso vitae usu, sed etiam in poesi ingens esse delenimentum.“

296. *sponde* i. e. promitte tibi, expecta. Cic. Fam. 15, 21 *Quod ego non modo de me tibi spondere possum, sed de te etiam mihi.* Sed qui affertur locus nihil docet, quum *de me tibi spondere* praecesserit alteri, ut modo leve zeugma esse possit. Sed firmat Liv. 28, 38 *spondebant animis, bellum, quod instaret, P. Cornelium finiturum.* Iust. 3, 4. — *spondeo* olim vulg. in Edd. est contra metrum, neque quadrat sequens *nam.*

298. *partum gratia* etc.: „Debet ab omnibus coli, quae talem creavit.“ S.

299. *manet* cf. 2, 194. — *sequentur* MPR. Postulat temporum ratio, quum

Per caput hoc iuro, per quod pater ante solebat,
Quae tibi polliceor reduci rebusque secundis,
Haec eadem matrique tuae generique manebunt.
Sic ait inlacrimans; humero simul exuit ensem,
Auratum, mira quem fecerat arte Lycaon
Gnosius atque habilem vagina aptarat eburna.
Dat Niso Mnestheus pellem horrentisque leonis
Exuvias; galeam fidus permutat Aletes.
Protinus armati incedunt; quos omnis euntes
Primorum manus ad portas iuvenumque senumque
Prosequitur votis. Nec non et pulcher Iulus,
Ante annos animumque gerens curamque virilem,
Multa patri mandata dabat portanda. Sed aurae
Omnia discerpunt, et nubibus inrita donant.
   Egressi superant fossas, noctisque per umbram
Castra inimica petunt, multis tamen ante futuri

in apodosi sit futurum. *sequuntur* al. *sequantur* duo.

300. *per quod pater ante solebat:* Pater meus si volebat asseverare, per meum caput iuravit: itaque rata ab eo habebuntur, quae ego hoc iure iurando promitto. Sic in Odyssea Ulysses Telemachi se patrem esse gloriatur, (Il. 2, 260. 4, 354.) multo magis in Ascanio *cura parentis* stare debebat, in quo magni imperii spes erat posita; neque mirum si per filium Aeneas iuravit; solent enim per id iurare homines, quod carum habent, et patrem per filiorum caput iurasse certe apud Graecos invenitur cf. Demosth. III. adv. Aphob. 860, 17 *κἀκεῖνον παραστησάμενοι τοὺς παῖδας ὑπὲρ ὧν ἐμαρτύρησαν.* in Con. 1268, 23 *φασὶ γὰρ παραστησάμενον τοὺς παῖδας αὐτὸν κατὰ τούτων ὀμεῖσθαι*; quod iuramentum maximum fuisse Demosthenes in sequentibus testatur. Aeneam alii obtestanur per caput Ascanii, cf. 6, 364.

301. *reduci:* „Mira arte moratur in prosperis, et ea iterat; tacet adversa et magis intellectui relinquit." S.

303. *Humero exuit ensem*: de more cingendi ensis cf. 8, 459. — Lycaon Gnosius; Gnosus, Cretae oppidum; Cretensia arma excelluisse notum est. — Ita apud Homerum Diomedi et Ulyssi arma dantur ab aliis principibus. Il. 10, 255. Amoris hoc signum.

305. *Vagina eburna* in honore fuit cf. Hom. Od. 8, 404. Ov. M. 4, 148.

307. *pellem et exuvias l.* Pellis idem est quod exuviae.

310. *nec non et* cf. 5, 100.

311. *ante annos*, ante aetatem, cf. Ov. A. A. 1, 184 *Caesaribus virtus contigit ante diem. Ingenium caeleste suis velocius annis surgit.*

313. *discerpunt aurae* ut 11, 795 cf. 10, 652 et Catull. 64, 142 *quae cuncta aerii discerpunt irrita venti.* Cf. Tib. 1, 4, 21. 3, 6, 27.

314—366. Nisus et Euryalus per Rutulorum castra evadunt.

315. *inimica:* exitiosa futura, cum affectu doloris pronuntiandum; quum tamen (quod consolantis est ut 248. 4, 329. E. 10, 31. Ad structuram similis locus 10, 509) antequam ipsi caderent, multos occidissent. — *ante* „antequam ipsi perirent." S. Nota tamen, poetam haec non ad artas logicae leges composuisse, quum dicere deberet: Castra petunt, in quibus perituri erant; multis tamen antea fuerunt exitio. Deinde ita haec dicta sunt, quasi in castris perissent. Iam vero si verba recte interpretamur, haec est sententia: Castra petunt, in quibus pereant; tamen antequam castra petierunt, multis fuerunt exitio. Post Heynium Peerlkampius difficultatem intellexit ab aliis neglectam, et loco tabem exemit desectis verbis *multis — passim.* Poterat alius, quum *castra inimica* legeret, verba intelligere: castra in quibus sunt perituri, et ut se ipse consolaretur, addere *multis tamen a. f. e.*, vel simile, quod metro aptabatur. Recte explicat Servius *inimica* non esse hostilia sed perniciosa, ut quae sequuntur verba aliquam habeant sententiam. Sed poeta sine dubio non ignorabat, eos in castris non perituros; itaque *inimica*, si intelligebat perniciosa, propterea dixit, quod Euryalus galea e castris illis sumpta proditur; quae caussa satis latet. Pronu

Exitio. Passim somno vinoque per herbam
Corpora fusa vident, arrectos litore currus,
Inter lora rotasque viros, simul arma iacere,
Vina simul. Prior Hyrtacides sic ore locutus:
Euryale, audendum dextra; nunc ipsa vocat res.
Hac iter est. Tu, ne qua manus se attollere nobis
A tergo possit, custodi et consule longe.
Haec ego vasta dabo, et lato te limite ducam.
Sic memorat, vocemque premit; simul ense superbum
Rhamnetem adgreditur, qui forte tapetibus altis
Exstructus toto proflabat pectore somnum,
Rex idem et regi Turno gratissimus augur;
Sed non augurio potuit depellere pestem.
Tres iuxta famulos temere inter tela iacentes
Armigerumque Remi premit aurigamque, sub ipsis
Nactus equis ferroque secat pendentia colla;
Tum caput ipsi aufert domino, truncumque relinquit
Sanguine singultantem; atro tepefacta cruore
Terra torique madent. Nec non Lamyrumque Lamumque
Et iuvenem Serranum, illa qui plurima nocte
Luserat, insignis facie, multoque iacebat

tamen sum eam in sententiam, ut Virgilium, qui eos infelices fore v. 313 indicaverat, ipsum haec addidisse putem, non inculcasse alium; sed erat emendaturus.

316. *passim*, non servato ordine, sed ut quemvis somnus occupaverat. — *per herbam* cf. 5, 102.

317. *arrectos currus* „sublato in altum iugo et depressa in terram parte currus extrema.“ *Hn.* Nam binis rotis currus exstructi erant.

319. *vina simul* „vasa vini“ S.; Cf. 1, 724. — *ore loqui* 1, 614.

320. Nunc tandem, quum opportunum tempus esse vident, hostes caedere aggrediuntur, quod antea sibi non proposuerant.

322. *consule* i. e. prospice longe.

323. *vasta dabo* i. e. vastabo cf. 1, 63. — *haec* cf. v. 316. — *vastare* homines cf. 1, 471. — *lato te limite ducam* cf. 10, 514.

324. *vocemque premit*, tacet. Ov. M. 9, 763 *pressit ab his vocem.*

325. *tapetibus altis exstructus* ita Ov. M. 13, 638 *positique tapetibus altis.* Tapetes lectis et toris iniiciebantur; alti igitur tapetes, si lectus est altus. (cf. Stat. Theb. 2, 91 *Ingens fuderat Assyriis exstructa tapetibus alto membra toro.)* Atque ex eo hominis conspicitur magnificentia.

326. *toto profl. p. s.*: Noluit humili verbo *stertentem* dicere, ut ap. Quint. 4, 2. 123 *totis praecordiis stertere* dixit Caelius Antonium, ut foedam redderet imaginem.

327. *idem — et*, cf. 3, 80.

328. *pestem*, malum, interitum cf. 5, 683. Ita Hom. Il. 2, 859 *ἀλλ' οὐκ οἰωνοῖσιν ἐρύσατο Κῆρα μέλαιναν.*

329. *temere*, passim, fortuito Hor. C. 2, 11, 14 *sub alta platano iacentes sic temere.*

330. *premit* „opprimit“ S. cf. 1, 324. Et qui premit ense corpus, etiam percutit. *Remum* coni. *Schr. Hn.* „quod verum puto“ *Pl.* Quod si probas, est Remus Rhamnetis armiger. Sed recte *Remi.* Aggreditur enim ense Rhamnetem i. e. occidit; occidit deinde tres eius socios, Remi autem armigerum et aurigam, tum ipsum dominum i. e. Remum. Male v. 332 ad Rhamnetem interpretes retulerunt. Nam Nisus ex eorum mente primum obtruncat Rhamnetem, deinde eius famulos; post redit ad dominum et caput decidit et relinquit sanguine singultantem eum, qui iamdudum plagam accepit. — *armiger* cf. 11, 32.

332. *truncum* cf. 2, 557.

333. *sanguine singultantem*, i. e. „cum singultu animam efflantem.“ S. — Quum sanguis collo reciso profluit, fit sonus singultui similis. cf. v. 415 et Sil. 1, 388 *Oraque dum calcat iam singultantia leto.* Val. Fl. 3, 218 *trepidi singultibus agri labentum.*

Membra deo victus; felix, si protinus illum
Aequasset nocti ludum in lucemque tulisset.
Impastus ceu plena leo per ovilia turbans;
Suadet enim vesana fames; manditque trahitque
Molle pecus mutumque metu; fremit ore cruento.
Nec minor Euryali caedes: incensus et ipse
Perfurit, ac multam in medio sine nomine plebem,
Fadumque, Herbesumque subit, Rhoetumque, Abarimque,
Ignaros; Rhoetum vigilantem et cuncta videntem,
Sed magnum metuens se post cratera tegebat;
Pectore in adverso totum cui comminus ensem
Condidit adsurgenti et multa morte recepit.
Purpuream vomit ille animam et cum sanguine mixta
Vina refert moriens: hic furto fervidus instat.
Iamque ad Messapi socios tendebat; ibi ignem
Deficere extremum et religatos rite videbat
Carpere gramen equos: breviter quum talia Nisus —
Sensit enim nimia caede atque cupidine ferri —
Absistamus, ait; nam lux inimica propinquat.

337. *multo deo* i. e. Baccho. vino cf. 1, 171. Quod multus dicitur deus cf. 3, 372. — *protinus* cf. 3, 416.

338. *Nocti ludum aequare:* sic Sil. 7, 340 *somno noctes aequare.* Aliter 2, 362. — *in lucemque tulisset:* usque ad mane lusisset. Simile Hor. C. 3, 8, 15 *vigiles lucernas perfer in lucem*; i. e. maneant lucernae usque ad solis ortum; ipsi vigilemus in diem.

339. cf. 10, 723 sq. De forma comparationis cf. 2, 303.

341. *fremit* cf. 11, 453.

343. *in medio* sc. spatio. „Bene expressit et bellatoris peritiam et tironis inconsideratam aviditatem.“ S. — *sine nomine* cf. 6, 777.

344. *subit*, clam aggreditur.

345. *ignaros*, qui mortem non videbant impendere; Rhoetus metuens se abscondere conatur post craterem, quasi is eum tegere et occultare possit; metus enim homines transversos agit, ut salutis viam ineant maxime inviam. — Rhoetus autem alius iam v. 344 est, quare optes aliud nomen; et poetam aliud scripsisse verisimile est.

347. Deprimit in eum, qui contra nititur, gladium. — *in pectore. In* c. abl. ut v. 442. Archaismum habet Servius. Verbo *condere* eadem qua hoc loco est significatione iunxit *in* c. abl. Ov. M. 1, 726. 12, 295, (Sed utroque in loco Gierig al. in *pectora* pro *in pectore*) et ablativum nudum 13, 459 *At tu iugulo vel pectore telum conde meo!*

348. *assurgenti:* Quum iam se ab hoste conspici videret, assurgit, ut se defendat. — *multa morte* abl. abs. quum eius iam multa esset mors, vulnere adacto. Ameis: mit vielem todbringendem Blutverluste. — *recipit*, eduxit, retrahit, ut 10, 383 *receptat.* — *cui* — *et* 12, 944.

349. Serv. et *purpureum* et *purpuream* legit. Utra magis firmetur libris, a *Rbo* non dicitur; ad versus normam magis placet *purpuream*, quod rec. *Wg. Ld. Rb. Purpureum* facile sic intelligis: „eduxit gladium multo cruore (morte) purpureum“ S. illud: exhalat animam suam et refert vina i. e. reiicit sanguinem et vinum. — *Purpurea anima* sanguis est, sanguine enim anima habebatur inclusa et concreta. Ita 10, 487. 908. Hom. h. in Apoll. 361 *λεῖπε δὲ θυμὸν Φοινὸν ἀποπνείουσ'.* et Il. 5, 83 *πορφύρεος θάνατος*; prae aliis Val. Fl. 3, 107 *purpuream singultibus exspuit auram.*

350. *fervidus instat furto* cf. 6, 568.

352. *deficere extremum* cf. 4, 22. *extremum* i. e. deficientem ita Ov. M. 2, 117 *ut terras mundumque rubescere vidit Cornuaque extremae velut evanescere Lunae.* — *religatos*, alligatos cf. 7, 106. — *rite*, ut mos est in castris.

354. *sensit* sc. eum omisso accusativo subiecti cf. 2, 3 — *caede atque cupidine ferri* i. e. caedis cupidine cf. 1, 61.

355. *inimica*, eorum conatibus.

Poenarum exhaustum satis est; via facta per hostes.
Multa virum solido argento perfecta relinquunt
Armaque craterasque simul pulchrosque tapetas.
Euryalus phaleras Rhamnetis et aurea bullis
Cingula, Tiburti Remulo ditissimus olim
Quae mittit dona, hospitio quum iungeret absens,
Caedicus; ille suo moriens dat habere nepoti;
Post mortem bello Rutuli pugnaque potiti:

356. *Poena* dicitur in caede hostium sic 2, 366. 8, 537. 10, 617. Cic. Mil. *Silent leges inter arma nec se exspectari iubent, quum ei, qui exspectare velit, ante iniusta poena luenda sit, quam iusta repetenda.*

357. Quum multas res pretiosas relinquant, unum tamen factorum signum sibi superesse cupit Euryalus.

359. *Phaleras* esse equorum vidimus 5, 310. Phaleras autem non minus quam torques et armillas fuisse inter dona militaria apud Romanos satis constat. Sil. 15, 255 *Phaleris hic pectore fulget, hic torque aurato circumdat bellica colla.* Cf. Suet. Oct. 25. Et ille L. Siccius Dentatus coronis est donatus aureis octo, torquibus 83, armillis plus 160, hastis 18; phaleris item donatus est quinquies viciesque Gell. 2, 11. Phaleris equites donantur Liv. 39, 31. — *aurea cingula bullis* cf. 7, 483. — De cingulis cf. 12, 942.

361. *mittit* cf. 4, 228. — *hospitio:* „Consuetudo erat apud maiores, ut inter se homines hospitii iura mutuis muneribus copularent, vel in praesenti, vel per internuntios.“ S. Ea tessera hospitalitatis servabatur posterisque tradebatur. Omnino hospitium tuebatur Iuppiter hospitalis, et hospitium fallere pessimum facinus putabatur.

362. „Remulus moriens nepoti suo cognomini haec reliquit, qui postea victus a Rutulis est et occisus; post cuius mortem apud Rhamnetem Rutulum ab Euryalo haec reperta sunt munera. Quod autem dixit *Tiburti* Remulo, aut Tiburtino intelligimus, hoc est de Tibure, ut sit dativus ab appellativo veniens *hic Tiburs*, aut *Tiburti* hoc est filio Tiburti, ut sit Tiburti Remulo sicut *Deiphobe Glauci* (cf. 3, 319.). — *nepoti*, Remulo, quem supra avo cognominem diximus. (Adde 5, 564.) Nam quotiens aperte non ponitur nomen filii vel nepotis, cognominem eum esse intelligimus avo vel patri, quorum nomen aperte positum invenimus.“ S.

363. *Post mortem* „scilicet Remuli secundum supra dictum sensum. Nam Donatus dicit post mortem Nisi et Euryali bello potiti sunt Rutuli; quod non procedit, si diligenter advertas.“ At etsi omnia interpretatus est ipse Servius, atque ita, ut satisfacere videatur, sibi tamen ipsi non satisfecit, sed statim pergit: „Sane sciendum locum hunc esse unum de 12 Virgilii sive per naturam obscuris, sive insolubilibus, sive emendandis, sive sic relictis, ut *a nobis per historiae antiquae ignorantiam* liquide non intelligantur.“ Et alii antiqui, Asper, Donatus de loci queruntur obscuritate. Et ex novissimis editoribus plures sunt, qui v. 363 deleant *Pl. Rb. Wg.* (qui tamen in ed. minore v. defendit). — Recte hi docent versu omisso exstare sententiam probam hanc: Caedicus mittit phaleras Remulo, Remulus moriens dat nepoti (ex filia. Rutulo alicui in matrimonium data, filio) qui est is, qui habet nunc, Rhamnes. Ad hanc coniecturam firmandam poterant etiam afferre, sic bellum illud, quod Tiburtini et Rutuli v. 363 gessisse dicuntur, qui hoc bello sunt socii et amici, et quod praeterea nusquam memoratur, simul cum versu evanescere. Addunt autem, quum antiqui iam nepotis nomen omissum esse viderent, neque in eam sententiam inciderent, nepotem esse ipsum Rhamnetem, (ut Asper et Servius de nomine nepotis quaerunt, Rhamnetem non intelligunt) facile potuisse aliquem perduci, ut aliquo modo probare tentaret, qui factum esset, ut ad Rhamnetem phalerae pervenirent; eumque versum ad versus 450 similitudinem confinxisse arbitrantur. Iam, ut fere solet, *bello pugnaque potiti* abundantiam monent esse intolerabilem, *post mortem* non habere quo referatur. Sed *post mortem* explicavit iam Servius, neque potest aliter explicari, quam ille fecit, ut ambiguum non sit habendum, quod uno tantum modo recte explicatur. Quae autem est abundantia, invenitur iam v. 450, ex quo hic versus dicitur haustus esse; quodsi ferimus illo loco ut multis aliis, poterimus etiam hoc loco tolerare. Deinde quum iam illi anti-

Haec rapit, atque humeris nequidquam fortibus aptat,
Tum galeam Messapi habilem cristisque decoram
Induit. Excedunt castris, et tuta capessunt.
  Intera praemissi equites ex urbe Latina,
Cetera dum legio campis instructa moratur,
Ibant, et Turno regi responsa ferebant,
Tercentum, scutati omnes, Volscente magistro.
Iamque propinquabant castris muroque subibant,
Quum procul hos laevo flectentes limite cernunt,
Et galea Euryalum sublustri noctis in umbra
Prodidit immemorem, radiisque adversa refulsit.

qui interpretes hunc versum explicare desperarint, verisimile non est exstitisse vestigium, quo ad fraudem illam perveniretur. Et si versus hic aliquando, non erat, non verisimile est quemquam de Rhamnete Remuli nepote dubitasse; sed ille Asper, et alii, quum adesset v. 363, non poterant Rhamnetem intelligere, quo eiecto de eo non dubitassent. Iam vero qualem sibi finxerunt illum hominem, qui hunc versum intulit? Non vidit, quis esset nepos; addidit igitur versum, quo illud etiam magis obscuraretur. Quomodo ad Rhamnetem pervenissent phalerae, dicere voluit; itaque addidit versum, in quo id non dicitur; formavit autem ad alium Virgilii, sed talem, quem ad unum omnes propter obscuritatem notarent. Recte iam explicuere versum Servius et Heynius. Recte etiam, quod omisit illud *Rutuli Rhamneti ut virtutis esset praemium donaverunt*, poeta vituperatus est. Sed potuit haec supplenda relinquere legentibus et si hic illic etiam in hoc libro imperfecti operis signa cognoscimus, non est caussa, ut versum eiiciamus, quem unus Virgilius scribere potuit, alius non potuit.

364. *haec rapit:* De structurae conformatione cf. 1, 29. — *nequidquam aptat* „non fructurus" S. — *aptare* c. dat. 12, 88.

365. *galeam Messapi*, quam invenit iacentem et sustulit, cuius splendore Euryalus proditur.

366. *tuta capessunt* i. e. petunt loca, ubi tutos se fore putant. cf. 11, 882.

367—449. Nisus et Euryalus pereunt.

367. Turnus cum Rutulis et sociis Latinos excitavit, et dum ii armantur, morae impatiens ipse praecesserat. Nunc eorum legio subsequitur, quae dum in campo morantur, equites (trecenti autem erant in quavis legione Romana) magistro equitum duce castra petunt Turni, adventum Latinorum nuntiaturi. Iis eo loco castra Rutulorum ineunda sunt, quo exeunt Nisus et Euryalus, qui ad laevam deflectunt, ut ad Tiberim et Pallatium perveniant. Pl. coni. *Latini.*

369. *regi.* In aliquot Servii legitur: „In omnibus bonis *regis* dicitur inventum." Improbarunt *regis*, qui memores erant versus 7, 600: sed Latinum non omne deposuisse imperium, eo apparet, quod postea praeest senatui de rerum summa consulenti. Neque solum is, ad quem, sed etiam is, cuius responsa dantur, nominandus est. Itaque *regis* probabile, probatum a *Plo.* Quibus in Mss. sit *regi*, in quibus *regis* i. e. (Latini) *Rb.* non dicit; is et *Wg.* et *Ld.* dant *regi.* Quae deinde ea responsa fuerint, frustra quaerunt interpretes et *Rb.*, quum quae in promptu sint negligant. Sc. referunt, subsequi peditatum.

370. *scutati:* „Clypei peditum sunt, scuta equitum." S. Id omnino verum non est. Scutis, ut antea clipeis, armati sunt pedites. Cf. 8, 662. Equidem non potui indagare locum alterum, ubi equites Romani scutati fuisse dicuntur; etsi hoc temere a Virgilio factum non arbitror, et Lydus ap. Lersch p. 70 videtur firmare.

371. *muroque* MRb2c2 et Serv. in plurimis libris. — *muro*s*que* Pγb1c1. al. cf. 8, 123. rec. *Rb.* Castra sunt Rutulorum, quibus Voscens appropinquat eodem tempore, quo N. et E. exeunt.

373. *sublustri in umbra*, parum, non satis illustri; luna enim lucet v. 403, sed maligna. Cf. Hor. C. 3, 27, 31 *Nocte sublustri nihil astra praeter vidit et undas;* et ap. Liv. 5, 47 *nocte sublustri* Galli Capitolium ascendunt, quod obscura nocte non poterant.

374. *immemorem*, qui non putavit se galea prodi. — *que* cf. 8, 125. *Pl.* dat v. 73 *Quem galea* pro *et galea*, deinde v. 74, postea v. 72 mutato *quum procul* in *et procul.*

Haud temere est visum. Conclamat ab agmine Volscens:
State viri; quae caussa viae? quive estis in armis?
Quove tenetis iter? Nihil illi tendere contra,
Sed celerare fugam in silvas et fidere nocti.
Obiiciunt equites sese ad divortia nota
Hinc atque hinc, omnemque abitum custode coronant.
Silva fuit late dumis atque ilice nigra
Horrida, quam densi complerant undique sentes;
Rara per occultos lucebat semita calles.
Euryalum tenebrae ramorum onerosaque praeda
Impediunt, fallitque timor regione viarum.
Nisus abit: iamque imprudens evaserat hostes,
Atque locos, qui post Albae de nomine dicti
Albani; tum rex stabula alta Latinus habebat:
Ut stetit, et frustra absentem respexit amicum.
Euryale infelix, qua te regione reliqui?
Quave sequar? Rursus perplexum iter omne revolvens
Fallacis silvae simul et vestigia retro
Observata legit, dumisque silentibus errat.

375. *Haud temere est visum* a Volscente. — Cf. Val. Fl. 3, 259 *Conclamat ab agmine Tiphys.* Stat. Theb. 4, 802 *Conclamat ab agmine primo Argus.*

377. *quove tenetis iter*, ut 1, 370. — *nihil tendere contra:* „Nihil contra responderunt; nam *tendo contra sermonem tuum* est respondeo tibi.“ S. *Pl.* coni. *Nihil illi: tendere contra et celerare fugam.*

379. *ad divortia nota*, nam Latini in sua terra vias et semitas noverant.

380. *hinc atque hinc* cf. 1, 162. — *abitum* M1b2c *aditum* M2PRVγ1b1 „Melior est lectio *abitum*, quam *aditum*, cingunt enim silvam, ne abeant, non, ne adire possint.“ S. — *custode.* cf. Gr. § 360, b. Sic singularis, ubi plures cogitantur dispositi: 1, 564. 11, 516. 546. Cf. 2, 20. 4, 588. Ov. M. 14, 354 *circumfusus satellus* Claud. in Ruf. 2, 13 *milite cingor. Coronare* pro circumdare apud poetas inde a Lucretio; ut *corona* cf. 508. 551. 10, 122. 11, 475, de coetu hominum cingente etiam apud Ciceronem legitur.

383. *lucebat* M1PRγb2c *ducebat* M2b1 Utrumque ap. Serv. Cf. Prop. 2, 11, 17 *Ante pedes caecis lucebat semita nobis. rara* i. e. hic atque illic lucebat cf. 4, 131. Si *ducebat* accipimus, semita rara, i. e. intercisa et interrupta ducit, quod fieri nequit.

385. *regione viarum* cf. 2, 737. — Timor ipse a recta via abducit.

386. *Nisus abit:* „Bene meminit velocitatis, quam ei dedit 5, 318.“ S. Hoc etiam ex natura, quod tandem, ubi ipse tutus est, meminit sodalis sui. — *imprudens* „sc. remanentis Euryali“ S. — *evadere* c. acc. 5, 689.

387. *Atque locos* MPRγb *atque lucos* c. *ac lucos* coni. *Ld.* „Fortasse neque hic neque sequens versus nostri poetae est: et v. 388 etiam E. Hoffmannus damnavit, „*lacus* coni. Egnatius?“ *Rb.* „Esset melius *et colles*“ *Pl. Mv.* coni. *locis.* Nos nescimus quos *locos* significet. Romani Virgilii tempore sine dubio tenebant; et nostrae nunc coniecturae vanae sunt, neque versus eiicere licet; quis enim intulit versus sensu carentes?

388. *stabula alta* cf. 10, 723.

390. *Euryale infelix*, M. Praestat vulgatae *Euryale, infelix* . . . etsi utrumque bonum est.

391. Hic versus melius abest; ita ut iungatur *regione silvae*, quomodo dicitur *regione viae* v. 385. Nam sine ulla haesitatione revertendum est. Dum v. retinetur, praeferam signa sic posita*: quave sequar? silvae*, rationi alteri, qua *sequar, . . . silvae?* scribitur, neque enim ea quaestio Niso apta est. — *revolvens simul et* cf. 10, 856, aut quae ad v. 403.

393. *dumis silentibus.* Non „quia gradu suspenso et quieto nullum sonum edere volebat“; sed significat *silentibus* tam longe Nisum remotum esse ab Eu-

Audit equos, audit strepitus et signa sequentum.
Nec longum in medio tempus, quum clamor ad aures
Pervenit, ac videt Euryalum; quem iam manus omnis,
Fraude loci et noctis, subito turbante tumultu,
Oppressum rapit, et conantem plurima frustra.
Quid faciat? qua vi iuvenem, quibus audeat armis
Eripere? an sese medios moriturus in hostes
Inferat, et pulchram properet per volnera mortem?
Ocius adducto torquens hastile lacerto,
Suspiciens altam Lunam, et sic voce precatur:
Tu, dea, tu praesens nostro succurre labori,
Astrorum decus et nemorum Latonia custos;
Si qua tuis unquam pro me pater Hyrtacus aris
Dona tulit, si qua ipse meis venatibus auxi,
Suspendive tholo aut sacra ad fastigia fixi:
Hunc sine me turbare globum et rege tela per auras.
Dixerat, et toto connixus corpore ferrum
Coniicit. Hasta volans noctis diverberat umbras
Et venit aversi in tergum Sulmonis ibique
Frangitur ac fisso transit praecordia ligno.
Volvitur ille vomens calidum de pectore flumen
Frigidus et longis singultibus ilia pulsat.
Diversi circumspiciunt. Hoc acrior idem

ryalo, ut nihil audiret. Postea propius aggressus audit equos.

394. *signa* sc. sonitu, voce ut 10, 265.

398. Euryalum turbatum et frustra resistentem abducunt. *Pl.* coni. *rapiunt conantem.*

400. „*in enses* quidam legunt et melius putant quam *in hostes*." S. rec. *Rb.* *hostes* MRVb. Igitur *in hostes* firmatur libris.

401. *Quid faciat . . . . mortem:* Ipsa re tactus suum interponit poeta indicium. Tentat Nisus ex occulto missis iaculis hostes turbare atque ita liberare Euryalum.

402. *ocius* cf. 8, 555.

403. *altam lunam et* MPγbc al. *altam ad lunam et* RV. Eiecerunt *et* iam *Pl.* et *Ld. Bk.* coni. *S.* *altum*, *Lunam sic* quod rec. *Rb. Wg.* retinet *et* et addit: „Utuntur interdum veteres scriptores tali oratione, quae ipsa perturbata turbatam mentem vel loquentis (id concedere par est) et agentis (ut h. l., quod concedi nequit, neque enim agentis sunt verba Nisi sed narrantis poetae) indicet." Nondum igitur *et* iusta explicatione defenditur. — Nisus iaculandi peritus cf. v. 178.

404. *praesens* cf. 12, 152.

405. *decus* cf. 10, 507.

406. *si* pro *siquidem;* itaque in precibus saepe. Ita Tib. 3, 4, 15. cf. 2, 161. 4, 317. 6, 119.

407. *Pl.* coni. *sique ipse.*

408. „Tholus proprie est veluti scutum breve, quod in medio tecto est, in quo trabes coeunt; (cf. Vitruv. 4, 7.) ad quod dona suspendi consueverunt. (Cf. Val. Fl. 1, 57. Stat. Silv. I, 4, 33 *occipit omni exuvias Diana tholo.*) Aedes autem rotundas tribus diis dicunt fieri debere, Vestae, Dianae, vel Herculi vel Mercurio." S. — De donis ad fastigia et in foribus templorum suspensis cf. 3, 280.

409. Non poterat tot homines unus vincere Nisus sed turbare eos tentat, ut Euryalus possit evadere.

410. *toto corpore:* omnibus corporis viribus; ita 10, 127. 12, 920. — Adde 11, 313.

412. *adversi* Mss. et Serv. qui variis viis tentatis hunc locum unum esse de insolubilibus fatetur. — Recentiores dederunt omnes *aversi*, quod nunc in duobus Mss. repertum est. *abversi* dat *Rb.*

413. *fisso ligno:* Hasta magno turbine adacta frangitur.

414. Lucr. 2, 354. *Sanguinis exspirans calidum de pectore flumen.*

415. Cf. 333, G. 3, 506 *imaque longo ilia singultu tendunt.* Tac. Hist. 3, 10 *pectus* atque ora *singultu quatiens.*

Ecce aliud summa telum librabat ab aure.
Dum trepidant, iit hasta Tago per tempus utrumque
Stridens, traiectoque haesit tepefacta cerebro.
Saevit atrox Volscens, nec teli conspicit usquam
Auctorem, nec quo se ardens immittere possit.
Tu tamen interea calido mihi sanguine poenas
Persolves amborum, inquit; simul ense recluso
Ibat in Euryalum. Tum vero exterritus, amens
Conclamat Nisus; nec se celare tenebris
Amplius, aut tantum potuit perferre dolorem:
Me, me: adsum, qui feci; in me convertite ferrum,
O Rutuli! mea fraus omnis; nihil iste nec ausus,
Nec potuit; caelum hoc et conscia sidera testor;
Tantum infelicem nimium dilexit amicum.
Talia dicta dabat; sed viribus ensis adactus
Transabiit costas et candida pectora rumpit.
Volvitur Euryalus leto, pulchrosque per artus
It cruor, inque humeros cervix collapsa recumbit:
Purpureus veluti quum flos succisus aratro
Languescit moriens, lassove papavera collo
Demisere caput, pluvia quum forte gravantur.
At Nisus ruit in medios, solumque per omnes
Volscentem petit; in solo Volscente moratur.
Quem circum glomerati hostes hinc comminus atque hinc
Proturbant. Instat non setius, ac rotat ensem
Fulmineum, donec Rutuli clamantis in ore
Condidit adverso et moriens animam abstulit hosti.
Tum super exanimum sese proiecit amicum
Confossus, placidaque ibi demum morte quievit.

416. *diversi, nach verschiedenen Seiten hin.* — *circumspiciunt* timentium est. — *hoc acrior*, quod videntur terreri.

417. *librabat ab aure:* „gestus iaculantis exprimitur.“ S. cf. Ov. M. 2, 311 *Dextra libratum fulmen ab aure misit in aurigam.* 624 *malleus . . . dextra libratus ab aure.* — Hasta *ire* dicitur Stat. Theb. 11, 38. sagitta Ov. M. 8, 695. Luc. 1, 229. Cf. 12, 283.

418. *it* MPγbc prob. *Lch. Ld. iit* Pγ Itaque γ ap. *Rb.* ab utraque parte stat. cf. § 9.

420. *teli auctorem:* Ita teli autor qui misit Ov. M. 3, 349. Sil. 4, 467.

422. *interea* „donec ille invenitur.“ S. Duos enim esse viderat v. 372 sq. — Sic. Sil. 2, 240 *Tu solve interea nobis, bone ianitor urbis, supplicium.* — Confert cum hoc loco Macr. 6, 1 Ennii verba: *nam mi calido das sanguine poenas.*

423. *ense recluso;* nunc ensem stringit, non antea, quum cepit Euryalum.

427. *me, me* sc. petite, interficite, „est interrupta locutio dolore turbati“ S.

429. *conscia*, quae facta nostra viderunt. Cf. 4, 167.

432. *ensis transabiit* R. verbum Statio amatum. Sic. Theb. 2, 9 *ensis transabiit costas*, 9, 126 *hasta medium Politen.* Similia, 6, 510. 713 et Val. Fl. 4, 510 *turbine sic rapido populos atque aequora longe transabeunt.* — *transadigit* M2Pγ. loco 12, 276 videtur probari, sed non bene coniungitur *adactus transadigit.*

433. *leto* dat. cf. 8, 566.

447. *demisere* perfectum in comparatione cf. 2, 380. Similis comparatio 11, 68. Hom. Il. 8, 306. Ov. M. 10, 190. Catull. 11, 23 *Cecidit velut prati ultimi flos praetereunte postquam tactus aratro est.*

441. *proturbant*, a Volscente cupiunt amovere. Cf. de conatu 6, 468.

444. *exanimum* Mbcγ2. — *em* PR. cf. 4, 8. — Simile ap. Sil. 17, 465.

445. *placida morte quievit*, qui cum amico, eius mortem ultus, moriatur.

Fortunati ambo! si quid mea carmina possunt,
Nulla dies unquam memori vos eximet aevo,
Dum domus Aeneae Capitoli immobile saxum
Accolet, imperiumque pater Romanus habebit.
Victores praeda Rutuli spoliisque potiti,
Volscentem exanimum flentes in castra ferebant.
Nec minor in castris luctus Rhamnete reperto
Exsangui et primis una tot caede peremptis,
Serranoque Numaque. Ingens concursus ad ipsa
Corpora seminecesque viros tepidaque recentem
Caede locum et plenos spumanti sanguine rivos.
Adgnoscunt spolia inter se, galeamque nitentem
Messapi, et multo phaleras sudore receptas.
Et iam prima novo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile,
Iam sole infuso, iam rebus luce retectis
Turnus in arma viros, armis circumdatus ipse,
Suscitat aeratasque acies in proelia cogit;

447. Cf. Avien. desc. terr. 259 *memori laus semper pullulat aevo.* Utrum magis sobrium sit vides.

448. *domus Aeneae*, eius posteri. Dum Capitolium immobile accolent, quod semper fore homini Romano persuasum erat.

449. *Pater Romanus* est sine dubio Iuppiter Capitolinus, summus deus, optimus maximus; atque is est pater Romanus i. e. Romanorum, quae gens in Iovis est tutela. cf. Prop. 4, 1, 7 *Tarpeiusque pater nuda de rupe tonabat.* De Augusto accipere, quod fecit *Wg*, (*Ld.* expl.: der römische Bürger) non licet; nam is non potest simpliciter *pater Romanus* dici, etsi Ausonius praef. ad Theodosium v. 21 *Tu modo te iussisse, pater Romane, memento*, et Horatius ad Augustum C. 1, 2, 50 *hic ames dici pater atque princeps;* neque ita adulatur Vgl., sempiternum ut eius dicat fore imperium. *Pl.* coniecit: *imperiumque orbis Romanus. Gt.* coni. *patens* pro *pater*. Mirum, quod Servius nihil annotat. — Hoc epiphonema docet, aliquam de amicis his traditam fuisse famam; certe ita Vgl. vult accipi, nec minus Ov. Trist. 1, 5. 23. 9, 33, Stat. Theb. 10, 447 ita loquuntur, quasi revera exstiterint. Comparari potest cum his extremis versibus Stat. Theb. 10, 442 sq. Sil. 4, 400.

450 — 458. Luctus Rutulorum de iis, quos Nisus et Euryalus occiderunt.

450. Mirum est, quod qui v. 367 Latini videntur esse, nunc Rutuli dicuntur; ita v. 517 Rutulos dixit, quos v. 505 Volscos nominavit. Quum tamen eae gentes ad auxilium Turni venerint, possunt communi nomine Rutulorum comprehendi, et iam illi equites v. 428 Rutuli et ipse Volscens v. 442 Rutulus dicitur. Quare opus non est coniectura *Pli*: *praeda Euryali*, quae aliis de caussis etiam improbatur. *Wg.* mutatorum nominum Rutulorum et Latinorum exempla alia affert 10, 390. 11, 518. 603. 618. 629. 869. Cf. 10, 512.

454. *Numaque:* Hunc antea inter caesos non nominavit, ut ex hoc loco intelligamus plures esse occisos. Inde Schraderus coniecit *Lamoque* cf. v. 334. Serranus memoratur v. 335. Cf. 593.

455. „*Tepidaque recentem caede locum* hypallage est pro *tepidum locum recenti caede.* Unde multi legunt *tepidumque* (MPRγ1) *recenti* (Pγ1) *caede locum.*" S. Non est hypallage cf. 1, 8 sed ubi caedes, ibi sanguis est; hinc Ov. M. 4, 125 *Arborei fetus adspergine caedis in atram vertuntur faciem* et Luc. 7, 294 *immensa populos in caede natantes;* sic infra v. 818 *abluta caede* legitur.

456. *spumanti sanguine* γb. Spumat sanguis, dum effunditur; effunditur autem, quum viri nondum mortui sint (semineces). — *spumantis* MPR videntur dare, *s* ex sequente vocabulo attracto, ut contra *pleno* M *plenos* PRγc. cf. 2, 755.

459 — 472. Ruguli Teucris Nisi et Euryali capita ostendunt.

459. Tempus matutinum varie describitur cf. 11, 182. — Iidem v. 4, 584. 5.

461. *iam-iam* cf. 5, 857.

Quisque suas variisque acuunt rumoribus iras.
Quin ipsa arrectis — visu miserabile! — in hastis
Praefigunt capita et multo clamore sequuntur
Euryali et Nisi.
Aeneadae duri murorum in parte sinistra
Opposuere aciem — nam dextera cingitur amni —
Ingentesque tenent fossas, et turribus altis
Stant maesti; simul ora virum praefixa movebant,
Nota nimis miseris, atroque fluentia tabo.
Interea pavidam volitans pennata per urbem
Nuntia Fama ruit, matrisque adlabitur aures
Euryali. At subitus miserae calor ossa reliquit;
Excussi manibus radii revolutaque pensa.
Evolat infelix, et femineo ululatu,
Scissa comam, muros amens atque agmina cursu
Prima petit, non illa virum, non illa pericli
Telorumque memor; caelum dehinc questibus implet:
Hunc ego te, Euryale, adspicio? tune ille, senectae
Sera meae requies, potuisti linquere solam
Crudelis? nec te, sub tanta pericula missum,
Adfari extremum miserae data copia matri?
Heu, terra ignota canibus date praeda Latinis

464. *acies cogit quisque suas* M. Quisque dux suam aciem instruxit. — *suos* PRγbc. et S. „quisque suos sc. comites.“ Sed utrum malis, inversa est structura, et utrumque addit aliquid supervacuum. Quare ita iunge: *Turnus in arma viros — suscitat, acratasque a. in pr. cogit; quisque suas iras acuit et variis quidem rumoribus.* cf. *Quisque suos patimur Manes.* 6, 743. — *Acuunt rumoribus iras*, dum sibi narrant, quas caedes duo Troiani ediderint, apud se ipsos iram augent et ulciscendi cupidinem. Cf. 12, 590.

466. *capita Euryali et Nisi*, in hastis figunt et sequuntur. Ira Rutulorum ostenditur ex eo, quod capita caesorum Troianorum decisa praeferunt *et sequuntur* sc. *capita E. et N.* Quod tam facili victoria tantopere gloriantur, omen est maiorem eos non reportaturos.

467. *E. et N.* ex interpretamento *Hn.* censet esse natum; *Pl.* coni. *Quin ipsa E. et N. (miserabile) i. h. P. c. e. m. c. s. Aeneadae.*

470. *tenent.* „tuentur, defendunt“ S. 8, 653.

471. *maesti*, quod conatus Aeneam arcessendi irritus factus est; simul moventur morte sociorum, qui viam tentaverunt, suamque in iis augurantur sortem.

473 — 502. Euryali mater in furorem acta.

473. *pavidam*, cf. 4, 22.

476. *radii* cf. 7, 14. Cf. quae de Andromacha, accepta Hectoris caede Hom. Il. 22, 488 *τῆς δ' ἐλελίχθη γυῖα, χαμαὶ δὲ οἱ ἔκπεσε κερκίς.* — *revoluta*, *verwirrt*, quum deiecerit.

477. *femineo ululatu* „impatienti, ita 11, 782.“ S. et 878.

479. *non illa virum* etc.: „unum pudoris est, alterum salutis.“ S. — *illa — illa* cf. 1, 3.

481. *hunc* i. e. „talem“ S. ut solet explicari, vel potius *hunc*, ut nunc est foedatus et discerptus; caput enim in hasta praefixum videt; non illum aetate florentem. — *ille* M. alii. — *illa* vulgata, correctum, quod sequitur *sera requies.*

482. *Requies* senectae iuvenis dicitur etiam 12, 57.

483. *Crudelis* cum vi in apodosis fine et initio versus positum est.

484. *affari* cf. 2, 644.

485. *ignota:* Aliena in terra mori semper miserum habitum est. „*Schwer ist es in der Fremde sterben unbeweint.*“ *Schill. Jungfr.* Accedit illa antiquorum temporum crudelitas, qua hostium corpora proiiciebantur cf. Hom. Il. 1, init. et opinio, qua insepultos censebant quiescere non posse cf. 6, 325 sq. Utrum quibus

Alitibusque iaces! nec te tua funere mater
Produxi, pressive oculos, aut volnera lavi,
Veste tegens, tibi quam noctes festina diesque
Urguebam et tela curas solabar aniles.
Quo sequar? aut quae nunc artus avolsaque membra
Et funus lacerum tellus habet? Hoc mihi de te,
Nate, refers? hoc sum terraque marique secuta?
Figite me, si qua est pietas; in me omnia tela
Coniicite, o Rutuli, me primam absumite ferro;
Aut tu, magne pater divom, miserere, tuoque
Invisum hoc detrude caput sub Tartara telo,
Quando aliter nequeo crudelem abrumpere vitam.
Hoc fletu concussi animi, maestusque per omnes
It gemitus; torpent infractae ad proelia vires.
Illam incendentem luctus Idaeus et Actor,
Ilionei monitu et multum lacrimantis Iuli
Corripiunt, interque manus sub tecta reponunt.

in Mss. sit *data* an *date*, neque ab *Hno* neque a *Rbo* docemur. *Pl.* coni. *lacerande L.* — *date.* Vocativi usus memoratur 12, 947.

486. *te tua funera mater* sensu fere nullo, nisi cum *Wgo* Servii accipis verba: „*Funeras* autem dicebant, quasi *funereas*, ad quas pertinet funus", quae res a nullo alio scriptore traditur, neque verbum bene est derivatum; et unus locus Ennii, quo legitur ap. Cic. Tusc. 1, 49, et CM. 20 *nec funera fletum fuxit* iam aliter constitutus est et nunc legitur *nec funera fletu faxit*, ut *funera* sit accusativus. „*te tua funera mater* MPRγbc. S. Nonii Donati Macrobii exempl. *te in tua funera* Pseudodonatus, *enim tua funera* Moret. sec. *ego tua funera* Parrhas. *te et tua funera* Heumannus *tristia funera* Burmannus *fletu funera* Peerlkampus, ingeniose. *te tua funere* Petrus Bembus (coniectura probabili cf. 4. 98) *taeda funera* Hoffmannus Librorum scripturam sic interpretor: nec te, immo tua funera produxi. Contra *tua funera . . tegens* coniunxit Ladevicus positis 488. 89 ante 487" *Rb.*

487. *produxi:* Luc. 2, 297 *Ceu morte parentem natorum orbatum, longum producere funus ad tumulos iubet ipse dolor.* Stat. Silv. 2, 1, 19 *Ipse etenim tecum nigrae sollemnia pompae . . . et puerile feretrum produxi — Ducere funus* usitatius est. — *pressive oculos.* Mortui claudere oculos solebat proximus cf. Ov. Her. 1, 113 *Respice Laertem ut iam sua lumina condas.* — *vulnera lavi.* Solent feminae maxime in affinium morte solatium habere, si omnia, quae ad mortui funus pertinent, curaverunt.

488. *veste tegens.* Voluit mater filium pretiosa veste, quam vivo decus putarat fore, certe in morte ornare. Legimus autem etiam Romanos mortuis vestes indidisse splendidissimas. — *Festina*, cupida operis perficiendi.

489. *quam urgebam:* ita Mart. 8, 33, 16 *Tam leve nec bombyx pendulus urget opus — et* cf. 12, 944.

492. *hoc* ablat.: propter hoc, ut *eo* propter ea; 1, 238. Sed praestat id, ut antecedens *hoc*, accipere pro accusativo.

496. *invisum caput;* invisa sibi videtur diis, cui tantum malum impositum sit. Sic 2, 647.

499. Quid sit *infractae* cf. 5, 784. — *torpent infractae* cf. 4, 22. — Sane adspectus matris filium lugentis ab hoste foede truncatum, non potuit pugnandi facere ardorem militibus, qui mox sibi ipsis idem impendere putabant. Hinc dicitur etiam luctum incendisse i. e. fervidiorem, acriorem fecisse; neque enim id simpliciter est augere. cf. 5, 455.

501. *lacrimantis Iuli:* „Puero dat lacrimas, cui potest sine pudore, viris fortibus tantum dolorem." S.

502. *Inter manus* zwischen den Händen 2, 681. 8, 619. 11, 311. formula ex antiquo usu servata per omnium scriptorum seriem Cic. Verr. 5, 11, 28 *ut alius inter manus e convivio, tamquam e proelio auferretur.* Caes. BC. 2, 2 *agger inter manus proferebatur.* Sic Liv. Sen. Tac. cf. 11, 311.

At tuba terribilem sonitum procul aere canoro
Increpuit; sequitur clamor, caelumque remugit.
Accelerant acta pariter testudine Volsci,
Et fossas implere parant ac vellere vallum.
Quaerunt pars aditum et scalis adscendere muros,
Qua rara est acies interlucetque corona
Non tam spissa viris. Telorum effundere contra
Omne genus Teucri ac duris detrudere contis,
Adsueti longo muros defendere bello.
Saxa quoque infesto volvebant pondere, si qua
Possent tectam aciem perrumpere: quum tamen omnes
Ferre iuvat subter densa testudine casus.
Nec iam sufficiunt; nam, qua globus imminet ingens,
Immanem Teucri molem volvuntque ruuntque;
Quae stravit Rutulos late armorumque resolvit
Tegmina. Nec curant caeco contendere Marte
Amplius audaces Rutuli, sed pellere vallo
Missilibus certant.
Parte alia horrendus visu quassabat Etruscam
Pinum et fumiferos infert Mezentius ignes;
At Messapus equum domitor, Neptunia proles,
Rescindit vallum, et scalas in moenia poscit.
Vos, o Calliope, precor, adspirate canenti,
Quas ibi tunc ferro strages, quae funera Turnus
Ediderit, quem quisque virum demiserit Orco;
Et mecum ingentes oras evolvite belli.

503 — 524. Rutuli impetum faciunt in castra Troiana.

503. Cf. Ennii versum: *At tuba terribili sonitu taratantara dixit.* Luctuosam imaginem matris furiatae vivida sequitur coepti descriptio proelii.

505. *testudine* sc. scutorum. Alii testudine tecti per fossam prodire et vallum vellere student, alii muros scalis ascendere, quos rari milites defendunt. Quomodo testudo sit facienda, si vallum vel murus ascenditur, docet Liv. 44, 9. Testudo autem pariter agenda est, ut prosit militibus.

506. *Fossas complere* et *vellere vallum* iungit Caes. BG. 5, 51, *f. c. et scindere vallum* 3, 5. *Scindere vallum* est v. 146, 524.

513. *Cum* FMPR. *Rb*. coni. et rec. *num*.

515. *nec iam sufficiunt* ad sustinenda hostium tela.

517. *Rutulos Pl.* coni. *Volscos* cf. 450. — *armorumque resolvit tegmina:* perfringit scutorum complexum.

518. *caeco Marte*, quod fit sub testudine. Attende autem, quoties testudinem variaverit v. 513 *tectam aciem*, 515 *globus ingens*, 517 *armorum tegmina* et nunc *caeco Marte*. Similia cf. 3, 46. Quum testudine capere non possent castra, iam ex longinquo missilia iaciunt, ut a muris Troianos proturbent.

520. *certant* c. inf. cf. 4, 443.

521. *Etruscam pinum;* ipse enim est Etruscus, et Etruria ea arbore abundabat.

524. Mezentius flammis, Messapus scala adoritur castra.

525 — 489. Turrim deiicit Turnus, multos caedit.

525. *Vos o Calliope* cf. 1, 140. Calliope autem προφερεστάτη ἁπάσεων Hes. Theog. 79; quare invocatur a Sil. 3, 222. 12, 390. Iuv. 4, 34. — *adspirate* i. e. favete cf. 2, 385. — *canenti* dum canit; non est, qui canere vult. Cf. 2, 111.

527. *demiserit Orco* cf. 2, 398.

528. *oras evolvite belli:* Ita Ennius: *qui potis ingentis oras evolvere belli.* — *Orae* omnino pro regionibus extremis ap. Cic. Man. 9, 23. — Hinc erit extrema pars belli i. e. initium, primum proelium, nam quae die ante acta sunt, non possunt

[Et meministis enim, divae, et memorare potestis.]
Turris erat vasto suspectu et pontibus altis,
Opportuna loco; summis quam viribus omnes
Expugnare Itali summaque evertere opum vi
Certabant, Troes contra defendere saxis,
Perque cavas densi tela intorquere fenestras.
Princeps ardentem coniecit lampada Turnus,
Et flammam adfixit lateri; quae plurima vento
Corripuit tabulas et postibus haesit adesis.
Turbati trepidare intus, frustraque malorum
Velle fugam. Dum se glomerant, retroque residunt
In partem quae peste caret, tum pondere turris
Procubuit subito, et caelum tonat omne fragore.
Semineces ad terram, immani mole secuta,
Confixique suis telis et pectora duro
Transfossi ligno veniunt. Vix unus Helenor,
Et Lycus elapsi; quorum primaevus Helenor,
Maeonio regi quem serva Licymnia furtim
Sustulerat vetitisque ad Troiam miserat armis,
Ense levis nudo parmaque inglorius alba.

pro iusto bello haberi. Aut „Narrate non tantum initia sed etiam extrema bellorum; nam orae sunt extremitates.“ S. i. e. totum bellum. Hoc placet.

529. Idem versus legitur 7, 645, et omittitur h. l. a FMRγbc. et S. Explicatur ap. S. in aliqt recentioribus. Quare num a Servio ea facta sit explicatio quaeritur, praesertim quum 7, 645, loco priore quo legebatur, versum silentio praetermiserit. Potuit a librario inferri ex altero loco; potuit omitti ut superfluus. Si abest, nihil desideramus, si adest, non abundat. Delet *Pl. Wg. Rb. Ld. Gr.*

530. Aggrediuntur Rutuli turrim ligneam *ante* vallum exstructam, quae ab adversa parte incensa concidit omnesque simul defensores sepelivit, exceptis duobus, quorum unus Lycus per fossam effugere et murum conscendere conatur. — *pontibus altis* i. e. altis tabulatis, quae poterant Troiani demittere, atque ita ad muros remeare; *vasto suspectu* est altissima cf. 6, 579; *opportuna loco*, unde Troiani telis hostes arcere poterant a muris et vallo. Itaque eam expugnare debebant, antequam muros ipsos aggrederentur. Ea propugnacula cognoscimus e Caes. BG. 8, 9.

531. *suspectus* cf. 1, 438.

534. *densi:* Itaque et tela densa sunt. — *fenestras* ut 2, 482.

535. *princeps* i. e. primus, postquam alii frustra tentaverant.

536. *Flammam affixit* malleolo ut videtur cf. 8, 694. Et *lateri* affixit Turnus, quum ante frustra tentassent a fronte aggredi turrim, is satis peritus ad latus malleolum adigit; ibi minus obsessi cavebant et reditus iis interceptus est flamma. — *plurima* fit i. e. crescit vento. cf. 6, 659.

537. *postibus haesit adesis* cf. 4, 22.

539. *retro residunt* cf. 6, 751.

540. *peste caret* i. e. quae h. l. est flamma 5, 683. Ad terram decidunt, et obruuntur mole turris, aut suis se telis vulnerant. Turris incensa a parte castris proxima, quum milites ad partem Rutulis oppositam denserentur, ubi corruit, cecidit oppugnatores versus, non ad castra; itaque qui servati sunt, mediis in hostibus versantur. Turris autem lignea erat, neque substructa.

546. *Maeonio regi* cf. 4, 216. — *furtim* cf. 4, 568.

547. *sustulerat*, educaverat cf. 203. — *vetitis*: „*vetitis* lege militari intelligimus, qua servi a militia prohibebantur.“ S. cf. Plin. Ep. 10, 38. 39. Tamen potius videtur explicare, quum pater vetaret.

548. *Parma* erat velitum. Cf. Liv. 38, 21. *Hic* (sc. veles) *miles tripedalem parmam habet et in dextra hastas, quibus eminus utitur; gladio Hispaniensi est cinctus. Quod si pede collato pugnandum est, translatis in laevam hastis stringit gladium.* Polyb. 6, 22 ἡ δὲ πάρμη . . . περιφερὴς οὖσα τῷ

Isque ubi se Turni media inter milia vidit,
Hinc acies atque hinc acies adstare Latinas,
Ut fera, quae, densa venantum saepta corona,
Contra tela furit, seseque haud nescia morti
Iniicit et saltu supra venabula fertur:
Haud aliter iuvenis medios moriturus in hostes
Inruit, et qua tela videt densissima tendit.
At pedibus longe melior Lycus inter et hostes,
Inter et arma fuga muros tenet, altaque certat
Prendere tecta manu sociumque attingere dextras;
Quem Turnus, pariter cursu teloque secutus,
Increpat his victor: Nostrasne evadere. demens,
Sperasti te posse manus? Simul arripit ipsum
Pendentem, et magna muri cum parte revellit:
Qualis ubi aut leporem aut candenti corpore cycnum
Sustulit alta petens pedibus Iovis armiger uncis,
Quaesitum aut matri multis balatibus agnum
Martius a stabulis rapuit lupus. Undique clamor
Tollitur; invadunt et fossas aggere complent;
Ardentes taedas alii ad fastigia iactant.
  Ilioneus saxo atque ingenti fragmine montis
Lucetium, portae subeuntem ignesque ferentem;
Emathiona Liger, Corynaeum sternit Asilas,
Hic iaculo bonus, hic longe fallente sagitta;

σχήματι τρίπεδον ἔχει τὴν διάμετρον. — *parmaque inglorius alba*, cf. 7, 796. quod nec suorum maiorum insignia gestare poterat, neque ipse ob aetatem iam facta ediderat, quae posset clipeo inscribere, aut facta sua inscribenda curaverat, ut mos erat non solum ap. Romanos. Ita et Amphiaraus albo scuto utitur Aesch. Septem v. 588. *σῆμα δ' οὐκ ἐπῆν κύκλῳ· οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι τέλει.* sic 11, 711. — *inglorius*, gloriam se regis esse filium non prae se ferens. — Collapsa turri ab omni parte irrumpunt Rutuli.

551. *ut fera.* Omnia ad naturam descripsisse Virgilium, docet quae narratur apud Iavanos tigrium caedendarum ratio, qua delectantur. Capso enim inclusa tigris igne excitatur, ubi tandem prorumpit, triplici se hastarum serie circumclusam videt, quo adspectu ita acerbatur, ut furibunda supra hastas salire tentet, sed eo ipso tempore multis locis confossa pereat.

556. *inter hostes et tela*: quamquam in mediis hostibus est, tamen recurrens murum attingit — *pedibus melior* cf. 40.

558. *Tecta* murorum. Sunt summae murorum partes; muri enim ita videntur exstructi, et superior lapidum ordo pluviam defenderet, quod est muri tectum. — *sociorum attingere dextras*, quorum ope ad murum enitatur. — *Pl.* coni. *P. tuta m.*

559. *pariter cursu teloque sec.* cf. 2, 729.

562. *pendentem*, sc. in muro.

563. *cycnum candenti corpore* cf. 1, 71.

564. *Iovis armiger* cf. 5, 255. — *sustulit* perf. in comparatione 2, 380.

565. *quaesitum:* quem mater multo balatu quaerit. — De dativo cf. 1, 440.

566. *Martius lupus:* Marti sacer. — *Clamor exoritur* et vincentium et victorum, ut solet in magno aliquo pugnae discrimine. cf. 11, 622. — Rutuli Turni exemplo excitati undique contra muros progrediuntur.

567. „Agger est, cuiuslibet rei coacervatio.“ S. Sic *agger moerorum* 10, 24. cf. 5, 273. Explent fossam, ut transgrediantur.

568. *fastigia* sc. murorum.

571. Liger iaculo, Asilas sagitta interficit. —

572. *iaculo bonus* cf. v. 40. — *hic — hic* pro *hic — ille*, *alter — alter* scriptorum; sic E. IV, 56. A. 10, 9. 12, 342. et *hunc — hunc — hunc*, 7, 473. Sic *hinc — hinc* 10, 760. *hac — hac*

Ortygium Caeneus, victorem Caenea Turnus;
Turnus Ityn, Cloniumque, Dioxippum, Promolumque,
Et Sagarim, et summis stantem pro turribus Idan;
Privernum Capys. Hunc primo levis hasta Themillae
Strinxerat: ille manum proiecto tegmine demens
Ad volnus tulit; ergo alis adlapsa sagitta,
Et laevo infixa est lateri manus, abditaque intus
Spiramenta animae letali volnere rupit.
Stabat in egregiis Arcentis filius armis,
Pictus acu chlamydem et ferrugine clarus Hibera,
Insignis facie, genitor quem miserat Arcens,
Eductum matris luco Symaethia circum
Flumina, pinguis ubi et placabilis ara Palici:

1, 467. *hi* — *his* 1, 106. — *longe fallente sagitta* idem 10, 754.

575. *pro turribus* cf. 8, 652.

576. Leviter hasta vulneratus, vulneri manum admovet, *demens*, nam ita remoto clipeo (tegmine) sagitta ex longinquo missa per manum priori vulneri admotam in pulmones penetrat.

580. Spiramenta animae sunt pulmones.

581. *stabat in armis* cf. 5. 37. Nota quantopere varietatem poeta quaesiverit. *Pl. Gr.* eiic. v. 581 — 663.

582. *pictus acu chlamydem*, de structura cf. 2, 273. — *Acu pingere* dixit etiam Ov. M. 6, 23. De picturatis vestibus et de chlamydis usu vide 3, 483. *Chlamys* pallium erat breve et comparatur cum sago Romanorum: *χλαμὺς, τὸ περιφερὲς καὶ κυκλοειδὲς, τὸ ἐν συνηθείᾳ λεγόμενον σαγός* Etym. Magn. Nonius: *Paludamentum est vestis, quae nunc chlamys dicitur.* p. 538. Forma cognoscitur e signis et Plut. Alex. 26. In dextro humero fibula connectebatur, laciniae dicebantur *πτερά.* — Memoratur apud Virgilium chlamys picta 3, 484. crocea 11, 775, ferruginea h. l., aurata 5, 250. Tac. A. 12, 56 et in utroque loco est feminarum; purpurea auro distincta 8, 167. Ov. M. 14, 345. Suet. Ner. 25 *Nero in veste purpurea distinctaque stellis aureis chlamyde.* Cal. 19. Maxime purpurea videtur fuisse, et saepius duces Vgl. dicit ostro decoros. Omnino varii fuit coloris. Chlamydem ambiebat *limbus*, quem videmus in signis et apud scriptores memoratum, purpureus 5, 250. pictus sc. auro 4, 137. Est autem vestimentum militum cf. 8, 588. 11, 775. ut ap. Plaut. Rud. 2, 2, 9 chlamydati dicuntur milites; et venatorum Ov. M. 14, 345. Ciceronis tempore notabatur, si quis in pace chlamyde utebatur Romanus, ut L. Sulla Imperator Cic. Rab. Post. 10., quod hoc vestimentum erat Graecum. Seneca de vit. beat. 2, 1 *chlamydatos* opponit *coronatis* sive peregrina veste indutos i. e. infimae sortis homines iis, qui clari sunt truimphis et honoribus. — *Ferrugo Hibera* ita Cat. 64, 227. Ferrugo est color nigricans cf. 6, 303. — *ferrugine clarus et ostro* 11, 772.

584. *matris* Macr. 5, 19. sc. quae erat nympha aliqua. Neque est mater Ennaea Ceres, sed mater filii Arcentis, *Ld.* intelligit Cybelen. *Martis* MPRbc., sed Martis cultus non erat in Sicilia. — Symaethus fluvius in Sicilia (*Iaretta*).

585. *pinguis etc.:* quae sit sententia cf. 7, 764. — *Palici* „primum humanis hostiis placabantur, postea quibusdam sacris mitigati sunt et eorum immutata sacrificia; inde ergo *placabilis ara*, quia mitigata sunt eorum numina.“ S. De Palicis quae antiqui narrant congessit Macr. Sat. 5, 19. Adde Diod. 11, 88. 89. — Erat igitur Arcentis filius Siculus, qui Aeneae in Sicilia se adiunxerat. — At in versibus sunt obscura aliqua. Primum „incertum ex qua recondita historia Arcentem istum induxerit“ S. in alqt. Deinde novum quod unus Palicus memoratur. Is fortasse, quod iam Maronis aetate, ut nunc, unus tantum lacus sulfureus erat, quum antea fuissent duo. Sic Ovidius dixit *olentia sulphure stagna Palicorum* M. 5, 406, sed Pont 2, 10, 25 *olentia stagna Palici.* Iam Arcentis patris nomen bis ponitur, filii siletur et matris, quae eo magis erat nominanda, quo obscurior erat narratio. Sed nobis possunt esse obscura, quae poetae tempore satis nota erant. Neque simili e loco, qui est 7, 761 sq., hunc fluxisse argumento est, quod illuc pro *humentia* ex hoc loco *Symaethia* in multis Mss. illatum est. Iam vero res obscura num fit clarior, si non est a Virgilio, sed ab alio illata? Num potuit quisquam talia inferre? De

Stridentem fundam positis Mezentius hastis
Ipse ter adducta circum caput egit habena
Et media adversi liquefacto tempora plumbo
Diffidit, ac multa porrectum extendit arena.
Tum primum bello celerem intendisse sagittam
Dicitur, ante feras solitus terrere fugaces,
Ascanius, fortemque manu fudisse Numanum,
Cui Remulo cognomen erat, Turnique minorem
Germanam nuper thalamo sociatus habebat.
Is primam ante aciem digna atque indigna relatu

Palicis scripsit Michaelis Progr. Blochmann 56. Dresden. Is Pal — ici explicat ut pud — ici, quod sint aquae pallentes. Fontes enim sulphurei e terra bituminosa aqua albicante exsurgunt, „une écume blanchâtre" Dolomieu. Duobus fontibus medio in lacu ebulliebat aqua; is locus ad urbem Menas, Ducetii patriam. Prope erat ara, ubi iurabant, et qui iurabat in aquam ebullientem iniecit tabulam, in qua iuramentum scriptum erat, quae si non interibat, iurans in ipsum lacum est praecipitatus. Itaque erat *implacabilis;* ac sic legi iubet Cluver, Michaelis et iam legisse videtur Lactantius.

586. *positis hastis;* deponit hastam dextra, fundam arripiens. Sic funda utitur Camilla 11, 579. — Quae mittuntur funda massae plumbi, glandes dicuntur cf. 7, 687. Liv. 38, 21. Tac. H. 4, 17. *Saxis glandibusque et ceteris missilibus proelium incipitur.*

587. *circum agit* fundam, ut maior sit vis ictus. cf. 11, 579.

588. *Media tempora* explicat v. 750. — *liquefacto plumbo* sc. celeri volatu, ut putabant posse fieri; cf. Lucr. 6, 176 *Ut omnia motu percalefacta vides ardescere, plumbea vero glans etiam cursu longo volvenda liquescit*; et Ov. M. 14, 825.

589. *multa* „ostendit corporis proceritatem" S. — *arena* „intelligimus eum cecidisse trans murum." Et dormitantis Virgilii hoc exemplum esse dicit *Wg.*, improbant *Hn.* et *Pl. Gr.*, qui v. 581 — 663 eiici iubent. At vero, ubi poeta dixit, in summo muro stetisse Arcentem? Et si stabat, in arenam decidit non in murum. *Pl.* miratus est, quod funda, non hasta utatur Mezentius; sed ipse hoc in libro disseruit, aliqua etiam poetam relinquere legentibus supplenda cf. v. 294. Sed miratur etiam quod dicitur *hastis positis* non *hasta posita*, quasi nesciat, plures hastas gessisse bellatores. — Quid si stabat ille Arcentis filius, ornatu insignis, non in muro, sed in plano, paullo remotus a muro, quo facilius, siquidem ex more certe elatiorem locum, si non habebant altum, Troiani muniverant, posset pugnantes conspicere. Qua desidia, hostem spernente, exacerbatus Mezentius telo utitur longius ferente ictum, et quod per curvaturam ascendit.

590 — 620. Probra a Numano in Troianos iacta.

590. Ascanius ea aetate fere est, qua Conradinus regnum Italiae affectavit, qua Scipio Africanus maior iam militavit ad Ticinum.

591. Ascanius intentus venationi 4, 156. 7, 497.

593. *cui — erat, et habebat* cf. 12, 944. Frustra operam dant interpretes, ut quis fuerit ille Numanus Remulus et unde nomen suum acceperit, indagent. Accedit quod praeter hunc Remulum, a Virgilio memoratur alter v. 360, et tertius 11, 636. Si hunc locum cum *Pl* eiicimus, remanent tamen Aeneidi Remuli duo. Nihil moror esse etiam tres. Sed poeta nomina hominum obscurorum finxit modo, ut orationem variaret et versus compleret. Quid mirum, si eum diversis locis eadem nomina videmus repetere. Quod male nonnulli, quum singulos homines singulis nominibus dictos putarent, ita sunt interpretati, ut Virgilium dormitasse dicerent, quum eum hominem, quem iam mortuum narravisset, in bellum reduceret. Sic Numa occiditur a Niso 454, fugatur ab Aenea 10, 562. Sed duo sunt Numae; neque poeta unum se intelligere significavit. Sic Corynaeus aliquis memoratur 6, 228, occiditur 9, 571, caedit alium 12, 399: itaque saltem duo sunt. — *minorem.* Maior erat Iuturna 12, 139.

595. *digna atque indigna relatu.* Nam recte laudavit suos, iniuria autem affecit Troianos et Troianorum deos.

Vociferans, tumidusque novo praecordia regno
Ibat et ingentem sese clamore ferebat:
Non pudet obsidione iterum valloque teneri,
Bis capti Phryges, et morti praetendere muros?
En, qui nostra sibi bello connubia poscunt!
Quis deus Italiam, quae vos dementia adegit?
Non hic Atridae, nec fandi fictor Ulixes.
Durum ab stirpe genus, natos ad flumina primum
Deferimus saevoque gelu duramus et undis;
Venatu invigilant pueri silvasque fatigant;
Flectere ludus equos et spicula tendere cornu.
At patiens operum parvoque adsueta iuventus
Aut rastris terram domat aut quatit oppida bello.
Omne aevum ferro teritur, versaque iuvencum
Terga fatigamus hasta; nec tarda senectus

596. *novo regno*, quod cum uxore accepisse videtur. Cf. Val. Fl. 2. 83 Coelicolas *regni sensit novitate tumentes Iuppiter.*

597. *se ferebat*, incedebat cf. 1, 314. *ingens* cf. 12, 441, *se extulit ingens*, — *clamore ingens* i. e. ingenti clamore sublato. Cf. 10, 579 *ingens apparuit hasta.*

598. Iterum premuntur obsidione, qui iam semel obsessi sunt a Graecis. — *capti* ut 7, 295, quum eorum urbs capta sit. — *bis:* ab Agamemnone et Hercule. Malim tamen accipere capti a Graecis quondam, nunc a nobis, quos effugere non potestis.

599. Muri tantum a vobis mortem arcent, non vestra fortitudo; et tam ignavi homines bello sibi ius connubii petunt! Similis sententia Turni v. 142, quem imitatur Numanus, ut etiam v. 602.

601. Quis deus, vobis iratus, aut quae potius dementia vos impulit?

602. Non Atridae nunc pugnant, sed fortiores, neque qui insidiis certamus ut Ulixes, sed palam.

603. *Durum*, quod omnes labores perfert. cf. 3, 94. G. 1, 63 *Inde homines nati, durum genus.* Ov. M. 1, 414 *Inde genus durum sumus experiensque laborum.* — *ab stirpe*, ita 3, 94, non exercitatione tantum. Item Avien. 918 *Massagetae, durum ab stirpe genus, placidae mens nescia vitae.* — *Natos deferimus ad flumina* etc. Id narratur de Spartanis et Germanis, (Claud. in Ruf. 2, 112 *Quos nascentes explorat gurgite Rhenus.*) Italos idem fecisse nescio quis alius narraverit. Silius, qui 4, 257 Virgilium imitatus videtur esse, Hernicos rivorum gelu duratos dicit, non de infantibus narrat.

604. *gelu et undis* cf. 1, 61.

605. *venatu* dativus cf. 3, 541. aut ablativus. Pueri venationem exercent, qua bello aptantur, ut apud Cretenses et Spartanos. — *Invigilare* vox poetica. — *Silvas fatigant*, quum multum insint. Item Val. 3, 21. De v. *fatigare* cf. 1, 280. Theocr. 13, 66 ἀλώμενος ὅσσ' ἐμόγησεν ὤρεα καὶ δρυμώς.

606. Flectere equos iis ludus est; „*das ist Euch nur Spiel.*" B. *Inque procellosos lembum convertere fluctus Ludum habet* Av. descr. terr. 385. — *cornu*, arcu ex cornu facto. Ita 11, 773. Ecl. 10, 59. Sil. 2, 109. cf. 5, 817. — *spicula* cf. 11, 773.

607. E talibus pueris iuventus exsistit, quae omnes labores et rei rusticae et belli facile potest ferre. — *parvo adsueta:* hinc paucis contenti, homines frugi sunt. — *adsuescere et adsuetus* c. abl. 7, 746. Cic. de or. 3, 15, 58. Gr. § 326, 2.

608. *Domat* v. militare Sic Sil. 8, 371. *Rastris domant Aequicula rura;* ita *exercere* 7, 747. — Et *quatere* ariete muros et *concutere* dicitur.

609. Ne in pace quidem arma deponunt, hastaque inversa pro stimulo utuntur, quo boves, si cessant, pungant et impellant.

610. Neque senectus eorum debilis est, sed sufficit armis ferendis; multo etiam magis animi vigor manet. — Vgl. hoc utitur convicio, ut laudet in Rutulis mores veterum Romanorum, quales erant Fabricii, Decii, Cincinnati, Calatini, alii, fortes et strenui ad omnes labores subeundos, parci et pauperes. Attamen tales homines a Troianis vincuntur; unde patet, eos vel fortiores esse, quamquam cultiores sint. Hinc in hoc convicio per

Debilitat vires animi mutatque vigorem.
Canitiem galea premimus; semperque recentes
Comportare iuvat praedas et vivere rapto.
Vobis picta croco et fulgenti murice vestis;
Desidiae cordi; iuvat indulgere choreis;
Et tunicae manicas, et habent redimicula mitrae.
O vere Phrygiae, neque enim Phryges, ite per alta
Dindyma, ubi adsuetis biforem dat tibia cantum.
Tympana vos buxusque vocat Berecyntia Matris
Idaeae: sinite arma viris, et cedite ferro.
Talia iactantem dictis ac dira canentem
Non tulit Ascanius; nervoque obversus equino
Contendit telum diversaque brachia ducens

omnes partes ex quibus coaluit populus Romanus laudatur.

613. Simillimum 7, 749. *rapto vivere* sic Sall. Iug. 15. 115. Liv. 7, 25. 22, 39 al.

614. Vestis crocota (cf. 11, 775) et purpurea (cf. 4, 262) mulierum erat maxime, indigna habebatur viris. Omnino autem Phryges et Lydi, quos subegerant Persae et effeminaverant, ob mollitudinem erant infames, quibuscum miscentur antiqui illi Troiani.

615. *iuvat indulgere choreis:* Obiicit ut Romanus, ex quorum sententia nemo fere saltat sobrius, nisi forte insanit. — Graeci autem in deorum honorem solebant saltare cf. Nep. praef. et 6, 520.

616. *tunicae manicas habent:* De tunicis manicatis cf. Gell. 7, 12: „Tunicis uti virum prolixis ultra brachia et usque in primores manus ac prope in digitos Romae atque omni in Latio indecorum fuit. Eas tunicas Graeco vocabulo nostri chirodotas appellaverunt feminisque solis vestem longe lateque diffusam decoram existimaverunt.“ Ita vituperat Cic. Cat. 2, 10 Catilinarios, qui manicatis ac talaribus tunicis utantur. — *habent redimicula mitrae* cf. 4, 216.

617. Cf. Hom. Il. 7, 96 *Ἀχαΐδες οὐκέτ᾽ Ἀχαιοί.*

618. *Dindyma* pluralis vocis *Dindymus* legitur 10, 252. Ov. M. 2, 223. F. 4, 134. Sic *Maenala* E. 10, 55. *Ismara* G. 2, 37. *Averna* 5, 732. *Tartara* 6, 543. *Pergama* 1, 466. *Gargara* G. 1, 103. *Pangaea* G. 4, 462. Sic Latinum *Massica* 7, 726. et *carbasa*, *sibila*, *loca*, *ioca*. cf. Gr. § 104. *Dindymus* mons Phrygiae, magnae Deum matri sacer, unde dicitur *Dindymene*. — *biforem dat tibia cantum:* „Bisonum, imparem. Et servavit eis tibiarum suarum naturam. Nam tibiae aut serranae dicuntur, quae sunt pares, et aequales habent cavernas, aut Phrygiae, quae et impares sunt et inaequales habent cavernas. Ergo biforem, dissonum, dissimilem. Non enim sunt pari modulatione compositae. Ut enim ait Varro: *Tibia Phrygia dextra unum foramen habet, sinistra duo, quorum unum acutum sonum habet, alterum gravem.*“ S. Erat tibia sinistra inflexa, quare etiam cornu dicitur. Cf. 11, 737. Ov. M. 11, 16 *inflato Berecyntia tibia cornu* et 3, 533 *adunco tibia cornu.* Iuv. 2, 90 *gemit hic tibicina cornu.*

619. *vocat* MR al. cf. 1, 16. — *vocant* al. — *buxus* sc. tibiae cf. Ov. M. 4, 30 *concavaque aera sonant, longoque foramine buxus* et 12, 158 *Longave multifori delectat tibia buxi.* — *Berecyntia* cf. 6, 785. — Tympanorum et tibiarum usus erat in Bacchi (cf. Ov. M. 3, 530 sq.) et Cybeles sacris; eius autem sacerdotes Galli erant. De cultu Cybeles cf. Catulli Atyn v. 63. Ov. F. 4, 181. Claud. in Eutr. 2, 270. RP. 2, 267.

621—658. Ascanius Numanum deiicit, laudatus ab Apolline.

621. Non tulit eum A. *talia iactantem* „suorum“ fortitudinem et *dira canentem* „ad iniuriam Troianorum“ S.

622. *nervo equino* „quia in arcubus nervi equini solent esse. Accius Philoctete: *Tendens nervo equino concita tela.*“ S. — *obversus*, contra illum versus.

623. *contendit* MRb. ita *contendere arcu telum* 5, 513. Quod duo v. particula *con* incipiunt, idem fit 1, 187. 8. neque sonus huius particulae in *cont.* et *const.* plane idem est. — *intendit* Pyc. rec. *Rb.* — *diversaque brachia ducens,* ita ducens brachia, ut diversa fiant. cf. 4, 22.

Constitit, ante Iovem supplex per vota precatus:
Iuppiter omnipotens, audacibus adnue coeptis.
Ipse tibi ad tua templa feram sollemnia dona,
Et statuam ante aras aurata fronte iuvencum
Candentem pariterque caput cum matre ferentem,
Iam cornu petat et pedibus qui spargat arenam.
Audiit et caeli Genitor de parte serena
Intonuit laevum, sonat una fatifer arcus,
Effugit horrendum stridens adducta sagitta,
Perque caput Remuli venit et cava tempora ferro
Traiicit. I, verbis virtutem inlude superbis!
Bis capti Phryges haec Rutulis responsa remittunt.
Hoc tantum Ascanius. Teucri clamore sequuntur,
Laetitiaque fremunt, animosque ad sidera tollunt.
Aetheria tum forte plaga crinitus Apollo
Desuper Ausonias acies urbemque videbat,
Nube sedens, atque his victorem adfatur Iulum:
Macte nova virtute, puer; sic itur ad astra,
Dis genite et geniture deos. Iure omnia bella

625. *audacibus coeptis* cf. 7, 562.

627. *aurata fronte* cf. 5, 366. — „*Iuvencum* secundum Romanas caeremonias dixit; nam Iovi de tauro non immolabatur, nisi quum triumphi nomine suovetaurilia fiebant.“ S. cf. 3, 20.

628. *pariter c. c. m. f.*, qui matrem iam aequat magnitudine, et qui iam pubes fit. Cf. Theocr. 8, 14 *ἰσομάτορα ἀμνόν*.

629. Idem v. Ecl. 3, 87.

630. *de parte serena* „ut non caussae sit, sed augurii.“ S. ut 8, 523.

631. *laevum*, prosperum cf. 2, 693. *fatifer* Mss. *letifer* alqt. ex interpretatione.

632. *effugit* Mγ1b. rec. *Wg. Ld. Rb. et fugit* PRγ2c., Utrumque probum, sed *effugit* aptius ad signandam celeritatem, qua arcus intentio, missio sagittae et temporum traiectio, quae adiungitur per *que*, uno eodemque fit tempore. — *horrendum stridens* cf. 8, 489. — *adducta s.* Ubi sagitta retroducitur cum nervo, propius ad pectus adducitur.

633. *tempora traiicit* cf. 1, 355. *traicit* Mb. *transigit* sed perfosso *g*. P. *transiit* γ1 *traiecit* γ2c. *transadigit* R. Inde interpretes dederunt *traiicit*, Rb. *transigit*.

636. *Clamore sequuntur*, ut 54.

637. *Animos ad sidera tollunt* i. e. summa audacia exsultant. Omne autem quod magnum est, sidera dicitur attingere; ita gloria, fama cf. 1, 287. 6, 783 *animos aequabit Olympo*. 10, 548 *caelo animum ferre*.

638. *Forte* in deorum interventu, quum maxime adversum videatur divinitati, forte fortuna adesse deos. Sed hominibus, qui quomodo agant dii non intelligant, forte factum videtur id, quod deorum fit consilio. (Cf. 6, 186.) — Apollo autem apud Homerum Troianos iuvat, atque Augusto et omnino genti Iuliae favisse ab eaque cultus maxime dicitur. Quocirca recte hoc loco infertur. Sed *Aetheria plaga* non sufficit, opus erat definitione accuratiore et *crinitus* hoc loco est otiosum.

639. Desuper videbat Troiam novam et acies oppugnantium.

640. *nube sedens*, ut Iuno 12, 810. — *Adfari* nondum legi aliter quam ut audiat, ad quem conversa est oratio; sed, ut hoc loco fit, posse dici non negaverim.

641. „*Macte virtute esto* sanguinolentis et ex acie redeuntibus dicitur.“ Sen. Ep. 66, 47. De forma vocis Gr. § 98, 1.

642. *dis*, Iovi et Veneri — *deos*, Caesarem et Augustum. Sic Sil. 3, 625. *o nate deum, divosque dature*. Augustus autem iure claudet omnia bella, quae fato ad eum usque ventura sunt, nam dignus erit, qui claudat. Sic iam *Ld.* Sed quae ea est sententia, quod unum tu hominem occidisti, mereris, ut posteri tui aliquando fruantur pace aeterna? Civilia autem bella, quae aliorum sententia est, non intellexit, nam addidit *omnia*, ac

Gente sub Assaraci fato ventura resident;
Nec te Troia capit. Simul haec effatus ab alto
Aethere se mittit, spirantes dimovet auras,
Ascaniumque petit. Forma tum vertitur oris
Antiquum in Buten. Hic Dardanio Anchisae
Armiger ante fuit fidusque ad limina custos;
Tum comitem Ascanio pater addidit. Ibat Apollo,
Omnia longaevo similis, vocemque coloremque
Et crines albos et saeva sonoribus arma;
Atque his ardentem dictis adfatur Iulum:
Sit satis, Aenide, telis impune Numanum
Oppetiisse tuis; primam hanc tibi magnus Apollo
Concedit laudem et paribus non invidet armis;
Cetera parce, puer, bello. Sic orsus Apollo
Mortales medio adspectus sermone reliquit
Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.
Adgnovere deum proceres divinaque tela

quomodo ad ea bella Ascanii factum pertineat, etiam minus intelligitur.

644. *Nec te Troia capit.* cf. 8, 363. Ita Philippus ad Alexandrum: *Μακεδονία γάρ σε οὐ χωρεῖ.* Cic. Man. 22 *Quae civitas est in Asia, quae non modo imperatoris aut legati sed unius tribuni militum animos ac spiritus capere possit.* — *simul* cf. 10, 856.

645. *mittit* MRγ2b. et Edd. — *misit* Pγlc. rec. *Rb. se mittit* ut 4, 253. — *dimovet auras* cf. 5, 838, ex quo loco firmatur *dimovet auras* magis esse placide volantis. — *Spirantes* optime explicat *Hn.* flantes; nam *vitales* aut *odoras* intelligere minus est aptum, et spirant aurae in noctem. Sed cur eas h. l. sic dicat Vgl., non assequor. cf. 699.

646. Tendit ad Ascanium et oris sui formam transmutat in Buten. — *Rb.* refert *formam* esse in M. sed abraso *m*, *formā* in γ, *forma* in PRbc. Itaque *forma* maxime librorum est, non *formam*, quod antea dicebatur esse in Mss.

647. Butes alius 5, 272. alius 11, 960, qui videtur idem esse, qui hoc loco memoratur; neque tamen constat.

648. *ad limina custos*, aedituus; ita *servus ad manum*, *ad lecticam*, *ad cyathos* etc. dicitur. Armigeri magno in honore fuerunt cf. 11, 32. Adde Serv.: „Aedituus in ingenti honore apud maiores fuit.“ S. At si reliqua eius verba conferre volueris, facile adduceris, ut putes, ex hoc loco omnia eum quae dixit, non aliunde hausisse.

650. *similis* c. acc. ut 1. 589. de acc. cf. 1, 288. Totus hic locus mutatis mutandis desumptus est ex 4, 558.

651. *saeva sonoribus arma* „strepitu terribilia.“ S.

652. *ardentem* „desiderio dimicandi.“ S.

653. *Aenide* Mss., et Servius firmat et Priscianus. — *Aeneada* quod est in Edd. alqt., non est nisi in R. Et illatum est nomen vulgare, quod *Aenide* non alias reperitur. Sed videtur Vgl., quum *Aeneadae* dicantur Troiani omnes, in Aeneae filio signando atque in dei oratione quaesivisse formam aliquam singularem. Sic ap. Homerum eiusdem apud deos et homines diversa sunt nomina Il. 1, 403 et ap. Ovidium M. 11, 640. Sic defenditur etiam *Anchisiade* 6, 126, nec scribendum *Anchisiada* — *impune*, ita ut tu vulnus non accipias.

654. Penes Apollinem sagittarum deum est et tela ad certum finem perducere et ab eo prohibere; itaque suam sibi operam vindicat hoc loco.

655. *paribus armis:* „Ut Apollo puer occiso Pythone ultus est matris iniuriam, sic Ascanius occiso Numano Troianorum castra iniuriasque defendit; *paribus* ergo *armis* similibus, non peritia, sed genere victoriae.“ S. Praestare tamen videtur: Non invidet deus, quod telum iecisti, quod deus emittere non potuisset melius.

656. *Cetera* (cf. 3, 594) *parce bello* (cf. 1, 257) nam in te salus omnis posita est. *Orsus* est Apollo et *medio sermone* abrumpit, quod Ascanii respondentis verba non exspectat cf. 4, 277.

657. Iidem fere versus 4, 277. 78.

Dardanidae, pharetramque fuga sensere sonantem.
Ergo avidum pugnae dictis ac numine Phoebi
Ascanium prohibent; ipsi in certamina rursus
Succedunt, animasque in aperta pericula mittunt.
It clamor totis per propugnacula muris;
Intendunt acres arcus, amentaque torquent.
Sternitur omne solum telis; tum scuta cavaeque
Dant sonitum flictu galeae; pugna aspera surgit:
Quantus ab occasu veniens pluvialibus Haedis
Verberat imber humum; quam multa grandine nimbi
In vada praecipitant, quum Iuppiter horridus austris
Torquet aquosam hiemem et caelo cava nubila rumpit.
  Pandarus et Bitias, Idaeo Alcanore creti,
Quos Iovis eduxit luco silvestris Iaera,
Abietibus iuvenes patriis et montibus aequos,

659. — 671. Animum tollunt Troiani.

660. *pharetram sonantem:* cum arcu enim et pharetra semper est: ἔκλαγξαν δ' ἄρ' ὀϊστοί Hom. Il. 1, 46. — *fuga*, abitu celeri cf. 1, 317.

661. Ascanius, quum laudatus sit, Apolline vetante, more puerorum, vel magis excitatur quam retardatur.

663. Sunt in hac narratione multa, quae reprehendere iure possis, sunt aliqua obscura, ut si Remulum Numanum dixit duobus nominibus, quum illo tempore homines unum habere solerent; si alteram Turni fingit sororem, quum postea Iuturna tantum memoretur. At quamquam sunt obscura, non adversantur reliquae narrationi, neque quod singulare aliquid reperitur ut *fictor fandi*, aut quod multa his versibus repetuntur ex toto carmine, nec quae alia singulis versibus notata sunt, satis movent, ut totum locum a Virgilio putemus alienum. Aptum est, quod res, quam primam bello gessit Ascanius, memoratur, aptum, quod in hoste nobili fit, aptum, quod ille Numanus obiicit. Rei dignitatem auget dei interventus. Apta etiam Butae laudatio et a bellis dehortatio, ne periculum subeat Ascanius absente Aenea. Iam vero quis alius singula finxerit? Quae vere obiici possunt, aut ea sunt, quae etiam alibi poeta commisit, aut ea, quae iterata cura erat emendaturus. Atque hic etiam locus firmat rationem, qua usum fuisse in componendo carmine Virgilium grammatici narrant. cf. 6, 545.

664. De clamore cf. 11, 622.

665. „*Amentum* est lorum, quo media hasta religatur et iacitur.“ S. Ita Ov. M. 12, 321 *inserit amento digitos, nec plura moratus in iuvenem torsit iaculum.* 7, 788. Sil. 4, 14 *hasta iuvatur amento.*

667. Scuta et galeae, quibus constans epitheton *cavae*, sonant iaculorum ictibus. — *flictu* Serv. Ita Pacuvius Teucro: *flictus navium*, et vocabulo usi sunt postea Silius 14, 558, ubi etiam *fluctibus* legitur, et Auson. Epist. 25, 20 *Cymbala dant flictu sonitum*, et *fligere* dixit Lucr. 2, 85 *Obvia quum flixere.* Itaque etsi antiquum erat et rarum vocabulum, non tamen obsoletum. *adflictu* R. *adflictu* M. verbo usitatiore, *fluctu* γ1. — *Pugna aspera surgit* 11, 635. Sic. Val. Fl. 4, 455 *surgitque miserrima pugna.*

668. *pluvialibus Haedis* abl. temporis. Haedi, stellae in signo, cui Auriga nomen est, quae quum circa aequinoctium autumnale oriantur, ventos movere putabantur, quae eo tempore esse solent. Austri autem imbres ferunt. Hor. C. 3, 1, 28 *saevus impetus orientis Haedi.*

669. *verberat:* ita Hor. l. l. *nec verberatae grandine vineae.* Ita nos *peitschen.* In imbre vehementi non videntur esse singulae guttae, sed radii continui similes loris flagelli. Comparatio telorum cum grandine eadem 10, 803; et Ov. M. 5, 158, nobis usitata, qui dicere solemus *Kugelregen.*

670. *in vada* maris; grandis imago grandinis in mare tumultuosum decidentis. — Iuppiter ipse cogit pluvias, easque discutit fulminibus.

672. — 696. Pandarus et Bitias portas recludunt.

673. Iovis lucus erat in Ida monte, certe ipsi Iovi Ida sacra erat. — *eduxit*, educavit ut 8, 413.

674. De magnitudine cf. 12, 700.

Portam, quae ducis imperio commissa, recludunt
Freti armis, ultroque invitant moenibus hostem.
Ipsi intus dextra ac laeva pro turribus adstant,
Armati ferro et cristis capita alta corusci;
Quales aeriae liquentia flumina circum,
Sive Padi ripis, Athesim seu propter amoenum,
Consurgunt geminae quercus intonsapue caelo
Attollunt capita et sublimi vertice nutant.
Inrumpunt, aditus Rutuli ut videre patentes,
Continuo Quercens et pulcher Aquicolus armis
Et praeceps animi Tmarus et Mavortius Haemon
Agminibus totis: aut versi terga dedere,
Aut ipso portae posuere in limine vitam.
Tum magis increscunt animis discordibus irae;
Et iam collecti Troes glomerantur eodem,
Et conferre manum et procurrere longius audent.
Ductori Turno diversa in parte furenti
Turbantique viros perfertur nuntius hostem
Fervere caede nova et portas praebere patentes.
Deserit inceptum; atque immani concitus ira
Dardaniam ruit ad portam fratresque superbos.
Et primum Antiphaten, is enim se primus agebat,
Thebana de matre nothum Sarpedonis alti,

675. Ducis Mnesthei imperio iis porta tuenda commissa erat. Sed aliter iam Servius accipit, qui: „melius est, ut *commissam* dicamus *clausam* quam *creditam* Pindaro et Bitiae.“ S. Quod si accipis, ei imperio male audientes eam aperiunt. *Pl.* qui haesit in voce *ducis*, coniecit: *portam quae duplici ferro* (i. e. claustris ferreis!) *commissa.* In eo error *Pli*, quod eos custodes sumit portae, quales Nisus fuerunt et E., sed sunt defensores contra irruentes hostes et ferocia abrepti portam aperiunt, quod etiam in plano se hosti superiores fore confidunt.

676. *Pl.* pro *armis* quod est in MPRγbc. coni. *animis*, rec. *Rb.* qui „languet magnopere *freti armis.*“ Iubent hostes introire, si audeant. *Invitare* c. dat. 8, 176. — *ultro* cf. 12, 3.

677. *pro turribus*, ut turres, quas portis adstruere etiam Romani moris erat Caes. BG. 8, 9 *Portis fores altioresque turres imposuit.* Aliud *pro turribus* cf. 8, 652.

679. *Līquentia* ad flumina oppositum, ut G. 4, 442, ubi *fluviumque lĭquentem;* libentius explicuerim pura, limpida — Rem generaliorem per singula exsequitur *sive* — *sive* ut 11, 69.

682. *nutant* cf. 2, 629.

684. *pulcher armis* cf. 7, 761.

685. *praeceps animi,* inconsulte agens cf. 1, 14.

686. *agminibus:* Omnino enim dux quod cum exercitu facit, facit exercitu. cf. Gr. § 325, 2. *autversi* MPRbc. *ut. avcrsi* γ1 sed *aut. versi* γ2 *at versi* rec. *Rb.*

687. *ponere animam* G. 4, 238.

689. Iam Troiani, re bene acta elati, in hostes excurrunt, quum Turnus per apertam portam in castra irruit.

693. *nova*, quod in aperto campo caedunt Troiani, qui usque muris se tenuerant.

691 — 716. Turnus Bitia occiso irrumpit in castra.

696. *se primus agebat* cf. 6. 337. 8, 465. „Se agebat i. e. incedebat. Plautus in Mostellaria (1, 4, 28) *Unde agis te?* Terentius (Andr. 2, 4, 28) *quo te agis?*“ S.

697. *Thebana de matre;* Thebe erat urbs Cilicum in Mysia, quam delevit Achilles cuiusque regem Eetionem, Andromachae patrem, cum multis aliis interfecit Hom. Il. 1, 364. 6, 395. Sarpedon magnitudine insignis cf. 1, 99. Praevalet tamen *altus* accipere ut 6, 9 factum est. Sarpedon enim Iovis est

Coniecto sternit iaculo; volat Itala cornus
Aera per tenerum, stomachoque infixa sub altum
Pectus abit; reddit specus atri volneris undam
Spumantem, et fixo ferrum in pulmone tepescit.
Tum Meropem atque Erymanta manu, tum sternit Aphidnum;
Tum Bitian ardentem oculis animisque frementem,
Non iaculo; neque enim iaculo vitam ille dedisset;
Sed magnum stridens contorta phalarica venit,
Fulminis acta modo; quam nec duo taurea terga,
Nec duplici squama lorica fidelis et auro
Sustinuit; collapsa ruunt immania membra.
Dat tellus gemitum, et clipeum super intonat ingens:
Talis in Euboico Baiarum litore quondam
Saxea pila cadit, magnis quam molibus ante

filius; nos *hochgeboren.* Sic dicuntur 4, 230 et 6, 500 Troiani *genus alto a sanguine Teucri;* et Val. Fl. 3, 202 rex est *alta gente satus* et Hor. S. 2, 5, 63 est *altus Aeneas*, et Ov. F. 4, 305 *altus Clausus.*

698. Ex corno fit hasta. cf. 3, 23.

699. *Aer tener* dicitur Ov. M. 4, 615 et Lucr. 1, 208 *Aeris in teneras possint proferrier auras.*

700. Vulnus hoc comparat cum specu hianti et aquam vomente. — *undam vulneris:* Sic sanguis dicitur *undare* 10, 908.

702. *manu* cf. 4, 344.

704. Non potuisset iaculo prosterni, sed opus erat telo firmiore.

705. Fest. Pauli p. 88 M. „Falarica genus missile, quo utuntur ex falis, id est ex locis exstructis dimicantes.“ Non. p. 555. 14 „Falarica, telum maximum. (Affert hunc locum.) Et dictum hoc genus teli a falis, i. e. turribus ligneis.“ cf. Sil. 1, 351 sq. Describit eam accurate Liv. 21, 8, et Saguntinos iis usos esse narrat, Romanos 34, 13. Grat. Fal. 342 *terribilemque manu vibrata phalarica dextra dat sonitum.*

706. Non potuit sustinere clipeus, ex duobus tergis taurinis factus, nec lorica duplici squamarum ordine structa. cf. 5, 259.

707. *fidelis* quae praestat fidem habitam i. e. munit, tutum reddit. cf. 10, 503. — *squamis et auro* cf. 11, 770.

709. *clipeum:* „nam lectus est etiam hoc clipeum (ut ap. Liv. cf. Kühnast p. 24) . . . Nam Homerum imitatus est: ἀράβησε δὲ τεύχε' ἐπ' αὐτῷ.“ S. Il. 4, 503. Ita 10, 488 *Corruit in vulnus, sonitum super arma dedere.* — *dat gemitum* cf. 2, 698.

710. *Talis* MR. rec. *Rb. Qualis* Pybc, quod alibi per *qualis* instituitur comparatio. Sed *talis* probatur sequente *sic*, adverbio demonstrativo, quod si *qualis* retines, non potest iungi; quare in *simul* mutare volunt. Noluit autem Vgl. tam arcte coniungere comparationem, quae ab ipso tempore quod describit aliena est. Itaque narrationem comparatione addita explicat. Quod Baiarum orae Euboicae dicuntur cf. 6, 2. Notae Baiae balneis et regionis summa amoenitate. Itaque etiam adamarunt Romani, quorum villis tota regio quasi consita erat, neque tamen contenti terra in mari etiam aedificia exstruere conabantur, quem luxum et furorem saepe notat Horatius cf. C. 2, 18, 20. 3, 1, 33. 24, 3. Opus erat, ut ingentes moles inter se iunctae *(constructae)* in mare proicerentur, quibus solum exstruerent fundumque in quo domum educere possent. Has moles deiectas eorumque fragorem cum Bitiae casu comparat. Eadem comparatio ap. Sil. 4. 299. Vitr. 2, 6 „Est genus pulveris, quod efficit naturaliter res admirandas. Nascitur in regionibus Baianis et in agris municipiorum, quae sunt circa Vesvium montem, quod commixtum cum calce et caemento non modo ceteris aedificiis praestat firmitates, sed etiam moles quae construuntur in mari, sub aqua solidescunt.“ *Cement.* Sic Hor. 3, 1, 33 moles et caementa iungit. *Pl.* e. versibus 711—13 facit unum: *Pila cadit, penitusq v. i. r.* ceteris verbis eiectis, ut ex iis, quae dicta sunt, apparet, caussa non sufficiente.

711. Pila saxea, molibus magnis aggestis et caemento conglutinatis constructa. *ponto iaciunt* i. e. in pontum. Ita Hor. C. III. 1, 34 *iactis in altum molibus.* Sic dativus verbo *iacere* iungitur 10, 683. E. 8, 101 *rivo iace cineres.* — De eo dativo cf. 5, 451.

Constructam ponto iaciunt; sic illa ruinam
Prona trahit, penitusque vadis inlisa recumbit;
Miscent se maria, et nigrae attolluntur arenae.
Tum sonitu Prochyta alta tremit, durumque cubile
Inarime Iovis imperiis imposta Typhoeo.
Hic Mars armipotens animum viresque Latinis
Addidit, et stimulos acres sub pectore vertit;
Immisitque Fugam Teucris atrumque Timorem.
Undique conveniunt, quoniam data copia pugnae,
Bellatorque animo deus incidit.
Pandarus, ut fuso germanum corpore cernit,
Et quo sit fortuna loco, qui casus agat res:
Portam vi multa converso cardine torquet,
Obnixus latis humeris, multosque suorum

712. *ruinam trahit* cf. 2, 466.

715. Prochyta (Procida) insula prope Baias, Miseno promontorio obiecta. — *alta*, quod e mari eminet cf. 3, 76. Sed potius est iungere *alta tremit*, ut *alta volat*, *sublimis abit* iam legimus. cf. 4, 22. — *durum cubile*, quod saxis est constructum; ita στρωμνὰν Typhoei ap. Pind. Pyth. 1, 28. et Hom. Il. 2, 783 εἰν Ἀρίμοις, ὅθι φασὶ Τυφωέος ἔμμεναι εὐνάς.

716. *Inarimen* insulam impositam esse Typhoeo praeter Virgilium et Lucanum (cf. 3, 578) narrat etiam Silius 8, 542, qui 12, 148 eam iniectam dicit Iapeto; neque minus variavit Vgl., qui 8, 298 Typhoeum in Tartaro esse narrat. De Typhoeo cf. 1, 668. — In iis terris, quae incendiis et motibus crebris notae erant, Graeci veteres Gigantes esse dicebant sepultos. Typhoeum autem plerique in Asia, Cilicia vel Lydia abditum putabant. Homerus locum nominavit, sed non significavit. Contra Romani Inarimen dixerunt insulam maris inferi, cf. Val. Fl. 3, 207 et Plin. NH. 3, 6 *Aenaria ipsa a statione navium Aeneae, Homero Inarimae dicta, Graecis Pithecusa.* Et Strabo πιθήκους et ἀρίμους idem dicit significare 13, 4, 5. p. 626. Quod Plinius de Homero tradidit, sane verissimum non est; quod autem ex εἰν Ἀρίμοις novum formatur nomen *Inarime*, non offendit, si quae alia eiusdem generis sunt facta consideramus. Sic ap. Plin. 5, 21 *Antiochia Epidaphne cognominata:* Ἀντιοχία ἐπὶ Δάφνῃ. Sic *Aborigines* dixerunt Latini, qui sunt ab origine, *Interamnam* urbem, quae est inter amnes. Quod si in sua lingua faciebant, multo plura licere sibi putabant in vocabulis aliunde assumptis, nisi forte Graeci iam nomen finxerunt Εἰναρίμη. — Sic Ἐπικνημίδιοι, Προποντίς, alia nomina propria ex praepositione et substantivo orta sunt. Similis apud nos *Amsteg*, *Amfurth*. Nonne *Stambul* est εἰς τὴν πόλιν, *Ismir* εἰς Σμύρναν. Quare errore inductos probabile non est Romanos talia nomina sibi finxisse, quae est nonnullorum opinio. Quid enim? hoc ipsum nomen de quo agitur, legendo cognoscebant, non audiendo, ut errori locus non esset. Neque in hanc rem afferendae sunt illae narratiunculae quae exstant de origine nominum *Caere* et *Idistavisus*. — *Imposta* ut 1, 26.

717—777. Turnus Pandarum, qui portam clauserat, et multos alios caedit.

718. *stimulos s. p. vertit* ut 6, 101.

719. *atrumque timorem:* ita ap. Hom. Il. 4, 440 in Martis comitatu est Δεῖμός τ' ἠδὲ Φόβος. — Ut lux omnino laeta est, tristis eius defectus; atrum omnino dicitur, quod triste est et foedum. Sic *dies ater; curae atrae* Hor. C. 4, 11, 35. *ater piscis* AP. 3. Inde apud inferos ater color est cf. 6, 127, et in luctu atrae taedae adhibebantur 4, 384, et atra est cupressus, 3, 64.

720. *data copia pugnae*, nam antea muris prohibiti erant.

721. Ita Stat. Theb. 1, 3 *Pierius menti calor incidit.* — *animo* Mss. omnes. *animos* Med. sed *s* perfosso. Singularis *animo*, ubi de plurium hominum animis sermo est, 1, 579 *animum arrecti*, 7, 392 *accensas pectore matres.* Sic *corpore* ut 10, 334 *in corpore Graium.* Ita et alii scriptores. Neque enim in his vocabulis opus est memorare numerum, qui iam aliunde est notus; indicandus est locus, in quo apud singulos aliquid fit.

Moenibus exclusos duro in certamine linquit;
Ast alios secum includit recipitque ruentes,
Demens, qui Rutulum in medio non agmine regem
Viderit inrumpentem, ultroque incluserit urbi,
Immanem veluti pecora inter inertia tigrim.
Continuo nova lux oculis effulsit, et arma
Horrendum sonuere; tremunt in vertice cristae
Sanguineae, clipeoque micantia fulmina mittit.
Adgnoscunt faciem invisam atque immania membra
Turbati subito Aeneadae. Tum Pandarus ingens
Emicat, et mortis fraternae fervidus ira
Effatur: Non haec dotalis regia Amatae,
Nec muris cohibet patriis media Ardea Turnum:
Castra inimica vides; nulla hinc exire potestas.
Olli subridens sedato pectore Turnus:
Incipe, si qua animo virtus, et consere dextram;
Hic etiam inventum Priamo narrabis Achillen.
Dixerat. Ille rudem nodis et cortice crudo
Intorquet summis adnixus viribus hastam.
Excepere aurae, volnus Saturnia Iuno
Detorsit veniens, portaeque infigitur hasta.
At non hoc telum, mea quod vi dextera versat,
Effugies; neque enim is teli nec volneris auctor.
Sic ait, et sublatum alte consurgit in ensem,
Et mediam ferro gemina inter tempora frontem
Dividit impubesque immani volnere malas.
Fit sonus; ingenti concussa est pondere tellus.
Collapsos artus atque arma cruenta cerebro

726. Cf. Stat. Theb. 10, 508 *Par operis iactura lucro, quippe hoste retento Exclusere suos.*

727. *ruentes* cf. 12, 305.

728. *demens, qui non viderit* cf. 2, 346.

731. Se interclusum videns Turnus novos animos sumit, qui ex oculis *effulgent*, et concitatiore corporis motu fertur, et *arma* concutit, ita ut maior sonus et lumen ab iis exeat.

735. *agnoscunt turbati* i. e. ag. et turbantur, ita nos *gewahren mit Schrekken;* Adiungitur primarium participio ut 2, 169.

737. *dotalis* (cf. 11, 369) *regia Amatae:* Laurentum, „et bene Amatae, quae illum sola generum esse cupiebat. — Id agit, ut ostendat se non per imprudentiam Turnum inclusisse, sed illum per temeritatem sibi minime profutura castra penetrasse.“ S.

740. *subridens sedato pectore:* „magnam confidentiam virtutis ostendit.“ S.

742. Cf. ad rem 6, 89, et simili modo *narrare* usurpatum 2, 549.

743. *rudem nodis:* Nodi fecerunt, ut rudis esset; itaque nodosa est hasta.

744. Val. Fl. 3, 193 *Torserat hic totis connixus viribus hastam.*

745. *Volnus veniens* est telum.

748. *is auctor* i. e. talis qualis tu es. — Telum autem dixit generalius vocabulum, quo et hastam et ensem comprehenderet. cf. *ne quis in urbe cum telo sit* Tab. XII.

749. *Sic ait* sc. Turnus, ut ex verbis ipsis apparet, quae dicit. Sic subiectum variatum v. 733, — *alte consurgit in ensem;* corpore enim toto et brachio sublato vehementior fit ictus. Ita saepius *surgere* et composita de sublato corpore: 10, 796 *assurgentis dextra plagamque ferentis*, 11, 284 *quantus in clipeum assurgat*, 697 *altior exsurgens.* Ita 12, 729 *alte sublatum consurgit Turnus in ensem*, G. 3, 109 *assurgere in auras.* Ita 10, 725 *surgens in cornua.* Ubi plura etiam huius praepositionis *in* exempla. Sic *surgere in hastam* Stat. Ach. 1, 485.

Sternit humi moriens, atque illi partibus aequis
Huc caput atque illuc humero ex utroque pependit.
Diffugiunt versi trepida formidine Troes;
Et si continuo victorem ea cura subisset,
Rumpere claustra manu sociosque immittere portis,
Ultimus ille dies bello gentique fuisset.
Sed furor ardentem caedisque insana cupido
Egit in adversos.
Principio Phalerim et succiso poplite Gygen
Excipit; hinc raptas fugientibus ingerit hastas
In tergum: Iuno vires animumque ministrat.
Addit Halym comitem et confixa Phegea parma
Ignaros deinde in muris Martemque cientes
Alcandrumque Haliumque Noemonaque Prytanimque.
Lyncea tendentem contra sociosque vocantem
Vibranti gladio connixus ab aggere dexter
Occupat; huic uno deiectum comminus ictu
Cum galea longe iacuit caput. Inde ferarum
Vastatorem Amycum, quo non felicior alter
Unguere tela manu ferrumque armare veneno;
Et Clytium Aeoliden, et amicum Crethea Musis;
Crethea Musarum comitem, cui carmina semper
Et citharae cordi, numerosque intendere nervis;
Semper equos atque arma virum pugnasque canebat.
    Tandem ductores audita caede suorum

762. Persequitur a se recendentes, quorum aliquos consecutus, quum reliqui fugerent, deinde in eos irruit, qui, nescientes quid a tergo fieret, muris in defendendis occupati erant v. 766. — *succiso poplite:* de more poplites succidendi cf. 10, 700. „Ordo est: *excipit et succidit poplitem*, ut 537 *postibus haesit adesis*. cf. 735.

763. *raptas* cf. 11, 651. — *excipit* cf. 3, 332.

764. *in tergum* MP2γbc et Non. rec. *Wg.* *tergus* P1R. rec. *Rb.* — *Iuno v. a. m.* „ne sit incongruum, unum tot occidisse, dat Iunonis auxilium. Horatius in Arte Poetica (191) *nec deus intersit nisi dignus vindice nodus inciderit.*“ S. Nec possunt multi superare unum nisi Iunone a Iove revocata v. 805.

765. *comitem* occisis. — *confixa parma*, quam in tergum reiecerat.

767. Idem v. Hom. Il. 5, 678 et Ov. M. 13, 258, ap. quos Ulysses eos interficit.

768. Lynceus in aggere murorum (cf. 10, 24) stans, se defensurus est, simul alios ad auxilium advocat.

770. „*desectum* γ1 ut 8, 438“ rec. *Rb.* *deiectum* MPγ2bc rec. *Wg.* Ita Sil. 13, 246 *Deiectum protinus ense Cum galea longe iacuit caput.* — „Ad exprimendam celeritatem praeterito usus est tempore.“ S. — *occupat* cf. 10, 699.

771. *ferarum vastatorem* cf. 1, 471.

772. *felicior* „peritior“ S. Fortuna enim quivis necesse est adiuvetur, si vult aliquid perficere. *Felix* c. inf. cf. 4, 564.

773. *ferrum armare veneno.* „Et *veneno armare* et *ferrum armare* translatio est“ Quint. 8, 6, 12 (733). cf. 10, 140 *calamos armare veneno*, et 12, 857 *sagitta armata felle veneni.* De hoc more cf. 10, 140. — *manu* cf. 4, 344.

775. Musarum comitem ita Hom. hym. 32 (in Lunam) extr. *ἀοιδοί Μουσάων θεράποντες.* — *Cui c. c. erant.* ita liberiore structura enuntiato relativo alterum relativum adiunctum, non constructum cum priore, ita ut v. 777 per se constet. Cf. 12, 944.

776. *numeros:* Ita Ecl, 9, 45 *Numeros memini. si verba tenerem.*

777. eiic. *Rb.*

778—818. Turnus tandem a Troianis in Tiberim compellitur.

778. *audita caede:* „Servat τὸ πρέπον, ne praesentibus ducibus Turnus tot strages fecisse videatur.“ S.

Conveniunt Teucri, Mnestheus acerque Serestus,
Palantesque vident socios, hostemque receptum.
Et Mnestheus: Quo deinde fugam, quo tenditis? inquit;
Quos alios muros, quae iam ultra moenia habetis?
Unus homo, et vestris, o cives, undique saeptus
Aggeribus tantas strages impune per urbem
Ediderit? iuvenum primos tot miserit Orco?
Non infelicis patriae veterumque deorum
Et magni Aeneae, segnes, miseretque pudetque?
Talibus accensi firmantur et agmine denso
Consistunt. Turnus paulatim excedere pugna
Et fluvium petere ac partem quae cingitur unda.
Acrius hoc Teucri clamore incumbere magno,
Et glomerare manum: ceu saevum turba leonem
Quum telis premit infensis; at territus ille,
Asper, acerba tuens, retro redit; et neque terga
Ira dare aut virtus patitur, nec tendere contra
Ille quidem hoc cupiens potis est per tela virosque.
Haud aliter retro dubius vestigia Turnus
Inproperata refert, et mens exaestuat ira.
Quin etiam bis tum medios invaserat hostes;
Bis confusa fuga per muros agmina vertit.
Sed manus e castris propere coit omnis in unum,
Nec contra vires audet Saturnia Iuno
Sufficere; aeriam caelo nam Iuppiter Irim
Demisit, germanae haud mollia iussa ferentem,
Ni Turnus cedat Teucrorum moenibus altis.
Ergo nec clipeo iuvenis subsistere tantum
Nec dextra valet: iniectis sic undique telis

781. Non est effugium aliud, quam pugnare; indignum est vos pelli ab uno homine; obliti estis patriae, deorum, Aeneae· — *deinde* cf. 5, 14.

785. *ediderit* indignantis est cf. 2, 581. 4, 32. 591. Gr. § 460, 2. — *Orco* dat. cf. 5, 451.

786. *veterum deorum*, quos per tanta tempora coluistis et e flammis servastis.

787. Segnis, ignavus, iners opponitur forti, alacri, strenuo.

791. *acrius hoc*, quum eum decedentem viderent.

792. *glomerare manum* 2, 315.

793. *Premit* saepius de venatu dictum cf. 1, 324. — *telis infensis* cf. 5, 641.

794. Cf. Lucr. 5, 34 *Asper, acerca tuens, immani corpore serpens.* — *acerba* adv. cf. 8, 489.

795. Nec potis est contra tendere, id quidem cupiens, propter tela etc.

797. *ceu* — *haud aliter* cf. 10, 360. — *retro referre* cf. 6, 751.

801. *coit in unum*, ut 10, 410. Sic *in unum misceri* 12, 714, *omnis in unum it manus* Val. Fl. 6. 371. Cf. 8, 576.

803. *sufficere*, ministrare, ita 2, 618. *Ipse pater Danais animos viresque secundas sufficit.* Aliter v. 810, ubi est intransitivum. Iuno, quae, ut iam ex v. 745, 764 patet, adest Turno, a Iove iubetur bello desistere.

805. *haud mollia iussa, ni.* Sic 5, 229. Hor. C. 1, 10, 9 *Te boves olim nisi reddidisses, voce dum terret.* Cic. 2 Verr. 2, 67, 162 *nisi restituissent statuas, vehementer minatur.* Tac. A. 2, 22 *Bellum in Angrivarios mandat. nisi deditionem properavissent.* Cf. Gr. § 410. An. 2.

v. 804—14. cf. Hom. Il. 16, 102 sq. et Ennii versus a Macrobio 6, 3 laudatos Ann. 15. et quae post Virgilium dedit Stat. Theb. 2, 602 sq.

806. *ergo*, „quia numinis est desertus auxilio“ S.

Obruitur. Strepit absiduo cava tempora circum
Tinnitu galea, et saxis solida aera fatiscunt;
Discussaeque iubae capiti; nec sufficit umbo
Ictibus; ingeminant hastis et Troes et ipse
Fulmineus Mnestheus. Tum toto corpore sudor
Liquitur et piceum — nec respirare potestas —
Flumen agit; fessos quatit aeger anhelitus artus.
Tum demum praeceps saltu sese omnibus armis
In fluvium dedit. Ille suo cum gurgite flavo
Accepit venientem ac mollibus extulit undis,
Et laetum sociis abluta caede remisit.

809. *solida aera fatiscunt:* gravibus ictibus galea rimas agit. cf. 1, 123.

810. *umbo* scuti ut 7, 633.

811. *Ingeminant hastis* i. e. aliis super alias missis cf. 1, 747.

813. Val. Fl. 3, 576 *Tum vero pallor et amens cum piceo sudore rigor.*

814. *agit flumen*, ut *agere gemitum* 6, 874.

815. *omnibus armis* cf. 686.

816. *cum gurgite:* ipse deus eiusque flumen, ita 8, 72.

817. *mollibus undis*, molliter deduxit.

818. *abluta caede* i. e. sanguine caede facto. — *laetum*, quod servatus est.

Rutuli vallo exclusi non possunt vi in castra invadere neque auxilium ferre Turno. Sunt enim Troiani qui castra defendant, neque omnes, ut ex ipsa narratione apparet, contra Turnum pugnant. Rutuli igitur in oppugnando pergunt, sed quod nihil ad liberandum conferunt ducem, omnis eorum opera siletur.

P. VIRGILII MARONIS
AENEIDOS
LIBER DECIMUS.

Panditur interea domus omnipotentis Olympi,
Conciliumque vocat divom pater atque hominum rex

1—15. Iuppiter deos a bello dehortatur.
Iuppiter auxilio, quod contra suam voluntatem Turno tulerat Iuno, commotus, ad sedem suam deos convocat, eosque omnino a bello gerendo dehortatur. Qua in contione quamquam non certum aliquem incusaverit, tamen Venus, quae ad se illam orationem pertinere putat, se excusat culpamque in Iunonem transfert omnem; qua re acerbata Iuno et ipsam se purgat et Venerem omnium malorum caussam fuisse ostendere conatur. Tandem Iuppiter finem imponit, seque ad fatum omnia compositurum profitetur simulque deos dimittit.

1. *Panditur* etc. Duplex est huius loci explicatio iam apud Servium. Altera est: Aperitur Iovis curia, in quam *concilium vocat* Iuppiter. De domo Iovis in Olympo cf. Ov. M. 1, 170 sqq. — Altera est: „Factus est dies, quia dicunt poetae matutino tempore aperiri caelum, noctu claudi", et concilium vocat Iuppiter. — Qui priorem accipiunt explicationem, ea quae v. 1 — 145, et quae inde a 9, 459 narrantur, eodem die facta esse; qui alteram, l. 10 novum diem incipere et continere versus 1 — 145. sumunt. In eo consentiunt, quod v. 145 diem claudi, v. 146 — 214 noctem et a versu 215 diem sequentem describi putant. — Sed ni ipse fallor, falsi sunt illi. Nam quum Iuppiter in illa contione v. 107 dicat *hodie* et v. 145 hic dies finiatur, iam nec Iovis oratione, nec omni deorum concilio quidquam fit; et poeta quum ne singulos quidem deos inferat nisi gravi aliqua de caussa, omnes hoc loco sine ulla caussa videtur convocasse. Accedit altera caussa, quod et libro 11 et l. 12 novum Vgl. diem orditur. Et si *interea* de die sequente dicitur 11, 1., nonne etiam 10, 1. potest ita dici? Itaque ita Virgilium res arbitror disposuisse: Turnus Aeneae abitu audito castra oppugnat, naves abripiuntur, nocte sequente Nisus et Euryalus pereunt 9, 1 — 459. Altero die Turnus castra invadit et incolumis evadit 9, 459 sq. Tertio de iterum oppugnant Rutuli castra; deorum est concilium; advenit Aeneas et fundit Latinos 10. Contra si l. 10. versus 1 — 145 unum diem sumimus complecti, in bello, quod acerrime geritur, per eum diem nihil fere fit. Itaque is ordo rerum est; Primo mane eius diei, qui post Turni in castris pugnam sequitur, concilium est deorum, deinde Rutuli iterum castra aggrediuntur. Iam per v. 147 reditum sibi Vgl. parat ad Aeneam, qui Etruscis adiunctis nocte ad castra sua revertitur. 147 — 163. Ibi addit, qui Etrusci sequantur 163 — 214. Redit ad eandem noctem ita locutus *Iam*que dies (ut supra dixi) *concesserat* mediaque nox erat, quum nymphae ei occurunt. Deinde *noctem fugarat matura iam luce dies* 256, qui idem est, quo concilium habetur et castra oppugnantur. Eadem est sententia *Wgi* et *Ldi.* Tot verba profudi, ut a sententia sua abducerem Hanovium. Is enim Progr. Scheidemühl 69. „non posse fingi quidquam absurdius" censet quam quod ego finxerim. Scilicet non intellexit ille quidem sententiam meam eamque pervertit. Sumit enim v. 118 — 145 referre me ad diem concilio deorum priorem.

Sideream in sedem, terras unde arduus omnes
Castraque Dardanidum adspectat populosque Latinos.
Considunt tectis bipatentibus. Incipit ipse:
Caelicolae magni, quianam sententia vobis
Versa retro tantumque animis certatis iniquis?
Abnueram bello Italiam concurrere Teucris:
Quae contra vetitum discordia? quis metus aut hos
Aut hos arma sequi ferrumque lacessere suasit?
Adveniet iustum pugnae, ne arcessite, tempus,
Quum fera Carthago Romanis arcibus olim
Exitium magnum atque Alpes immittet apertas:
Tum certare odiis, tum res rapuisse licebit.
Nunc sinite et placitum laeti componite foedus.
Iuppiter haec paucis; at non Venus aurea contra
Pauca refert:
O Pater, o hominum rerumque aeterna potestas!
Namque aliud quid sit, quod iam implorare queamus?
Cernis ut insultent Rutuli, Turnusque feratur

Ipse reperit Virglium scripsisse primum 104—6. 109—112. 117. 146 sqq. Secundis curis intellexisse eum deos mane esse convocandos, itaque addidisse 107. 8. 113. sq. „Hac mutatione facta consentaneum fuisse adiici vv. 118 — 145 per se satis exiles non est quod moneam. Eo erat res perducta i. e. nondum (igitur post curas repetitas!) erant omnia perpolita et fixa, quum fati iniquitate poetae vita fugit sub umbras.“ Magnum hoc quidem est divinare quod alius homo nequit! — *Olympus* est *omnipotens*, quod qui in ea sede sedet, sive Saturnus est sive Iuppiter, fit omnipotens cf. 12, 791 et Aesch. Prom. 397 *τῷ νέον θακοῦντι παγκρατεὶς ἕδρας*. Sic qui in sede regia est, est rex. Itaque opus non est coniecturis *omnipatentis* et *omniparentis!* Itaque si talis aperitur Olympus, si statim Iuppiter concilium convocat, non diei ortus sed sedis reclusio significatur, quamquam id fit primo mane. *Pl.* coni. *Olympo* exemplisque (!) probat Iovem posse dici omnipotentem.

5. *Considunt* cf. 301. *tectis bipatentibus*, in quibus geminae valvae sunt cf. 2, 330. Ita Solis regia describitur Ov. Met. 2, 4.

6. *quianam* cf. 5, 13.

7. *versa retro*, a mea voluntate recedens; non est *mutata;* deae enim eundem iam diu habuerunt animum. *Ld.* verba refert ad pacem a deabus 4, 99 compositam. Sed ea iamdudum dissoluta est Aeneae abitu et Didonis morte. Quod h. l. Iuppiter memorat, antea narratum non est. *Pl.* coni. *tantumne . . . certatur.*

8. *Abnueram*, nolueram esse bellum. Id potest dicere Iuppiter et deos de eorum perverso consilio increpare, etsi iam diu praeviderat ex eo deorum consilio bellum in Italia gestum iri. cf. 1, 263. Quare haec verba illi Iovis orationi non sunt contraria, quod opinatur *Wg.*

9. Quae ea est discordia, iussis meis vetita, quid est, quod metuitis fore, et quod bellis putatis vos posse arcere.

10. *ferrum lacessere* cf. 5, 429. — *hos — hos* cf. 9, 572.

12. *olim* de futuro cf. 1, 203.

13. *Alpes apertas* immittit, quum per Alpes apertas, quae antea clausae pro muro erant, exercitum immittat. Id satis audacter dixit, quamquam vere. Ea enim re, quod per Alpes penetraverat, Hannibal Romanos maxime perturbavit.

14. *res rapuisse*, raptim et turbate agere belli more.

15. *Sinite* sc. certare odiis *et c. f.* Sic recte expl. *Ld.* — *placitum foedus* i. e. quod placuit (cf. 5, 332.) utrique parti et firmum est.

16—61. Venus Iunonem accusat.

16. Sic *aureus Amor* Ov. Am. 2, 18, 36. Aureum dicebant unumquodque, quod in genere suo praestantissimum est.

18. *potestas* cf. 5, 754. Unde medio aevo *potestà.* Talium abstractorum usus sub imperatoribus invaluit. cf. Gr. § 361.

19. *namque* cf. 1, 65.

20. *Cernis* auget invidiam; neque enim narratione opus esse dicit, quum videat ipse rem ita se habere. — *cernis ut . . .; non tegunt;* transit in narrationem.

Per medios insignis equis tumidusque secundo
Marte ruat? Non clausa tegunt iam moenia Teucros.
Quin intra portas atque ipsis proelia miscent
Aggeribus moerorum, et inundant sanguine fossae.
Aeneas ignarus abest. Nunquamne levari
Obsidione sines? Muris iterum imminet hostis
Nascentis Troiae, nec non exercitus alter;
Atque iterum in Teucros Aetolis surgit ab Arpis
Tydides. Equidem credo, mea volnera restant,
Et tua progenies mortalia demoror arma!
Si sine pace tua atque invito numine Troes
Italiam petiere, luant peccata, neque illos
Iuveris auxilio: sin tot responsa secuti,
Quae Superi Manesque dabant, cur nunc tua quisquam
Vertere iussa potest, aut cur nova condere fata?
Quid repetam exustas Erycino in litore classes?
Quid tempestatum regem, ventosque furentes
Aeolia excitos, aut actam nubibus Irim?
Nunc etiam Manes — haec intentata manebat

Rb. feratur — tumidusque delet, quod equis Turnus non feratur 9, 50. 559. 728. 797. 815.“ Sed et 9, 49 et 10, 440 ut facile probatur, dux Turnus fertur equo; qui sc. quando in muros impetum facit, equo non utitur. Ac de die agitur, qui hoc libro continetur.

22. sq. Tangit, quae narrata sunt l. 9. extremo.

24. Idem paene v, 11, 382. *aggeribus moerorum.* De aggere cf. 9, 567. De genitivo cf. 6, 177. Avien. descr. terr. 382 *aggere murorum Pelusia moenia surgunt.* 962 et Sil. 4, 743 *aggere montis.* „Abusive et muros et munimenta omnia aggerem dicimus, (Et probabile muros novae Troiae celeriter eductos non lapidibus fuisse exstructos sed humo congesta.) sicut modo *a. m.* pro munimentis. *Moerorum* pro *murorum* antique; nam veteres pleraque eorum, quae nos per *u* dicimus, per *oe* diphthongum pronuntiabant.“ S. cf. Gr. § 10. — Sed quum modo in iunctis verbis *aggere moerorum* antiquam formam Vgl. retineat cf. 144. 11, 382, praeterea ubique *u* servet, id ipsum *aggere moerorum* ab antiquo poeta sumptum esse videtur. At *murorum* MRVγc rec. *Ld.* *moerorum* Pb. — *fossae* MRc. rec. *Wg.* *Ld.* *fossas* PVγ6 rec. *Rb.*

25. *ignarus*, itaque sine culpa.

27. *Nec non exercitus alter* delet *Pl.* frigere dicit *Hs.* „Versum 27 non ipse implevisse videtur“ *Rb.* qui monet eum ap. Serv. non explicari.

28. *Arpis* Aetolis, quod Aetolus Diomedes ibi sedes posuit cf. 8, 9. Sic *Alpheae Pisae* 179. *Cumae Euboicae* 6, 2. *surget* Mγb rec. *Ld.* et in ed. min. *Wg.*, qui in maiore *surget* grammaticorum censuerat esse inventum — *surgit* siquidem ex silentio *Wgi* et *Rbi* valet coniectura, ceteri Mss. rec. *Rb.* *Surgit* probum, certum enim rem esse putat. Nec *surget* caret ratione: Certum est eum surrecturum, nisi tu impediveris.

29. *mea v. restant:* restat ut iterum vulnerer.

30. *demoror arma.* A Diomede autem Venus vulnerata est cf. Hom. Il. 5, 336.

31. *sine pace* cf. 3, 261.

32. Particula *neque* raro annectit imperativum, saepius coniunctivum, cf. 12, 801.

33. *Iuveris* „Concessivus est iste modus secundum Probum. . . Fit autem quotiens taedio contentionis quasi videmur concedere, quod tamen nolumus fieri.“ S. Idem v. 48. Cf. Gr. § 421, 4.

34. *Manes* sc. Hector 2, 294. Creusa 780. Anchises 5, 729 cf. 12, 646.

36. Ad rem cf. 5, 606 sq. — *classes* cf. 7, 98.

37. Ad rem cf. 1, 50 sq.

38. Ad rem cf. 9, 1 sq.

39. *Manes* Alecto cf. 7, 324; quod Manes dicit deos inferos, imprimis Diras cf. 12, 845. — *nunc etiam*, quum iam mare terrasque metu caelumque Iuno fatigasset. cf. 1, 280. — *haec intentata manebat.* Cf. quae de se ipsa dicit Iuno 7, 323.

Sors rerum — movet, et superis immissa repente
Allecto medias Italum bacchata per urbes.
Nil super imperio moveor; speravimus ista,
Dum fortuna fuit; vincant, quos vincere mavis.
Si nulla est regio, Teucris quam det tua coniunx
Dura, per eversae, genitor, fumantia Troiae
Excidia obtestor: liceat dimittere ab armis
Incolumem Ascanium, liceat superesse nepotem.
Aeneas sane ignotis iactetur in undis,
Et, quamcunque viam dederit Fortuna, sequatur;
Hunc tegere et dirae valeam subducere pugnae.
Est Amathus, est celsa mihi Paphus, atque Cythera,
Idaliaeque domus: positis inglorius armis
Exigat hic aevum. Magna dicione iubeto
Carthago premat Ausoniam: nihil urbibus inde
Obstabit Tyriis. Quid pestem evadere belli
Iuvit et Argolicos medium fugisse per ignes,
Totque maris vastaeque exhausta pericula terrae,
Dum Latium Teucri recidivaque Pergama quaerunt?
Non satius cineres patriae insedisse supremos
Atque solum, quo Troia fuit? Xanthum et Simoenta
Redde, oro, miseris; iterumque revolvere casus
Da, Pater, Iliacos Teucris.
Tum regia Iuno

40. *Immittere* saepius est maligno animo mittere vel subornare, ut 13. — *Superis* „ac si diceret, non iam Troianis, sed diis.“ S.

41. *bacchata:* de verbo cf. 4, 301., de re 7, 341 sq.

42. *super imperio* a Iove promisso; unde dicit etiam speravimus *ista*, quae tute promisisti. Cf. 1, 257.

43. *dum fortuna fuit*, sc. anceps, ut omnis fortuna, i. e. dum sperare licebat.

44. *si nulla etc.* Eadem sententia 1, 233. — Vide, eam dicendi ardore abreptam tandem verum nomen prodere: V. 34 est *quisquam*, v. 40 est *movet* nullo subiecto addito, iam 44 *tua coniux*.

45. „Ideo sic rogat, ut commemoratione infelicitatis Troianae impetret misericordiam.“ S.

46. *excidia*, plur. cf. 2, 140.

47. *liceat superesse nepotem.* Nepotes, in quibus libera spe ludere licet, avis vel magis accepti solent esse quam filii, qui iam ad certam vitae conditionem pervenerunt, ut vanis de futuro tempore imaginibus locus non sit.

48. *sane*, concedentis est sed aegre concedentis. Simul indicatur, qualis futura sit mors Aeneae cf. 1, 259. *Pl.* coni. *iterum.*

51. *est celsa mihi Paphus* MPRbcγ *alta Cythera* R, et γ, sed expuncto *alta*, quod ad marginem adscriptum est codicis P. *E. A.* e. c. *Paphus atque alta Cythera Pl. Wg*, commendatur metrica difficultate. *Ld.* propter v. 86. — Ut ego, *Rb.* *Amathus* et *Paphus* urbes in Cypro, Veneri sacrae, cf. 1, 415. — Cythera et Idalia cf. 1, 680.

53. *aevum exigere* cf. 7, 776. 11, 569. Ov. M. 12, 208. *annos exigere* 1, 79. *Aetatem exigere* etiam Cicero dixit.

54. *premat* ut 7, 737, fortius quam *dicione tenere* 1, 236. 622. et h. l. cum indignatione dictum. Ut h. l. *magna dicio* dicitur, sic 1, 236 *omnis dicio.* Coniunctivus post verbum *iubere* cf. Gr. §. 432. An. 2.

55. *pestem* i. e. malum cf. 5, 683.

57. *exhausta pericula* cf. 4, 14.

58. *recidiva Pergama* cf. 4, 344.

60. *solum quo T. f.* cf. 3, 11.

61. Cf. simile 2, 669 *Reddite me Danais.* Satius fuit bellum Troianum perferre et eo perire, quam talia pati. — *revolvere* cf. 1, 9.

Acta furore gravi: Quid me alta silentia cogis
Rumpere et obductum verbis volgare dolorem?
Aenean hominum quisquam dìvomque subegit
Bella sequi, aut hostem regi se inferre Latino?
Italiam petiit fatis auctoribus. Esto;
Cassandrae impulsus furiis: num linquere castra
Hortati sumus, aut vitam committere ventis?
Num puero summam belli, num credere muros?
Tyrrhenamque fidem aut gentes agitare quietas?
Quis deus in fraudem, quae dura potentia nostra
Egit? ubi hic Iuno, demissave nubibus Iris?
Indignum est Italos Troiam circumdare flammis
Nascentem, et patria Turnum consistere terra,
Cui Pilumnus avus, cui diva Venilia mater;
Quid, face Troianos atra vim ferre Latinis,

62—95. Iuno crimina in Venerem reiicit.

63. *quid me a. s. c. r.* Itaque tu ipsa caussa es rixarum, quas ego vitabam. Iuno enim, quae a Iove ex proelio recedere iussa est (9, 804), Iovis ferre reprehensionem cogitur; iam vero etiam Venus eam incusat, quare animum cohibere non sustinet, iramque effundit in eam, in quam licet.

64. *obductum:* „Nam *obduci* dicuntur vulnera, quae cicatrice clauduntur." S. Quem dolorem haberet dixit 1, 23.

65. *bella sequi:* Dubia utitur formula Iuno, ut in ipsum Aeneam belli culpam conferat; intulisse enim bellum Aeneam non poterat dicere.

67. *esto (gut!)* id concedamus. — *petiit fatis* Mss. *fatis petiit Hs.* et *Hn.* emendavere, quum in *fatis* praecipua vis inesset. At recte Mss. Nam unum constat *Italiam petiit;* alterum est *fatis auctoribus*, quod constare negat Iuno, quae Aeneam *impulsum* esse *Cassandrae furiis* arbitratur. Haec duo igitur non debebant misceri.

68. *Cassandrae furiis.* Maligne explicat fata effatam esse modo Cassandram furentem. De ea cf. 2, 246. — Cur reliquit castra et itineri se commisit periculoso, cur puero (Ascanio) summam imperii et urbis salutem commisit eo tempore, quo hostes ante portas erant, cur ad Tyrrhenos profectus excitat quietas nationes? Hae sunt caussae praesentium malorum; nemo tamen dicere audebit, me fecisse.

71. *Tyrrhenamque* M. alii. — *ve* RVc; sed non est hoc a priore diversum, sed cum eo coniunctum. — *fidem et gentes agitare:* ita diversa obiecta uni verbo adiunguntur 1, 78.

72. *Fraudis* ubique stat propria significatio doli mali; et illud *ne fraus esto* mutatur apud Livium 22, 10 altero *ne scelus esto.* Adde formulas iuris consultorum *fraudi est alicui aliquid* et *fraus esto* in legibus. Praeterea *fraus*, ut *fides*, *metus*, alia, non modo in eo est, qui fraudat, sed etiam in eo, qui fraudatur. Sic ap. Cic. in Pis. 1, 1 *in fraudem impulit* explicatur et describitur verbis: *decepit*, *fefellit. induxit.* Sic RA. 21 *Haec te opinio falsa in istam fraudem impulit.* Minus accurate *fraus* explicatur per damnum. *nostri* M1. *nostra* M2PRVγbc, quod nunc docet *Rb.* Stat utrumque cf. 4, 237.

74. Indignum est, ista quidem tua sententia, sua Turnum in patria resistere hosti in terram suam invadenti, eum qui et a deo et a dea originem ducit, non ut Aeneas solum a dea.

76. Hoc versu, quem sunt qui ineptissimum et languidissimum Virgilioque indignissimum et ab alio appictum iudicent, demonstrare debebat Iuno Turnum non ignobiliore loco natum esse quam Aeneam. Simul *Venilia* nympha dignitate a Iunone comparata Veneri movet indignationem. *Pl.* delet versum monetque Pilumnum non *avum* fuisse sed *quartum patrem* v. 619. quasi id Vgl. nesciverit, quod *Pl.* ab ipso doctus est. Rem satis explicat S. ad 9, 3.

77. Estne hoc dignum aut ferendum, Troianos Latinorum sedes incendio et bello delere, aliena arva sibi subiicere et praedas agere; eligere sibi soceros, quos velint ipsi, non a quibus accipiantur, et vel e gremio rapere pactas, pacem orare supplici voce et tamen interea bellum parare?

Arva aliena iugo premere, atque avertere praedas?
Quid, soceros legere et gremiis abducere pactas?
Pacem orare manu, praefigere puppibus arma?
Tu potes Aenean manibus subducere Graium,
Proque viro nebulam et ventos obtendere inanes,
Et potes in totidem classem convertere Nymphas:
Nos aliquid Rutulos contra iuvisse nefandum est?
Aeneas ignarus abest: ignarus et absit.
Est Paphus, Idaliumque tibi, sunt alta Cythera:
Quid gravidam bellis urbem et corda aspera tentas?
Nosne tibi fluxas Phrygiae res vertere fundo
Conamur? nos? an miseros qui Troas Achivis
Obiecit? quae caussa fuit consurgere in arma
Europamque Asiamque, et foedera solvere furto?
Me duce Dardanius Spartam expugnavit adulter,

78. *avertere praedas* cf. 8, 208.

79. *Socerum legere*, i. e. sibi poscere, superbum est, quum soceri sit legere generum. *Hf.* coni. *socios*, sed socios legere superbum non est. „Exaggeratio est nimia in eo, quod ait *gremiis abducere pactas.*" S. Neque enim iam pacta erat Turno Lavinia. — *Pactae* dicuntur uxores, quod pactione traduntur maritis; sic v. 722; inde et ipsi *thalami* v. 649 et *hymenaei* 4, 99 *pacti* dicuntur.

80. *pacem or. manu:* cf. ad rem quae 7, 154 dicta sunt. — *praefigere puppibus arma:* In puppibus milites videntur arma sua exposuisse, itaque belli erat signum hoc, quod dicit Iuno. Pertinent haec ad versum 8, 92. cf. Val. Fl 3, 28 *ratem praefixaque regum scuta vident.* Iniuria Iunonis in eo est, quod omittit memorare, quae inter pacis petitionem et illam profectionem ab ipsa facta sint.

81. cf. Hom. Il. 5, 311, ubi a Venere Aeneas Diomedi eripitur.

82. Fecit id Neptunus cf. 5, 808.

83. „Licet hoc Mater deum fecerit, tamen hoc Veneri imputatur, quia eius gratia factum est." S. ut imputavit Iuno ea, quae in Veneris gratiam fecit Neptunus. Eum versum ab uno codice abesse dicit *Pl.*, quod ut verum sit, non statim efficitur versum esse ab alio illatum. Etsi enim Cybeles intererat, naves durare, non Veneris, tamen ei etiam gratus fuit is navium honor, irataque Iuno etiam ad Venerem rem factam rettulit. Neque contra versum facit, quod ea re Aeneam adiutum non esse demonstrare conantur; neque enim propter eam caussam affert Iuno, sed ut doceat, quanta sit Veneris potentia; ac, si verum quaerimus, illa navium mutatio Troianorum auxit animos, concussit Rutulorum. *et potes* Mss. *tu potes* coni. Markland rec. *Rb. Pl.* delet versum.

84. *aliquid* „attenuat dicendo *aliquid*", S. De structura cf. 3, 56.

85. Aeneas quod abest, ipsius est culpa, culpaeque suae ferat mala.

86. Tu ipsa Paphum tuam memorasti, mulier querula, cur igitur non in pace tegis cum nepotibus tuis? quid bello tentas urbem bellicosam?

87. *urbs bellis gravida* cf. 4. 229.

88. *vertere fundo*, funditus evertere. cf. 1, 20. *evertere fundo* Lucr. 3, 84. — *res fluxas* dixit Cic. Att. 4, 1, 8. Participium perfecti a verbo *fluere* quod est interire, labi cf. 2. 169. Ea participia 5, 332. Verba autem iuncta sunt ad morem, qui memoratur 4, 22. Neque versus ad Troianorum in Latio conditionem. sed ad Troiam antiquam pertinet.

90. Ipsam Iunonem miseret Troianorum a Venere perditorum. *Caussa* est c. inf. ut Tib. 3, 2, 30 *Dolor huic et cura Neaerae, coniugis ereptae, caussa perire fuit*, et Luc. 3, 653. cf. 5, 638.

91. *Europam Asiamque* cf. 3, 1. — *Foedera solvere furto* est „amicitias adulterio dissipare" S. Nam „legitur in historiis, quod Troiani cum Graecis foedus habuerunt. Unde etiam Paris est susceptus hospitio, et sic commisit adulterium." S. — *furtum* cf. 6, 568.

92. *Dardanius adulter* Paris; sed invidiose dixit *Dardanius*, quum Aeneas proprius Dardanorum dux esset cf. 2, 281. — *Spartam expugnavit*, quasi vi cepit Spartam; sed est etiam formula: *pudicitiam expugnare* Cic. Cael. 20. Itaque in verbi ambiguitate acerbitatem quaerit, eiusque sententia est: Paris Spartanae

Aut ego tela dedi, fovive Cupidine bella?
Tum decuit metuisse tuis; nunc sera querelis
Haud iustis adsurgis, et inrita iurgia iactas.
 Talibus orabat Iuno, cunctique fremebant
Caelicolae adsensu vario; ceu flamina prima
Quum deprensa fremunt silvis et caeca volutant
Murmura, venturos nautis prodentia ventos.
Tum Pater omnipotens, rerum cui prima potestas,
Infit. Eo dicente deum domus alta silescit,
Et tremefacta solo tellus; silet arduus aether;
Tum Zephyri posuere; premit placida aequora pontus.
Accipite ergo animis atque haec mea figite dicta.
Quandoquidem Ausonios coniungi foedere Teucris
Haud licitum, nec vestra capit discordia finem:
Quae cuique est fortuna hodie, quam quisque secat spem,

mulieris pudicitiam expugnavit. Simile dictum 11, 263. „Ego (!) scribendum coniicio: *Me d. Dardaniam Sparta e. adulter* pro fecit, ut propter adulterium Troia ab ultoribus ex Sparta profectis expugnaretur" *Pl.*

93. *fovique Cupidine bella;* Paris enim amore inductus Helenam reddere atque ita pacem emere noluit.

94. Illud erat tempus cavendi, non nunc, ubi mala accidunt, quae consequi necesse erat. Cf. simile 4, 596.

95. *inrita iurgia:* Nihil prodest nunc iurgia iactare, quibus facta infecta fieri nequeunt.

96—117. Iuppiter omnia se ex fato exacturum profitetur.

96. *orabat* „loquebatur. Unde et *oratores* dicimus." S. Cuncti fremunt, Iunoni alii, alii Veneri assentientes.

97. Ut quum aurae crebrescunt et arborum frondes movent, signum venti surgentis. De re cf. G. 1, 356. — *caeca murmura* ut 12, 591. De eo usu 2, 301. *fremunt* cf. 11, 453.

100. *prima potestas* MRγ sc. inter deos. — *summa* M2Pbc videtur ex interpretatione ortum. — Et nos dicimus: *Die erste Macht in Europa.*

101. Omnes conticescunt dicentis auctoritate commoti, omnis etiam natura. — *infit* cf. 5, 708.

102. *tremefacta solo tellus.* Quid sit *solum* docet S. ad 7, 111. Itaque solum dicitur omne, in quo aliud exstruitur, ut Liv. 23, 37 *Turrem ex ipso muro excitavit cs. Romanus, quia muro satis per se alto subiectis validis sublicis pro solo usus est.* Neque enim terrae solum hoc loco est Erdboden, quod est ap. Lucr. 5, 1288, 1294. Itaque est im tiefsten Grunde erzittert die Erde. At Macrobius ex Ennii Scipione hos affert versus, quos imitatus esset Vgl. „*Mundus caeli vastus constitit silentio, et Neptunus saevus undis asperis pausam dedit; Sol equis iter repressit ungulis volantibus; constitere amnes perennes, arbores vento vacant.*" Sat. 6, 2. Ex quibus de terra tremefacta nihil conficitur; omnia autem illo loco quiescunt; quem si ante oculos habuit Vgl., terram etiam quiescere voluit, et ad *terra* supplendum est *silet*, aut *silescit*. Hinc *Pl.* pro *solo* proposuit *silet*, quod non uno nomine laudandum est.

103. Zephyri i. e. vel placidissimi venti desinunt. — *posuere* cf. 7, 27. — *Premit placida aequora pontus*, deprimit, coercet aequora, ita ut sint placida cf. 4, 80.

104. Idem versus 3, 250. „Totus hic locus de primo Lucilii translatus est libro, ubi inducuntur dii habere concilium et agere primo de interitu Lupi cuiusdam iudicis in re publica: postea sententias dicere" S. Ac tales nugas Vgl. in re severa imitatus esse dicitur! Eo abripiuntur sua opinione homines, ut rationem excant. Simile est iudicium Macrobii 6, 2 de 9, 672 sq.

105. *Ausonios* sc. homines, adiectivum pro nomine, ita *Ausonii* pro *Ausones* legitur 11, 253. 12, 834.

107. *spem secare:* In Iovis verbis antiquum dicendi genus secutus est poeta; ita *fuat* pro sit. cf. Gr. §. 169. Ita etiam *spem secare* antiqua videtur esse formula. Varia autem exstant in explicando conamina. Sunt qui putent, fuisse verbum aliquod *secĕre*, quod etiam *sequĕre* scriptum sit et cuius modo passiva forma *sequi* in usu remanserit; itaque *sequi spem* esse *alere.* Alii pro *resecare, spem incidere* acceperunt. Tertium est, ut ex-

Tros Rutulusne fuat nullo discrimine habebo;
Seu fatis Italum castra obsidione tenentur,
Sive errore malo Troiae monitisque sinistris.
Nec Rutulos solvo. Sua cuique exorsa laborem
Fortunamque ferent. Rex Iuppiter omnibus idem.
Fata viam invenient. Stygii per flumina fratris,
Per pice torrentes atraque voragine ripas
Adnuit, et totum nutu tremefecit Olympum.
Hic finis fandi. Solio tum Iuppiter aureo
Surgit, caelicolae medium quem ad limina ducunt.
   Interea Rutuli portis circum omnibus instant
Sternere caede viros, et moenia cingere flammis.

plicetur secundum Horatii locum: *ridiculum acri fortius et melius magnas plerumque secat res* sc. ad finem perducere. Sed ap. Horatium (Serm. 1, 10, 15) est secare nodum rerum difficilium. Sed etiam *secare* esse *sequi* docet Nonius 404. M. „*Secare*, sequi, unde et sectatores bonorum sectores dicti sunt. Vgl. l. X. *Quae cuique* etc." Sic Fest. Paul. p. 337. M. „*sectio* persecutio iuris — *Sectores* et qui secant dicuntur, et qui empta sua persequuntur." Cicero sectorem dicit bonorum emptorem pr. RA. 35, 103. At si idem ibidem 29, 80 *sectorem* a *secando* deducit, potest is esse acerbus lusus; attamen si *sector* in iure Romano ea erat significatione, ut cum verbo *sequi* conveniret, nondum constat quod vult Nonius *secare* pro *sequi* usquam dictum fuisse. Itaque his omnibus nihil proficimus. Missis igitur locis alienis sequamur Virgilium. Hic dixit *secare viam* pro ire per viam cf. 6, 900; igitur secare spem est *ire per spem*, quod est *sperare* cf. 5, 786. *Pl.* explicat *secare spem* „praecipere sibi partem spei vel maiorem vel minorem. Spem enim cum hostibus quasi dividimus."

108. Iuppiter, quum, etsi vetuerat, iterum dearum rixae ortae essent, neque pacem, quam proposuerat, accepturos se omnes dii significassent, poenam constituit hanc, ut quod bellum vellent, omnia mala, quae ex illo bello fato orirentur, populos premerent, et ii, quibus in eo bello vinci et perire fato constitutum esset, perirent. Hanc sententiam accuratius indicat versibus proximis: Sive fatis tenentur Troiani obsidione Italorum (cf. 31), sive suo malo et fraude huc pervenerunt ut obsiderentur (cf. 68); neque Rutulos solvo, si iis fatum impendet. Rerum quas susceperunt quisque felicem et infelicem exitum ferent. Utrisque aequus ero. — *nullo discrimine habebo:* ita 2, 102 *uno ordine habetis Achivos.* Eodem modo *agi* dicitur 1, 574. *Rutulusne* MPRb rec. *Rb. Ld.* vc γc rec. *Wg.* Cedo Mssorum auctoritati.

109 et 10. delet *Rb.* 1 p. 84 „Iovis persona parum digna" *Pl.* delet *seu fatis — omnibus idem* „Oratio Iovis si aliena mecum recidis, est brevior, gravior, et concinna bonoque poeta dignior" *Pl.*

111. „Praeclaris ex fontibus hausit Nonius Marcellus, cui unam debemus emendationem *populos* pro vulgata *Rutulos*, quam prudentiores interpretes satis explicari non posse confessi sunt" *Rb.* 1 p. 211. Supra explicatum est.

113. *Fata viam invenient* cf. 3, 395. Versus 113—15 iam lecti sunt 9, 104 sq.

117. *quem ducunt*, ut consulem et magistratum senatus. Sunt qui hoc deorum concilium reprehendant. At neque sine caussa habetur; nam contra iussa Iuno in bello versata est et a Iove revocata: itaque recte Iuppiter convocatis diis suam aperit voluntatem. Nec nihil fit illa contione, cf. v. 108. Maior autem nascitur ordo rerum, quae Aenea duce geruntur, quum de iis consilium habeatur deorum. Voluit enim Iuppiter a bello retinere: quod autem non obtemperant dii, ipse ex fato i. e. ex summo iure rem exsequitur, quum ex aequo bonoque indicare non esset concessum. Nisi enim dii rem turbassent, poterant Rutuli et Turnus esse incolumes. Iam illa victoria Aeneae *maxima res effecta est* (11, 14), in urbem suam compulsi sunt Rutuli, in fugam versus Turnus, occisus Mezentius, qua victoria iam constitutus est belli exitus. Nonne igitur caussa satis digna fuit, ut dii convocarentur?

118—145. Iterum Rutuli Troiana castra oppugnant.

118. *instant* c. inf. cf. 1, 423.

119. *m. cingere flammis*, allatis ignibus undique de muro depellere propugnantes.

At legio Aeneadum vallis obsessa tenetur;
Nec spes ulla fugae. Miseri stant turribus altis
Nequidquam, et rara muros cinxere corona:
Asius Imbrasides, Hicetaoniusque Thymoetes,
Assaracique duo, et senior cum Castore Thymbris,
Prima acies; hos germani Sarpedonis ambo,
Et Clarus et Thaemon, Lycia comitantur ab alta.
Fert ingens toto connixus corpore saxum,
Haud partem exiguam montis, Lyrnesius Acmon,
Nec Clytio genitore minor, nec fratre Menestheo.
Hi iaculis, illi certant defendere saxis,
Molirique ignem, nervoque aptare sagittas.
Ipse inter medios, Veneris iustissima cura,
Dardanius caput ecce puer detectus honestum
Qualis gemma micat, fulvum quae dividit aurum,
Aut collo decus aut capiti; vel quale per artem
Inclusum buxo aut Oricia terebintho
Lucet ebur; fusos cervix cui lactea crines
Accipit et molli subnectens circulus auro.
Te quoque magnanimae viderunt, Ismare, gentes

120. *Legio* cf. 8, 605.

121. *nec spes ulla fugae.* „Fuga miserrimum et ultimum praesidium est, tamen etiam hoc carebant." S. Idque ipsi sciunt, quare recte *miseri* dicuntur.

122. *rara:* Itaque tam parvus est eorum numerus, ut ad muros implendos non sufficiant. De voce *rarus* cf. 4, 131. — *corona* cf. 9, 380.

125. *prima acies:* Etiam hoc ad Romanum morem composuit, qui tres acies instruxerunt.

127. *toto connixus corpore:* idem 9, 410. *Mit allen Leibeskräften angestemmt. Schill.*

128. „Lyrnesos civitas est Phrygiae, unde fuit Briseis." S.

130. *hi — illi — que — que*, i. e. alii — alii cf. 1, 701. Troiani aut iaculis aut saxis aut igne aut sagittis a muro proturbant. — *certant* c. inf. cf. 118.

131. *moliri ignem* cf. 2, 108. — Neque id verbum ineptum; nam saepe magno apparatu ignea tela faciebant antiqui, ut de Saguntinis narrat Liv. 21, 8. cf. 8, 694. Nonnunquam etiam facibus et torribus res gerebatur cf. 1, 150, et in pugna Cannensi aliqui *pugnas pinu flagrante cient* Sil. 9, 335.

132. *Veneris iustissima cura* „quia illi debebatur imperium", S. et quod tanta erat virtute. *Cura* is, de quo cura est cf. 1, 678.

133. *honestum*, pulchrum. Cf. 1, 591. Similis comparatio 1, 592. 12, 67. Ut gemma micat auro inclusa, ut ebur lucet inclusum buxo et terebintho, ita Ascanius inter duces.

136. *Oricia terebintho* „Oricos civitas est Epiri, iuxta quam nascitur terebynthus *nigrum* lignum habens, folia in buxi speciem." S.

137. Cervix crines accipit, si crines in collum decidunt; et simul crines nectuntur circulo aureo i. e. diademate. Ita Val. Fl. 2, 103 *tereti crinem subnectitur auro.* — *lactea.* Cutis candor comparatur apud Romanos poetas cum lacte, ut 8, 660. Sil. 4, 154. Nemes. E. 2, 80. Hor. C. 1, 13, 2, cum marmore G. 4, 523. Hor. C. 1, 19, 6. cf. Lucr. 5, 764, cum ebore et nive Ov. Am. 3, 7, 7.

138. *Molle aurum* est ductile, cf. 6, 848. Quod haec ad ornatum pueri adiiciuntur, putaverunt nonnulli ipsam comparationem huc pertinere, et componi capillos buxo, cervicem ebori. — Sed Ascanius comparatur cum ebore et gemma, Troiani cum terebintho et auro. — *subnectens* dat *Hs. Hn. Wg.* ed. mai. *Rb.*, *subnectit* dat *Ld. Wg.* ed. min.

139. *Magnanimae gentes* sunt Maeones, quibus ipsis dux est. Pro pronomine possessivo, quod per se intelligitur, aliquod maluit addere adiectivum. De Maeonibus cf. 8, 479. *Te quoque Anagninae* coni. *Pl.*

Volnera dirigere et calamos armare veneno,
Maeonia generose domo, ubi pinguia culta
Exercentque viri, Pactolosque inrigat auro.
Adfuit et Mnestheus, quem pulsi pristina Turni
Aggere moerorum sublimem gloria tollit,
Et Capys: hinc nomen Campanae ducitur urbi.
    Illi inter sese duri certamina belli
Contulerant; media Aeneas freta nocte secabat.
Namque ut ab Euandro castris ingressus Etruscis,
Regem adit et regi memorat nomenque genusque,
Quidve petat, quidve ipse ferat; Mezentius arma
Quae sibi conciliet; violentaque pectora Turni
Edocet; humanis quae sit fiducia rebus
Admonet, immiscetque preces: haud fit mora. Tarchon

140. *Vulnera dirigere* dixerunt Tac. Hist. 2, 35. Sil. 2, 92. „Aut vulnus pro sagitta posuit (cf. 2, 529) aut acerrime expressit inevitabiles sagittas, dicens eum vulnera, non tela dirigere.“ S. Id vere inest vocabulo. — *Calamus* de sagitta E. 3, 13. — *Calamos armare veneno* cf. 9, 773. Mos sagittas venenandi est etiam apud Graecos antiquissimos; cf. Hom. Od. 1, 261 sq. et Hercules sagitta venenata Nessum interfecit Ov. M. 9, 130. De Getis memorat Ov. Trist. 3, 10, 64. 5, 7, 16. de Parthis ipse Vgl. 12, 857 et Luc. 8, 304. de Cretensibus Vgl. 12, 857. de Scythis Lucian. Nigr. 37. de Afris Sil. 3, 272.

141. *domo* cf. 8, 141. *pinguia culta* cf. 8, 63.

142. *Exercere* ita ap. Hor. Ep. 2, 3 *paterna rura bobus exercet suis.* — Lydia erat admodum frugifera; Pactolus autem (nunc Sarabat) qui ex Tmolo per Sardes et in Hermum fluit, aurum (ψῆγμα χρυσοῦ πολύ, ramenta auri) secum volvere dicebatur cf. Strabo 13. 4, 5 p. 626, cuius tempore non iam inerat aurum. Midas autem, ut fabula est, quum omnia quae tangeret, in aurum mutaret, in Pactolo lavari iussus est, „in quem se quum iecisset, ferendi auri naturam flumini dedit, ipse destitit in aurum quae contingebat mutare“ S. Gratum est hoc: *irrigat auro.*

144. *aggere moerorum* cf. v. 24. — *pulsi Turni gloria.* Ad verba cf. 12, 219. Ad rem 9, 779 sq. *sublimem* MPRγ2bc — *sublimen* ded. *Rb.*

146. Capuam a Capye quodam Troiano conditam esse memorant etiam Ov. F. 4, 45, Luc. 2, 393; a duce aliquo Samnitium, qui Etruscos expulerint, a quibus urbs Vulturnum dicta fuerat, nomen alios deducere refert Liv. 4, 37, qui ipse a campestri agro dictam putat. Alia nominis derivandi conamina sunt in Servianis. — *hinc* cf. 8. 71. — „Interpolationis suspicionem v. 145 satis frigida de Capuae nomine notitia movet“ *Rb.* 1 p. 83. Sed tales et alii versus exstant cf. 1, 109.

146—162. Aeneas cum Etruscis sibi adiunctis sua castra petit.

146. *illi — contulerunt.* Haec verba complectuntur omnia, quae l. 9 et 10 iam narrata et quae absente Aenea ad castra facta sunt. Quod iam eam rem relicturus, et quae postea acciderunt, paulo post additurus est, plusquamperfecto utitur. Pergit in narrando imperfecto *secabat*, quo id tempus significat, quo illi certamina conferebant.

148. „Rem ante omissam breviter exsequitur.“ S. Aut v. 148 protasis est: *Simulatque castris ingressus* (est) et apodosis: *regem adit* etc. cf. 5, 362. Aut protasis est usque ad *preces*, et *iungit* est apodosis. — Dativus ab *ingressus* pendens est novum.

149. *regem* i. e. ducem, lucumonem, Tarchonem.

150. *quid ipse ferat* opum. Suas et Evandri copias enumerat.

151. *Mezentius arma quae sibi conciliet.* Turnum cum sociis suis se Mezentio coniunxisse cf. 7, 647, et quam violento animo sit Turnus edocet. — *Pectora edocet violenta* cf. 2, 549. De duplici structura v. *edocet* cf. 3, 180.

152. *humanis q. s. fiducia rebus:* Si ipsi nunc tuti sint, cogitare eos iubet, non semper eadem fortuna usuros, et facile posse exstinctis Troianis, adiuvante Turno in regnum suum redire Mezentium.

153. *Haud fit mora* plenum est hoc loco; saepissime solum *haud mora* ita dicitur cf. 3, 207. 548. 5, 140. 368. 6

Iungit opes, foedusque ferit; tum libera fati
Classem conscendit iussis gens Lydia divom,
Externo commissa duci. Aeneia puppis
Prima tenet, rostro Phrygios subiuncta leones.
Imminet Ida super, profugis gratissima Teucris.
Hic magnus sedet Aeneas, secumque volutat
Eventus belli varios; Pallasque sinistro
Adfixus lateri iam quaerit sidera, opacae
Noctis iter, iam quae passus terraque marique.
    Pandite nunc Helicona, deae, cantusque movete,
Quae manus interea Tuscis comitetur ab oris
Aenean armetque rates pelagoque vehatur.
    Massicus aerata princeps secat aequora Tigri,
Sub quo mille manus iuvenum, qui moenia Clusi,
Quique urbem liquere Cosas; quis tela, sagittae

177. al., et *nec mora* 5. 368 interiectum enuntiatum pro adverbiali *sine mora.* — *Tarchon* cf. 8, 603.

154. *Foedus ferire*, *icere* dicunt Romani, quod in foedere iungendo hostia feriebatur, icebatur. — *libera fati* MRal. — *fatis* vulgata et ita praescriptum ap. Serv. — Adi. c. genit. cf. 1, 14; et *liber* saepissime ap. poetas assumit genitivum cf. Hor. AP. 212 *laboris.* Luc. 4, 384 *curarum.* 6, 301 *legum.* 7, 818 *Libera fortunae mors est*, alios. Fato iam non impedita; prohibebatur enim a bello, nisi externo duce uteretur 8. 498 sq. „Ut *voti liber* is dicitur, qui solvit votum, sic *liber fati*, qui fecit, quod voluit fatum cf. 8, 499“ *Wg.*

155. *gens Lydia* cf. 8, 479.

157. *prima tenet;* primum locum tenet. Ita 5, 338. De verbo *tenere* cf. 8, 653. — „More viri fortis in principiis est.“ S. Viae etiam debebat esse dux. — In rostri utraque parte appicti sunt leones, ita ut capita eorum paene inter se contingant; et supra cernitur imago aliqua nymphae montis Idae. Rostrum autem erat in ima nave; poterat igitur imminere forma Idae nymphae. *Imminere* enim res quae supra sunt etiam alibi dicuntur cf. 1, 420. — *Subiuncta* est arcte coniuncta, ita ut quod subiunctum sit, quasi pars secundaria accedat. De acc. cf. 2, 273. — Neque mirum est, quod omisit Vgl. memorare 8, 548, unam navem relictam esse, in qua ipse Aeneas reverteretur; id enim opus fuisse facile intelligitur, neque quo in loco et quo tempore coniuncta sit Tuscorum classi dixit. Omisit etiam narrare alterius navis quae 8, 548 demittitur, in castra adventum. Nam duabus navibus Aeneas ad Evandrum advectus erat cf. 8, 79. Falsi sunt, qui navem a Tuscis Aeneae exstructam putant; nam neque tempus satis longum est ad navem exstruendam, neque Idam illam navi a Tuscis in Aeneae gratiam et honorem appictam esse probabile. Et hoc dicendum erat poetae.

158. Quod *profugis gratissima Teucris* ineptum putant additamentum *Hn. Pl.* errant. Nam Teucri fuerunt *fato profugi.* Ida autem, quae Teucris dilectae patriae memoriam revocat, gratissima.

160. Pallas admiratione Aeneae ita defixus est, ut nunquam ab eius latere decedat, et in omnibus rebus magistrum eum velit habere. Ita nunc de sideribus quaerit et qui noctis sit decursus. cf. Val. Fl. 7, 408 *nox suum peragebat iter.* Imprimis autem ipsius res gestas, quas imitetur, vult audire. — *passus* sc. sit cf. 4, 362.

163 — 165. Musae invocatio.

163. Idem v. in re eadem 7. 641.

166 — 169. Massicus.

166. Massicum fecit Tuscum aliquem, quum Massicus sit mons Campaniae, ut antea 7, 691 Messapi nomen formavit e nomine Messapia. Itaque non semper hominibus eiusdem terrae nomina dedit; neque nobis satis certum est, unde ea nomina sumpserit, utrum ipse finxerit, an alia ex historia aliqua transtulerit. Etrusci enim aliquando, sed non Aeneae tempore, in Campania dominabantur. — *Tigris* navis nomen et insigne cf. 5, 116. — *aerata* cf. 5, 198. — *princeps*, primus inter socios.

167. Clusium (Chiusi) iam antiquo tempore Romae foedere iunctum erat, et ex eo foedere bellum cum Gallis ortum est.

168. *Cosae* sive *Cosa* ad mare prope portum Herculis. Strabo 5, 2, 8 p. 225.

Gorytique leves humeris et letifer arcus.
Una torvus Abas: huic totum insignibus armis
Agmen, et aurato fulgebat Apolline puppis.
Sexcentos illi dederat Populonia mater
Expertos belli iuvenes; ast Ilva trecentos,
Insula inexhaustis Chalybum generosa metallis.
Tertius ille hominum divomque interpres Asilas,
Cui pecudum fibrae, caeli cui sidera parent,
Et linguae volucrum, et praesagi fulminis ignes,

A Romanis eo deducta colonia est a. u. 479. Fabio Claudio css. Vell. Pat. 1, 14. Liv. Ep. 14. Plin. 3, 58 *Cosa Volcientium* (a. u. 472 victorum) *a populo Romano deducta.* Rutilius vidit *antiquas nullo custode ruinas et desolatae moenia foeda Cosae* 1, 285, et narrat, quod ipse habet ridiculum, a muribus cives esse expulsos.

169. *Goryti* My. *Coryti* PR. Graece γωρυτός. — „Goryti proprie sunt arcuum thecae, dicuntur tamen etiam sagittarum, quas et pharetras nominamus.“ S. Ov. Tr. 5, 7, 15 *In quibus* (Sarmatis et Getis) *est nemo, qui non goryton et arcum*, telaque vipereo lurida felle gerat.

170 — 174. Abas.

170. *insignibus armis* etc. cf. 2, 392. 7, 656. Sed *insignia* hoc loco *arma* videntur dici, quod metallo abundant ex Ilva hausto.

171. *aurato Apolline*, deo navium tutelari, cf. 3, 527, qui est in puppi, quum insigne sit in prora.

172. *Sescentos* dat *Wg. Rb. Populonia mater:* Populonium in ora Etruriae in bello Sullano exstinctum; eius reliquiae prope urbem Piombino. *Populonii* ap. Liv. 30, 39. „Alii Populoniam Volaterranorum coloniam tradunt, alii Volaterranos Corsis eripuisse Populoniam dicunt.“ S. in alqt. — *mater*, patria, ut 7, 762.

173. *expertos belli*, peritos cf. Gr. §. 265, 2. — *Ilva* (Elba) et antiquitus cf. Pl. NH. 34, 14, 41 et adhuc ferri copia nota est. Sed ferrum liquatum est Populoniae, non in ipsa insula. — *Chalybes* cf. 8, 421.

175 — 180. Asilas.

175. *Interpres divum* dicitur 3, 359 Helenus, 4, 356 Mercurius, ap. Sen. Troad. 355 Calchas; plenius etiam hoc loco *hominum divumque interpres.* „*Interpres* medium est; nam et deorum quos interpretatur, et hominum quibus divinas indicat mentes, interpres vocatur.“ S. Omnino est qui dei alicuius voluntatem hominibus aperit, eam iis interpretatur. Sic *interpretes ostentorum* Cic. de div. 2, 53, 109, *exta interpretari* 12, 28.

176. *pecudum fibrae* „iecoris extremitates“ S. *In iecore extremum fibra* Varr. LL. 5, 79. Id certe *fibra* significabat haruspicibus, et *caput iecoris* quod dicebatur (lobus Spigelii) ante omnia ab iis considerabatur cf. Cic. l. l. 13, 32. Luc. 1, 627, quem locum a v. 585 contulisse non pigebit. „*Parent* autem est peritissime agnoscuntur.“ S. Cogit eas res, ut verum prodant. — Itaque Asilas et ex fibris pecudum et siderum ortu, statu et occasu, ex avium cantu et volatu, ex fulmine futura potest divinare. In Etruria autem omnis ars haruspicina florebat (de ea cf. 3, 360 sqq.), eaque arte maxime principes docebantur Cic. de div. 1, 41. Legg. 2, 9. Val. Max. 1, 1, 2., et vel Claudii tempore eam disciplinam retinebant Tac. An. 11, 15. Hinc etiam poeta Etruscum ducem haruspicem fecit. In Tusca autem divinatione fulminum praecipue doctrina exculta est, et *fulguratores* magno in honore erant, qui etiam fulmina se elicere posse gloriabantur Plin. 2, 53, 54 sqq. et ad quintum p. Chr. n. saeculum ea ars vigebat. Cf. Claud. in Eutr. 1, 12. Astrologia autem ab Asianis in Italiam videtur esse translata. Qui eam exercebant, *Chaldaei* Romae dicebantur. Ea describitur a Lucano 1, extr. Sed apud Tuscos iam antiquitus fuisse eam artem et multo ante, quam illi Chaldaei Romam implebant, ex hoc loco demonstratur, etsi alius qui idem probet non exstat. Sed si Druidae apud Gallos (Caes. BG. 6, 14. Mel. 3, 2.) siderum doctrinam habebant, si Tyrrhenos ex Asia, astrologiae quae est mater, immigrasse constat, si Tuscos omnium populorum divinationis legimus fuisse peritissimos et cupidissimos, nonne mirum, si ars, quae Virgilii tempore summo studio colebatur Romae, a Tuscis aut ignorata fuerit aut spreta?

Mille rapit densos acie atque horrentibus hastis.
Hos parere iubent Alpheae ab origine Pisae,
Urbs Etrusca solo. Sequitur pulcherrimus Astur,
Astur equo fidens et versicoloribus armis.
Tercentum adiiciunt — mens omnibus una sequendi —
Qui Caerete domo, qui sunt Minionis in arvis,
Et Pyrgi veteres, intempestaeque Graviscae.
Non ego te, Ligurum ductor fortissime bello,
Transierim, Cinyre et paucis comitate Cupavo,

178. *rapit*, ut 7, 725. — *densos acie* i. e. qui in acie densi pugnare solent, itaque milites gravis armaturae.

179. *Pisae* (Pisa) Alpheae dicuntur etiam a Rutilio Itin. 1, 565 et Claudiano Bell. Gild. 483, suntque *ab origine*, quod putabantur a Pisa urbe ad Alpheum in Elide sita eius incolae immigrasse. Sic Strabo 5, 2, 5. 222 *ἡ δὲ Πίσα κτίσμα ἐστὶ τῶν ἐν τῇ Πελοποννήσῳ Πεισατῶν*, eamque a militibus Nestoris conditam refert. Iustin. 20, 1 *Pisae in Liguribus Graecos auctores habent.* Vgl. sine dubio incolas habuit Nestore antiquiores. „Cato Orig. 1. *qui Pisas tenuerint ante adventum Etruscorum negat sibi compertum.*" S. Hoc in Servianis, ubi multae aliae de conditoribus exstant narrationes. Pisae, Populonia, Caere praecipuae videntur florente populo Etrusco fuisse urbes maritimae et mercaturam exercuisse. — *Etrusca* autem est *solo* urbs, quod est in Etruria sita. *Alphēaĕ ŏrigine* coni. *Lch.* rec. *Rb.* cf. §. 6. etsi in Mss. omnibus est *ab.*

180—184. Astur.

182. *Adiiciunt* Caeretani trecentos, quibus una est cupiditas sequendi et bellandi.

183. *Caerete domo.* De structura cf. 8, 114, de forma *Caerete* 597, de urbe 479. — „Fluvius est Minio." S. Ap. Rut. Itin. 1, 279 est *litus Minione vadosum.*

184. *Pyrgi:* „Hoc castellum nobilissimum fuit eo tempore, quo Tusci piraticam exercuerunt." S. Cf. Strab. 5, 2, 8. 226. Apud Rutil. Itin. 1, 223 *Pyrgi* dicuntur *nunc villae grandes, oppidum parvum prius.* — *Graviscae*, ad mare in humili et palustri loco sitae, „ideo Graviscae dictae sunt, quod gravem aerem sustinent." Cato ap. Serv. Hinc *intempestae.* Erat colonia Romana Vell. 1, 15, et Liv. 40, 29 *Colonia Graviscae eo anno deducta est in agrum Etruscum de Tarquiniensibus quondam captum.* Rutilii tempore erant *Graviscarum fastigia rara, quas premit aestivae saepe paludis odor* Itin. 1, 281. *veteres Graviscae* ap. Sil. 8, 475.

185—197. Cupavo, dux Ligurum.

186—88. Versus sunt desperatissimi. *Legitur Cinyrae* M, in quo saepius *ae* pro *e*; in aliis *Cinyre* quod rec. *Wg. Rb. Cinire, Cinere, Cycnoe, Cunare, Cumare;* legitur etiam *Cinyra, Cinera, Cyrina* et *Cinirus* et *tacite*, alia. Neque mirum, si in nomine ignoto librarii erraverunt. Inde ab Heinsio multi *Cinyra* receperunt, et *Ld.*, qui tamen eo in nomine corruptelam putabat esse. Hertzberg coni. *cydaris*, quum ap. Gell. 10, 25 *cydarum* genus aliquod sit navium. *Hff.* latere putat in *Cinyre* nomen urbis aliquod. Sic omnes VV. DD. recte in eo consentiunt in *Cinyre* subesse errorem. Memoratur aliquis Cinyras, rex Syriae, qui erat e gente Phaethontis, qui filius erat Tithoni, quem memorat Apollodorus 3, 14, 3 (qui videtur idem esse qui ap. Tac. H. 2, 3 condidisse dicitur templum Veneris Paphiae. Cf. de Cinyra Gierig ad Ov. M. 10, 298). Sed ad eum sua Virgilium retulisse quomodo probabis? In rebus autem et nominibus obscuris aperte et perspicue poeta rem debebat exponere. Quid igitur? Quum *te* et *ductor* unum aliquem esse demonstrent, mirum quod duo nominantur *Cinyras* et *Cupavo;* et quum Cinyras esset Ligurum ductor, quaeritur qui sint comites Cupavonis. Alii *Cinyra* ablativum esse putant, ut Cupavo Cinyra et paucis sit comitatus. Itaque et Cupavo et eius comes Cinyras, propter claritudinem memorati, aeque sunt obscuri. Paucis autem comitatus ut sit Cupavo, putant eum iuvenes excitasse, qui voluntarii militarent (*Gefolge* cf. 194). Notandum autem ante omnia, Cinyrae omnino mentionem Servium fecisse nullam; nam quae in Servianis leguntur, quae sunt de Cunaro, Piceni monte, non sunt in omnibus libris. Deinde Servii ad hunc versum exstare tantum: „*Cupavo*, o *Cupavo* et declinatur *Cupavo* sicut et *Cicero* et *Cato;*" unde apparet ipsum nomen Cupavonis ei fuisse obscurum, in reliquis autem

Cuius olorinae surgunt de vertice pennae,
Crimen amor vestrum formaeque insigne paternae.
Namque ferunt luctu Cycnum Phaethontis amati,
Populeas inter frondes umbramque sororum
Dum canit et maestum Musa solatur amorem,
Canentem molli pluma duxisse senectam,
Linquentem terras et sidera voce sequentem.
Filius, aequales comitatus classe catervas,
Ingentem remis Centaurum promovet; ille
Instat aquae, saxumque undis immane minatur
Arduus, et longa sulcat maria alta carina.
Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris,

verbis nullam fuisse difficultatem. Quare *Cunare et paucis* puto corrupta esse, non *Cupavo*, quae erat sententia *Pli*, qui scripsit: *Cinyra aequalis comitate catervas*; eamque sententiam confirmari meam puto, quod in voce *Cinyra* multo plura variata sunt, quam in nomine *Cupavo*, quod non fuit notius nomine Cinyrae. *Crimen amor vestrum: Pl.* coni. *Crinibus ornamentum*, satis humile. Spengel coni. *Crimen*, *Amor*, *vestrum formae* rec. *Rb. Crimen amor vestrum Ld.* ab alio putat illatum, totumque locum habet corrruptum. — Iam Cupavo galeam gerit pennis olorinis ornatam; insigne hoc eum a Cycno ducere originem; illae autem pennae ortae sunt ex amore vestro Cycne et Phaethon; nam constat Cycnum lugentem mortem Phaethontis in olorem esse conversum. Cupavo igitur est filius Cycni, regis Ligurum, cuius historiam legas ap. Ov. M. 2, 367. Sed restat difficultas in *Cinyre*, quod *Wg.* habet vocativum, explicat enim: Cupavo cum suis comitabatur catervas, quibus Cinyrus praeerat. Sed ex hac explicatione nec quis Cinyrus nec quis Cupavo fuerit, comperimus, nec plana fit structura. *Mv. Ciuire* nomen ex errore ortum putans, quod nos supra monuimus, coni. *sine re*, ut Liguris significaretur inopia, et *Amor* cum Spengelio intellexit deum. Intelligit igitur in *vestrum* et Amorem et Venerem, non significatam, quod non licet.

190. Phaethontis sorores „Phaetusa (sic Serv.) et Lampetusa eius interitum flentes deorum miseratione in arbores commutatae sunt; ut hic dicit in populos, ut in Bucolicis (E. 6, 62) in alnos.“ S. cf. Ov. l. l. v. 340. — *Umbramque sororum* „ambitiose dictum, pro inter arbores de sororibus factas. Et est unum de his quae habet Vgl. inimitabilia et sua propria.“ S. *Gt.* pro *sororum* coni. *sonoram*.

192. *Ducere canentem senectam* ut E. 9, 49 et Ov. M. 3, 485 *ducit uva colorem* et *ducere formam* M. 1, 402. et 8, 760 *rami pallorem ducunt*. Pluma alba inducitur canenti et albus color esse solet senectae. Apud Claud. 6. Cons. Hon. 170 Cycnus est *mutatus senex plumis*.

194. *Aequales c. classe catervas* „per naves aequaliter habens distributas catervas.“ S. Alii explicant: catervas Ligurum ipse Ligus, ut ad genus aequalitas pertineat. Melius puto referetur ad aetatem, ut qui comitantur Cupavonem lecti sint iuvenes. Sic *aequales catervae* eiusdem aetatis catervae sunt ap. Val. Fl. 7, 181. Iuvenes enim Ligures quum audirent bellum a Tuscis moveri, ut gloriam sibi pararent, eius volebant esse socii. Pro interpretamento attulit *Pl.* verba Dictyis Cretensis: Plena sunt haec: *Interim belli studio ardebat omnis Graecia; . . . quum iuventus partim sua sponte, alii aequalium ad gloriam aemulatione ad munia militiae festinarent.* 1 p. 16 ed. Amst.

196. *instat aquae*, imminet Centaurus qui est in prora, ac supra aquam elatus est, saxumque manu alte sublatum in mare proiecturus videtur. — Sic *super instat Scylla* in casside Sil. 5, 135. Centauri autem saepius navium videntur fuisse insignia, cf. 5, 122, et ap. Prop. 4, 6, 49 Antoniarum navium *prorae vehunt Centauros saxa minantes*.

197. Similis v. est 5, 158.

298—206. Ocnus, dux Mantuanorum.

198. *Ocnus* „Hic Mantuam dicitur condidisse, quam a matris nomine appellavit; nam fuit filius Tiberis et Mantus, Tiresiae Thebani vatis filiae, quae post patris interitum in Italiam venit.“ S. Sed Sil. 8, 600, qui Mantuam ante memoraverat, pergit: *Quondam comes in Laurentia bella Ocni prisca domus parvique Bo-*

Fatidicae Mantus et Tusci filius amnis,
Qui muros matrisque dedit tibi, Mantua, nomen,
Mantua, dives avis; sed non genus omnibus unum.
Gens illi triplex, populi sub gente quaterni,
Ipsa caput populis: Tusco de sanguine vires.
Hinc quoque quingentos in se Mezentius armat,
Quos patre Benaco velatus arundine glauca
Mincius infesta ducebat in aequora pinu.
It gravis Aulestes, centenaque arbore fluctum
Verberat adsurgens; spumant vada marmore verso.
Hunc vehit immanis Triton et caerula concha
Exterrens freta: cui laterum tenus hispida nanti
Frons hominem praefert, in pristim desinit alvus;

nonia Rheni; itaque apud eum Ocnus est Bononiensis. Idem tradit S: „Hunc Ocnum alii Auletis filium, alii fratrem, qui Perusiam condidit, referunt, et ne cum fratre contenderet, in agro Gallico Felsinam, quae nunc Bononia dicitur, condidisse, permississe etiam exercitui suo ut castella munirent, in quorum numero Mantua fuit. Alii a Tarchone, Tyrrheni fratre, conditam dicunt; Mantuam autem ideo nominatam, quod Etrusca lingua Mantum Ditem patrem appellant.“ (Sic dicuntur *Manes* et dea *Mania* cf. 12, 646.) Itaque recte Vgl. Ocnum suum, hominem Perusinum, Tiberis fecit filium. Cf. 5, 37. Sed Manto Thebana a Graecis illata est per soni similitudinem, ut Italorum narrationes saepius iam vidimus Graecis esse permutatas et depravatas.

199. *Mantus* „genitivus Graecus est.“ S.

201. *dives avis* „maioribus praepotens“ S. ut quae vel a Tarchone, Etruscae gentis conditore, originem ducere credebatur. — Sic *dives avis* Stat. Theb. 1, 392, *dives avorum* Sil. 8, 526. Cf. 7, 56. — *non genus unum:* „primum namque a Thebanis, deinde a Tuscis, novissime a Gallis, vel ut alii dicunt a Sarsinatibus (Umbris), qui Perusiae consederant.“ S. in alqt.

202. „*Gens illi* etc., quia Mantua tres habuit populi tribus, quae et in quaternas curias dividebantur; et singulis singuli Lucumones imperabant, quos in tota Tuscia duodecim fuisse manifestum est, ex quibus unus omnibus praeerat. Hi autem totius Tusciae divisas habebant quasi praefecturas, sed omnium populorum principatum Mantua possidebat.“ S. Quae si certum esset Servium ex historia hausisse, aliquid proficeremus. — *caput populis* cf. 2, 429.

203. *Tusco de sanguine vires*: Tusci igitur earum gentium tenent principatum; quae aliae gentes fuerint, nescimus. — Mantuam autem patriam suam Vgl. intulit, quod ea urbs aliquando Tuscorum trans Padum fuisse dicebatur propugnaculum. — Ac, si quisquam, de Mantuae prisca civitate certi aliquid potuit scire. Neque id sine consilio fecit, quod Ocnum in proeliis postea non commemoravit.

204. *in se armat* „odio sui in arma compellit.“ S.

205. „Benacus lacus“ (*Lago di Garda*) lacus est Venetiae, de quo fluvius nascitur Mincius (*Mincio*). Iure igitur dux Venetus fluvium provinciae suae depinxit in navi; quem Benaci filium, quia ex ipso habet originem, dicit.“ S. Mincius autem fluvius insigne est navis et depictus deus ad naturam, velatus arundine. Sic enim omnes fluvii pinguntur cf. 8, 31 et *tardis ingens flexibus errat Mincius et tenera praetexit arundine ripas* G. 3, 16.

207—214. Aulestes.

207. *Fluctus* est maris ut 3, 270. — *Aulestes* qui fuerit ignotum est, neque Aulestem et Auletem ad v. 198 memoratum eundem esse satis constat. Occiditur 12, 290. — *it gravis*, ob navis pondus. — *centena arbore* i. e. centum remis. Prop. 4, 6, 47 *Nec te quod classis centenis navigat alis Terreat.* De distributivo 5, 560.

208. *Verberare* de remorum impulsu cf. 5, 147. — *assurgens* cf. 5, 189. — *Marmor* de mari cf. 6, 729. — *verso* cf. 3, 290.

209. Tritonem descriptum legas ap. Ov. M. 1, 334 sq. Adde Pausaniam 9, 21, 1. Navis insigne erat Triton concha canens, supera pars homo, infera *piscis.*

210. *Tenus* cum genitivo ita G. 3, 53. Lucr. 3, 939. Cic. Arat. 83, 324. et Caelius ap. Cic. Fam. 8, 1. Liv. 26, 24.

Spumea semifero sub pectore murmurat unda.
Tot lecti proceres ter denis navibus ibant
Subsidio Troiae et campos salis aere secabant.
  Iamque dies caelo concesserat, almaque curru
Noctivago Phoebe medium pulsabat Olympum:
Aeneas — neque enim membris dat cura quietem —
Ipse sedens clavumque regit velisque ministrat.
Atque illi medio in spatio chorus, ecce, suarum
Occurrit comitum: Nymphae, quas alma Cybebe
Numen habere maris, Nymphasque e navibus esse
Iusserat, innabant pariter fluctusque secabant,
Quot prius aeratae steterant ad litora prorae.
Adgnoscunt longe regem, lustrantque choreis.
Quarum quae fandi doctissima Cymodocea
Pone sequens dextra puppim tenet ipsaque dorso
Eminet, ac laeva tacitis subremigat undis.

212. *spumea* etc. quod remis vehementer pellitur, unda spumat. Triton autem est in prora, ubi iam 5, 116 monitum est insigne fuisse; idque docet hic locus, nam ante navem fluctus secantem undam videmus spumare.

214. Troiae i. e. Troianis vel Troiae novae, ab Aenea structae. — *campos salis* i. e. mare (cf. 6, 724) *aere secabant*, cf. 1, 35.

Salebrosum hunc de Etruscis locum dicit *Ihn*, et re vera est difficilis propter rerum obscuritatem, ut in iis quae de Cupavone, de Mantua dicta sunt, et quod poeta omisit quae desideres. Sic Cupavonis et Aulestis ne patriam quidem dixit. Mirum igitur non est, si in obscuro loco variant neque explicationes interpretes proferre possunt probabiles. Vgl. adduxit socios ex ora maritima. Addidit Clusinos et Mantuanos. Hos cur memoraverit facile est dictu; an Clusinos ob illam caussam, quam v. 167 attuli, non est satis certum. Tarquiniorum rex videtur esse Tarchon, et Tarquinii, quod Otf. Müllerus docuit, prioribus Urbis saeculis potentissima civitas Etruriae fuit. Praeterea illam regionem ad Tiberim, ubi erant Tuscae urbes Capena, Falerii, Fescennium, Messapo, Turni socio, fecit parere, ut finem videatur habuisse Etruriae Ciminum montem, qui erat per longum tempus.

215—255. Nymphae, e navibus mutatae, Aeneae narrant qui sit rerum status.

215. Iam pergit narrare, quod versu 147 inceperat: *media Aeneas freta nocte secabat*; sed commemoratione rerum quas egerat Aeneas, sociorumque quos eduxerat, deflexit poeta; ad quod iam redit. Male turbatum est in hoc loco, quum diem de nocte dictum esse accipientes aut mutarent aut torquerent. Itaque eadem est nox v. 147 et 216 ea, quae Aeneae in castra adventui et deorum concilio et proelio, quo perit Mezentius, antecedit. *Pl.* coni. *Iamque decus caelo.*

216. *Phoebe* Luna est, ut Sol Phoebus. — *noctivago curru:* Ita Egnatius ap. Macr. 6, 5 noctivaga astra dixit. — *alma*, quod lucet cf. 1, 306. — *pulsabat* sonus currus vecti. Ita Ov. M. 6, 487 *equi pulsabant pedibus spatium declivis Olympi.* Itaque media est nox.

217. *membr. d. c. q.:* ita 4, 5.

218. *velisque ministrat* cf. 6, 302.

220. *comitum*, quia cum eo in Italiam venerant naves. Ida, qua ipse vectus est, non est mutata. *Cybebe* M. et alii. — *Cybele* vulg., sed Graecum est *Κυβέλη* et *Κυβήβη* et hoc loco Bacchius est.

221. *numen habere maris* cf. Ov. F. 2, 642 *Termine numen habes.* — *nymphas e navibus esse.* Cic. Part. Or. 17, 57: *Nihil est tam miserabile quam ex beato miser.* Ter. And. 1, 1, 10 *Feci ex servo ut esses libertus mihi.*

223. Cf. v. 9, 121. Quod prorae ad litus stant, non puppes, explicatur ex eo, quod in animo non erat Troianis ex Italia abire.

224. *lustrant choreis* i. e. circumnatant choreis, verbum de re sacra; cf. 7, 391.

225. *Cymodocea* inter Nereides est ap. Hes. Theog. 245 et ap. Sil. 7, 429 est *Cymodoce nympharum maxima natu Italidum.*

226. *Pone sequi* sic 6, 751.

Tum sic ignarum adloquitur: Vigilasne, deum gens,
Aenea? Vigila, et velis immitte rudentes.
Nos sumus, Idaeae sacro de vertice pinus,
Nunc pelagi Nymphae, classis tua. Perfidus ut nos
Praecipites ferro Rutulus flammaque premebat,
Rupimus invitae tua vincula, teque per aequor
Quaerimus. Hanc Genetrix faciem miserata refecit,
Et dedit esse deas aevumque agitare sub undis.
At puer Ascanius muro fossisque tenetur
Tela inter media atque horrentes Marte Latinos.
Iam loca iussa tenet forti permixtus Etrusco
Arcas eques. Medias illis opponere turmas,
Ne castris iungant, certa est sententia Turno.
Surge age, et Aurora socios veniente vocari
Primus in arma iube, et clipeum cape, quem dedit ipse
Invictum ignipotens atque oras ambiit auro.
Crastina lux, mea si non inrita dicta putaris,
Ingentes Rutulae spectabit caedis acervos.
Dixerat, et dextra discedens impulit altam,

228. *vigilasne deum gens:* „Verba sunt sacrorum; nam virgines Vestae certo die ibant ad regem sacrorum et dicebant: *vigilasne rex! vigila:* Quod Vgl. iure dat Aeneae, quasi et regi et quem ubique pontificem et sacrorum inducit peritum.“ S. Videtur sacris verbis assumptis poeta ipsius carminis aucturum fuisse gravitatem. At vero non id spectavit, ut Aeneas esset pro rege sacrificulo, sed gaudebat ad morem aliquem notum alludere, ut saepissime ex poetis Latinis singula vocabula aut totos paene versus sublegit, ut notum aliquid referens legentem afficeret dulci memoriae iucunditate. Cf. ad 8, 46 extr.

229. *velis immitte rudentes* cf. 8, 708.

230. Sic Ter. Eun. 3, 3, 24 *Ecquis hic? — Ego sum, Chremes. — sacro de vertice*, inde ipsae sacrae.

231. *perfidus* „qui post foedus bella commovet.“ S. cf. 7, 595.

232. *praecipites:* Quum nos quae praecipites, celeres sumus, premeret, v. *rupimus* i. e. ostendimus celeritatem nostram. Cf. 11, 213.

233. *invitae*, quum mallent naves Aeneae quam nymphae esse; quid quod nunc etiam Aeneam sollicitae quaerunt, ut acta nuntient. — *tua vincula*, quae tu nobis esse volebas. *Pl.* coni. *retinacula*, sane prosaicum.

235. *dedit esse deas* cf. 1, 66. — *aevum agitare*, ut *agere* dictum cf. 5, 51. Sic *agitare vitam* Avien. D. T. v. 423. 1090. 1144. et simplex *agitare* v. 282. 1063.

237. *horrentis* MRbc *ardentis* Pγl rec. *Ld. Rb.* „Ardentis multo et significantius de impetu hostium et magis proprium quam horrentis. Marte Latinos horrere insolentius dictum.“ *Rb.* 1, p. 311.

238. *tenet* PRγbc *tenent* M. rec. *Rb.* Utrumque bonum. Itaque Aeneas, quum ex urbe Caerete classem solveret, praemisit terra Tuscorum et Arcadum equites, qui iam ad statum locum pervenerunt. Noluit haec pluribus narrare. Neque in eo haerendum est. quod dictum non sit, quomodo illi Tiberim transierint. Ad Palanteum facile poterant amnem traiicere et alterum litus occupare: non coram Rutulis transitum parabant. Neque id putare quemquam poeta credidit. *Rb.* 1, p. 84 quod h. tandem l. memorat, neglegentiam habet poetae.

240. Ne se iungant Troianis Turnus cupit prohibere. Qui enim ex Pallanteo accedebant, ut Troiam pervenirent, Rutulorum castra praeterirent necesse erat.

243. *atque* etc.: De structura cf. 12, 944.; — De formula loquendi cf. Ov. M. 6, 101 *circuit extremas oleis pacalibus oras*, i. e. pingit in oris imaginem circumeuntibus oleas. *Pl.* delet *atque auro*. — *ignipotens* cf. 8, 628.

245. *caedes*, caesi cf. 11, 207.

Haud ignara modi, puppim. Fugit illa per undas
Ocior et iaculo et ventos aequante sagitta.
Inde aliae celerant cursus. Stupet inscius ipse
Tros Anchisiades, animos tamen omine tollit.
Tum breviter supera adspectans convexa precatur:
Alma parens Idaea deum, cui Dindyma cordi,
Turrigeraeque urbes, biiugique ad frena leones,
Tu mihi nunc pugnae princeps, tu rite propinques
Augurium, Phrygibusque adsis pede, diva, secundo.
Tantum effatus. Et interea revoluta ruebat
Matura iam luce dies, noctemque fugarat.
Principio sociis edicit, signa sequantur,
Atque animos aptent armis, pugnaeque parent se.
Iamque in conspectu Teucros habet et sua castra,
Stans celsa in puppi: clipeum quum deinde sinistra
Extulit ardentem. Clamorem ad sidera tollunt
Dardanidae e muris; spes addita suscitat iras;

247. *haud ignara modi*, ut quae navis fuerat, sciebat quomodo impelli deberet navis.

249. *Aliae* intelligo naves, quae praetoriam navem aequare contendunt, non *nymphas*, quae alias naves propellant, sicut Cymodoce Idam.

250. *stupet inscius* „rerum quas audierat." S. — *animos tollit* cf. 12, 4. — *omine:* Non quod victoria promissa est, sed quod tam celeriter navis fertur, sentit numinis auxilium.

251. *supera adspectans* MRλhc. — *super aspectans* RV rec. *Rb.* cf. 2, 755. — *supera* cf. 7, 562.

252. *alma parens:* „Alma proprie est tellus. . . Terram autem constat esse matrem deum." S. cf. 7, 136. — *Dindyma* cf. 9, 618.

253. *turrigerae urbes:* Cybele urbes dicitur prima condidisse, inde ipsa turrita est. cf. 6, 786.

254. *rite* de diis dicitur cf. 3, 36.

255. *propinques augurium*, propius admoveas i. e. secundes. *Propinquare* activum est Sil. 2, 281 *mortem licet arma propinquent*; et ap. Sall. Hist. 4. Tac. A. 12, 13. Adiuvat deus, si praesens est, cf. 1, 734. hinc tales preces. — *adsis pede secundo* ita 8, 302.

256—275. Aeneas in suorum conspectum pervenit.

256. *effatus* sc. est. cf. 5, 362. *ruebat* „oriebatur". S. cf. 6, 539. — *revoluta:* Volvitur enim dies per terram; atque quum in eundem locum unde decessit pervenit, revolvitur. — *revoluta ruebat*, pro revolvitur cf. 2, 169. *ruebat* MP1Rbc — *ru-ebat* γ — *rubebat* P2 rec. *Rb.*

258. *signa sequantur*, quae fuerint data. Non sunt hoc loco vexilla. Cf. 265.

263. *spes-iras* del. *Gr:* „das Zwischengeworfne stört". Vgl. schrieb bis *e muris.* Ein Anderer ergänzte *spes - iras;* kam ein Dritter und ergänzte von *e muris* an mit *quales - secundo;* kam ein Vierter und verband Beides mit Einschiebung von *tela manu iaciunt.*" Hoc est acumen. *Pl.* del. *spes - iaciunt.* Male locata esse et turbare visa sunt comparationem. Magis etiam turbaverunt haec verba, quod primo mane nondum Rutuli castra oppugnare viderentur, ita ut nec irae locus esset Troianis, nec hostes iam, in quos tela dirigerent. Id verissimum est; neque haec verba ferenda sunt, si a v. 256 novi diei res describuntur. At antequam eiiciamus, circumspiciendum est, num ea ratio recta sit. Haec enim verba si aberant aliquando, quis est, qui credat alium hominem loco ut videtur maxime alieno intulisse, quum nihil adesset, quod ad ea fingenda poterat adducere? Omnes deinde libri versum habent. Sed poeta iam pugnare cum Rutulis Troianos sumit, itaque conspecto Aenea magnaque eius classe auxiliari, laetum tollunt clamorem; simul irascuntur, quod se clausos videat Aeneas, quare omni vi tela in hostes coniiciunt, ut propellant. Incidit ei in mentem addere illam comparationem gruum.

Tela manu iaciunt: quales sub nubibus atris
Strymoniae dant signa grues atque aethera tranant
Cum sonitu fugiuntque notos clamore secundo.
At Rutulo regi ducibusque ea mira videri
Ausoniis, donec versas ad litora puppes
Respiciunt, totumque adlabi classibus aequor.
Ardet apex capiti, cristisque a vertice flamma
Funditur, et vastos umbo vomit aureus ignes;
Non secus ac liquida si quando nocte cometae
Sanguinei lugubre rubent, aut Sirius ardor;

264. Alte volant, unde *aeriae* dicuntur G. 1, 374.

265. *dant signa* sc. voce, sic 9, 394. — *tranant* de volatu cf. 6, 16. — Comparantur Troiani clamore exsultantes cum gruibus veris tempore ad sedes suas prope Strymonem (*Strymoniae*) redire laetantibus. *Notos* igitur non opus est mutare in *arctos*, quod fecit *Pl.*, aut explicare „ventos hibernos" ut *Hn.* Fugiunt enim grues notum sequentem, redeunt cum noto, qui nubes atras advehit verno tempore non minores quam arctus hiberno, In errorem adducti sunt, quod Homeri verba (Il. 3, 4 *κλαγγὴ γεράνων πέλει οὐρανόθι πρό, αἵτ' ἐπεὶ οὖν χειμῶνα φύγον*) Virgilium expressisse vel exprimere voluisse neque tamen satis aequasse putabant. Accedebat, quod 6, 301 similis est comparatio, ubi grues quod patriam relinquere coguntur tristes comparantur cum umbris ad inferos descendentibus. Neque animadverterunt, non volatum aut multitudinem, sed clamorem et cantum h. l. comparari.

267. Prius nesciunt Rutuli castra oppugnantes caussam clamoris; postea classem allabi vident. „Mirationem Turni de appropinquante classe (267—69) aptissime sequebatur v. 276 sq. fiduciam tamen non ei cessisse e. q. s. Sed quoniam simpliciter transponi haec non possunt (haec est medicina universalis) non absolvisse locum statuendus erit poeta." *Rb.* 1, p. 85. Sed nonne versus 270—75 etiam magis Turni movere poterant timorem? Deinde ne prima quidem versuum conceptione diversa iungit et perplexa versus suos structura turbat poeta, qui quidem sanus est.

269. *adl. classibus aequor.* Satis id magnum: *ipsum aequor adlabitur;* ratio qua allabitur, indicat abl. *classibus.* Itaque totum aequor tectum videtur navibus. De voce *allabi* cf. 3, 131.

270. *apex* „coni altitudo hoc loco." S. — *Capiti* locativus est cf. Gr. §. 275. — Neque tamen nego verba haec posse iungi sic: *apex capiti* (dativo cf. 1, 429) *ardet.* — *capitis* R et ap. Macr. *Gr.* delet *Ardet - caelum* v. 270—75.

272. Comparatur ardor clipei cum cometis, qui mali futuri signa sunt, et cum Sirio, qui dum lucet, tempestas ob nimium ardorem pestifera est. Nam non minus ille scuti et galeae ardor tristia portendebat Rutulis. — *Non secus ac si quando* ut 803 *ac velut si quando* cf. 4, 402.

273. *Sirius* adiectivum. ita *Sirius ardor* Colum. 10, 289. cf. 1, 686. Quomodo ex Sirio stella cognoscere sibi visi sint antiqui, salubrisne an pestilens futurus sit annus, docet Cic. Div. 2, 57, 130. Oritur heliace post solstitium 2, 44, 93. „circa Octavum Cal. Iul." S. ad 3, 141. — Itaque quum caloris caussa habeatur, qui est post eius ortum, calor autem morbos efficiat, ipsa stella pestilentiam videtur efficere cf. A. 3, 141 sq. Stat. Theb. I, 635 *et in totum regnaret Sirius annum* i. e. per totum annum erat pestilentia. — *lugubre* „pro lugubriter" S. cf. 8, 489. — *sanguinei*, rubro et tristi lumine cf. 7, 76. *sanguinei cometae.* Sic. ap. Sil. 1, 462 cometes sanguineum spargit ignem et ap. Claud. RP. 1, 231 *sanguineo delabitur igne cometes prodigiale rubens.* Quos locos si conferes, Virgilianum latius expositum deprehendes. Quod vero Vgl. contra antiquorum opinionem plures cometas lucere faciat, summus poeta summi oratoris se tuebitur exemplo, nam Cic. Div. 1, 11, 18 legitur *vidisti et claro tremulos ardore cometas*, ut simul eos apparere sumpserit, nec minus summi se tutabitur auctoritate philosophi; „Aristoteles enim tradit simul plures (cometas) cerni". Sic Plin. NII. 2, 25, 23 qui addit „nemini compertum alteri, quod equidem sciam." Deinde apud Ciceronem legitur: *stellis, quas Graeci cometas vocant, quae nuper bello Octaviano magnarum fuerant ca-*

Ille sitim morbosque ferens mortalibus aegris,
Nascitur, et laevo contristat lumine caelum.
Haud tamen audaci Turno fiducia cessit
Litora praecipere, et venientes pellere terra.
Ultro animos tollit dictis, atque increpat ultro;
Quod votis optastis, adest, perfringere dextra:
In manibus Mars ipse, viri. Nunc coniugis esto
Quisque suae tectique memor; nunc magna referto
Facta, patrum laudes. Ultro occurramus ad undam,
Dum trepidi egressisque labant vestigia prima.
Audentes Fortuna iuvat.
Haec ait, et secum versat, quos ducere contra,
Vel quibus obsessos possit concredere muros.
Interea Aeneas socios de puppibus altis
Pontibus exponit. Multi servare recursus

lamitatum praenuntiae ND. 2, 5, 14, ut eam rem etiam teste satis idoneo possimus firmare. Sed ut vana sint haec omnia, nonne est hoc iniuriam facere poetae, si alia extricamus, quam verbis insunt. Non dixit una nocte et Sirium et plures cometas se vidisse ardere, sed comparavit modo clipeum cum eo ardore qui solet esse Sirii et cometarum.

274. 75 His versibus additur caussa comparationis.

276 — 286. Turnus contra Aeneam aciem instruit.

276. Idem fere versus 9, 126.

278. Idem versus 9, 127. Hoc loco omittitur a MPγ; est in PR et? Si abest, omissum est *inquit*, cf. 4, 416. quod hoc loco durum est, id quod recte vidit Weichertus. Sed v. 278 delent *Wg. Pl. Rb. Ld*; defendit *Gr.*, qui eiicit v. 277. Nam „hinket erbärmlich nach.“ In ipsis versibus nihil inest quod damnandum sit.

279. *Votis optare* ut 4, 159. Vos castra oppugnantes vehementer optavistis, ut in aperto campo pugnandi facultas daretur; iam adest occasio. Neque tamen id optaverant, ut cum novis hostibus pugnarent, servatis iis, qui in castris erant. — *Perfringere* verbum militare.

280. *In manibus Mars*, pugna est, i. e. tenetur, tractatur; ita Cic. Rep. 2, 37 *Milites bellum illud, quod erat in manibus, reliquerunt.* cf. Caes. BG. 2, 19 *In manibus nostris hostes videntur.* Potest tamen pro diversis locis significare diversa. Sic hoc loco est: *Mars ipse*, omnis belli eventus, in manibus positus est, quum hostis non muris detineatur, neque aliis machinis aut fraudibus tegatur. Inde est exhortatio *virorum. Rb.* pro *viri* coni. *viris.*

281. *referto* MRγ2bc rec. *Hn. Wg. Ld. referte* Pγ1 rec. *Rb. Referre* est repetere facta maiorum. Cf. 5, 598.

282. *Ultro* „antequam nos aggrediantur“ *Wg.* cf. 312 et 12, 3 *Gt.* coni. *patrum. Audentes ultro.*

283. *dum trepidi* sc. sunt cf. 5, 362. — Ad rem cf. Liv. 34, 14 *dum trepidant acie instruenda;* itaque est hoc loco: Dum discursitant nondum ordine instructo necdum firmata acie. *Trepidus* enim et *trepidare* de quovis corporis motu concitatiore usurpatur qui oritur ex animo concitato, non solum de eo, qui fit timore. Sic *trepidus* est omnino aufgeregt, 3, 616. 4, 642. 9, 133. 11, 453. G 4, 69. 73. Inde *trepidus tumultus* 8, 4. et *spe trepidus* Luc. 7, 297. Sic *trepidare*, 12, 737. 4, 121 et Hor. C. 3, 27, 7 *trepidare tumultu* — *egressis* MP rec. *Rb. Ld. egressi* Rγbc rec. *Wg.* „Si *egressi*, figurate dictum est“ S. i. e. *vestigia* est accusativus qui dicitur Graecus.

284. Cf. Cic. Tusc. 2, 4 *Fortes fortuna adiuvat, ut est in vetere proverbio.*

285. Quamquam audaciam militis prae se fert verbis, factis etiam ducis comprobat prudentiam. Alios iubet castra obsidere, alios contra Aeneam instruit. Haec adversari putat *Rb.* versui 309, ubi *totam aciem* sumit esse omnem exercitum.

287 — 307. Aeneas cum sociis escendit.

288. *pontibus*, „scalis navium“ S. ad naves appositis et ad litus pertinentibus. His quum singuli ad terram pervenirent, alii moram non patientes, ubi unda relabitur, salt uper brevia ad siccum tendunt,

Languentis pelagi et brevibus se credere saltu,
Per remos alii. Speculatus litora Tarchon,
Qua vada non spirant nec fracta remurmurat unda,
Sed mare inoffensum crescenti adlabitur aestu,
Advertit subito proram sociosque precatur:
Nunc, o lecta manus, validis incumbite remis;
Tollite, ferte rates; inimicam findite rostris
Hanc terram, sulcumque sibi premat ipsa carina.
Frangere nec tali puppim statione recuso,
Arrepta tellure semel. Quae talia postquam
Effatus Tarchon, socii consurgere tonsis,
Spumantesque rates arvis inferre Latinis;
Donec rostra tenent siccum et sedere carinae
Omnes innocuae. Sed non puppis tua, Tarchon.
Namque, inflicta vadis, dorso dum pendet iniquo,

antequam nova unda subsequatur; alii remis nitentes.

289. *Languens pelagus.* Neque h. l. nec infra in *crescenti allabitur aestu* sermo est de fluxu (Fluth) et refluxu (Ebbe) qui inter se multis horis distant, sed de undis in aestu (Brandung) allabentibus et relabentibus.

290. *per remos* „scaphis" S. Id satis obscure dictum esset. — Recte „remis" pro contis littore infixis, quibus nixi in litus prosiliunt." *Hn.*

291. *spirant* Mb1 rec. *Hn. Wg. Ld. sperat* PRγb2c rec. *Rb.* et Serv. qui „Non sperant: legitur et *sperat*, quod et melius est. Nam dum vada esse non sperat, incidit in ea." Unde apparet eum legisse quod ex *spirant* corruptum est, *sperant*, idque suo Marte emendasse, ut aliqua esset sententia, quamvis falsa. Quid enim? Sperat ibi non esse vada, ubi unda non frangitur? — *Spirant* est aestuant ita G. I, 327 *fervetque fretis spirantibus aequor.* Itaque locum quaerit, ubi non ebullit et aestuat aqua, sed leniter ad litus allabitur et refluit, quod fit, ubi mare *inoffensum* est i. e. ubi vadum sensim submittitur. Ibi cupit Tarchon summa vi appellere vel naufragii periculo.

293. *proram socios* M2 rec. *Rb. Ld. proras socios* M1Pγbc rec. *Wg. prora socios* R. Cf. v. 297 ubi *puppim* Mγ1b *puppis* γ2c *puppes* PR.

294. *validis incumbite remis* cf. 5, 15.

295. *tollite* i. e. attollite strenue remigando remos. *Tollite*, *ferte* „ad celeritatem dictum est. *findite*, ut etiam terra ipsa quodammodo sentiat hostis adventum." S.

297. „*Statio* est portus temporalis. Nam *portus* est, ubi hiematur; sed modo statio siccum litus significat." Naufragium non curo, si modo terram ceperimus.

298. Sic *arripere* 9, 13.

301. *Siccum:* Ita G. 1, 363 *in sicco ludunt fulicae*, Luc. 5, 553 *siccum mergus amat.* — *Sedere* ut 6, 192 perfectum est verbi *sīdĕre*, non verbi *sĕdēre*. Id firmatur et optimis libris et Prisciani auctoritate 10, 5, 29. Sic perfectum *desedimus* 3, 565. *insedit* 11, 531; praesens 5, 136 *considunt transtris.* 10, 5 *tertis considere.* 7, 333 *obsidĕre fines.* 11, 516 *obsidam fauces bivias.* Tib. 2, 3, 41 *campos.* Facile enim tale verbum accusativum aliquem assumit; sic *subsidere* 11, 268, ubi plura exempla, *possidere*, *in Besitz nehmen*, Lucr. 1, 387, 965 *quem quisque locum possidit*; cuius verbi perfectum *possedisse* videtur formasse Cic. de Or. 1, 50, 218.

302. *innocuae* „innocuus est, cui non nocetur." S. Sic Claud. de IV. cons. Hon. 192 *Ventura potestas claruit Ascanio, subita quum luce comarum innocuus flagraret apex.* RP. 2, 349 *Pestiferi flumen Averni innocuae transistis aves.* Nemes. Ecl. 1, 45 *innocuae clauserunt tempora vitae.* Cf. 6, 715. — Sed Tarchonis navis dorso illisa i. e. inflicta, impacta pendet, diuque sustinetur i. e. non corruit, et fluctibus laborem facit, qui eam diruturae sunt (*hinc fatigat fluctus*). Tandem solvitur; (*frangitur*) homines mari laborantes et evadere conantes et navis fragminibus et unda a litore refluenti retardantur.

303. *vadis* MRγbcP2. *vadi* P1. rec. *Wg. Pl. Ld.* commate ante *dorso* sublato. Navis infligitur vadis et dorso pendet. „*Dorsum* est durior arena, quae remeantibus fluctibus et euntibus plerum-

Anceps sustentata diu, fluctusque fatigat,
Solvitur, atque viros mediis exponit in undis;
Fragmina remorum quos et fluitantia transtra
Impediunt, retrahitque pedem simul unda relabens.
Nec Turnum segnis retinet mora: sed rapit acer
Totam aciem in Teucros et contra in litore sistit.
Signa canunt. Primus turmas invasit agrestes
Aeneas, omen pugnae, stravitque Latinos
Occiso Therone, virum qui maximus ultro
Aenean petit: huic gladio perque aerea suta,
Per tunicam squalentem auro latus haurit apertum.
Inde Lichan ferit, exsectum iam matre perempta,
Et tibi, Phoebe, sacrum, casus evadere ferri

que densatur et in modum saxi durescit, quod a nautis *pulvinus vocatur.*" S. Simile erat 1, 110. Plin. Ep. 6, 31 *Eminet et apparet saxeum dorsum, impuctosque fluctus in immensum elidit et tollit.* — *pendet* cf. 1, 106 et Luc. 9, 337 *Pars sedet una ratis, pars altera pendet in undis.*

304. „*Anceps*, dum nec stat, nec cadit, nutans" *Wg. fluctus fatigat* resistendo. Tandem solvitur.

305. *Pl.* pro *solvitur* vult *volvitur*, „nam navis tam cito frangi et solvi non poterat." (?)

307. Tandem ad litus perveniunt. Id non opus erat narrare. „*Pedem* M2b2 poetice dictum aptius quam *pedes* in plerisque legitur MIPRγb1c; in archetypo fuerat *pedēsimul*" Rb. 1. p. 337.

308—361. Acris in litore pugna accenditur.

308. *rapit* ut 7, 725. — *rapit acer* iungas cf. 6, 137. *Acer* autem est strenui bellatoris. Sic *acer Coras* 7, 672. *Romulus* 8, 340. *Aeneas* 441. *Turnus* 614. *Messapus* 11, 518. *Atinas* 869. *bellis acer Halaesus* 10, 411. *Pelops acer equis* G. 3, 8.

309. *Totam aciem* i. e. omnes eas, quas Aeneae opponere sibi proposuerat, copias uno impetu adducit. cf. 285.

310. Romani quum sonum tubae rem primariam haberent; non, qui eum tuba edit, tubicinem, sed ipsa signa canere saepe dixerunt. Plene dixit Sall. Iug. 99: Marius iubet *tubicines simul omnes signa canere*, quum paulo ante *signa canere* legatur. — *Turmas* dixit Vgl. h. l. peditum, quum sint equitum ubique et apud ipsum poetam cf. 5, 550. 11, 503. 518. 598. 620. — *Agrestes* iidem *sunt*, qui 311 Latini, qui occiso Therone in fugam vertuntur cf. 8, 8.

311. *Omen pugnae* oppositum ad *stravit Latinos*. cf. 11, 76 „Ideo omen, quia sicut nunc, sic ubique vincit Aeneas." S.

313. *perque* — *per*. Solet Vgl., quando duas res ita iungit, ut eodem eas vocabulo opponat, quo magis eas cohaerere indicet, primo loco addere copulam. Sic *que* 369. 7, 75. 12, 548. adde 11. 171. ubi vel alia accedit particula copulativa. Sic *et* 7, 327. 516. 8, 91. *Ve* ita usurpari non constat cf. 3, 88.

314. Lorica est suta aereis lamellis; ei subest tunica, cuius pars inferior lorica non tecta potest conspici, ut auro intertextam eam esse appareat. Sic Stat. Theb. 3, 585 *aerea suta thoracum tunicam squalentem auro* item 12, 87. G. 4, 91 *maculis auro squalentibus ardens*. Claud. Nupt. Hon. 150 *vivo squalentia murice terga*. cf. Gell. 2. 6. — *squalentem auro* „splendentem, Id significat copiam densitatemque auri in squamarum speciem intexti. *Squalere* enim dictum est a squamarum crebritate asperitateque, quae in serpentium pisciumque coriis visuntur." S. in alqt. — *latus haurit*. Comparatio est ab eo, quod hauriendo in vas penetratur. Sic *haurire latus* vel hominem dicitur et ipse ensis, ut 2, 600 (ut *hasta bibit cruorem* 2, 804) et qui perforat, sic Ov. M. 5, 126, *latus ense haurit* Sil. 5, 524, *femur* Ov. M. 8, 371, *ventrem* Liv. 7, 10. Sic *sanguinem haurire* dixit Liv. 22, 51. 26, 13. 7, 24 *In belluas strinximus ferrum; hauriendus aut dandus est sanguis.* Cic. Sest. 24, 54 *ad meum sanguinem hauriendum advolaverunt.* Claud. in Eutr. 1, 482 *cruorem ensibus hausit.*

317. *ferri* sc. medicorum.

316. „*Et tibi Phoebe sacrum.* Omnes qui secto matris ventre procreantur, ideo sunt Apollini consecrati, quia deus medicinae est, per quam lucem sortiuntur.

Quod licuit parvo. Nec longe, Cissea durum,
Immanemque Gyan, sternentes agmina clava,
Deiecit leto: nihil illos Herculis arma,
Nec validae iuvere manus, genitorque Melampus
Alcidae comes usque, graves dum terra labores
Praebuit. Ecce Pharo, voces dum iactat inertes,
Intorquens iaculum clamanti sistit in ore.
Tu quoque, flaventem prima lanugine malas
Dum sequeris Clytium infelix, nova gaudia, Cydon,
Dardanea stratus dextra, securus amorum,
Qui iuvenum tibi semper erant, miserande, iaceres,
Ni fratrum stipata cohors foret obvia, Phorci
Progenies; septem numero, septenaque tela
Coniiciunt; partim galea clipeoque resultant
Inrita, deflexit partim stringentia corpus
Alma Venus. Fidum Aeneas adfatur Achaten:
Suggere tela mihi; non ullum dextera frustra
Torserit in Rutulos, steterunt quae in corpore Graium
Iliacis campis. Tum magnam corripit hastam,
Et iacit; illa volans clipei transverberat aera
Maeonis, et thoraca simul cum pectore rumpit.

Caesarum etiam familia ideo sacra retinebat Apollinis, quia qui primus de eorum familia fuit, exsecto matris ventre natus est." S. „Auspicatius enecta matre giguuntur, sicut Scipio Africanus prior natus, primusque Caesarum a caeso matris utero dictus." Plin. NH. 7, 7, 9. Sic ipse Aesculapius ab Apolline servatus est. Ov. M. 2, 628. Cf. 11, 768.

317. *Quod* MP1γ2b *quo* P2γ1 *cui* Rc *quo l. parvo? Rb.* „*Nec longe* pro *nec multo post*, adverbium loci pro temporis, antique." S. Exempla sunt in lexicis etiam non antiqua, ut Quintiliani, Gellii. — Cisseus et Gyas Melampodis filii, qui fuerat Herculis comes, in eius honorem clava utuntur. Hominum occisorum, ut languorem fugiat, et originem et ornatum et fata et res gestas summo studio variavit. Hi sunt, ut Aventinus, ex illo Herculis per Italiam itinere orti.

319. *deiecit leto* cf. 2, 398.

321. *Labores praebuit* nove dixit quum bona praeberi dicantur." S.

322. „*Ecce Pharon*; legitur et *Pharo* (*Pharo* suprascripto *n* Mγ *Pharon* perfossa *n* in P.) dativus ab eo, quod est *Pharus*. Si autem *Pharon* legeris, figuratum est. Nam de nominativo transiit ad dativum *clamanti*." S. Post haec quid scripserit Vgl. difficilius est dictu. Pharo autem clamanti iaculum sistit in ore, ut iam clamare desinat. — *voces inertes:* Nihil enim voce opus est in proelio, sed manu. *clamantis* MPγc potuit nasci ex *clamanti sistit* cf. 2, 755. Attamen nonne sic scripsit Vgl. et intellexit: Dum Pharon sive Pharo voces iactat, clamantis in ore iaculum sistit?

325. *Cydon*, qui sequitur Clytium puerum pubescentem. — „*Nova gaudia*, ergo quem tum primum amare coeperat." S.

326, *securus amorum*, non amplius curaturus in morte. — Defensum eunt Cydonem Phorci filii.

327. *miserande* „pro miserandus." S. Cf. 12, 947.

328. *cohors* cf. 11, 500.

329. *septena tela*, recte, iaciunt enim simul eodem tempore septem. cf. 5, 85.

331. Recte monuit Servius, non esse haerendum in Veneris auxilio. Neque enim Iuppiter deos suis auxilium ferre vetuit, sed nulla iam se ipsum misericordia motum iri et ad fata se omnia exacturum minatus est.

334. *steterunt quae in c. Gr.*; Habes bellatorum usu gloriantem. — *corpore* sing. pro plur. cf. 9, 721. — *torserit* cf. 6, 89.

337. Maeonem occidit, traiecto per clypeum et thoracem et pectus iaculo. — *thoracem cum pectore rumpit* cf. 2, 72. — Cadenti succurrit Alcanor eumque sustentat, sed alia hasta Aeneae per lacertum iacitur, neque eo retardata vel ultra procedit. Dextra autem ut mori-

Huic frater subit Alcanor, fratremque ruentem
Sustentat dextra: traiecto missa lacerto
Protinus hasta fugit, servatque cruenta tenorem;
Dexteraque ex humero nervis moribunda pependit.
Tum Numitor iaculo fratris de corpore rapto
Aenean petiit; sed non et figere contra
Est licitum, magnique femur perstrinxit Achatae.
Hic Curibus, fidens primaevo corpore, Clausus
Advenit, et rigida Dryopem ferit eminus hasta
Sub mentum, graviter pressa, pariterque loquentis
Vocem animamque rapit traiecto gutture; at ille
Fronte ferit terram, et crassum vomit ore cruorem.
Tres quoque Threicios Boreae de gente suprema,
Et tris, quos Idas pater et patria Ismara mittit,
Per varios sternit casus. Accurrit Halaesus,
Auruncaeque manus; subit et Neptunia proles,
Insignis Messapus equis. Expellere tendunt
Nunc hi, nunc illi; certatur limine in ipso
Ausoniae. Magno discordes aethere venti
Proelia ceu tollunt animis et viribus aequis;
Non ipsi inter se, non nubila, non mare cedit;
Anceps pugna diu; stant obnixa omnia contra:
Haud aliter Troianae acies aciesque Latinae
Concurrunt, haeret pede pes densusque viro vir.

bunda dependet nervis, nam os fractum est. Non licet una hasta et Maeonem et Alcanorem confossos intelligere. Nam ut mittamus vim immanem, qua iacta esset hasta, labenti i. e. iam transfosso succurrit Alcanor, et Numitor e Maeonis corpore hastam eripit; nam quae Alcanorem vulneraverat hasta avolavit. *Pl.* qui desiderat indicari etiam esse hastam, quae Alcanoris lacertum perforaverit, id quod facile intelligitur, scribi vult *adducto nova missa lacerto* (sc. Aeneae) *protinus* etc. et sic omittitur narrari, eam bastam *vulnerato* Alcanore, *cruentam* servasse tenorem suum, id quod opus erat narrari.

339. *traiecto lacerto*: per quem hasta iacta est cf. 1, 355.

A versu 345 et certamen cum Phorci filiis persequi omittit et ipsum Aeneam silet; transit ad alios, ut narrando imago reddatur proelii.

345. *Clausus* cf. 7, 706. — *Curibus* sc. ortus cf. 4, 36. — *Curibus* Mss. — *curribus* R. et in M. post *fidens* dicitur interpungi. Videntur haec ex nomine proprio male intellecto esse orta. — *Primaevo corpore* cf. 7, 162 *primaevo flore iuventus* Sil. 16, 406. *confisus primaevae flore iuventae*. Val. Fl. 2, 653. *centumque pares primaeva ministri corpora.*

346. *rigida* „tenens eam, non vibrans et iaciens" S. Sic *rigidus ensis* 12, 304. Ov. M. 3, 118.

350. Inter *tris* et *tres* h. l. variasse memorat poetam Gell. 13, 19. — *De gente suprema* cf. 7, 220. Boreae erat, qui ad Boream auctorem genus suum referebat. Boreas Thracum rex fuerat, quos Troianis auxilium tulisse narratum est Hom. Il. 2, 844.

351. „Ismara civitas Thraciae a monte Ismaro." S. Cf. 5, 620.

360. *ceu* — *haud aliter*, ita 9, 797. *ceu sic* infra v. 729.

361. Similes loci sunt ap. Hom. Il. 13, 130. Furius Bibaculus ap. Macr. Sat 6, 3 *pressatur pede pes, mucro mucrone, viro vir.* Sil. 4, 356 *pes pedem premit.* — „*pede* pro pedi." S. Dativum in *e* exeuntem certe Virgilii tempore non in usu fuisse cf. Gr. §. 85, 2. Est igitur *pede* ablativus et *pes* pugnantis *haeret* sive impeditur *pede* adversarii quominus pergat. Sic *haerere* c. abl. Ov. M. 12, 95. 12, 95 *haesurum clipei curvamine telum.* Luc. 1, 507 *nec limine quisquam haesit.* — *viro vir* ut 734 et 11, 632 *virum vir* cf. 1, 684.

At parte ex alia, qua saxa rotantia late
Impulerat torrens arbustaque diruta ripis,
Arcadas insuetos acies inferre pedestres
Ut vidit Pallas Latio dare terga sequaci,
Aspera quis natura loci dimittere quando
Suasit equos, — unum quod rebus restat egenis,
Nunc prece, nunc dictis virtutem accendit amaris:
Quo fugitis, socii? per vos et fortia facta,
Per ducis Euandri nomen, devictaque bella,
Spemque meam, patriae quae nunc subit aemula laudi,
Fidite ne pedibus. Ferro rumpenda per hostes
Est via, qua globus ille virum densissimus urguet.
Hac vos et Pallanta ducem patria alta reposcit.
Numina nulla premunt; mortali urguemur ab hoste
Mortales; totidem nobis animaeque manusque.
Ecce, maris magna claudit nos obice pontus;
Deest iam terra fugae: pelagus Troiamne petemus?

362—438. Pallas fortitudine excellit.

362. Ab alia parte equites Arcades pugnant. Verba sic intellige: Ut vidit Pallas Arcades terga dare, virtutem accendit. Additur locus in quo, et ratio qua id fiat. Torrens aliquis in Tiberim defluens saxa et arbusta secum ducta in alveo reliquerat; qua loci in quo pugnaverant iniquitate coacti equites equos dimiserunt et pedites pugnaverunt; cui pugnae generi non adsueti pelluntur a Latinis. — *rotantia* participium intransitivum cf. 1, 233.

365. *Latio* Latinis cf. 2, 193. *Sequaces* sunt qui cupidi sequuntur.

366. *Quando*, siquidem. Et est Romanae militiae. Nam in locis impeditis equos comitibus dabant et pedestri certamine confligebant." S. „Verum puto: *Arcadas pedestres (Aspera equos natura loci dimittere suasit.) Ut vidit ... sequaci, Nunc prece*" Pl. et eiicit *quando* et *unum — egenis*, et *equos* in locum vocis *quis* infert. *Mv.* coni. *Aspera aquis* „Natura loci aquis torrentis, saxis passim iactis aspera facta erat."

367. Hoc unum restabat duci, ut et benevole et amare dictis suos accenderet. Aus diesen Worten kann man schliessen, dass Pallas erst in dem Augenblicke zu den Arcadern gelangt, wo diese zu fliehen beginnen. *Ld.* cf. 378.

369. *Pl.* coni. *per vos ego fortia* et postea *per decus Euandri et nomen* — De *perque* — *per* cf. 313.

370. *devicta bella*, „exhausta, finita" S. Sed *vincere rem* aliquis dicitur etiam, in qua vincit. Sic *vincere iudicium* Cic. Verr. 1, 1, 53, 139. *sponsionem* Caec. 31. 91. pro *vincere iudicio* RC. 18, 53. *sponsione* Quint. 27, 84. Sic *caussam vincere* est Ov. Her. 16, 76. *victor belli* Vell. 2, 55. Cf. Gr. §. 294, 2. Orta est haec formula ex illa *vincere victoriam*.

371. *subit*, succedit, qua laudi patris parem sibi paraturus est.

374. *Patria*, (locus in quo postea Roma) poscit et me et vos ea via grassari, ubi hostes densissimi sunt, atque sic reverti. — *patria alta*, nobilis et clara antiquorum rebus gestis cf. 4, 97. *Pl.*: „Epitheton *alta* est languidum" ... „Dum alii meliorem coniecturam proponunt, affero hanc: *Hac. v. e. P. d. Troia altera* (Nonne hoc languidius?) *poscit.*

375. *mortali urguemur ab hoste.* Sic Gestar, Poenus, bellum cum Romanis suadens dicit ap. Sil. 2, 338 *mortalem sumimus hostem.*

377. *magna obice:* „Modo usus habet ut *hic obex* dicamus; unde quidam *magno obice* legunt. Antiqui etiam *haec obex* dicebant." S. Cf. 4, 462.

378. Iam non restat terra, quo fugiamus; intercludimur mari. Quid autem estis petituri. mare an Troiam. Nonne Troiam contendere voluistis? Itaque per medios hostes eo perveniendum est, non ad mare aufugiendum. Ex versu enim 239 apparet Arcades *castris* Troianorum iam priore die se iungere voluisse, sed impeditos esse a Turno; (in quo miramur, quod Turnus non ultro Arcades abegerit) iam Aenea adventante impetum in Rutulos fecisse sed repulsos esse in locum equitibus iniquum. Neque absolutum Vgl. h. locum reliquit; omisit enim monere, quomodo Pallas, qui in Aeneae navi ad-

Haec ait, et medius densos prorumpit in hostes.
Obvius huic primum, fatis adductus iniquis,
Fit Lagus: hunc, magno vellit dum pondere saxum,
Intorto figit telo, discrimina costis
Per medium qua spina dabat; hastamque receptat
Ossibus haerentem. Quem non super occupat Hisbo,
Ille quidem hoc sperans; nam Pallas ante ruentem,
Dum furit, incautum crudeli morte sodalis
Excipit, atque ensem tumido in pulmone recondit.
Hinc Sthenium petit, et Rhoeti de gente vetusta
Anchemolum, thalamos ausum incestare novercae.
Vos etiam gemini Rutulis cecidistis in arvis,
Daucia, Laride Thymberque, simillima proles,
Indiscreta suis gratusque parentibus error;
At nunc dura dedit vobis discrimina Pallas:
Nam tibi, Thymbre, caput Euandrius abstulit ensis;
Te decisa suum, Laride, dextera quaerit;
Semianimesque micant digiti, ferrumque retractant.
Arcadas accensos monitu et praeclara tuentes

vectus est v. 160, ad equites suos, qui terra advenerant v. 239, pervenerit; deinde quomodo factum sit, ut qui terra advenerint, ad extremum mare pugnent, quem in locum non videntur pervenire potuisse, nisi et Troianorum et Rutulorum castra praeteriissent. Neque id potest sumi equites ad dextram ripam Tiberis positos exspectasse naves, quibus in sinistram ripam traiicerent. Iam enim v. 239 Arcades oppositi sunt Rutulis. Neque hi possunt esse in ripa dispositi; nam si essent, iam adventante Aenea Rutuli ripas tenuissent, quas occupant demum v. 276. 308.

383. *receptat*, „frequenti concussione divellit" S. cf. 9, 348.

384. Hisbo sodalis mortem ulturus prae ira incautus accedit, quare et ipse caeditur ense pectore recepto.

385. *ille — sperans* cf. 1, 3.

387. *excipit incautum* cf. 3, 332.

388. *Sthenium* MPγc *Sthenlum* R. *stenclum* b *Sthenelum* in malis Mss.

389. *Anchemolum*: „Haec fabula in Latinis nusquam invenitur auctoribus. Avienus tamen, qui totum [Virgilium et] Livium iambis scripsit, hanc commemorat, dicens Graecam esse. Rhoetus ergo Marrubiorum rex fuerat in Italia, qui Anchemolo filio Casperiam superduxit novercam; hanc privignus stupravit. Quo cognito, cum eum pater persequeretur et ad poenam vocaret, fugiens ille se ad Daunum contulit," S. Turni patrem.

391. Larides et Thymber fratres, Dauci cuiusdam filii, ea erant similitudine, ut parentes non possent discernere et eo errore gauderent. — Versus 393 — 5 imitati sunt Luc. 3, 603. Sil. 2, 636.

392. Val. Fl. 1, 368 *nec potuit similes voluitve* (sc. mater) *ediscere vultus*. Claud. de IV. cons. Hon. 209 *iuvat ipse Tonantem error et ambiguae placet ignorantia matri*.

394. *Thymbre* „pro Tymber; metri causa metaplasmum fecit. — *Ev. abst.* cus. possessivum est modo, non patronymicum." S.

395. *Suum dextera quaerit etc.*, ita ut in manu decisa etiam sensus sit. Cf. similem locum Ov. M. 6, 560 *Ut . . . mutilatae cauda colubrae palpitat et moriens dominae vestigia quaerit*. — *quaerere* cf. 1, 217.

396. *micant digiti*. *Micare* de omni celeri motu, quo quid subito apparet et evanescit, maxime de luce subita, quam ut exempla afferam, mittit fulmen 1, 90. 8, 392 ensis. 7, 743 stellae; inde aera micant 2, 734. et ipsum caelum micat Val. Fl. 2, 55; sed etiam de aliis rebus; inde *emicare* homines dicuntur, qui subito exsurgunt animo vehementer commoti cf. 5, 319. — Imprimis autem digiti micare dicuntur et *micare digitis* ludus ille erat, etiamnunc Italicis notus, Mora dictus. cf. Calp. Sic. 2, 26. — *ferrum retractant*, rursus arripiunt, ut 7, 694 e Liv. 2, 30 *retractare arma*.

Facta viri, mixtus dolor et pudor armat in hostes.
Tum Pallas biiugis fugientem Rhoetea praeter
Traiicit. Hoc spatium, tantumque morae fuit Ilo.
Ilo namque procul validam direxerat hastam:
Quam medius Rhoeteus intercipit, optime Teuthra,
Te fugiens; fratremque Tyren; curruque volutus
Caedit semianimis Rutulorum calcibus arva.
Ac velut optato ventis aestate coortis
Dispersa immittit silvis incendia pastor,
Correptis subito mediis extenditur una
Horrida per latos acies Volcania campos;
Ille sedens victor flammas despectat ovantes:
Non aliter socium virtus coit omnis in unum,
Teque iuvat, Palla. Sed bellis acer Halaesus
Tendit in adversos, seque in sua colligit arma.
Hic mactat Ladona Pheretaque Demodocumque;
Strymonio dextram fulgenti deripit ense
Elatam in iugulum; saxo ferit ora Thoantis,
Ossaque dispersit cerebro permixta cruento.
Fata cavens silvis genitor celarat Halaesum;
Ut senior leto canentia lumina solvit,

398. *dolor et pudor etc.*: Simile v. 870.

400. Pallas Rhoeteum biiugis praeterfugientem, ut evaderet fratrum manus Teuthrae et Tyrae, telo traiicit, quo Ilum petierat. *Pl.* coni. *Hoc spatii tantum atque morae fuit Ilo.* Rhoeteus decidit de curru, simulque calcibus caedit terram ut moribundus.

401. *direxerat* M2Pγbc *derexerat* M1R rec. *Rb.*

405. *optato* i. e. ex voto. De structura cf. 5, 127. Aestate, quando maxima est siccitas, ubi accedit ventus, incendium facile crescit. Pro *silvis* malebant legi *stipulis.* Stipulas enim agri demessi incendere solebant agricolae, ut redderent agrum fertiliorem cf. G. 1, 84 *Pl.* 18, 30, 72 *Sunt qui accendant in arvo et stipulas, magna Virgilii praeconio.* Ov. M. 1, 492. Sed incendebantur etiam pascua in montibus, ut gramen mollius effloresceret cf. Luc. 9, 182. Deinde *silva* dicitur quidem de leguminum calamis G. 1, 76. de herbis 152, sed ita, ut ex ipsis locis appareat, qualis sit silva, quod hoc loco non est. Nescio tamen quid impediat arborum intelligere silvas. Quod multis locis factum scimus, ut silvae incenderentur, ut agriculturae locus fieret; sic etiam antiqui videntur ligni non ita parci fuisse. Firmat hoc Lucr. 5, 1241 sq. cf. 12, 521. Adde quomodo in agris virgultis consito versati sint Hor. Ep. 2, 2, 186 *silvestrem flammis et ferro mitigat agrum.* Pallad. 8, 1. *Iulio mense silvestres agri utilissime exstirpabuntur arboribus atque virgultis, quum luna decrescit, desectis radicibus atque combustis.* — Ut talia incendia tandem in unum coeunt, ita omnes ad Pallantem se adiungunt.

406. *dispersa*, nam diversis locis incendit.

408. *horrida acies Vulcania* duplex adiectivum, cf. 5, 24.

409. *ovantes* „abusio est, non proprietas" S. cf. v. 690. — *victor* cf. 2, 329.

412. *in sua colligit arma* cf. 12, 491.

415. *elatam in iugulum* „iugulo suo vulnus minantem." S.

416. Ov. M. 5, 58 *et fractis confudit in ossibus ora.*

417. Halaesum pater abscondit, quem sciret bello interiturum; sed eo mortuo in bella profectum Parcae statim sibi vindicarunt et morti dederunt. cf. 7, 723. *canens* MRbcγ — *canent* correctum in *canens* P. „Alii *cavens* legunt" S. quod placet et placuit *Wgo. Plo. Ldo.* rec. *Rb.*

418. *leto canentia l. solvit*: „Dicuntur enim pupillae mortis tempore albescere." S.

Iniecere manum Parcae, telisque sacrarunt
Euandri. Quem sic Pallas petit ante precatus:
Da nunc, Thybri pater, ferro, quod missile libro,
Fortunam atque viam duri per pectus Halaesi:
Haec arma exuviasque viri tua quercus habebit.
Audiit illa deus: dum texit Imaona Halaesus,
Arcadio infelix telo dat pectus inermum.
At non caede viri tanta perterrita Lausus,
Pars ingens belli, sinit agmina: primus Abantem
Oppositum interimit, pugnae nodumque moramque
Sternitur Arcadiae proles, sternuntur Etrusci,
Et vos, o Graiis imperdita corpora, Teucri.
Agmina concurrunt ducibusque et viribus aequis.
Extremi addensent acies; nec turba moveri
Tela manusque sinit. Hinc Pallas instat et urguet,
Hinc contra Lausus, nec multum discrepat aetas,
Egregii forma, sed quis fortuna negarat
In patriam reditus. Ipsos concurrere passus
Haud tamen inter se magni regnator Olympi:
Mox illos sua fata manent maiore sub hoste.
Interea soror alma monet succedere Lauso

419. *iniecere manus P.*: „Traxerunt debitum sibi, et sermone usus est iuris; nam *manus iniectio* dicitur, quotiens nulla iudicis auctoritate exspectata, rem nobis debitam vindicamus.“ S. cf. Liv. 3, 44. Macr. 3, 7. Erat legis actio. Sic hanc formulam transtulit Ov. Am. 1, 4, 30. 3, 9, 19. Quamquam ita etiam poetae dicere licuit, si illam formulam non cogitabat. — *Sacrarunt* verbum ex ritu antiquissimo: *sacrare alicui*, *sacer esto* etc. — *telis Evandri*, quae nunc Pallas gerit.

423. *haec arma habebit:* Tropaeum ex eius armis tibi constituam, cf. 10, 774. 11, 7. — Sic Romulus spolia opima, Acroni detracta *ad quercum pastoribus sacram deposuit* Liv. 1, 10. — *da — habebit* cf. 6, 676. — De votis cf. 5, 237.

424. *dum — texit*, perfectum c. *dum* Gr. §. 415 An. 2.

426. Lausus celeriter suis factis terrorem demit ipse. — *sinit perterrita agmina* cf. 1, 385.

427. *pars ingens belli*; i. e. in quo stat magna vis belli ut 737 et 2, 6. — *Abantem* cf. 170.

428. *oppositum* „obstantem, fortiter pugnantem.“ S. — *pugnae nodumque moramque;* qui moratur, differt hostis victoriam, et resistit, ut arboris nodus securis ictibus. *Nodus* sic transfertur a Claud. Bell. Gild. 10 *nullis victoria nodis haesit* et *mora* dicitur homo Liv. 23, 9.

430. *imperdita corpora* i. e. a Graiis non perdita corpora, Teucri cf. 7, 11. De dativo *Graiis* cf. 1, 440. De appositione *corpora T.* cf. 4, 132. Teucros vero accipimus, quos secum duxit Aeneas, cf. 7, 545; non sunt ex iis, qui in castris remanserunt.

431. Extremi ita urgent et addensant priores ordines, ut tela et manus vix possint moveri.

432. *addensant* MP2Rγbc *addensent* P1 et al. S. et Prisc. rec. *Wg. Ld. Rb.*

436. *reditus:* de plurali cf. 5, 359.

438. *manere* c. acc. cf. 2, 194. — *maiore sub hoste*; Lausus ab Aenea, Pallas a Turno caeditur.

439—509. Pallas a Turno occiditur.

439. *Soror alma* ut dea; est Iuturna cf. 12, 139. Turnus qui contra Aeneam stetera, iam petit alterum proelium, in quo Pallas dux est. *succedere* MR al. Non. *succurrere* c. Serv. Sed non succurrit Lauso, qui non premitur periculo; sed in eius locum succedit. Ita *succedere* in locum pugnantis v. 690. 847. 11, 726. *Monet* c. acc. et inf. i. e. impellit ut. Sic cum infinitivo iam sed non addito accusativo Cic. Fin. 1, 20 *Ratio ipsa monet amicitias comparare* et Sall. Iug. 19 *Quoniam alio properare tempus monet*; cf. 2, 33.

Turnum, qui volucri curru medium secat agmen.
Ut vidit socios; Tempus desistere pugnae;
Solus ego in Pallanta feror; soli mihi Pallas
Debetur; cuperem ipse parens spectator adesset.
Haec ait; et socii cesserunt aequore iusso.
At Rutulum abscessu iuvenis tum iussa superba
Miratus stupet in Turno, corpusque per ingens
Lumina volvit obitque truci procul omnia visu;
Talibus et dictis it contra dicta tyranni:
Aut spoliis ego iam raptis laudabor opimis,
Aut leto insigni. Sorti pater aequus utrique est.
Tolle minas. Fatus medium procedit in aequor.
Frigidus Arcadibus coit in praecordia sanguis.
Desiluit Turnus biiugis; pedes apparat ire
Comminus. Utque leo, specula quum vidit ab alta
Stare procul campis meditantem in proelia taurum,
Advolat, haud alia est Turni venientis imago.
Hunc ubi contiguum missae fore credidit hastae,
Ire prior Pallas, si qua fors adiuvet ausum
Viribus imparibus, magnumque ita ad aethera fatur:
Per patris hospitium et mensas, quas advena adisti,
Te precor, Alcide, coeptis ingentibus adsis.
Cernat semineci sibi me rapere arma cruenta,
Victoremque ferant morientia lumina Turni.
Audiit Alcides iuvenem, magnumque sub imo

440. *volucer currus* ut *volucris rota* 8, 433. Simile 6, 16.

441. *Pugnae* dativus videtur esse, siquidem Stat. Theb. 5, 273 *Haud unquam insto mea cura labori destitit.* Sunt qui *pugnae* habeant genitivum, ut Weissb. §. 243. Cf. 11, 126. *pugna* Rc.

443. *parens* sc. Pallantis, Evander.

445. *Rutulum abscessu* i. e. quum abscessissent cf. 1, 677. — *Tum* additum tempore iam aliter significato cf. 5, 14. *Pl.* duos versus in unum contrahit: *At iuvenis stupet in Turno, c. p. i.*

446. *stupet in Turno.* Sic Achilles puer *stupet in ducibus* (Argonautis) Val. Fl. 1, 262. Cf. 2, 541.

447. *Obire aliquid visu* Sil. 3, 160 *o. a. oculis* Plin. Ep. 3, 7, 13. 8, 18, 9.

448. *tyranni*, regis (cf. 7, 266), Turni. Aut laudem magnam adipiscar spoliis opimis, „quae dux duci detrahit" S. cf. 6, 842; aut a forti viro cadam. Utrumque bonum est, et Pater (Evander) *aequus utrique*, aequo animo erit in utraque sorte. Quare frustra minaris, quum nec ego, nec Pater meus, quem nominasti, alterum utrum recusamus.

543. *pedes* „ne videatur pugnae iniquitate vicisse." S. in alqt.

455. *meditantem in proelia:* Cf. 12, 71. Eadem comparatio ap. Sil. 5, 309 sq.

456. *venientis: Venire* simplex de hoste irruente dicitur 12, 510, de aquila in columbam E. 9, 13, de imbre G. I, 322. Sufficit tamen ubique significatio primitiva, et quo quis veniat animo ex ipsa re intelligitur. cf. Cic. RA. 19, 55 *vident omnes, qua de caussa huc inimicus venias.*

458. *si qua etc.* cf. 1, 578. „Adeo non aptus hoc loco infinitivus historicus esse videtur adeoque dure cum *fatur* coniungi, ut cogar suspicari scriptum fuisse a poeta: *Ire p. P. s. q. f. a., ausus*" *Pl.*

459. *viribus imparibus*: Ipse sentit se imparem esse.

460. De Hercule cf. 8, 362 sq.

461. *coeptis ingentibus* cf. 7, 562. — *adsis* cf. 1, 734. Ipse moriens me cernat victorem Turnus.

462. *ferant* „sustineant quasi pondus et poenam." S.

464. Hercules auxilio ferendo impar dolet, sed premit gemitum, et modo lacrimae *inanes* i. e. nihil profuturae (cf. 6,

Corde premit gemitum lacrimasque effundit inanes.
Tum Genitor natum dictis adfatur amicis:
Stat sua cuique dies; breve et inreparabile tempus
Omnibus est vitae: sed famam extendere factis
Hoc virtutis opus. Troiae sub moenibus altis
Tot gnati cecidere deum; quin occidit una
Sarpedon, mea progenies. Etiam sua Turnum
Fata vocant, metasque dati pervenit ad aevi.
Sic ait, atque oculos Rutulorum reiicit arvis.
At Pallas magnis emittit viribus hastam,
Vaginaque cava fulgentem deripit ensem.
Illa volans, humeri surgunt qua tegmina summa,
Incidit, atque viam clipei molita per oras
Tandem etiam magno strinxit de corpore Turni.
Hic Turnus ferro praefixum robur acuto
In Pallanta diu librans iacit, atque ita fatur:
Adspice, num mage sit nostrum penetrabile telum.
Dixerat; at clipeum, tot ferri terga, tot aeris
Quem pellis totiens obeat circumdata tauri,

886) animi motum produnt, quas ut videt Iuppiter consolatur filium suum, sententiamque profert Iove dignam. — *sub* cf. 6, 203.

466. *Genitor*, Herculis Iuppiter.

467. *stat* „fixa est. *Dies*, tempus vitae, nam feminino usus est genere; quum enim masculino utimur, re vera diem significamus.“ S.

468. Eadem sententia ap. Sall. Cat. 1. — *famam extendere factis*. Sic 4, 807. *virtutem extendere factis* Plin. Ep. 5, 8. *famam extendere*, non addito *factis*. — Itaque omnibus vita brevis est, etiam dii filios suos viderunt interire, et ipse Turnus mox cadet.

470. *tot gnati deum* „Achilles Thetidis, Memnon Aurorae, Ascalaphus Martis“ S.

471. De Sarpedone cf. 1, 100.

472. *pervenit*, „bene ad exprimendum celerem mortis adventum praeterito usus est tempore.“ S. cf. 5, 243. — *metas*, fines, ut 1, 278.

473. *reiicit arvis oculos*, avertit; de abl. cf. 1, 358, ad rem 12, 151.

475. *deripit ensem* „ne iacto telo inermis esset“ S. Curat enim omnia Pallas, quum sciret cum magno hoste esse pugnandum. „Versum 475 aut non scripsit Virgilius aut quum scripsit paulo aliter pugnam Pallantis cum Turno instituturus erat.“ *Rb.* 1. p. 84 damnat *Hn.* delet *Pl.*

476. *humeri* MR. al. rec. *Wg. Rb.* — *humeris* vulg. — „Hasta incidit ubi summus thorax humerum (et quidem laevum) attingit, atque, postquam est antea iam per clipei oram viam molita esset, per hunc quoque penetrans *tandem etiam de corpore Turni* (aliquid, partem) *stringit.* Loco enim sic intellecto demum apparet, cur hasta iuvenis *magnis viribus emissa* tamen strinxerit tantum Turni corpus, quae si solam clipei oram perforasset umbone plerumque tenuiorem, haud dubie gravius Turno vulnus inflixisset. Neque aliter atque ego locum intellexit Silius, qui 15, 757 sqq. haec cecinit: *Illa* (hasta) *per oras Aerati clipei et loricae tegmina summo Incidit haud felix humero, parceque petitum Perstrinxit corpus*“. Fb. Alii *tegmina humeri* clypeum esse dicunt.

477. *viam molita.* „Hoc est cum difficultate quaesivit, per quod et soliditas clipei et minus firmus hastae iactus ostenditur.“ S. Multo aliter Turnus iacit per medium clipeum.

481. *Mage* antiqua forma ab Ennio, Plauto, Lucretio usurpata. — *Penetrabile* pro *penetrale*, nam quod penetrat, *penetrale* dicitur, (ita Lucr. 1, 496 *penetrale frigus*, 536 *penetralis ignis*) quod autem penetratur *penetrabile*“ S. Sed adiectiva in *bilis* etiam activam assumunt significationem; ita G. 1, 93 *penetrabile frigus*. cf. 6, 715.

483. *quem* Mγ, probavit *Mv.* rec. *Wg. Ld. Rb.* Coniunctivus autem *obeat* post relativum continet caussam, quam indicaverunt Rbc per *quum*.

Vibranti medium cuspis transverberat ictu
Loricaeque moras et pectus perforat ingens.
Ille rapit calidum frustra de volnere telum:
Una eademque via sanguis animusque sequuntur.
Corruit in volnus; sonitum super arma dedere;
Et terram hostilem moriens petit ore cruento.
Quem Turnus super adsistens:
Arcades, haec, inquit, memores mea dicta referte
Euandro: Qualem meruit, Pallanta remitto.
Quisquis honos tumuli, quidquid solamen humandi est,
Largior. Haud illi stabunt Aeneia parvo
Hospitia. Et laevo pressit pede, talia fatus,
Exanimem, rapiens immania pondera baltei,
Impressumque nefas: una sub nocte iugali
Caesa manus iuvenum foede, thalamique cruenti;
Quae Clonus Eurytides multo caelaverat auro:
Quo nunc Turnus ovat spolio gaudetque potitus.
Nescia mens hominum fati sortisque futurae
Et servare modum, rebus sublata secundis!
Turno tempus erit, magno quum optaverit emptum
Intactum Pallanta; et quum spolia ista diemque
Oderit. At socii multo gemitu lacrimisque

485. *loricae moras* i. e. morantem (telum) loricam. Sic legimus *moras fossarum* 9, 143. Imitati sunt alii. Sic dixit Sil. 9, 217 *fossarum rapuere moras* et Stat. Theb. 10, 196 *morasque frangite portarum*. De genitivo cf. 7, 167.

486. *de corpore* coniecturam ex v. 744 rec. *Rb.* Sed *Mr.* pro: stringere de corpore quod „prorsus inusitatum" est coni. *tinxit se c. T.*

487. Animus in sanguine sedem habet cf. 9, 349.

488. *sonitum* etc. cf. 9, 709.

489. *Terram petere* dicitur, morte procumbens, ut Sen. Oed. 340 *terram vulnere afflicti petunt*, 480 ore *deiecto petiere terram.*

490. In Romano additum est *sic ore profatur.*

492. Remitto filium, qualem se remitti meruit Pallas fortitudine sua; nolo eum foedare, neque saevio ultra. Iam ipsum egregii iuvenis et patris infelicis miseret. Aliter intellexit locum Nürnberger et superbientem facit Turnum. Itaque sic explicandum esset: Ut occideretur Pallas meruit, quod nobis bellum inferre iussus est ab Evandro, quare is se consoletur mortui filii sepultura, qui posset laetari vivo. Etiam presso pede superbiam indicari putat. Et firmare eam explicationem v. 514. videtur. Tamen in ipsis verbis Turni non apparet illa superbia.

493. *solamen*: „Solatium est viventium humare defunctos" S. et supremum iis praebere honorem.

494. *haud parvo stabunt* i. e. non parvo sibi stare putabit, quod Aeneam exceperit hospitio. *Pl.* pro *parvo* coni. *tanti.*

495. Pedem imponere occiso hosti ad detrahenda spolia et indicandam victoriam saepius 12, 356. Ov. M. 8, 425.

497. Statim ad nominativum transit, quem dicunt absolutum cf. 2, 170. In Pallantis balteo expressum erat illud nefas Danaidum, quae maritos suos Aegypti filios una nocte necavere. Eam rem Statius in clipeo sculptam describit Theb. 4, 132. *Pl.* vult *nefas Danai; sub nocte.* Quum 5, 536 crater imprimitur signis, h. l. ipsum nefas (i. e. signum) imprimitur. — *Rapit nefas* ut 8, 731 *Aeneas tollit fata nepotum.*

498. Artificis nomen posuit poeta, ut saepius. Sic memorat 5, 359 Didymaonem, 9, 304 Lycaonem, E. 3, 37 Alcimedontem. Talia nomina non temere ficta esse probabile est.

500. *ovat*, gloriatur, gaudet. cf. 690. — *gaudetque potitus* i. e. quum potitus esset. cf. 2, 377.

501. *nescia*: „qui propter hunc periturus est balteum, quem nunc se sustulisse laetatur." S. cf. 12, 940. — *nescia servare* cf. 4. 564.

Impositum scuto referunt Pallanta frequentes.
O dolor atque decus magnum rediture parenti!
Haec te prima dies bello dedit, haec eadem aufert,
Quum tamen ingentes Rutulorum linquis acervos!
Nec iam fama mali tanti, sed certior auctor
Advolat Aeneae, tenui discrimine leti
Esse suos tempus versis succurrere Teucris:
Proxima quaeque metit gladio, latumque per agmen
Ardens limitem agit ferro, te, Turne, superbum
Caede nova quaerens. Pallas, Euander, in ipsis
Omnia sunt oculis; mensae, quas advena primas
Tunc adiit, dextraeque datae. Sulmone creatos
Quattuor hic iuvenes, totidem, quos educat Ufens,
Viventes rapit, inferias quos immolet umbris,
Captivoque rogi perfundat sanguine flammas.
Inde Mago procul infensam contenderat hastam.

507. Est *dolor atque decus parenti*, qui et morte dolorem et virtute sua honorem facit. Simili modo ap. Martialem 11, 13, 5 histrio mortuus dicitur *Romani decus et dolor theatri.* Sil. 13, 383 *Fortuna abstulerat Scipiadas, magnumque decus magnumque dolorem.* Sic decus de homine ut *decus divis* 8, 301; *decus nostri* 6, 546; *Maecenas equitum decus* Hor. C. 3, 16, 20. *decus Carthaginis* Sil. 10, 88.

509. *quum* cf. 9, 249.

510—605. Aeneas castra Troianorum obsidione liberat.

510. *Fama advolat*, nam *fama volat* 3, 121. *Vox mihi ad aures advolavit* Plaut. Amph. 1, 169; nulla celeritatis notione. Ac *fama advolat* idem est ac *fama perfertur*, *est*, regitque infinitivum ut *tempus est* 512 cf. 5, 638. — *certior auctor*, qui rem aliquam factam testatur. Sic Cic. Planc. 23. Ov. M. 11, 666 *Non haec tibi nuntiat auctor ambiguus.*

511. *tenui discrimine leti esse suos*: „modico mortis interstitio, per quod magna Pallantis virtus ostenditur, quo interempto omnis est in fugam conversus exercitus.“ S. Sic Ov. M. 7, 426 *leti discrimine parvo.*

512. *Versis Teucris* defenditur; omnes enim, qui a parte Teucrorum sunt, quasi Teucri sunt; iam si socii Teucrorum fugantur, ii ipsi ea parte vincuntur. cf. 9, 450. — *tempus versis* MRbc *versis tempus* Pγ rec. *Rb.*

513. *metit.* Sic Ov. M. 5, 104 *demetit ense caput.* Hor. C. 4, 14, 31 *Primos et extremos metendo stravit humum sine clade victor*, alii. Latus limes signum est pavoris cedentium. — Tamen *Pl.* coni. *Rutulumque per a.*

514. *Limitem agere*, viam facere per hostes; sic Sil. 9, 380. Cf. 9, 323.

515. 16. „Perite scissa est narratio“. S. *Nam omnia s. m. oc* extremo loco ponenda erant in enumeratione sedata. *Pl.* coni. *mensae novus advena primas quas adiit.* Expende tecum, num *Pl.* poetam superaverit.

517. *Tunc* sine caussa additum metri fulcrum esse putavit *Hn.* At eo tempore quo erat advena, primi erant, qui amicitiam offerrent, Evander et Pallas.

518. *educat* praes. cf. 4, 228. „Emphasis est virtutis, quod multos, quod iuvenes, quod armatos, quod rapit; minus enim fuerat, si dixisset *capit.*“ S.

519. „Sane mos erat in sepulcris virorum fortium captivos necari. Cf. 11, 82. Suet. Oct. 15 *Scribunt quidam, trecentos ex dedititiis electos utriusque ordinis ad aram, divo Iulio exstructam, Idibus Martiis hostiarum more mactatos ab Octaviano.* Cf. Dio 43, 24. Quod postquam crudele visum est, placuit gladiatores ante sepulcra dimicare, qui a bustis bustiarii dicti sunt“ S. Et ludi gladiatorii primi a. 490 a. u. dati sunt in funere cf. Liv. Ep. 16. Val. Max. 2, 47.

520. *captivo sanguine* ut Tac. A. 14, 30 *cruore captivo adolere aras* et *captivus* ad res refertur cf. 2, 765. Sic *caeso sanguine* 11, 82.

521. *Mago* „dativus ut supra v. 401.“ S. cf. 555. — *infensam* Myb. *infestam* Macr. Sat. 5, 2. R. Hoc satis usitatum, sed etiam alterum et bonum et in usu est cf. 5, 641. *contenderat* Pl. S. et Macr. — *deret* Mc2 — *derit* c1 — *torserat* R. Plusqpfectum recte ante *subit* praes. historicum.

Ille astu subit ac tremibunda supervolat hasta,
Et genua amplectens effatur talia supplex:
Per patrios Manes et spes surgentis Iuli
Te precor, hanc animam serves gnatoque patrique.
Est domus alta; iacent penitus defossa talenta
Caelati argenti; sunt auri pondera facti
Infectique mihi. Non hic victoria Teucrum
Vertitur, aut anima una dabit discrimina tanta.
Dixerat. Aeneas contra cui talia reddit:
Argenti atque auri memoras quae multa talenta,
Gnatis parce tuis. Belli commercia Turnus
Sustulit ista prior iam tum Pallante perempto.
Hoc patris Anchisae Manes, hoc sentit Iulus.
Sic fatus galeam laeva tenet atque reflexa
Cervice orantis capulo tenus adplicat ensem.
Nec procul Haemonides, Phoebi Triviaeque sacerdos,
Infula cui sacra redimibat tempora vitta,
Totus collucens veste atque insignibus armis.
Quem congressus agit campo, lapsumque superstans
Immolat, ingentique umbra tegit; arma Serestus
Lecta refert humeris, tibi, rex Gradive, tropaeum.

522. *tremibunda* MR. ut *moribundus* alia. — *tremebunda* vulg. *subit; ut Wg. Ld. subit ac Rb.* Utrum est in Mss?

525. Serves vitam meam patri et filio meo; respondent haec v. 524.

427. *Aurum factum* in vasis et signis, *infectum*, rude.

528. *non hic:* „Luc. 4, 337 *non pondera rerum, nec momenta sumus.*“ S. — *non — aut* cf. 3, 43.

529. *dabit discrimina*: „differentiam circa eventum et victoriam“ S.

532. *Gnatis* pluralis de uno (525), „nam liberos etiam unum dicimus filium, adeo ut Terentius etiam filiam liberos dixerit.“ S. Hec. 2, 1, 15. Ita *liberi* de uno filio vel filia saepius, si in universum hominis conditio declaratur. Ita Cic. 1 Phil. 1. 1 Cat. 2. Sest. 24. 54. Vell. 2, 58. Flor. 1, 7, 10. 4, 3, 2. Sen. de ira 3, 15 de uno filio; Cic. de prov. cons. 14. Fam. 4, 5. Manil. 12 de una filia. cf. 7, 98. — „*parce* est secundum antiquos *serva*, ut ap. Lucilium et Ennium invenitur“ S. Et *parcere* accusativo iungi apud antiquos docetur ex Plaut. Curc. 3, 10 *Qui homo mature quaesivit pecuniam, nisi eam mature parsit, mature esurit* et Cato RR. 58, ubi tamen est *oleas condito, parcito*. Neque hoc loco accusativus a *parce*, sed a *memoras* pendet. — *Belli commercia ista*, redemptionem captivorum, quam tu petis. Quod inter hostes convenit facere, sustulit Turnus tum, (cf. 517) quum Pallantem interfecit.

533. *Iam tum* explicatur per *P. perempto*. — *I. t. P. p.* del. *Pl. Gr.* qui „das Schleppende, Nichtssagende, Unpoetische, Unvirgilische liegt auf der Hand.“

536. *orantis* MP2Rγc rec. *Wg. Ld.* *oranti* P1b rec. *Rb.*

537. *Phoebi Triviaeque sacerdos*, cf. 6, 35.

638. *Infula* „fascia in modum diadematis, a qua vittae ab utraque parte dependent, quae plerumque lata est, plerumque tortilis de albo et cocco.“ S. Erat et sacerdotum cf. 2, 430. 221. 3, 81. Cic. Verr. 4, 50. Luc. 5, 142 et supplicantium Caes. BG. 2, 12. Liv. 24, 30. 25, 25. 30, 36. Tac. H. 1, 66; ex quibus locis eum morem apud diversos populos fuisse intelligimus.

539. Apud Romanos sacerdotes etiam pugnabant, et Caesar fuit pontifex maximus. *armis* MP2Rγbc rec. *Wg.* *a . . . s* P1 „*albis* Probus dicit legendum“ S. [Non legit igitur] rec. *Rb. Ld.* et id constat albis vestibus sacerdotes usos esse.

540. *Superstare* c. acc. sic Ov. Her. 10, 123. Stat. Theb. 2, 713.

541. *Immolat* quasi hostiam Pallanti. — *ingenti umbra*, quod mortis umbra nulla est densior nec longior. cf. 776. — *Tegit* recte, quum faciat ut tegatur.

542. *Gradivus* est Mars cf. 3, 35. De vocativo cf. 2, 56. — Spolia tradit aliis

Instaurant acies Volcani stirpe creatus
Caeculus et veniens Marsorum montibus Umbro.
Dardanides contra furit. Anxuris ense sinistram
Et totum clipei ferro deiecerat orbem. —
Dixerat ille aliquid magnum, vimque adfore verbo
Crediderat, caeloque animum fortasse ferebat,
Canitiemque sibi et longos promiserat annos. —
Tarquitus exsultans contra fulgentibus armis,
Silvicolae Fauno Dryope quem nympha crearat,
Obvius ardenti sese obtulit. Ille reducta
Loricam clipeique ingens onus impedit hasta:
Tum caput orantis nequidquam et multa parantis
Dicere deturbat terrae, truncumque tepentem
Provolvens super haec inimico pectore fatur:
Istic nunc, metuende, iace! Non te optima mater
Condet humo, patriove onerabit membra sepulcro!

auferenda ut Hom. Il. 16, 665. — *lecta* ab Aenea. *Pl.* coni. *ingentique umbra legit arma;* („Arma erant *i. u.*, quae ingentem umbram faciebant, ipsa ingentia.) *S. l. r.*

543. Caeculus (cf. 7, 681) et Umbro (7, 750.) restituunt proelium et Latinos sistunt. — Contra Aeneas furit et obvium quemque obtruncat. Ita sinistram manum Anxuris simul cum clipeo desecat.

546. *Deiecerat:* In plusquamperfecto inest celeritas agendi. Potest etiam plusquamperfectum referri ad *obtulit* v. 550, ut sit: quum deiecisset, Tarquitus se obtulit, eius mortem ulturus. Quod si accipitur, v. 547—9 interiecti sunt enuntiato et orationem retardant. Quare malim v. 549 puncto posito v. 550 novam incipere enuntiationem. Utraque explicatio valet etiam 8, 219. 12, 430. cf. 2, 259. Gr. §. 459. — Is Anxur poenam dedit tumoris et elati animi. — Putavit et dixit, se occiso Aenea diu victurum, vel tale aliquid. — *orbis clipei* dicitur et 2, 227. *Pl.* coni. *E. t. c. f. d. Orsen*, cuius nomen est v. 747. „Vgl. interdum eadem nomina repetit. Deiecit autem *ferro clipei* i. e. *umbone*“ (?) *Wg.* coni. *tortum* „orbem ex tortilibus laminis rotundatum“, quo significaret Homericam illam *ἀσπίδα εὔκυκλον.* At his mutationibus oratio non fit venustior. *Kl. ferro* esse sumit ablativum materiae qua *constet* clipeus. Idem facit *Ld.* Axt *ense* et *ferro* iuncta non ferens coniecit *ecce* pro *ense.* Quod placet. *Totum Wg.* defendit, quum dicat, eo vocabulo indicari totum hominem ad vulnera accipienda apertum esse. Sed ut hoc durum, sic *ferro* durum est post *ense*, neque minus, si est abl. mat. propter locum, quem obtinet prope *deiecerat*; aliter 5, 663 *pictas* abiete *puppes* 10, 783 per *orbem* aere *cavum* clipei. Itaque nondum versus satis explicatus est.

548. *caelo animum f.* cf. 9, 637.

552. *obvius se obtulit.* Ita abundat v. 734 *obvius occurrit adverso.* 11, 498 *obvia occurrit*, et Lucr. 3, 1054 *sponte sua leto caput obvius obtulit ipse.* Domitius Afer ap. Quint. 9, 2, 20 *vos obvios casus obtulit.* — *reducta* sc. ad. iactum.

553. Hasta per clipeum et loricam permeans horum armorum usum impedit. Itaque Tarquitus ad preces decurrit, sed Aeneas sinistra hastam suam, quae loricae insistit comprehendens, dextra caput dicidit, deinde sinistra totum corpus proiicit.

555. *terrae* „hoc est in terram.“ S. cf. 5, 451.

557. *istic* MPRVγb2c2 *isti* bl. cl. rec. *Rb.* ut adverbium esset, pro *istic.*

558. *humi* M1PRγbc rec. *Rb. Ld.* probat *Wd.* p. 123. *humo* M2 rec. *Wg.* Utrumque probum, nam *condere aliquem terra, tumulo* recte dicitur. — *Gt.* coni. *humo patria, atque o. Pl.* coni. *Pario. Patrio onerabit membra sepulcro* multis visum est minus esse aptum, aptius, quod in uno libro est *ornabit.* Non viderunt haec esse inimico pectore dicta: nam quasi magno onere liberet, loquitur. Huc etiam pertinet, quod *pisces vulnera lambent*, quasi sanaturae. Hoc tamen si non accipere decretum est, *onerare* omnino significat copiam cf. 3, 485. — *Patrio sepulcro* nihil impedit accipere *sepulcro Fauni.* Etsi enim is deus est,

Alitibus linquere feris, aut gurgite mersum
Unda feret, picesque impasti volnera lambent.
Protinus Antaeum et Lucam, prima agmina Turni,
Persequitur, fortemque Numam, fulvumque Camertem,
Magnanimo Volscente satum, ditissimus agri
Qui fuit Ausonidum, et tacitis regnavit Amyclis.
Aegeon qualis, centum cui brachia dicunt,
Centenasque manus, quinquaginta oribus ignem
Pectoribusque arsisse, Iovis quum fulmina contra
Tot paribus streperet clipeis, tot stringeret enses:
Sic toto Aeneas desaevit in aequore victor,
Ut semel intepuit mucro. Quin ecce Niphaei
Quadriiuges in equos adversaque pectora tendit;
Atque illi, longe gradientem et dira frementem
Ut videre, metu versi retroque ruentes
Effunduntque ducem, rapiuntque ad litora currus.
Interea biiugis infert se Lucagus albis
In medios, fraterque Liger; sed frater habenis
Flectit equos, strictum rotat acer Lucagus ensem.
Haud tulit Aeneas tanto fervore furentes:
Inruit, adversaque ingens adparuit hasta.
Cui Liger:

erat tamen aliquando homo, et vel Iovis sepulcrum in Creta esse dicebatur. Quod si minus placet, adest etiam ratio alia: Aeneas enim quis eius fuerit pater nesciens hominem esse sumit; ut hoc etiam sumit, matrem Tarquiti vivere. Minus aptum videtur *patrium sepulcrum* accipere, quod est in patria.

560. *pisces impasti* „ita avidi, ut semper videantur impasti.“ S.

561. *prima agmina T.*, in prima acie pugnantes.

562. Alium Numam iam Nisus interfecerat 9, 454.

564. *Ausonidum.* Ausones Italiae gens cf. 7, 727. — *tacitis Amyclis:* „Inter Caietam et Terracinam oppidum constitutum est (Inde mare Amuclanum Tac. A. 4, 59) a Laconibus et ab Amyclis provinciae Laconicae civitate ei inditum nomen est.“ S. Has *Amunclas quas Amyclas ante Graeci condiderant, serpentes fugavere. Illic frequens vipera insanabili morsu* Solin. 2, 32. *M. Varro auctor est — in Italia Amyclas a serpentibus deletas* Plin. NH. 8, 29, 43. Idem narrat Serv., qui quod Pythagoraei fuissent incolae et propterea a caede animalium abstinuissent et ex vicinis paludibus natas serpentes occidere nefas putassent, his ipsis perisse narrat. „Unde Amyclas tacitas dixit, i. e. Pythagoreas.“ S. (!) *Tacitis* dictum videtur esse prolepsi. Omnia autem haec fabulosa; quare „est et alia expositio: Quum frequenter falso nuntiarentur hostes et inani terrore civitas quassaretur, lata lege cautum est, ne quis unquam hostis nuntiaret adventum. Postea quum vere hostis veniret, nullo nuntiante, ex improviso civitas capta est. Unde *tacitae Amyclae* dictae sunt, quod periere silentio. Hinc est quod ait Lucilius: *Mihi necesse est loqui; nam scio Amyclas tacendo perisse.*“ S. Sil. 8, 530 *quas evertere silentia, Amyclae.*

565. Ita strue: *qualis quum Aegaeon.*, De Aegaeone cf. 6, 287. *centum — centenasque manus* cf. 5, 560.

569. *desaevit*, valde saevit cf. 4, 52. — *Sic* „ut non unam manum putares. Namque ad hoc pertinet comparatio, ut intelligamus eum multitudinis vice dimicasse..“ S. Sic Schulz Caec. 8, 72 *Wohl tausend Arme scheint der eine Held zu regen; So blitzt und stürzt es rings von seinen mächt'gen Schlägen.*

571, *quadriiuges* „propter homoeoteleuton noluit dicere *quadriiugos.*“ S. cf. 4, 8.

572. *longe gradientem*, „longis gradibus incedentem“ S.

Non Diomedis equos, nec currus cernis Achilli,
Aut Phrygiae campos; nunc belli finis et aevi
His dabitur terris. Vesano talia late
Dicta volant Ligeri: sed non et Troius heros
Dicta parat contra, iaculum nam torquet in hostem.
Lucagus ut pronus pendens in verbera telo
Admonuit biiugos, proiecto dum pede laevo
Aptat se pugnae: subit oras hasta per imas
Fulgentis clipei, tum laevum perforat inguen;
Excussus curru moribundus volvitur arvis.
Quem pius Aeneas dictis adfatur amaris:
Lucage, nulla tuos currus fuga segnis equorum
Prodidit, aut vanae vertere ex hostibus umbrae:
Ipse rotis saliens iuga deseris. Haec ita fatus
Arripuit biiugos. Frater tendebat inertes
Infelix palmas, curru delapsus eodem:
Per te, per qui te talem genuere parentes,
Vir Troiane, sine hanc animam, et miserere precantis.
Pluribus oranti Aeneas: Haud talia dudum
Dicta dabas. Morere, et fratrem ne desere frater.
Tum latebras animae, pectus, mucrone recludit.
Talia per campos edebat funera ductor

581. *non Diomedis* etc. i. e. multo fortiores nos sumus Itali, quam quos Graecia fortissimos iudicavit, qui illos effugere potuisti, nos non effugies. De Diomedis equis cf. 1, 752, de plurali *currus* Gr. §. 362 An. 2.

582. *Nunc* c. futuro cf. 4, 654.

585. *Nam* frigere dicitur aptiusque fuisse: *parans*, iaculum *contorquet*. Quare haec versus pars, quae est a *contra*, habetur glossema a *Wgo. Plo.* Sed talem aliquam sententiam, qualis per *contra* — *hostem* exprimitur, huic loco aptam esse, qui recte contemplatus fuerit intelliget. Neque enim verbis, sed re refutat eos Aeneas; non opus habet dictis redarguere quos factis refellit. Servii autem verba non docent, quod dicuntur docere, eum verba: *i. n. t. i. h.* non legisse. Sunt enim haec: „*Dicta parat*; potest legi et *dicta parat contra*.“ Itaque haec est eius sententia, *contra* posse et ad *parat* et ad *torquet* trahi. Quid enim? Si praeter *dicta parat contra* non habebat ullum verbum in suo exemplari Servius, qui poterat *contra* cum *parat* non iungere?

586. *pendens in* cf. 5, 147.

587. *admonuit telo:* Vides pugnandi cupiditatem. Cf. Sen. Clem. 1, 14, 1 *liberos admonere verberibus.* — *proiecto laevo:* itaque stat laeva manu clipeum proiiciens, dextra ad ictum sublata.

588. Imam oram clipei hasta frangit et in laevum inguen permeat.

593. *prodidit* fuga segnis equorum. Nam etiam rebus, quibus uti nos posse putamus, fides et perfidia adscribitur. Ita *ensis* dicitur *fidus* 6, 524. 7, 640, *perfidus* 12, 731, *portus male fidus* 2, 23. *litora fida* 2, 399. cf. 2, 422. — Hasta ictus decidit Lucagus, simul Liger perterritus desilit et vitam orat. Vides eum, qui iners est, imprimis magna esse locutum, fretum scilicet fratris fortitudine, non sua. — Cum irrisione Aeneas obiicit Lucago deiecto, quasi sua sponte desiluerit, simulque statim arripit equos a Ligero nihil hostile timens. Non te, ut me olim, quum cum Diomede certabam, equi prodidere, neque umbra aliqua nolens subductus es, ut tum ego.

600. *fratrem frater* cf. 1, 684. Etiam hoc cum irrisione dictum est.

601. *Animam* quaerit, itaque eius *latebras* recludit, quod est *pectus*. Itaque *pectus* est appositio. *Pl.* scribi vult: *l. a. penitus m.*

602. Hostis impetus cum torrente saepius comparatur. Sic 12, 523. Hom. Il. 5, 87. Hor. C. 4, 14, 25. Jesaias 8, 7. Schulze Caec. 8, 71. — *f. edebat* „quasi ad spectaculum. Unde et *munerum editores* vocantur.“ S.

Dardanius, torrentis aquae vel turbinis atri
More furens. Tandem erumpunt, et castra relinquunt
Ascanius puer et nequidquam obsessa iuventus.
 Iunonem interea compellat Iuppiter ultro:
O germana mihi atque eadem gratissima coniunx,
Ut rebare, Venus — nec te sententia fallit —
Troianas sustentat opes; non vivida bello
Dextra viris animusque ferox patiensque pericli.
Cui Iuno submissa: Quid, o pulcherrime coniunx,
Sollicitas aegram et tua tristia dicta timentem?
Si mihi, quae quondum fuerat, quamque esse decebat,
Vis in amore foret, non hoc mihi namque negares,
Omnipotens, quin et pugnae subducere Turnum
Et Dauno possem incolumem servare parenti.
Nunc pereat, Teucrisque pio det sanguine poenas.
Ille tamen nostra deducit origine nomen,
Pilumnusque illi quartus pater; et tua larga
Saepe manu multisque oneravit limina donis.
Cui rex aetherii breviter sic fatus Olympi:

603. Hac insigni Aeneae fortitudine efficitur, ut Troiani e castris etiam erumpere audeant. Nam quum Aeneas prosterneret obstantes, Turnus plures a castris in aciem contra Aeneam abduxit; ita tandem Troiani, qui erant in castris, eos, qui obsidebant, vicerunt et cum Aenea se iungunt. Nondum Aeneas ipse ad castra pervenit, ut suos obsidione liberaret; semper enim novi hostes ei oppositi sunt.

606—632. Iuppiter Iunoni permittit, ut Turnum morti eripiat.

606. Iuppiter Iunonem, quae proelium in quo Latini vincuntur, tristis prospectat, verbis lacessere studet, quasi omnis ea Teucrorum victoria Veneris sit opus, quum ipsa Iuno Aeneae virtute ea effecta esse non sine dolore intelligat. Iuno autem, maiorem sibi obesse potentiam sentiens, non audet iram suam prodere, sed supplici voce et blandimentis maritum putat posse moveri. *Pl.* qui hanc ironiam non sentit, scribit: *Non ut rere, Venus (tua te s. f.) T. s. o.: sed v. b. Gt.* coni. *Non, germana ... (haec te s. f.)*

609. *vivida* ut 5, 754.

610. *que* pro *nec* cf. 12, 801.

611. *Pulcherrime* blanditur.

612. *tristia dicta timentem* PRγbc ut 104 pertinetque vocabulum ad ea, quae modo dicta sunt a Iove. Ne hiscere quidem audet contra mariti voluntatem. — *tristia iussa* M. ut 9, 804 rec. *Wg. Ld. Rb.*

613. Quod maritus non facit, quae ipsa vult, caussam ponit in amore minus valido, more feminarum. — *fuerat.* Plusquamperfectum ut Cic. Brut. 2 *Equidem angor animo, non ingenii armis egere rempublicam, quae didiceram tractare, quibusque me assuefeceram, quaeque erant propria praestantis in republica viri.*

614. Vulgaris iungendi ratio *namque ... si ...* Quod quarto loco est *namque* vide 5, 733. Ita autem iungas: *si* optantis est pro *utinam*; deinde pergit: nam non mihi negares, sc. siquidem me amares. Neque opus est *namque* explicare per *profecto*, neque accipere apodosin esse omissam.

617. *pio* „Aeneae latenter exaequat.“ S. Pium autem habet Turnum Iuno, quod patriam, quod cognatos defendit. — *poenas* cf. 9, 356.

618. Ille de nostra est origine i. e. de Saturni; nam Pilumnus etiam a Saturno originem duxit. Id certe intellexit poeta: *Que* explicativum cf. 1, 2. — Nobis sacrificia dedit, quibus gratiam debemus referre.

620. *limina* sc. templorum. — *oneravit* cf. 3, 485.

621. *fatus* M2Rγ2bc rec. *Wg. Ld.* *fatur* M1Pγ1 rec. *Rb.*

Si mora praesentis leti tempusque caduco
Oratur iuveni, meque hoc ita ponere sentis,
Tolle fuga Turnum atque instantibus eripe fatis.
Hactenus indulsisse vacat. Sin altior istis
Sub precibus venia ulla latet, totumque moveri
Mutarive putas bellum, spes pascis inanes.
Et Iuno adlacrimans: Quid, si, quae voce gravaris,
Mente dares, atque haec Turno rata vita maneret?
Nunc manet insontem gravis exitus; aut ego veri
Vana feror. Quod ut o potius formidine falsa
Ludar, et in melius tua, qui potes, orsa reflectas!
    Haec ubi dicta dedit, caelo se protinus alto
Misit, agens hiemem, nimbo succincta, per auras;
Iliacamque aciem et Laurentia castra petivit.
Tum dea nube cava tenuem sine viribus umbram
In faciem Aeneae — visu mirabile monstrum! —
Dardaniis ornat telis, clipeumque iubasque
Divini adsimulat capitis; dat inania verba,
Dat sine mente sonum, gressusque effingit euntis.
Morte obita qualis fama est volitare figuras,

622. *caduco* „morituro" S. cf. 6, 481. — Moram fatis facere possunt dii cf. 7, 315.

623. *meque ita ponere sentis:* Si ita me statuere intelligis, non ut totum bellum mutetur, aut Turnus omnino morti eripiatur, sed modo servetur per tempus aliquod: *hactenus vacat indulsisse*; id tibi indulgere fato concessum est, sed nihil ultra.

628. *adlacrimans* cf. 9, 52. — *Quid, si, was, wie wär' es, wenn* est blande precantis: quid si quae voce (aperte) edicere non vis (ob Venerem), ea tamen occulte concederes, et Turni vita servaretur. Id enim ipsum est, quod antea indicavit per *quae* plurali, quo obscurius atque tectius precatur. — *gravaris* i. e. graviter fers, non vis sc. dare. *Sic mente dare* legitur 11, 795.

629. *rata*, constituta, certa. *Pl.* ex R1 rec. *data*.

630. *Nunc, nun aber, so aber*; haec particula temporalis adiunctam saepius habet potestatem adversativam cf. E. 10, 44. G. 2, 55. Cic. pr. Man. 10 *Utinam, Quirites, virorum fortium atque innocentium copiam tantam haberetis, ut haec vobis deliberatio difficilis esset, ... Nunc vero quum sit unus Cn. Pompeius: . .* cf. Val. Fl. 3, 25 *et nunc* est *und nun sogar noch.* — *manet* c. acc. 2, 194. — *insontem*, quippe qui nihil aliud fecit, quam ut ius suum defenderet. — *veri vana feror* i. e. admodum fallor. De genitivo cf. 2, 638.

631. *quod ludar.* De accusativo cf. 3, 56. — *Ut* pro *utinam* optantis est. cf. 11, 153.

632. *orsa:* dicta cf. 7, 435. — *in melius reflectas*, ad meliorem quam dixisti exitum perducas. — Sic Iuno ex iis, quae nunc concedit Iuppiter, maiora eum concessurum sperans se accingit ad Turnum servandum.

633 — 688. Turnus vana imagine ex proelio extractus Ardeam refertur.

634. *nimbo s.* cf. 12, 416. „Multo elegantius foret: *M. a., hieme et n. s., p. a.*" *Pl.*

636. Obiicit Iuno simulacrum Aeneae, iisdem armis, eadem voce, eodem gressu, quod persecutus ex acie detrahatur Turnus; ita *εἴδωλον* Aeneae obiicitur Diomedi ab Apolline Hom. Il. 5, 449. Similes errores excitat Iuno ap. Sil. 10, 83. 17, 529. — *nube cava* cf. 6, 293. *tenuem sine viribus umbram* cf. 4, 588.

639. *inania verba*, quibus veri nihil inest. Nam ab umbra proferuntur. *Pl.* eiic. *dat i. v.*

640. *dat sine mente sonum* cf. 11, 464.

641. *morte obita legitur* Lucr. 1, 136. Cic. Sest. 38. 83. Gell. 15. 20. Sil. 2, 570. — *fama est:* non ipse de hac re sententiam profert. Cf. 6, 14.

Aut quae sopitos deludunt somnia sensus.
At primas laeta ante acies exsultat imago,
Inritatque virum telis et voce lacessit.
Instat cui Turnus, stridentemque eminus hastam
Coniicit; illa dato vertit vestigia tergo.
Tum vero Aeneau aversum ut cedere Turnus
Credidit atque animo spem turbidus hausit inanem:
Quo fugis, Aenea? thalamos ne desere pactos;
Hac dabitur dextra tellus quaesita per undas.
Talia vociferans sequitur, strictumque coruscat
Mucronem, nec ferre videt sua gaudia ventos.
Forte ratis celsi coniuncta crepidine saxi
Expositis stabat scalis et ponte parato,
Qua rex Clusinis advectus Osinius oris.
Huc sese trepida Aeneae fugientis imago
Coniicit in latebras; nec Turnus segnior instat,
Exsuperatque moras et pontes transilit altos.
Vix proram attigerat: rumpit Saturnia funem,
Avolsamque rapit revoluta per aequora navem.

644. Cic. Mil. 31 *ut vi irritare ferroque lacessere fortissimum virum auderet.*

645. *instat cui* cf. 12, 65.

648. *Turbidus*, „elatus, arrogantia tumens" S. Nam quavis cupiditate turbatum notat. Cf. 12, 10. — *haurire* cf. 4, 661.

649. *Thalamos ne desere* satis acerbe dictum. — *pactos* cf. 79.

650. Iam morte a me accepta occupabis terram, quam per mare petisti. cf. 12, 359.

651. *Coruscare* ita 12, 431. 919. 5, 642. Cf. Val. Fl. 2, 228 *ferrum Bellona coruscat.*

652. *ferunt venti gaudia* i. e. irrita reddunt cf. 9, 313. Non sentit nequidquam se gaudere. — Per hoc simulacrum nulla ignaviae maculâ morti Turnus subducitur.

653. „*Crepido* est abrupti saxi altitudo" et „Coniuncta *crepidine* pro *crepidini*, sicut (361) *haeret pede pes.*" S. Ablativus *crepidine* significat, qua re terrae coniuncta navis fuerit, cf. l. l. Sed *coniungere* c. ablativo iunxit etiam Cicero. — Stabat navis, ut fuerat, quum escenderent; omnibus autem in proelium progressis naves erant sine praesidio relictae. Vides autem iam longius a loco, in quo pugna orta est, pugnari.

655. *Osinius*, Clusinorum rex vel dux, fortasse sub Massico militabat cf. v. 166. Servius hominem dictum fuisse putat *Osinium Massicum*, ut dicatur Numa Pompilius.

657. *coniicit in tenebras:* se in navi abscondit.

658. *transsilit altos:* „Hoc sermone festinantis celeritas indicatur." S.

659. *vix* in protasi, nulla sequente particula in apodosi cf. 5, 857.

660. *revoluta per aequora* i. e. revoluta a litore; simul cum undis abstrahitur in navi Turnus, ita ut nequeat navem ad terram reflectere. — *avolsam rapit* i. e. celeriter abducit. — Tum tandem, quum imago illa in nubes evanescit, vana se spe illusum esse intelligit. — Interea Aeneas iamdiu quaerit Turnum (cf 514) et multos trucidat, quum Turnus de proelio cessans ventorum vi abstrahitur.

„Hoc ordine (Tum. Sed. Illum. Obvia) Parisini 2. 3. quem restituerat Brunckius: sed 661. 662. 663. 664 (Illum. Obvia. Tum. Sed) se excipiunt in MPRγbc al. Non improbabiliter Heynius v. 661. 662 (Illum. Obvia) a poeta in margine adscriptos esse suspicabatur" *Rb.* Eosdem versus eiicit *Pl.*, contra *Ld.* v. 663. 64 (Tum. Sed) suspicatur ab alio esse illatos. Iam ante Servium in hoc loco haeserunt interpretes, nam is: „Urbanus sic legit; *ille autem Aenean* (*Aenean* est in PR) ut *obvia . . morti* de nautis in navi inventis intelligamus, quod non procedit." Retinui ordinem a *Wgo Rbo.* receptum, ne iterum mutarem, ita tamen, ut Mssorum fere omnium orationem non magis horridam iudicarem. Neque versus eiicio, quos a poeta factos sed sententia-

Illum autem Aeneas absentem in proelia poscit;
Obvia multa virum demittit corpora morti.
Tum levis haud ultra latebras iam quaerit imago;
Sed sublime volans nubi se immiscuit atrae.
Quum Turnum medio interea fert aequore turbo.
Respicit ignarus rerum ingratusque salutis,
Et duplices cum voce manus ad sidera tendit:
Omnipotens genitor, tanton me crimine dignum
Duxisti, et tales voluisti expendere poenas?
Quo feror? unde abii? quae me fuga, quemve reducit?
Laurentesne iterum muros aut castra videbo?
Quid manus illa virum, qui me meaque arma secuti?
Quosque — nefas — omnes infanda in morte reliqui?
Et nunc palantes video, gemitumque cadentum
Accipio. Quid ago? aut quae iam satis ima dehiscat
Terra mihi? Vos o potius miserescite, venti;
In rupes, in saxa — volens vos Turnus adoro —
Ferte ratem, saevisque vadis immittite Syrtis:
Quo neque me Rutuli nec conscia fama sequatur.
Haec memorans animo nunc huc, nunc fluctuat illuc,
An sese mucrone ob tantum dedecus amens

rum ordinem nondum satis expolitum esse intelligo.

662. *demittit morti* cf. 2, 398.

666. *Ignarus rerum* nescit a quo aut qua de caussa haec sibi facta sint. — *ingratus salutis*, de gen. cf. 1, 4. Vitae servatae ingratus, nam cogitat modo infamiam, fugisse quod ex proelio videatur.

667. *duplices manus* cf. 1, 93. Et manus et vox *tenditur* cf. 2, 405.

669. *expendere poenas* cf. 2, 229.

670. *reducit* sc. ex acie M. al. Serv. — *reducit* c. sc. ad socios; sed de ea re loquitur versu sequente. — *quemve* „qualem“ S. Quo perventurus sit ipse nescit; quare etiam dubitat, num iterum visurus sit Laurentes.

671. Idne de me impetrabo, ut videam post tantum flagitium.

672. Quid dicent et agent illi, qui mea caussa in bellum profecti nunc in medio mortis periculo a me relicti sunt.

673. *quosque* MR rec. *Pl.* *quosve* Pγc *quosne* b rec. *Wg.* *Rb.* *Ld.* „Asper *quosne* legit et annotavit *ne* pro *ve*, quasi expletiva particula.“ S. in aliquot. Itaque hoc loco satis firmari non constat. Latini poetae interrogationem annectunt etiam relativo, quod nobis non licet. cf. Catull. 64, 180 *an patris auxilium sperem, quemne ipsa reliqui; — Coniugis an fido consoler memet amore, quine fugit lentos incurvans gurgite remos?* Hor. Sat. 1, 10, 21. Sil. 10, 69 *quando certamen inire cuine viro mallem memet componere.* Apud scriptores certus locus non exstat; unus affertur Val. Max. 9, 13, 1. cf. Gr. §. 419. An. 5. — *infanda* cf. 2, 3.

674. Qui non procul erat a loco, ubi Aeneas appulerat, poterat certe proelium conspicere et tumultum audire.

675. *quid ago* cf. 12, 637. — *terra mihi dehiscat* cf. 4, 24.

676. Misericordes habet eos, qui sibi mortem inferant; mors enim minus malum flagitio.

677. *adoro*, venti enim dii sunt.

678. *Syrtis* genitivus est, atque ita iam S. accepit: „immittite me ad saeva vada syrtium. „Ubi arenosa sunt loca, syrtes vocantur.“ S. cf. 1, 111. *Pl.* del. *saevisque v. i.* S. Sic Turnus vellet, ut alter Robinson, in rupe exponi, in qua famam Rutulorum iniquam non audiat. Sed vult mori aliquo modo, ne audiat.

681. *Amens* de poetae sententia adiectum est. — *se mucrone induat.* Cf. Caes. BG. 7, 73 *se ipsi acutissimis vallis induebant* et c. 82 *se ipsi stimulis inopinantes induebant.* Liv. 44, 41 *induissent se hastis, sie stürzten, verwickelten sich in.* Sed quaeritur, sitne in iis locis dativus an ablativus, et Voss ad G. 1, 185 hoc loco scribi iubet *mucroni*, quod est in P1R, sed *mucrone* in MP2γbc, ap. Prisc. et Serv. Quod probum, neque enim dicitur *induere se vesti*, sed *veste*.

Induat et crudum per costas exigat ensem,
Fluctibus an iaciat mediis et litora nando
Curva petat Teucrumque iterum se reddat in arma.
Ter conatus utramque viam, ter maxima Iuno
Continuit iuvenemque animo miserata repressit.
Labitur alta secans fluctuque aestuque secundo,
Et patris antiquam Dauni defertur ad urbem.
At Iovis interea monitis Mezentius ardens
Succedit pugnae, Teucrosque invadit ovantes.
Concurrunt Tyrrhena acies, atque omnibus uni,
Uni odiisque viro telisque frequentibus instant.
Ille, velut rupes, vastum quae prodit in aequor,
Obvia ventorum furiis, expostaque ponto
Vim cunctam atque minas perfert caelique marisque,
Ipsa immota manens: prolem Dolichaonis Hebrum
Sternit humi, cum quo Latagum Palmumque fugacem,
Sed Latagum saxo atque ingenti fragmine montis

682. *crudum* ensem „crudelem. *cruentum*“ S. ut 12, 507. Ita *crudescit pugna* 7, 788. 11, 833.

683. *iaciat*, iniiciat cf. 9, 711.

685. *utramque*, *viam* mortis et reditus in castra.

686. „*animo* vulgo editum inde ab Aldd. idque tuetur pars codd. Pierii et Heinsii . . . *animi* M et R habent aliique“ *Wg.* ed. mai. *Rb.* tacet. *animo* rec. *Wg.* ed. mai. *Pl.* *animi* *Hn.* *Rb.* et *Ld.*, *Wg.* ed min., *qui animi* habent locativum cf. 6, 332. *Miserari animi* non minus dici potest quam *animi pendeo*, *excrucior* cf. Gr. §. 268 An. 3.

687. *fluctuque aestuque secundo* cf. Ov. M. 13, 630 *Utilibus ventis aestuque secundo intrat Apollineam . . . urbem.* 728 *remis aestuque secundo.* cf. 11, 627.

688. *Dauni ad urbem* „Ardeam et ideo sic longe, ne ex propinquo statim rediret, et ut eum affectus retineret parentis.“ S.

689—754. Mezentius aciem sua fortitudine sustentat.

689. Iuppiter totum proelium regit ex fato: hinc etiam Mezentio iniicit eam mentem, ut in Turni absentis et frustra exspectati locum succedat pugnae i. e. in se pondus certaminis suscipiat.

690. *ovantes*: Quae ovatio sit dictum est 3, 538. Inde *ovare* est vincere et laetari, ut is qui victoriam reportavit laetari solet. Sic 3, 189. 544. 4, 543. 577 et *victor ovans* 5, 331. 9, 208. Inde iunxit Sil. 16, 520 laetus *ovansque.* Inde Vgl. flammas dicit ovantes v. 409, quae auctae exsurgunt.

691. Mezentio conspecto, omnes Tusci, qui Mezentii odio ducti Troianis se adiunxerant, in eum unum feruntur. Is autem immobilis stat ut rupes in mari et multos telis deiicit.

693. *Ille velut rupes* sc. est. — *prodit.* *Tell: Felsenriff, das abgeplattet vorsprang in den See.*

694. *obvia ventorum furiis* ita Tib. 2, 4, 9 *Stare vel insanis cautes obnoxia ventis.* Sic *obvius* de rebus dicitur immotis et signat expositus 3, 499. Val. Fl. 1, 289 *fluctibus obvius Aulon.* 4, 657. Calp. Sic. 1, 10 *Silva rapido caput levat obvia soli.*

695. *Pl.* del. *caelique m. I. i. m. prolem*, ut *perfert* referatur ad Mezentium, ac forma comparationis emendetur; idque recte monet *sternit* ad *rupis* referri non posse comparationem, neque id voluit poeta.

696. *manens* R. al. *manent* M1 *manet* M2. *Rb.* rec. *manens* ne verbulo quidem addito de variata scriptura. Nisi ex *manens* errore ortum putarem *manent* et inde correctum *manet*, hoc praeferrem. At *immota manens* maxime ad comparandum valet.

697. *sternit humi* cf. 1, 193.

698. *Latagum — occupat os* cf. 12, 275.

699. *Occupare* non addito casu est praevenire. Sic. Ov. F. 1, 575. Stat. Theb. 7, 538. Additur etiam accusativus eius quem quis praevertit 9, 770. Ov. M. 12,

Occupat os faciemque adversam, poplite Palmum
Succiso volvi segnem sinit, armaque Lauso
Donat habere humeris et vertice figere cristas,
Nec non Euanthen Phrygium, Paridisque Mimanta
Aequalem comitemque: una quem nocte Theano
In lucem genitori Amyco dedit, et face praegnans
Cisseis regina Parim. Paris urbe paterna
Occubat; ignarum Laurens habet ora Mimanta.
Ac velut ille canum morsu de montibus altis
Actus aper, multos Vesulus quem pinifer annos
Defendit, multosque palus Laurentia, silva

343. Ea relatione verbum apud scriptores non videtur esse, nisi quod eodem fere modo Livius verbum cum infinitivo iunxit. Aliter est 12, 300 *occupat os flammis* et Val. Fl. 2, 621 *occupat Alcides arcum* i. e. arripit arcum quo se defendat, antequam hostis possit accedere et ferire.

700. *segnem* „qui vulneratus nihil iam efficere possit.“ S. cf. Liv. 22, 48 Numidae „*terga ferientes et poplites caedentes stragem ingentem fecerunt.*“ Hor. C. 3, 2, 15 *Mors . . . nec parcit imbellis iuventae Poplitibus timidove tergo.* Tirones ap. Romanos ad palum exercebantur poplites et crura succidere. Cf. Veg. 1, 11.

701. *donat habere* cf. 1, 66.

703. Mimantem Amyco peperit Theano ea nocte, qua Hecuba, Cissei filia (cf. 7, 320), Paridem dedit genitori Priamo.

704. *face praegnans* „quia antequam pareret, facem se peperisse vidit in somnis.“ S. cf. 7. 320.

705. *Parin* MPRγc rec. *Rb. Parin* dat *Wg.* et defendit in Quaest. Virg. 3. *Ld. creat* PRγc, *crepat* perfosso *p* M. Ad Parim „subaudis *Paris*, quod ut non diceret, metri est necessitate compulsus.“ S. Sed dudum offendebat ea nominis omissio; etiam *creat* praesens post perfectum de re eodem tempore facta usurpatum displicet. Quare receperunt certatim editores optimam Bentleii coniecturam ad Hor. Ep. 5, 28: *Parim. Paris urbe paterna.* rec. *Hn. Wg. Ld. Pl.* prob. *Mv.* Tamen *Pl.* coniectura Bentleiana non sanatum esse locum arbitratus coni. *Cisseis Priamo Paridem. Paris u. p.* et si *Paris* pro *creat* non librorum sit, *Wg.* proponit: *u. p. Occubat hic, Clarium L. h. o. M. Ignarus* h. uno l. passivum est, nam E. 6, 40 recte habetur activum cf. 6, 715. Ignarus i. e. ignotus opponitur ei, qui in urbe paterna sepultus est. *Paris* bis lectum semel omissum est, et ad versum supplendum offerebat se facile verbum *creat.* Et *Parim, Paris* Potterius in sex libris Parisinis se dicit invenisse. Idem invenit *Hr.* cf. Aeneidea Pref. p. 28. Itaque iam ante Servium ea verba corrupta sunt, neque ab eo, qui sua Servianis adiecit, id, quod in Parisinis esse dicitur lectum est; is enim addit: nam deest *qui*, ut sit *qui urbe paterna.*

706. *occubat* cf. 1, 547. — Qui uno die, una in urbe nati et amici erant, quam diversissimis in terris et diversissimo fato morti occubuere!

707. *ille — aper* cf. 11, 809.

708. Vesulus (Monte Viso) mons Liguriae, ad quem Padi est fons.

709. *defendit* „texit“ S. — *multosque* MRγbc „pro multosve (quod est in P, et rec. *Rb.*). Non enim vicina est palus Laurentia monti Vesulo, ut possit unus idemque aper intelligi.“ S. Cf. 2, 37. „*Laurentia* pro *Laurens*, nam recta derivatio haec est.“ S. Neque alio loco Vgl., neque alius scriptor ea voce est usus, quum *Laurens* et *Laurentinus* ex lege formatum sit. Neque hoc solum est, quod offendit legentem. Nam, quum *multosque* pro *et quem multos* fertur, minus placet, quod verbo carent *m. p. L*, idque ex antecedentibus repetendum est. Deinde Servius: „*pastus* pro *pastum*, nam supra ait *quem.* Ergo Antiptosis est.“ Recte haesit in voce *pastus* et explicavit, ut potuit, ita tamen ut poetam male locutum esse doceret. Cuninghamus correxit *pastum in*; Bentleius l. l. legi iubet *pascit* vel *pavit*, quo medicamento sententia efficitur plana et sana. *Hn.* iungit: *ac velut ille aper, silva pastus, substitit.* Idque probabile esset, siquidem arundinea silva pastus esset etiam aper in Vesulo monte; sed talis silva est in palude Laurentina. Itaque etiam haec explicatio recte iuncta verba esse non probat. Accedit, quod schol. Cruqu. Hor. Sat. 2, 4, 42 laudat *pastus*

Pastus arundinea, postquam inter retia ventum est,
Substitit, infremuitque ferox et inhorruit armos;
Nec cuiquam irasci propiusque accedere virtus,
Sed iaculis tutisque procul clamoribus instant:
Haud aliter, iustae quibus est Mezentius irae,
Non ulli est animus stricto concurrere ferro:
Missilibus longe et vasto clamore lacessunt.
Ille autem impavidus partes cunctatur in omnes,
Dentibus infrendens, et tergo decutit hastas:
Venerat antiquis Corythi de finibus Acron,
Graius homo, infectos linquens profugus hymenaeos:
Hunc ubi miscentem longe media agmina vidit,
Purpureum pennis et pactae coniugis ostro:
Impastus stabula alta leo ceu saepe peragrans,

siliquis et arundine longa; quod si is e memoria repetiit neque de scripto transtulit, tamen alia legisse videtur, quam quae sunt in nostris libris. Hinc *Pl.* coni. *Defendit*, *Laurensque palus uligine et ulva Pavit arundinea.* Iam iterum antiquissimis temporibus Virgilii verba turbata esse deprehendimus. Unum restat, ut *multosque* etc. dicamus esse pro *et ille*, *quem multos annos defendit* etc. eamque firmare videntur explicationem quae dicta sunt 1, 701. — Litus Laurentinum paludosum et arundinosum erat: et apros Laurentes memorat Hor. Sat. 2, 4, 42 *Aper Laurens ulvis et arundine pinguis;* qui non placuit gulosis eius temporis hominibus. Laurens aper memoratur Ov. Fast. 2, 231. Mart. 9, 48. 5. De palude cf. 12, 745. Apros autem retibus cingi a venatoribus docent Ov. M. 8, 33. Tib. 4, 3, 17.

711. *inhorruit armos* „erexit saetas" S. Id dixit Ov. Hal. 59 *Actus aper saetis iram denuntiat hirtis.*

712. Ira enim propius ducit ad hostem.

713. *Tutis clamoribus* admodum placet: ex tuto clamant, neque audent accedere.

714. „*Odio esse aliquem* usitatum, *irae esse* inventum Maronis est." Macr. 5, 6, 6.

717. *Cunctatur*, dubitat, in quos potissimum prorumpat.

718. Quo ordine hi versus leguntur, in libris sunt, atque eum ordinem servavimus, quod subest sententia probabilis. — *Dentibus infrendens* etiam dicitur Hercules 8, 230, ut de homine h. l. dici non possit indignum videri; *tergo* autem accipiendum est pro *clipeo*; ut saepius, neque timendum erat poetae, ne quis apri intelligeret tergum. Et sic ap. Stat. Theb. 2, 590 *ferroque micantia tela decutit.* Tamen hos versus iam Scaligerus aliique summi acuminis homines eo ordine disposuerunt, ut qui sunt 717 et 718. ante v. 714—16 legerentur; quo ordine fit, ut quae v. 717 et 18 leguntur, non ad Mezentium, sed ad aprum pertineant, ad quem vel aptius referuntur. Eum ordinem sequuntur *Rb. Ld.* Aper tergo suo decutit hastas. Sic ap. Sil. 4, 620 elephas *silvam ingentem* iaculorum *concusso corpore vibrat.* — Intra paucos versus (cf. 696. 705. 709) ea insunt vulnera, quae nonnisi gravi curatione possunt sanari. Et ita turbata sunt verba iam ab antiquissimis temporibus, ut probabile sit ipsum Virgilium versus non ita absolvisse, ut ab omni parte probandi fuerint. Sic ad h. l. *Rb.*: Fortasse ordo versuum 714—19 ipsius autographi additamentis quibusdam in margine adscriptis turbatus est."

719. *antiquis de finibus* i. e. antiqua fama nobilitatis. cf. v. 531. — *Corythus* cf. 3, 170.

720. *Graius homo*: Poeta sequi videtur eam narrationem, a Dionysio servatam, qua Pelasgi Crotonem Aboriginum aliasque urbes Etruriae incoluerint. Potuit etiam hunc ex Graecia profugum fingere ut Demaratum, Prisci patrem. Qui fuerint illi Pelasgi quantum sciri potest, collegit Odofr. Muellerus. Ob petitas nuptias eiectus est. Pelasgi apud Vgl. omnino Graeci sunt 2, 83. 6, 503. Utroque in loco sunt Graeci, qui ad Troiam bellum gesserunt.

721. *miscentem agmina* „perturbantem." S. cf. 1, 191.

722. *purpureum pennis* cf. 7, 483.

723. *impastus* (inde esuriens) cf. 560. — *Saepe* est quidem in comparationibus cf. 1, 148; sed hoc loco iunge cum *peragrans*, atque ita explica: *ceu leo qui saepe iam stabula peragraverat.* Suadet enim fames qua cogitur saepius

Suadet enim vesana fames, si forte fugacem
Conspexit capream, aut surgentem in cornua cervum,
Gaudet, hians immane, comasque arrexit, et haeret
Visceribus super incumbens; lavit improba taeter
Ora cruor;
Sic ruit in densos alacer Mezentius hostes.
Sternitur infelix Acron, et calcibus atram
Tundit humum exspirans, infractaque tela cruentat.
Atque idem fugientem haud est dignatus Oroden
Sternere, nec iacta caecum dare cuspide volnus;
Obvius adversoque occurrit, seque viro vir
Contulit, haud furto melior sed fortibus armis.
Tum super abiectum posito pede nixus et hasta:
Pars belli haud temnenda, viri, iacet altus Orodes.
Conclamant socii laetum paeana secuti.
Ille autem exspirans: Non me, quicunque es, inulto,
Victor, nec longum laetabere: te quoque fata
Prospectant paria atque eadem mox arva tenebis.
Ad quem subridens mixta Mezentius ira:

spe frustrata iterum iterumque locum peragrare; inde maior etiam leonis furor est: *si tandem conspexit, gaudet.* Compara 9, 339. — *Stabula* autem *alta* ferarum sunt silvae, ut 6, 179. 9, 388. Val. Fl. 2, 548. Ov. M. 6, 521 *rex natam in stabula alta trahit, silvis obscura vetustis. Pl.* coni. *l. ceu saepe leo stabula alta pererrans.*

724. *Suadet* de rebus inanimis 2, 9. — *fugacem*, velocem, ut fuga de celeri dicitur motu cf. 1, 317.

725. *surgentem in cornua cervum* „cornibus eminentem" S. cf. Ov. M. 10, 538 *celsum in cornua cervum*, et praepositionem simili modo usurpatam vide 9, 749. Ad rem cf. 1, 189.

726. *immane* adv. cf. 8, 489. — *arrexit:* „naturale enim, ut irati leones erigant iubas." S.

727. *improba*, nimis voracia. Sic possunt explicari 12, 250, imprimis G. 1, 119. 3, 431. Omnino *improbus* est nimius cf. 2, 356.

731. *exspirans* cf. Hor. Ep. 5, 91. Plin. Pan. 57 *exspirante libertate.* — *infracta* i. e. fracta cf. 5, 784. Val. Fl. 3, 287 *infracta pectore tela.* Ad rem cf. 9, 412.

732. Non fugit formidine, sed alio quo casu coactus, nam fortis est cf. 737. — Noluit autem Mezentius fugientem occidere, sed modo adversum. — Sunt qui fugientem explicant praetervehentem; quod placet, nisi quod nimis obscure dictum esset. — *dignor* c. inf. 4, 192.

733. *caecum volnus*, quod non ante cernitur, quod in tergo est, *caecus* passive cf. 6, 715.

734. *obvius occurrit adverso* cf. v. 552.

735. *furto* „i. e. insidiis" S. cf. 6, 568. — *fortibus armis* qua ratione dictum sit cf. 4, 11. — *melior* c. abl. cf. 9, 40. — Quaesita est soni similitudo in *furto* et *fortibus.* Cuius rei exempla alia proferre propterea inutile est, quod quavis sunt in lingua, quum omnibus hominibus innatum sit, si hoc dicere licet, in verbis similis soni quaerere acumen; in singulis vero quid ineptum, quid aptum videatur, vacillat hominum iudicium et variat. Cf. 1, 684. 2, 494. 9, 89. 12, 139.

736. *abiectum*, prostratum.

738. *Socii Mezentii* conclamant paeana i. e. canunt victoriam. Cf. 11, 622. *Pl.* coni. *laeto paeane secuti*, ut 9, 54. 636. Sed non opus.

740. Saepe caesi caedentibus futuram mortem praedicunt, ita Patroclus Hectori Hom. Il. 16, 851, Hector Achilli 22, 358; nam morti vicini futura videntur praevidere. Cf. Cic. de div. 1, 30. Et est aliqua ulciscendi ratio. — *Longum* expl. Ld. ad normam *id te hortor* sive *longam laetitiam laet.* Ego *longum* sumo esse pro *longum tempus* sive *diu.*

742. *ad quem* MRbc i. e. cui; ita 1, 64. *ad quem subridens* sc. dixit Iuv. 2, 38. *ad quae* PVγ rec. *Ld. Rb.* — *subridens:* Ex hoc et sequentibus videmus, nihil hoc vaticinium ferocem eius animum mitigasse. Tu morere, de me noli curare.

Nunc morere! Ast de me divom pater atque hominum rex
Viderit. Hoc dicens eduxit corpore telum.
Olli dura quies oculos et ferreus urguet
Somnus, in aeternam clauduntur lumina noctem.
    Caedicus Alcathoum obtruncat, Sacrator Hydaspen,
Partheniumque Rapo et praedurum viribus Orsen,
Messapus Cloniumque Lycaoniumque Ericeten;
Illum infrenis equi lapsu tellure iacentem,
Hunc peditem pedes. Et Lycius processerat Agis:
Quem tamen haud expers Valerus virtutis avitae
Deiicit; at Thronium Salius, Saliumque Nealces,
Insignis iaculo et longe fallente sagitta.
    Iam gravis aequabat luctus et mutua Mavors
Funera; caedebant pariter pariterque ruebant
Victores victique; neque his fuga nota neque illis.
Di Iovis in tectis iram miserantur inanem
Amborum, et tantos mortalibus esse labores;
Hinc Venus, hinc contra spectat Saturnia Iuno;
Pallida Tisiphone media inter milia saevit.
At vero ingentem quatiens Mezentius hastam
Turbidus ingreditur campo. Quam magnus Orion,

744. *viderit* cf. 33. Sic Ov. Her. 12, 211 *viderit ista deus.* — *Eduxit telum*, ut moreretur cf. Nep. Ep. 9.

745. *Ferreus somnus* est mors ut ap. Hom. Il. 11, 241 *ὥς ὁ μὲν αὖθι πεσὼν κοιμήσατο χάλκεον ὕπνον.* Ferrea dicuntur, quae frangi nequeunt cf. 6, 630. *urguet* cf. Hor. C. 1, 24, 5 *Ergo Quintilium perpetuus sopor urguet.* 4, 9, 26 *Omnes illacrimabiles urguentur ignotique longa nocte, carent quia vate sacro.* Idem 12, 309. 10.

747. „Hoc loco est confusio in aliquot nominibus. Nam quis sit Troianus, quis Rutulus ignoratur.“ S. Sed facile colligitur. — *Pl.* coni. *Sarclator* negatque *rcl* in nomine proprio facere positionem.

748. „*Rapon* dicitur sicut Tarchon, sed metri caussa *n* detraxit, ut . . . supra.“ S. Cf. 8, 603.

749. Lycaonium, Lycaonis filium. cf. 123.

750. Et *infrenis* et *infrenus* dicitur cf. 4, 8.

751. *Lycius Agis processerat* „sc. contra Messapum dimicaturus“ S. Sed a Valero occiditur, antequam ad Messapum pervenit.

753. *deiecit* Rc1 rec. *Rb.* *deicit* MPVγb.

754. Idem paene versus 9, 572. — *iaculo et sagitta.* Servius explicat: „iactu longe fallentis sagittae. Nam ἓν *διὰ δυοῖν* dixit.“ Item 5, 68, qui locus eam explicationem videtur firmare.

755—790. Mezentius ab Aenea vulneratur.

755—7. Pugna est anceps.

756. Sic verba opposuit Sil. 16, 70 *Nec pugnae species, sed poenae tristis imago illa erat: hinc tantum caedentum atque inde ruentum.*

757. *nec his fuga nota.* Hanc dictionem confer cum illo *cedere nescius* Horatii.

758. Dii ipsi miserantur hominum sortem, qui ita frustra cadunt, quum in ducibus positus belli sit exitus. Aliter Servius: „Ubi enim tam inanis iracundia est, quam in bello, ubi ut pereamus irascimur.“

759. *amborum* i. e. utrarumque partium.

760. Inter deos memorantur, quibus exitus maxime est cordi. — *hinc* — *hinc* pro hinc — illinc cf. 9, 572.

761. Notum phantasma; pro *Ἔρις, Ἐνύω, Κῆρ*, Furia in proelio circumvolitat. Cf. *die nordischen Walkyren.* His versibus facit quasi prospectum imaginis, in qua Aeneas cum Lauso et Mezentio pugnans inducitur. *Pl.* versum delet.

763. Mezentius comparatur cum Orione ad proceritatem corporis; Orion enim tantae erat magnitudinis, ut per mare posset ingredi. — *turbidus* cf. 12, 10.

Quum pedes incedit medii per maxima Nerei
Stagna viam scindens, humero supereminet undas;
Aut summis referens annosam montibus ornum
Ingrediturque solo et caput inter nubila condit:
Talis se vastis infert Mezentius armis.
Huic contra Aeneas, speculatus in agmine longo,
Obvius ire parat. Manet imperterritus ille,
Hostem magnanimum opperiens, et mole sua stat;
Atque oculis spatium emensus, quantum satis hastae:
Dextra, mihi deus, et telum, quod missile libro,
Nunc adsint! voveo praedonis corpore raptis
Indutum spoliis ipsum te, Lause, tropaeum
Aeneäe. Dixit, stridentemque eminus hastam
Iecit; at illa volans clipeo est excussa, proculque
Egregium Antoren latus inter et ilia figit:
Herculis Antoren comitem, qui missus ab Argis
Haeserat Euandro, atque Itala consederat urbe.
Sternitur infelix alieno volnere, caelumque
Adspicit, et dulces moriens reminiscitur Argos.
Tum pius Aeneas hastam iacit: illa per orbem
Aere cavum triplici, per linea terga, tribusque

764. *stagna* maris cf. 1, 125.

765. *viam scindere* ut *viam secare* cf. 6, 900. — *supereminet* cum acc. cf. 1, 501. Avien. d. t. 610 *Gadir supereminet undas*.

767. Idem v. 4, 177.

769. „Hic quidem confidenter dico perversam esse agminis longi appellationem, quae longam aliorum post alios incedentium seriem significat, rem ab hoc loco alienam (?) scriptumque a poeta puto, quod in codice Minoraugiensi est *longe*, eo quidem magis, quod in R a prima manu est LONG.“ *Mv.*

770. *imperterritus*, quam vocem repetit Sil. 14, 188, improbat Quint. 1, 5, 65, quod duabus praepositionibus inter se pugnantibus composita sit. Eiusdem notae est *indefessus* 11, 651. Ov. Met. 9, 199. Tac. An. 16, 12. et significant ganz und gar nicht erschreckt, müde.

771. *mole sua stat*: firmatur ipsa sua magnitudine et gravitate, ita 7, 589 et Luc. 1, 136 sq. *quercus . . . nec iam validis radicibus haerens pondere fixa suo.*

773. Ut hoc loco telum, ita hasta invocatur 12, 95. — Mez. deum contemptor non advocat deos in auxilium, nec diis quidquam vovet, sed sua vi fretus est ut Aiax ap. Soph. v. 768 sq. et Capaneus ap. Stat. Theb. 3, 615: *virtus mihi numen et ensis, quem teneo.*

774. *praedonis* Aeneae. Ita iam 7, 362 dicitur Aeneas, qui locus hunc explicat. — Lause, tu indutus eris spoliis Aeneae detractis quasi tropaeum, i. e. insigne victoriae meae. — *adsint* cf. 1, 734.

777. *iecit at* M2Pc rec. *Wg. Rb.* *iecit ad* Rb, *iccit* M1. In aliis Mss. est *iniicit*, *coniicit*, *eiicit*, varia versus explendi conamina, postquam illud *at* errore omissum erat. — Hasta stringit Aeneae clipeum et deflexa in Antore figitur. — *procul*, tantis viribus iacta est.

778. *Antorem* MPRγc *Antoren* b et S. qui: „erit nominativus hic *Antores*, quomodo *Diores*. Nam si *Antor* fuerit nominativus, metri ratio non procedit“ siquidem Graece flectitur, non Latine. *Antoren* rec. *Hn. Wg. Rb.*

779. *Missus* fingitur ab ea urbe, unde sponte profectus est; sic 6, 813. Sic Virbium 7, 762 *Aricia misit.*

780. *Haerere alicui* dicitur comes cf. 4, 73 et Plin. Ep. 7, 27. — Is igitur, amore Evandri captus, in Italia remansit et cum Pallante in bellum profectus est.

781. *alieno vulnere* i. e. telo non in sua vulnera misso. *Caelum adspicit:* Cf. quae ad 4, 692 dicta sunt.

782. Patriae desiderio capitur moriens, qui quod noluit in patriam cum Hercule reverti, in aliena terra occiditur.

784. *linea terga:* „Lino enim tegebantur scuta, ut posset inhaerere pictura.“ S. Sed aliter poeta rem sibi videtur fin-

Transiit intextum tauris opus, imaque sedit
Inguine; sed vires haud pertulit. Ocius ensem
Aeneas, viso Tyrrheni sanguine laetus,
Eripit a femine et trepidanti fervidus instat.
Ingemuit cari graviter genitoris amore,
Ut vidit Lausus, lacrimaeque per ora volutae.
   Hic mortis durae casum, tuaque optima facta,
Si qua fidem tanto est operi latura vetustas,
Non equidem, nec te, iuvenis memorande, silebo.
Ille pedem referens et inutilis inque ligatus,
Cedebat, clipeoque inimicum hastile trahebat.
Proripuit iuvenis seseque immiscuit armis;
Iamque adsurgentis dextra plagamque ferentis
Aeneae subiit mucronem, ipsumque morando

xisse, scilicet triplex aes et corium iunguntur lino, quo magis aptentur. — Iunge *uccum acre triplici.* Tribus laminis aereis et tribus tergoribus taurinis constat clipeus, inductum est linum. — Linum etiam ad tutandum adhibebatur; certe Iphicrates militibus suis loricas dedit linteas.

786. Non potest tantum penetrare, ut mortem afferat. — *vires pertulit* cf. 12, 907.

789. Crudelissimo patri poeta optimum tribuit filium, simul mutuum inter eos amorem fingit, atque ita humanum expressit animum, qui habere vult quod diligat, et si minus habet, id quod habet eo maiore amore amplectitur. Mezentius omnino homo est, in quo multa sunt laudabilia, fortitudo, amor in filium, virium conscientia, qua nihil furtim agere vult. Sed crudelis est in homines, quos ut viles contemnere didicit; deos autem precibus non flecti, sed ex fato omnia constitui putans, non opus habet eos colere. Eum non esse *ἄθεον* docent v. 743. 745.

791—832. Lausus caeditur.

791. „Duram mortem ad aetatem retulit adolescentis.“ Don. — *Mortis casum* Cicero dixit CM. 19. — Iam Servius in libris invenit et *optime* et *optima*, et in M. est *optimac* transfixo *a*, in R. *optime* in b2 *optima*. *Optima* iam includit et pietatem Lausi et fortitudinem, et *optime* ob alterum vocativum *miserande* invenustum est. *Optima facta* cf. 2, 547 *tristia facta*.

792. „*Tanto operi* non de suis carminibus dicit, nec enim sibi arrogaret; sed tanto operi i. e. pietati et virtuti tuae. Nam hic est sensus: Ego quidem facta tua o Lause et mortem ex pietate venientem non silebo; si tamen credet vetustas, ex scelerato homine pium filium fuisse procreatum.“ S. Sed id filium pro patre se morti offerre in proelio non ita rarum erat, ut vetustas non crederet. Quod quum unice spectarent interpretes et quae Servius monuerat negligerent, in aliam sententiam delapsi sunt, ut dicerent tanto operi esse poemati, quo tantas res complector. Quod si servabitur, tu etiam laudaberis ob merita tua. Hoc etiam Donatus accipit. cf. 9, 446. Ita *opus* Ov. M. 15, 871: *Iamque opus exegi, quod nec Iovis ira nec ignis Nec poterit ferrum nec edax abolere vetustas. De me nulla unquam obmutescet* vetustas Cic. Mil. 35, cf. Ov. M. 1, 445 *Pl.* coni. *Ne qua fidem tantam possit delere vetustas.*

794. *Inutilis*, quod vulnere est debilitatus, ita 2, 647, plenius Ov. Her. 1, 105 *inutilis armis*, Sil. 7, 105 *bello*. Illigatus est hasta per scutum in corpus adacta.

796. *proripuit* Mγbc — *prorupit* PR rec. *Rb.* — *Proripere* cf. Hor. C. 1, 8, 13 *Quid latet, ut marinae filium dicunt Thetidis sub lacrimosa Troiae funera* (Achillem apud Lycomedem), *ne virilis cultus in caedem et Lycias proriperet catervas.* Et celeritatis et impetus in hoc inest notio, in *prorupit* virium, ut 379. Ad *proripuit* facile adiunges *sese*, aut explicabis ad normam, quae est ad 1, 104.

797. *assurgentis dextra* i. e. sublata ad ictum dextra cf. 9, 749. — Lausus excipit plagam in patrem actam.

Sustinuit; socii magno clamore sequuntur,
Dum genitor nati parma protectus abiret;
Telaque coniiciunt proturbantque eminus hostem
Missilibus. Furit Aeneas tectusque tenet se.
Ac velut, effusa si quando grandine nimbi
Praecipitant, omnis campis diffugit arator,
Omnis et agricola, et tuta latet arce viator,
Aut amnis ripis, aut alti fornice saxi,
Dum pluit in terris, ut possint sole reducto
Exercere diem: sic obrutus undique telis
Aeneas nubem belli, dum detonet omnis,
Sustinet, et Lausum increpitat Lausoque minatur:
Quo moriture ruis, maioraque viribus audes?
Fallit te incautum pietas tua. Nec minus ille
Exsultat demens. Saevae iamque altius irae
Dardanio surgunt ductori, extremaque Lauso
Parcae fila legunt: validum namque exigit ensem
Per medium Aeneas iuvenem, totumque recondit.
Transiit et parmam mucro, levia arma minacis,

800. *dum genitor abiret*: de coniunctivo cf. 1, 5.

801. *Proturbant*, non modo student proturbare, sed revera proturbant Aeneam a Mezentio, quum se inter Aeneam et Mezentium inferant.

802. *Furit* ob ereptum sibi hostem, tamen se ipsum tegere cogitur iaculorum multitudine, nec potest in hostem impetum facere. Sed tectus se tenet, ut agricola, qui imbrem vitans se abscondit, ut eo finito redeat ad opus suum. Sic Aeneas, tardato hostium furore, in Lausum prorumpit.

804. *diffugit* perfectum recte, antecedit enim tempore illi *latet*. Comparatio autem vertitur in *latet arce viator* ut *scuto Aeneas*. Tamen in eo haereo, quod non dictum est *diffugit arator et latet;* sed *diffugit arator et latet viator*. Nec quid intersit inter agricolam et aratorem satis apparet, nec cur et arator et viator memoretur, viator autem in *latet* solus comparetur, quum *diem exercere* magis agricola significatus esse videatur. Neque *tuta arce* nec *arte latere* iterum exponi per *amnis ripas* et *fornice saxi* satis placet. Praeterea attende dictum esse *agricola diffugit* pro *agricolae diffugiunt* in re, in qua singularis locum videtur non habere cf. Gr. §. 360.

805. *arce* vulg. — *arte* MPRγc et S.: „quod scilicet *perite* se a tempestate defendunt.“ Longe praestat vulgata. *Arx* enim (cf. *arceo*) omne quod tuetur et defendit cf. 2, 322. *campis* — *agricola et* ei. *Rb.* min.

807. *dum pluit in terris;* ita Lucr. 6, 630 *Quum pluit in terris et venti nubila portant*. Exquisitum nec rationi contrarium pro *in terras*. Serv. tamen „*dum pluit*: hic distinguendum; nam si iunxeris *dum pluit in terris*, erit archaismus, debuit enim dicere *in terras*.“ *pluit* γhc, *pluvit* expuncto *o* M. *pluvit* PR rec. *Rb.* — *possit*, sed addito *n* MR *possint* al., quod a correctore putaverat ortum *Ih.* rec. *Wg. Rb.* et postea *Ih.*

808. *exercere diem* i. e. diei laborem. cf. 8, 94.

809. Ita *sustinet:* „bellantum impetum sustinet, donec deferveat. Et bene translationem fecit a vicina comparatione.“ S. *Detonare abdonnern*, ut Val. Fl. 4, 294 *dum detonet ira*. Ov. Trist. 2, 35 Iuppiter *ubi detonuit, purum discussis aera reddit aquis*. *Pl.* eiicit v. 803—9.

811. Tu in mortem aperte ruis, tu me viribus maiorem aggrederis, cave ne tibi pietas tua fraudi sit. Vides Aeneam parcere velle pio filio. In ipsius autem morte commoratur Vgl., et vel vestitum sanguine foedum describit, ut misericordiam moveat eius, qui admodum adolescens perit pietate sua.

813. *Irae altius surgunt* cf. 1, 209.

817. *transiit* MPγb, *transit* R prob. *Lch.* rec. *Ld.*, *transilit* c. et Mentelianus et Minoraugiensis rec. *Rb.* cf. 785. — *minacis* Lausi. Et levioribus armis, parma scilicet, instructus est Lausus, quam ut posset minari Aeneae.

Et tunicam, molli mater quam neverat auro;
Implevitque sinum sanguis: tum vita per auras
Concessit maesta ad Manes corpusque reliquit.
At vero ut voltum vidit morientis et ora,
Ora modis Anchisiades pallentia miris,
Ingemuit miserans graviter, dextramque tetendit,
Et mentem patriae strinxit pietatis imago.
Quid tibi nunc, miserande puer, pro laudibus istis,
Quid pius Aeneas tanta dabit indole dignum?
Arma, quibus laetatus, habe tua; teque parentum
Manibus et cineri, si qua est ea cura, remitto.
Hoc tamen infelix miseram solabere mortem:
Aeneae magni dextra cadis. Increpat ultro
Cunctantes socios, et terra sublevat ipsum,
Sanguine turpantem comptos de more capillos.
Interea genitor Tiberini ad fluminis undam
Volnera siccabat lymphis, corpusque levabat
Arboris acclinis trunco. Procul aerea ramis

818. *molli auro* cf. v. 138.

819. *vita* cf. 12, 952.

822. *modis miris* cf. 1, 354.

823. *ingemuit graviter* ut v. 789. In alius casu, quid sibi ipsi possit accidere cogitat. — *dextram tetendit*, ut solent ii, qui simul et horrent et miserescunt, supra eum qui caussa est horroris et misericordiae, manum tendere, oculis in ipsum defixis.

824. *strinxit M.* rec. *Ld.* quod videtur translatum a 9, 294, ubi idem v.; sed solet variare Vgl. in uno alterove vocabulo cf. 6, 901. *subiit* c. translatum videtur ex 2, 560 rec. *Wg. Rb. subit* R. cf. 817. *Imago* est cogitatio animo obiecta ita 2, 560. 6, 405. Ut autem hic versus recte intelligatur, poeta Aeneam 822 dixit *Anchisiaden*.

825. *pro laudibus* cf. 1, 461. *istis* cf. 9, 252. „Quia et contra fortiorem et pro patris salute dimicare conatus est." S. Quid ego tibi, cuius me pietas movet, aliud praestare possum, quam ut arma tibi relinquam et ad tuos sinam corpus referri, ut iusto funere sepeliaris?

827. „Moris enim fuerat, ut cum his rebus homines sepelirentur, quas dilexerant vivi." S. Cf. 6, 221.

828. *si qua est ea cura:* si id tibi potest ullius momenti videri, quem vita spoliavi. *Ld.* explicat ut 7, 4, eam curam iam esse praestantissimam.

829. Similis sententia 11, 688 Camillae, et Achillis Ov. M. 12, 80. Non turpe esse a viro forti vinci etiam Pallas dixit v. 450. *Increpat ultro:* Ipse exhortatur ut Lausum honore afficiant, eos qui tale ab hoste non exspectant; inde *cunctantes*, non audentes adire. De *ultro* cf. 12, 3.

831. *comptos de more capillos* „antiquo scilicet more, quo viri sicut mulieres componebant capillos, quod verum esse et statuae nonnullae antiquorum docent et personae, quas in tragoediis videmus similes in utroque sexu, quantum ad ornatum pertinet capitis." S.

833 — 908. Mezentius filio caeso nihil iam vitae cupidus in pugnam recedit et ab Aenea occiditur.

834. *Volnera siccabat lymphis.* „Nove et physice locutus est, fluxus enim sanguinis aquarum frigore continetur." S. Secuti sunt alii sic Stat. Theb. 1, 527 *iuvenes siccati vulnera lymphis.* 10, 716 *undantem lacrimis siccare cruorem* (!) *levabat* γbc S. *lavabat* MPR. *Acclinis* de hominibus dicitur, *acclivis* de locis. Cf. Claud. Cons. P. et O. 114 *arbore fultus acclines humeros.* Val. Fl. 1, 147 *acclinisque tapeti.*

835. *Procul* quid sit, ex cuiusvis pendet iudicio; nunquam autem *procul* ex dicentis mente est *iuxta*, ut h. l. et Ecl. 6, 16 habetur ab aliquo, qui suas notas Servianis intulit. Ita 3, 14. 5, 124. 6, 10. per *iuxta* explicatur, quae notionum inversio plane absurda est.

Dependet galea, et prato gravia arma quiescunt.
Stant lecti circum iuvenes; ipse aeger, anhelans
Colla fovet, fusus propexam in pectore barbam;
Multa super Lauso rogitat, multumque remittit,
Qui revocent maestique ferant mandata parentis.
At Lausum socii exanimem super arma ferebant
Flentes, ingentem atque ingenti volnere victum.
Adgnovit longe gemitum praesaga mali mens.
Canitiem multo deformat pulvere, et ambas
Ad caelum tendit palmas, et corpore inhaeret.
Tantane me tenuit vivendi, nate, voluptas,
Ut pro me hostili paterer succedere dextrae,
Quem genui? Tuane haec genitor per volnera servor,
Morte tua vivens? Heu, nunc misero mihi demum
Exitium infelix! nunc alte volnus adactum!
Idem ego, nate, tuum maculavi crimine nomen,
Pulsus ob invidiam solio sceptrisque paternis
Debueram patriae poenas odiisque meorum:
Omnes per mortes animam sontem ipse dedissem.

836. Loricam et scutum in prato deponit, galeam suspendit in arbore. — *gravia* ut viri magni et robusti. — *Quiescunt*, quasi et ipsa laborem eius qui fert senserint: Germani: *die Waffen ruhen.*

838. *colla fovet*: „sustinens se arboris trunco" S. — *in pectore*: maior ita esse dicitur barba, quam si esset *in pectus*. *Mv.* rectius putat esse, *in pectora* ut Ov. Fast. 1, 259 *propexam ad pectora barbam* dixit, Sil. 13, 310 *propexis in pectora barbis.*

839. *multum* MP1Rγ1c1 *multos* γ2b2c2. Minore igitur fide est. Mezentius a filio mortis periculo servatus, quae eum circumstent mortis pericula cogitat; et quum absentes multo magis soleant timere homines, pater filium e proelio avocare studet, nihil iam memor laudis et gloriae, si modo sibi servaverit filium. Non puto haec male et contra humanam naturam esse composita, ut Mezentius, vir fortis et intrepidus, tamen vulnere debilitatus timeat pro filio unico. *Pl.* del. *multumque — parentis.*

841. *super arma* clipeum cf. v. 506.

842. Inest in versu ipso tarditas incedentium. Idem paene v. 12, 640.

844. *canitiem deformat pulvere* cf. 12, 611.

845. Utrumque quod dicitur h. v. celeriter unum alterum secutum est, nunc ad caelum tendit manus, nunc mortuo iniicit, et sic iterat. Id voluit indicare poeta, quum diversa per *et* particulam proxime componeret. Simile 9, 250. — *corpore inhaeret.* Cf. v. 361.

850. *exitium* MR. et fere omnes. Nunc tandem meum infortunium mihi ipsi infelix i. e. infortunium visum est. Ita 7, 129. *exilium* γc probavit *Gt.*, probam praebet sententiam: Nunc demum, quum te amiserim, me patria expulsum esse aegre fero; nihil enim iam restat, quo me consoler. Sed ipsum *exsilium* interpretari videtur vocem *exitium.* — *nunc alte v. adactum*, non ante, quum me vulnerabas 785. Et vulnus de hoc dolore etiam alibi dicitur. Cf. Nep. Dio 6 *Accepit parens gravissimum morte filii vulnus.* Sen. Cons. ad Helv. 3 *Gravissimum est ex omnibus, quae unquam in corpus tuum descenderunt, recens vulnus.* — *alte adactum* cf. Ov. M. 6, 266 *non alte percusso corde sagittā.* Is est sententiarum ordo: Nunc demum filio amisso exitium mihi adactum est; ego meo crimine etiam tuum nomen maculavi, teque etiam regno debito privavi. Equidem poenas merui, quas ut dedissem crudelissimas; nunc tu pro me luisti et ego vivo, sed moriar. — In morte cognati vel amici repetimus facile, quae ipsi fecimus, quibus vitae gaudia ei turbavimus. Ita se propter queritur Mezentius Lausum patria caruisse, quum ipse pro eo omnia mala ferre debuisset. — *solio* cf. 8, 541.

854. *dedissem* optantis est cf. 4, 678. — *omnes per mortes* „per omnia mortis genera." S. cf. 5, 359. Ov. F. 5, 469. *animam per vulnera reddas*; Sen. Oct.

Nunc vivo, neque adhuc homines lucemque relinquo!
Sed linquam. Simul hoc dicens attollit in aegrum
Se femur, et, quamquam vis alto volnere tardet,
Haud deiectus, equum duci iubet. Hoc decus illi,
Hoc solamen erat; bellis hoc victor abibat
Omnibus. Adloquitur maerentem et talibus infit:
Rhaebe, diu, res si qua diu mortalibus ulla est,
Viximus. Aut hodie victor spolia illa cruenta
Et caput Aeneae referes, Lausique dolorum
Ultor eris mecum, aut, aperit si nulla viam vis,
Occumbes pariter; neque enim, fortissime, credo,
Iussa aliena pati et dominos dignabere Teucros.
Dixit, et exceptus tergo consueta locavit
Membra, manusque ambas iaculis oneravit acutis,
Aere caput fulgens, cristaque hirsutus equina.
Sic cursum in medios rapidus dedit. Aestuat ingens

375 *Animam per fera tristem vulnera reddit.*

856. *simul hoc dicens* i. e. simulatque hoc dicit, attollit. cf. Liv. 22, 3 *haec simul increpans quum in equum insiluisset* etc. et 9, 391 et 12, 758 *simul fugiens*, *simul increpat*, duplici simul, et *simul his dictis* 5, 357. 11, 827. — *in femur*, in quo vulneratus erat ab Aenea.

857. *Vis tardat vulnere* i. e. tarda est, languet ita (Cic.) ad Brut. 1, 18 *an tardare et commorari te melius esset.* cf. 1, 104; apud Ciceronem est transitivum, et *Pl.* coni. *quamvis dolor alto volnere tardet* sc. Mezentium rec. *Rb.*; *Hf.* coni. *q. v. alti vulneris ardet.* Nam in M est *ardat* mutatum in *tardet*. *Tardet*, quod M2 et al. dant, a *tardeo* derivandum praestat, quum qui hoc verbum usquam praeterea legi non meminerant, in usitatum *tardare* mutaverint. *Tardere* autem ad normam verbi *albere* aliorumque formatum est. Restat alia explicandi ratio, ex norma, quae explicata est ad 3, 70. Scilicet *vis* vocabulum, ut *fortuna*, *valetudo* est vox media; itaque hoc loco: *der Mangel an Kräften* etc. Sic Ov. M. 7, 573 *Prosiliunt, aut si prohibent consistere vires, Corpora devolvunt in humum.* Liv. 2, 19 *Tarquinius Superbus, quamquam iam aetate et viribus erat gravior, equum infestus admisit.*

858. *deiectus* sc. animo.

860. *maerentem:* Equus ipse sentit domini luctum et simul luget. — *infit* cf. 5. 708. — Ex hominum indole est bestias, quibus adsueverunt, habere loco amicorum, quibuscum etiam colloquantur, quasi illae intelligant, quae dicantur. Ac vero sentire videntur. Hoc loco aptissimum, quod nullum animans restat, quod magis diligat equo. Similia Hom. Il. 8, 184. 19, 399.

861. *Rhaebe* MPRb2 *Rhoebe* bl et Macr. Aptissimum huic homini in summo infortunio de humanarum rerum imbecillitate et fluxu cogitatio. — *Res si qua diu mortalibus ulla est* „nemo dicit *si qua ulla*; sed *si ulla*. Vacat ergo *Qua*. Item in Lucilio *Et quem Pamphilum quaeris. Quem* vacat. Nam de uno loquebatur.“ S. cf. 1, 181 et similis abundantiae, siquidem dici licet, exemplum Cic. Fam. 13. 40 *Si ulla mea apud te commendatio valuit, haec ut valeat rogo.*

862. *cruenta* MPRγbc *cruenti* P. rec. *Rb.* Utrumque iam legisse videtur Servius. *cruenta illa spolia* sc. Aeneae.

863. *dolorum:* Vulneris ac mortis Lausi eris ultor mecum.

864. Si virtute (vi) non possumus contingere propositum. Similis formula: *si qua viam dederit fortuna* 11, 128 et 3, 395 *fata viam invenient.*

865. *Credo* interiectum verbis cf. 1, 387.

866. *dignabere pati. a. i. et Teucros.* Idem verbum duplici structura cf. 3, 180.

867. *exceptus tergo* „equo se praebente susceptus.“ Cf. Sil. 5, 148 *exceptus equo.*

868. *iaculis oneravit:* „aviditas saevientis exprimitur.“ S.

Uno in corde pudor, mixtoque insania luctu,
[Et Furiis agitatus amor, et conscia virtus;]
Atque hic Aenean magna ter voce vocavit.
Aeneas, agnovit enim, laetusque precatur:
Sic pater ille deum faciat, sic altus Apollo!
Incipias conferre manum.
Tantum effatus, et infesta subit obvius hasta.
Ille autem: Quid me, erepto, saevissime, nato
Terres? haec via sola fuit, qua perdere posses.
Nec mortem horremus, nec divom parcimus ulli.
Desine; nam venio moriturus, et haec tibi porto
Dona prius. Dixit, telumque intorsit in hostem;
Inde aliud super atque aliud figitque, volatque
Ingenti gyro; sed sustinet aureus umbo.
Ter circum adstantem laevos equitavit in orbes,
Tela manu iaciens; ter secum Troius heros
Immanem aerato circumfert tegmine silvam.
Inde ubi tot traxisse moras, tot spicula taedet
Vellere, et urguetur pugna congressus iniqua,
Multa movens animo iam tandem erumpit et inter
Bellatoris equi cava tempora coniicit hastam.

871. Simul pudore ob fugam, furore in hostem et luctu ob filium angitur. *mixtoque insania luctu* cf. 11, 807.

872. *Et furiis etc.* Idem v. legitur 12, 668. Hoc loco omittitur a M. R. aliisque, neque a Servio explicatur, nec aptus est, et additus modo, quod duo versus 871 et 872 in libro 12. coniuncti leguntur. *Pl.* delet etiam *Aestuat — luctu* additque „Mezentium Vgl. facit summo quidem dolore affectum sed animo tamen sedato, minime *insanum*.“ At talis vir in tali casu nonne pudore, ira, dolore exardescet, etiamsi non insanit?

874. *Aeneas, agnovit enim*, qui enim non agnosceret. Umbone, parte scuti firmissima ac curva et ad avertenda tela aptissima cf. 7, 633 tela Aeneas excipere callet, *laetusque* i. e. et quidem laetus, quod qui effugerat se affert occidendum. cf. 2, 49. In P. pro *enim* est *eum*, quod tollit omnem difficultatem.

875. *Sic* in precatione saepius apud poetas cf. Ecl. 9, 30. 10, 4. Hor. C. 1, 3, 1. Usitatius *ita* cf. 9, 308. — *faciat: faveat* coniecit Heinrichius, ut victoriae insit significatio, quam optet. — *altus Apollo* cf. 6, 9.

876. *incipias* etc. ad Mezentium dicta. Simile 9, 741. *Pl.* del. *conferre manum.*

879. *haec via sola fuit* etc. Iam me perdidisti filio interfecto, nullum est iam malum quod mihi possit accidere, neque mortem timeo, nec diis parco, i. e. deos curo; frustra morte vel deorum metu me terres. Pluribus loquitur in eandem sententiam ap. Schillerum Isabella, ubi a Caesare Manuelem occisum accipit. *Trotz biet' ich ihnen (den Göttern) mich noch härter zu treffen, als sie trafen* etc.

880. *mortem horrere* cf. 3, 191. *Pl.* del. *nec d. p. ulli* „Haec habeo pro additamento hominis, qui, quid ipse velit, ignorat.“

881. *nam* MPRbc rec. *Rb. Ld. iam* γ prob. *Pl.* rec. *Wg.* Desine vocare et precari, nam adsum moriturus.

883. Summa celeritate et ardore tela in Aeneam coniicit, gyro eum circumequitans peditem, ita ut a sinistra parte haberet, quomodo et ipse tectus esset scuto et tela dextra sublata facile iacere posset. Sed Aeneas simul se convertit, ut clipeo posset tela excipere.

884. *sustinet* sc. tela.

887. *silvam*, iaculis constantem, qui clipeo coniecti sunt. Confer in eam rem narrationem Livii 2, 10. Sic Lucan. 6, 205 *densamque ferens in pectore silvam.*

889. *pugna iniqua*, quod pedes stat contra equitem.

890. *multa movens animo* sc. qua ratione adeat Mezentium.

891. *inter tempora* „in frontem“ S. Equi enim caput in ipsum conversum est. Sic Liv. 8, 7 *spiculum inter aures equi fixit.*

Tollit se arrectum quadrupes et calcibus auras
Verberat effusumque equitem super ipsa secutus
Implicat eiectoque incumbit cernuus armo.
Clamore incendunt caelum Troesque Latinique.
Advolat Aeneas, vaginaque eripit ensem,
Et super haec; Ubi nunc Mezentius acer, et illa
Effera vis animi? Contra Tyrrhenus, ut auras
Suspiciens hausit caelum mentemque recepit:
Hostis amare, quid increpitas, mortemque minaris?
Nullum in caede nefas; nec sic ad proelia veni;
Nec tecum meus haec pepigit mihi foedera Lausus.
Unum hoc, per, si qua est victis venia hostibus, oro:
Corpus humo patiare tegi. Scio acerba meorum
Circumstare odia: hunc, oro, defende furorem;
Et me consortem nati concede sepulcro.
Haec loquitur, iuguloque haud inscius accipit ensem,
Undantique animam diffundit in arma cruore.

893. Sil. 10, 256 *Cernuus inflexo sonipes effuderat armo.* Deiicit equus vulneratus equitem, in quem quum cernuus ipse incidat, implicat armo i. e. impedit, quominus se erigere possit. Cf. ad rem Sil. 17, 134 sq.

895. *incendunt caelum* cf. 11, 147. — Utraque pars pugnantium clamorem tollit, ut in magno momento proelii cf. 11, 622.

897. *et super haec* sc. loquitur ut plene 11, 685 *et super haec inimico pectore fatur.*

899. *hausit caelum* oculis cf. 4, 661. — *mentemque recepit*, quam equo deiectus per tempus amiserat.

900. Nihil opus est verbis; interfice me, nullum est nefas; nam et ego te, si possem, interficerem; et filio meo perempto ea est nostra conditio, ut nequeat alter alteri vitam condonare. *amarus*, bitter sic Ter. Hec. 4, 4, 48 *mulieres amarae.*

903. *per si qua est* cf. 2, 142.

904. Concede mihi debitum sepulcrum, et defende, prohibe furorem, quo inimici mei, qui tecum sunt, velint foedare corpus meum.

905. *circumstant odia meorum* i. e. mei qui me oderunt.

907. *Haud inscius:* „litotes figura est: exspectans omnibus votis. In hac autem figura plus cogitatur, quam dicitur.“ S.

908. Animae sedem plerique sanguinem volebant esse cf. 9, 349. — *undanti cruore* cf. 9, 700. — *arma* MPRγbc; tamen *Rb.* „pulchrius si quid sentio *arva*“ 1 p 356. Rutulorum exercitus, Turno ex proelio remoto Mezentio Lausoque occisis in fugam conversus Laurentum petit. Id Vgl. noluit narrare atque ut legatus referre imperatori. Aeneae exercitus ad castra remanet. Haec autem est primae pugnae facies: Primo mane Turnus ipse castra Troiana oppugnat; alia exercitus parte equites Aeneae a castris retinet. Quum advenisset Aeneas, plurimas copias adversum eum ducit, aliis continet Troianos in castris. Primum omni vi Turnus irruit in Arcades, occidit Pallantem et in fugam agit socios. Quibus factis iam ad aliam partem abiisse putandus est, ut Aeneas illo nuntio accepto illuc properans, eum non inveniret. Qui quum acrius premeret Latinos, plures ex iis qui castra oppugnant Turnus opponit Aeneae, ut Troiani e castris erumpere et cum Aenea se coniungere possint. Turnus sua ferocia e proelio aufertur ac fraude Iunonis. Restituit aciem Mezentius, in quem omnes incumbunt Etrusci, sed in fugam convertuntur, ut et hoc loco Aeneas succurrere debeat. Lauso et Mezentio occisis, iam non adest, qui resistere et aciem sustentare possit. Itaque Laurentes in urbem suam refugiunt.

P. VIRGILII MARONIS
AENEIDOS
LIBER UNDECIMUS.

Oceanum interea surgens Aurora reliquit:
Aeneas, quamquam et sociis dare tempus humandis
Praecipitant curae turbataque funere mens est,
Vota deum primo victor solvebat Eoo.
Ingentem quercum decisis undique ramis
Constituit tumulo fulgentiaque induit arma,
Mezenti ducis exuvias, tibi magne tropaeum

1—28. Aeneas tropaeum constituit.

De nocte, quae inter proelium et hunc diem intercessit, poeta propterea silet, quod nihil ea factum est, quod non ex proelio consequi necesse erat. Tamen *Pl.* coni. *Postera ut Oceanum s. A. r.*

1. Idem v. 4, 129.

2. *et* — *que* cf. Gr. §. 480. 2.

3. *praecipitant* i. e. urgent, ut daret tempus humandis sociis. Sic Stat. Theb. 1, 679 *Sed si praecipitant miserum cognoscere curae.* Val. Fl. 2, 390 *pelago eos parari praecipitat.* De structura cf. 2, 33. — *funere* sc. Pallantis. — Quamquam cupiebat socios humare et funere animus eius turbabatur, tamen vota, quae pro victoria fecerat, diis solvit, antequam ad funebria transiret. Romanis enim piaculum erat diversa sacra miscere. Itaque Aeneas, quum ex voto diis superis gratiae essent agendae et statuendum tropaeum, hanc curam primo mane antequam funerum sacra incipiunt exsequitur. Postea tropaeo constituto funera curare iubet socios, ipse, quod debebat, ad Pallantem accedit, iusta fieri praecipit, per aliquod spatium funus comitatur; sed ipsum corpus non attingit, ne polluatur, et a pompa statim in castra revertitur. Sic Aeneas utrumque munus rite absolvit. Haec vera esse firmat Serv. qui: „Consuetudo Romana fuit, ut polluti funere minime sacrificarent. Si tamen contingeret, ut uno eodemque tempore funestaretur quis et cogeretur operam dare sacrificiis, elaborabat ut ante sacra compleret, quam funus agnosceret.“ *Pl.* eiecit v. 2. 3. At v. 2. 3. necessarii sunt, ut etiam ab initio non tropaei tantum sed etiam funeris fiat mentio. Primus versus tempus omnino indicat; inde quod duae res discernuntur, non supervacuum aut otiosum est *primo Eoo*, ut distinguantur quae fiunt postea. Imperfectum *solvebat* i. e. solvere cupiebat, in solvendo erat occupatus cf. Gr. §. 458, 4.

4. *primo Eoo*, primo mane cf. 3, 588. — Constituit ex more in campo tropaeum. Marti sacratum, arma Mezentii, fortissimi ex iis quos interfecerat, quercus trunco suspensa (c. 10, 423), ut stare videretur armatus homo. Et sunt haec spolia opima cf. 6, 856.

6. *tumulo:* „in colle, quia tropaea non figebantur nisi in eminentioribus locis. Sallustius de Pompeio: *Devictis Hispanis tropaea in Pyrenaeis iugis constituit.* Ex quo more in urbibus tropaea figebantur in arcubus exaedificatis.“ S.

Bellipotens. Aptat rorantes sanguine cristas,
Telaque trunca viri et bis sex thoraca petitum
Perfossumque locis, clipeumque ex aere sinistrae
Subligat, atque ensem collo suspendit eburnum.
Tum socios, namque omnis eum stipata tegebat
Turba ducum, sic incipiens hortatur ovantes:
Maxima res effecta, viri; timor omnis abesto
Quod superest; haec sunt spolia et de rege superbo
Primitiae, manibusque meis Mezentius hic est.
Nunc iter ad regem nobis murosque Latinos.
Arma parate animis et spe praesumite bellum,
Ne qua mora ignaros, ubi primum vellere signa
Adnuerint superi pubemque educere castris,
Impediat segnisque metu sententia tardet.
Interea socios inhumataque corpora terrae
Mandemus, qui solus honos Acheronte sub imo est.
Ite, ait, egregias animas, quae sanguine nobis
Hanc patriam peperere suo, decorate supremis
Muneribus; maestamque Euandri primus ad urbem

8. *bellipotens*, vox iam ab Ennio usurpata ap. Cic. Div. 2, 56, 116, repetita a Statio Theb. 2, 716, quo loco similis est tropaei descriptio.

9. *tela trunca*, „praefracta: ita enim in tropaeis poni consuerunt.“ S.

10. *perfossum*, non in Aeneae certamine, sed in reliquo proelio tela exceperat. Cf. 10, 690 sq. — *ensis eburnus* cf. 9, 305. — *clipeumque ex aere*, aereum, cf. 3, 618.

11. *ensem susp. eb.* cf. 8, 459.

14. Maxima res effecta est, nam pulsus est Turnus, occisus Mezentius, totus Latinorum exercitus fugatus. Inde exhortatur, ut quod supersit timorem omnem abiiciant; nihil enim restare, quam ut persequantur hostem eiusque urbem capiant.

15. *Haec* i. e. quae nunc monstro et quae videtis. — „*Quod superest*, i. e. de reliquo; et est absoluta elocutio.“ S. Cf. 2, 180.

16. *Hic* est, quem monstro, Mezentius, meis manibus factus; antea vir terribilis, nunc modo arma in trunco suspensa. Simile v. 173.

18. *parate animis*, i. e. iam praeparate vos animis ad arma sumenda. — *spe praesumite:* „Bene ait *praesumite* quasi rem iam sui iuris, et ei deberi videatur certa victoria.“ S. Summum est: Parati et intenti sitis ad bellum, ne, ubi signum dabitur, aut non satis instructa et expedita sint omnia, aut metu retineamini.

19. Signa vellere (Liv. 3, 50) aut convellere (Liv. 22, 3) iubere propria est locutio, quum dux exercitum proficisci iubet, quia signa Romana in castris humi figebantur.

20. *annuerint superi:* „Bene in adhortatione nihil se inauspicato vel sine deorum voluntate facturum promittit.“ S. Atque ita omnino Romani duces militibus non ex sua sed ex deorum voluntate, quam auguriis cognovissent, omnia se agere persuadebant; et si quando victi erant, non imprudentiae aut temeritatis accusabantur a senatu, sed in auguriis eos aliquid neglexisse convincebantur. Aeneas igitur more Romano hic agit, ut ubique.

21. *segnisque* M2Pγbc *segnisve* M1. Recte *que*, nam sententia metu segnis tardansque animos militum caussa est morae. Similia cf. 2, 37.

23. Non alius est honos, quem mortuis praestare possimus cf. 6, 366. — *sub* cf. 4, 387.

24. *ait* post v. 13. additum praeter necessitatem cf. 5, 55. — *egregias animas* etc.: „Eleganter et hoc ad exhortationem audientium sumptum est; nam laus defunctorum viventium exhortatio est, et bene *patriam* ait, tamquam fiduciam gerit, quasi vicerit.“ S. *Pl.* coni. *Ite, agite egr.*

Mittatur Pallas, quem non virtutis egentem
Abstulit atra dies et funere mersit acerbo.
Sic ait inlacrimans, recipitque ad limina gressum,
Corpus ubi exanimi positum Pallantis Acoetes
Servabat senior, qui Parrhasio Euandro
Armiger ante fuit, sed non felicibus aeque
Tum comes auspiciis caro datus ibat alumno.
Circum omnes famulumque manus Troianaque turba
Et maestum Iliades crinem de more solutae.
Ut vero Aeneas foribus sese intulit altis,
Ingentem gemitum tunsis ad sidera tollunt
Pectoribus, maestoque immugit regia luctu.
Ipse, caput nivei fultum Pallantis et ora
Ut vidit levique patens in pectore volnus
Cuspidis Ausoniae, lacrimis ita fatur obortis:
Tene, inquit, miserande puer, quum laeta veniret,
Invidit Fortuna mihi, ne regna videres
Nostra, neque ad sedes victor veherere paternas?

27. *quem non v. egentem* i. e. fortitudine egregium cf. 10, 907. „Ennii versus est.“ S. — *Egeo* c. gen. v. 334. 9, 88. et apud Ciceronem, saepe apud Sallustium et Livium. Cf. Gr. §. 271.

28. *funere mersit acerbo* 6, 429.

29—58. Pallantem Aeneas luget et laudat.

29. Nota *limina*, 36. *fores altae*, v. 38 *regia*. In nova urbe iam regia Aeneae fingitur exstructa, in qua Pallantis corpus exponitur, ex qua aufertur magno comitatu; ipse Aeneas e castris prosequitur cf. 99. Corpus autem mortui in atrio positum erat, ore ad limen verso quasi exituri.

30. *positum corpus* cf. 2, 644.

31. Parrhasio i. e. Arcadico cf. 8, 344. De hiatu cf. §. 6.

32. Nobiles bellatores suos habent armigeros, qui et arma ferunt, si iis usus non est cf. 1, 188, et in ipso proelio tela suggerunt cf. 10, 333, aut pro ipso propugnant cf. Liv. 22, 6. Tales armigeri memorantur Achates Aeneae 1, 188. 10, 332. Automedon Neoptolemi 2, 477. Butes Anchisae 9, 648. Acoetes Evandri. Is mos fuit et apud antiquos illos Hebraeos et apud equites medii aevi, re ipsa firmatus, sed etiam apud Romanos eundem fuisse iam documento est locus Livii supra allatus, ubi armiger Flaminii consulis corpus defendit. Eorum autem magnus erat apud suos honor.

33. *caro alumno* sc. Evandri i. e. filio. Nam parentis est alere filium. Cf. 6, 595. Soph. Phil. 3 *ὦ κρατίστου πατρὸς Ἑλλήνων τραφεὶς Ἀχιλλέως παῖ Νεοπτόλεμε.*

34. Circum sunt famuli et Troiani etiam, qui fortem iuvenem lugent, et Troianae mulieres, quae ex antiquorum populorum more in funere indulgebant lamentis et ululatibus, qui ita necessarii habebantur, ut mercede conducerentur mulieres, quae ulularent, quae dicebantur *praeficae*.

35. Cf. 3, 65. „*Iliades* puta, quae maritos suos secutae erant, earumque filiae; sic haec conciliabis cum 9, 207 et 5, 711 sq. et 750.“ *Wg.*

37. Pectora tundere signum erat magnae tristitiae cf. 86. „Naturale est, ut intermissa lamenta repetantur, quum aliquis notus advenerit.“ S.

38. *immugit regia*, cf. 2, 488. *Pl.* coni. *mistoque*, ne *maesto* iteraretur.

39. *Niveus* adiectivum et *lēvi* i. e. „nondum setoso“ S. et mortui pulchritudinem signant et annos pueriles. *Pl.* coni. *laevo*. „ut Pallas in corde fuerit vulneratus.“

41. *lacrimis obortis* cf. 4, 30. — *fatur . . . inquit* cf. 5, 551.

42. *Laeta venit fortuna*, quae affert victoriam. Fortunam (sive deos) sumunt antiqui invidere hominibus, cf. historiam Polycratis; summa autem est Aeneae rerum futurarum fiducia.

44. *neque* pro *nevc* cf. 12, 801.

Non haec Euandro de te promissa parenti
Discedens dederam, quum me complexus euntem
Mitteret in magnum imperium, metuensque moneret
Acres esse viros, cum dura proelia gente.
Et nunc ille quidem spe multum captus inani
Fors et vota facit cumulatque altaria donis;
Nos iuvenem exanimum et nil iam caelestibus ullis
Debentem vano maesti comitamur honore.
Infelix, nati funus crudele videbis!
Hi nostri reditus exspectatique triumphi?
Haec mea magna fides? At non, Euandre, pudendis
Volneribus pulsum adspicies; nec sospite dirum
Optabis nato funus pater. Hei mihi, quantum
Praesidium Ausonia, et quantum tu perdis, Iule!
    Haec ubi deflevit, tolli miserabile corpus
Imperat, et toto lectos ex agmine mittit
Mille viros, qui supremum comitentur honorem,
Intersintque patris lacrimis, solatia luctus
Exigua ingentis misero sed debita patri.
Haud segnes alii crates et molle feretrum
Arbuteis texunt virgis et vimine querno,
Exstructosque toros obtentu frondis inumbrant.
Hic iuvenem agresti sublimem stramine ponunt:

45. *Promissa* dedit sine dubio Aeneas. Pallantem victoria parta incolumem esse rediturum. Et fidem suam interposuerat, se eius vitam quantum posset servaturum.

47. *mitteret in magnum imperium*, ut magnum regnum conderem.

49. „*Et nunc . . . facit.* Horrida oratio. Nunquam haec esse manum Virgilianam credidi, sed: *E. n. i. q. spe mulcet pectus inani; F.* etc.“ *Pl.*

50. *Fors* adverbium est nonnunquam ap. poetas. Sic 5, 232. 6, 537. 12, 183. Male h. l. et 2, 139 in Servianis *fors et* iungitur, ut sit *forset* pro *forsitan*. In aliquot libris legitur etiam *forsit*. Sed *et* pro *etiam* accipiendum: praeter alia etiam vota facit pro reditu filii iam occisi. Sic *fors et* Hor. C. 1, 28, 31. — *cumulare aras donis* 8, 284. Tib. 2, 5, 6. Cf. 6, 229.

51. *nil iam caelestibus debentem*: Quivis homo morte solvit omnia, quae debet superis; ab eo tempore in inferorum est potestate. Potest etiam hoc dictum referri ad vota, quae ipse pro reditu suo fecit et quae solvere iam non debet.

52. *vano honore* cf. 6, 886.

56. Hoc est solatium, quod fortiter pugnando occubuit; itaque praestat patri mortem dolere filii, quam ignaviam, qua vitam sibi paraverit: ita ud ad diram illam precationem pater descenderet, ut ipse occidisset, ne filii videret ignominiam. Praefero tamen sententiam *Pli*, qua funus intelligatur nati. Id est dirum funus optare. Cf. de voce *dirus* 12, 845.

57. Huius morte non solum pater, sed et ego et Iulus, qui paene eiusdem aetatis amicum et auctorem in rebus gerendis haberet, et tota Italia detrimentum capit.

59—99. Pallantis funus Aeneas ad Evandrum dimittit.

59. *haec ubi deflevit*: „Hoc est, postquam haec cum lacrimis dixit; *flere* enim est cum voce lacrimare“ S. De voce *de* cf. 4, 52.

62. *solatia* cf. 76.

63. *exigua*. quod honor ille orbato patri prodesse nequit.

66. *exstructosque toros*: Hi fiunt virgis arbuteis et vimine querno. — *obtentu frondis* i. e. obtentis frondibus cf. 1, 677. „Veluti cameram (cf. 2, 487) quandam capulo (feretro) ramorum extensione fecerunt.“ S.

67. *imponunt stramini agresti* i. e. virenti, quod praebet ager. cf. Sil. 10, 561 *sublimem eduxere pyram mollesque virenti stramine composuere toros.*

Qualem virgineo demessum pollice florem
Seu mollis violae, seu languentis hyacinthi,
Cui neque fulgor adhuc, nec dum sua forma recessit;
Non iam mater alit tellus viresque ministrat.
Tunc geminas vestes auroque ostroque rigentes
Extulit Aeneas, quas illi laeta laborum
Ipsa suis quondam manibus Sidonia Dido
Fecerat et tenui telas discreverat auro.
Harum unam iuveni supremum maestus honorem
Induit, arsurasque comas obnubit amictu;
Multaque praeterea Laurentis praemia pugnae
Aggerat, et longo praedam iubet ordine duci.
Addit equos et tela, quibus spoliaverat hostem.
Vinxerat et post terga manus, quos mitteret umbris
Inferias, caeso sparsurus sanguine flammas;
Indutosque iubet truncos hostilibus armis
Ipsos ferre duces, inimicaque nomina figi.

69. *Languens* bene de pendulo flore.

70. *sua forma* „propria pulchritudo." S. „Locus corruptus. Vulgata significant: Qui non amplius habent fulgorem, nondum tamen suam formam amisit (Haec vera). Si flos suam formam servavit, non amisit fulgorem (Haec falsa) . . . Non dubito quin Vgl. scripserit: *Cui neque fulgor adhuc, neque adhuc sua forma recessit.*" *Pl.*

71. *Linquitur, ut merito maternum nomen adepta Terra sit, e terra quoniam sunt cuncta creata* Lucr. 5, 793. Itaque flos nondum marcidus est, neque tamen pristino floret vigore et colore. Sic corpus iuvenis mortui servans suum decus recte comparatur cum flore marcescente. — Similis comparatio 9, 435.

72. *Geminas* videtur ex ritu sacro dictum esse cf 3, 63. — *auroque ostroque rigentes* cf. 1, 648.

73. *laeta laborum*, Laetata est in laboribus; cf. Gr. §. 265, 7.

75. *quas fecerat et telas discreverat.* De structura cf. 12, 944. de re 3, 483.

76. „*harum unam* iuveni induit, altera caput eius velavit." S.

77. *Que* ita diversas res iungere et opponere vidimus 1, 701. Hoc loco notandum, quod etiam structura mutatur. — *unam induit supremum honorem*, quem praestat Aeneas. Accusativus autem appositioni inservit totius enuntiati, cf. Gr. §. 313. Sic Graeci et Latini dixerunt. Cf. Eur. Or. 1103 Ἑλένην κτάνωμεν Μενέλεῳ λύπην πικράν. Neque enim Helena affert dolorem, sed caedes Helenae. Sall. orat. Lep. 8. ep. Mithr. 8 *Eumenem prodidere Antiocho, pacis mercedem*; non Eumenes, sed proditio Eumenis est merces. Amat eam structuram Tacitus. Apud Virgilium loci 1, 111. 6, 223. 9, 465 exclamationes potius sunt et nominativi, de quibus cf. 7, 73; quamquam possunt huc trahi; sed huc pertinent v. 62. 8, 487. 9, 53. 10, 311. — „Pro arsurasque reponendum iudico *alteriusque*" *Pl.*

78. *Laurentis praemia pugnae:* „Mittit praemia, quae de praeda Laurentis pugnae sustulerat. Nam *praeda* est, quae eripitur; *praemium*, quod offertur." S.

80. *spoliaverat* „vel Pallas vel Aeneas; nam ambigue positum est" S. Res docet, ea spolia signari, quae Pallas retulit. „V. 86 deleturus fuisse videtur poeta, ut cuius vice v. 78 sq. et 83 sq. fecerit" *Rb*, qui uncis inclusit.

81. Vinxerat post terga manus *eorum*, quos etc. cf. 4, 597. Sic infra 172.

82. *inferias* cf. 10, 519. — *caeso sanguine* i. e. caesorum s. cf. 10, 520. — *sparsurus*, conspersurus cf. 4, 635. — *flammas* MPbc et ap. Macr. rec. *Rb. Ld.* *flammam* Rγ rec. *Wg.*

83. Fercula dicit poeta; nam in stipite suspensa ferebant arma caesorum ex proelio redeuntes; ita Romulus saepe depingitur spolia Acronis ferens. Inscribebatur nomen eius, cui detracta erant. Iam quum qui detraxit mortuus sit, alii in eius honorem ferunt. Idem mos etiam in triumphis est servatus.

84. „Hic mallem *figit*" *Pl.*

Ducitur infelix aevo confectus Acoetes,
Pectora nunc foedans pugnis nunc unguibus ora,
Sternitur, et toto proiectus corpore terrae.
Ducunt et Rutulo perfusos sanguine currus.
Post bellator equus positis insignibus Aethon
It lacrimans, guttisque humectat grandibus ora.
Hastam alii galeamque ferunt; nam cetera Turnus
Victor habet. Tum maesta phalanx Teucrique sequuntur
Tyrrhenique omnes et versis Arcades armis.
Postquam omnis longe comitum processerat ordo,
Substitit Aeneas gemituque haec addidit alto:
Nos alias hinc ad lacrimas eadem horrida belli

85. *Ducitur* „quasi qui consternatus nimio dolore ire non poterat.“ S.

86. Sic in luctu aliquis ap. Stat. 9, 399 *cruentat pectora*; ita Aen. 4, 673.

87. *sternitur, et* M. Ad *proiectus* supple *est*. „Expedita est omnis difficultas, si pro *et* scribas *aut*.“ *Pl.* — „Deleri volebat editor Parmensis: lacunam statui“ *Rb.*, *Ld.* expl. *et sternitur proiectus* et *proiectus* ex prolepsi explicat cf. 4, 22; quae ratio probabilis. — Sternitur autem, quum nimio dolore concussus ductoribus se eripiat et prosternat. Quod fieri potuisse negat *Ld.* — *terrae* cf. 5, 451.

88. Currus hoc loco memoratus non est nisi Pallantis, nam spolia hostium supra memorata sunt. Sed Pallas curru usus non est, ipse et eius socii equites sunt. *Ld.* versum post v. 80 inferre paene conatur. Ac sane h. l. est ineptus.

89. *positis insignibus* „sine phaleris“ S.

90. Equos Achillis lacrimare dicit Homerus Il. 17, 426 sq. et de imminente Caesaris caede equos flevisse narrat Suet. Caes. 81.

92. *Maesta phalanx* constat e Teucris, Tuscis et Arcadibus. — *phalanx* cf. 2, 254.

93. *duces Rb.* et S. *omnes* MPγc. Malum videtur id, si cum *Tyrrhenique* iungis; nam mille tantum e Troianis, Tyrrhenis et Arcadibus lecti Pallantem sequuntur v. 61; neque providi erat ducis, omnia auxilia, quae summo labore conquisiverat, post primam victoriam dimittere; neque cur Tyrrheni *omnes*, non Arcades *omnes* comitentur, caussa ulla est; et Tarcho princeps remanet v. 184; neque v. 171 Evander omnes Tyrrhenos adesse dicit, quae nonnullorum est sententia, siquidem Aeneas qui v. 170 memoratur, non adest. Exstat et alia ratio haec: *Omnes* habetur ex sequenti versu illatum. Attamen quum plurimi et optimi Mss. habeant, retinendum ac iungendum est cum v. *Arcades*, quos omnes (CD) ducis funus secutos esse probabile est; trecenti Troiani, trecenti Etrusci. — Deinde *Tyrrhenique duces* ex v. 172 illatum videbitur ab eo, qui omnes Tyrrhenos ad funus ab Aenea dimissos esse noluit. Sed neque hoc probi ducis est duces dimittere neque magis quam dimittere milites. Melius igitur *Wg. Ld.* omnes Troianos et omnes Tyrrhenos secutos esse sumunt et ante castra cum Aenea substitisse, processisse illos mille lectos iuvenes. Ac hoc monendum versus eo ducere rationem, ut *omnes* ad *Tyrrheni* et *Teucri* trahamus. Itaque grammatica iubet *omnes* iungere cum superioribus, quare restat, ut *Wgri* sententiam sequamur. — *versis armis* „lugentium more mucronem hastae, non cuspidem contra terram tenentes. Et scuta invertebant propter numina illic depicta, ne eorum simulacra cadaveris polluerentur aspectu.“ S. Confer pompam illam, qua Germanici ducti sunt cineres Tac. A. 3, 2, in qua etiam versi fasces memorantur, ut ap. (Ov.) Consol. ad Liv. 142.

94. *processerat* rec. *Wg. Ld. praecesserat* rec. *Jh. Rb.* Quid in Mss. sit, nec a *Wro*, nec a *Rbo* satis docemur. *Procedere* de pompa sollemni dicitur; ita Hor. C. 4, 2, 49, ut *producere* 9, 487. *Aeneas* pompam funebrem prosequitur.

95. *gemituque haec addidit alto* „magno gemitu haec addidit“ S. cf. 2, 593, sc. iis, quae fecerat.

96. Ad haec verba cf. Sil. 10, 573. *Tibi gloria leto iam parta insigni; nostros fortuna labores versat adhuc, casusque iubet nescire* futuros. Aliter S. „ad ceteros sepeliendos, qui eodem proelio ceciderunt“, idem *Ld.* et Aldenhoven Pr. Lauenburg 1850. quod si est, firmatur *Wgri* versus 93 explicatio. Sed praestat ratio prior. Nam in verbis inest: Tu es

Fata vocant. Salve aeternum mihi maxime Palla
Aeternumque vale. Nec plura effatus ad altos
Tendebat muros, gressumque in castra ferebat.
Iamque oratores aderant ex urbe Latina,
Velati ramis oleae, veniamque rogantes:
Corpora, per campos ferro quae fusa iacebant,
Redderet ac tumulo sineret succedere terrae;
Nullum cum victis certamen et aethere cassis,
Parceret hospitibus quondam socerisque vocatis.
Quos bonus Aeneas, haud aspernanda precantes,
Prosequitur venia, et verbis haec insuper addit:
Quaenam vos tanto fortuna indigna, Latini,
Implicuit bello, qui nos fugiatis amicos?
Pacem me exanimis et Martis sorte peremptis
Oratis: equidem et vivis concedere vellem.
Nec veni, nisi fata locum sedemque dedissent;
Nec bellum cum gente gero: rex nostra reliquit
Hospitia et Turni potius se credidit armis.
Aequius huic Turnum fuerat se opponere morti.
Si bellum finire manu, si pellere Teucros
Apparat, his mecum decuit concurrere telis;
Vixet, cui vitam deus aut sua dextra dedisset.
Nunc ite et miseris supponite civibus ignem.
Dixerat Aeneas. Olli obstipuere silentes,
Conversique oculos inter se atque ora tenebant.
Tum senior semperque odiis et crimine Drances

perfunctus laboribus, nobis ii sunt tolerandi.

97. *salve*: „Varro in libris logistoricis dicit ideo mortuis *salve* et *vale* dici, quod ab his recedimus, eos nunquam visuri.“ S.

160—138. Pacem Latini petunt et accipiunt ad suos sepeliendos.

100. Quod petunt Latini mortuorum sepulturam, ipsi se victos esse profitentur. — *oratores* cf. 7, 153.

101. *velati ramis oleae* cf. 7, 154. — *veniam* cf. 1, 519.

102. *iacebant* indicativus, nam narratio est.

104. Nullum certamen esse cum mortuis timendum, quare in eos licere placabilem esse legati memorant; revocant etiam pristinae amicitiae et foederis memoriam cf. 7, 260 sq. — Sic *cassum lumine* 2, 85.

106. *quos precantes prosequitur venia:* condonat iis quod petunt, *haud aspernanda*, „iusta, non contemnenda; sepulturae enim beneficium debetur universis. *Insuper addit* accumulat verbis beneficium, dicens, pacem se etiam vivis velle praestare.“ S. Haec est venia, qua eos prosequitur.

109. *qui nos fugiatis:* Quam indigna fortuna sit, quae vos implicuit, ex eo intelligitur, quod nos fugiatis, qui amici sumus. *Amicum* se dicit, nam amicum se Latino obtulerat; Latinus eum hospitem et socerum fecerat; quod omittit monere, ne cavillari videatur.

112. *nec veni, nisi dedissent* cf. 2, 55.

115. *huic morti:* morti per me oblatae; nam ipse Aeneas Turnum ex proelio fugisse putat, quum nusquam inventus esset.

119. *miseris civibus:* „quasi aliena culpa pereuntibus“ S. et quorum miseret hostem.

120. *obst. silentes.* Silentium est stuporis signum.

121. *Conversi oculos tenebant* cf. 5, 137. — De imperfecto cf. 2, 3.

122. *crimine*, criminatione, cf. 2, 98.

Infensus iuveni Turno sic ore vicissim
Orsa refert: O fama ingens, ingentior armis,
Vir Troiane, quibus caelo te laudibus aequem?
Iustitiaene prius mirer belline laborum?
Nos vero haec patriam grati referemus ad urbem;
Et te, si qua viam dederit fortuna, Latino
Iungemus regi: quaerat sibi foedera Turnus.
Quin et fatales murorum attollere moles,
Saxaque subvectare humeris Troiana iuvabit.
Dixerat haec, unoque omnes eadem ore fremebant.
Bis senos pepigere dies, et pace sequestra
Per silvas Teucri mixtique impune Latini
Erravere iugis. Ferro sonat alta bipenni
Fraxinus; evertunt actas ad sidera pinus;
Robora nec cuneis et olentem scindere cedrum,
Nec plaustris cessant vectare gementibus ornos.
　Et iam Fama volans, tanti praenuntia luctus,
Euandrum Euandrique domos et moenia replet,
Quae modo victorem Latio Pallanta ferebat.

123. *ore orsa refert:* „coepta verba" S. cf. 7, 435.

124. O qui famam fortitudinis tuae vincis fortitudine.

125. Cf. 1, 287.

126. *iustitia* MR *iustitiae* Pγbc. — *mirari* c. gen. *θαυμάζειν τινός*, ut Hor. C. 3, 27, 69 *abstineto irarum.* 3, 30, 11 *regnare populorum.* 2, 11, 5 *ne trepides aevi.* 2, 13, 38 *laborum decipi.* Sat. 2, 6, 84 *invidit ciceris.* Haec verba ita constructa semel tantum videntur legi et a poetis ad Graecam flexa sunt similitudinem, quod eo fidentiores novabant, quum Latinorum non diversae certe significationis verba hunc casum regerent. Cf. Gr. §. 256.

128. *Viam dedit fortuna* cf. 10, 864.

129. Quaerat sibi alios socios.

130. Immo ipsi nos auxilium praestare debemus Troianis in urbe condenda. Quod aequum censet ipsos Latinos suis humeris afferre lapides ad urbem Troianis condendam, et Aeneae hostis virtutem exaggerat Turnique auget invidiam, qui solus belli est caussa, ob quem tot homines caesi sunt, quum ipse aufugeret. *Pl.* delet v. 130 et 31.

132. *eadem fremebant,* fremitu iudicabant cf. v. 453.

134. *impune:* sine damno et periculo. Fidem autem deam colebant Romani et sacris cf. 1, 292, et maxime re, quod etiam Graeci firmant scriptores cf. Dion. 2, 75. Plut. Num. 16. „Apud maiores enim magna erat cura fidei, adeo ut inter Porsennam et Romanos factis induciis, quum ludi Circenses in urbe celebrarentur, ingressi hostium duces curuli certamine contenderent et victores coronarentur." S. Cf. Luc. 4, 196 *Pax erat, et castris miles permixtus utrisque errabat.*

135. Cf. similem locum Statii Theb. 6, 88 sq. ut Virgilii virtutes et posteriorum poetarum morem intelligas. — *ferro sonat alta* MR al. rec. *Rb* qui „*acta* aliquot Pierii, *icta* antiquissimus Pierii", ortum ex correctura minime necessaria; nam *ferro sonat* recte dicitur; cf. 5, 866 *assiduo — sale saxa sonabant.* Ov. Her. 10, 15 *adductis sonuerunt pectora palmis.*

136. *pinus* PRγbc Prisc. 6, 16, 83 rec. *Rb. pinos* M. ubique apud Virgilium praeter 9, 116 rec. *Wg.* Neque tamen tali in re singulis in locis satis certum est indicium.

137. *olentem cedrum* cf. 7, 13. Propter odorem igitur in rogis adhibebatur.

138. *gementibus:* „sub pondere sonantibus." S. Cf. 6, 413.

139—181. Evandri de amisso filio dolor et oratio.

140. *replet* M1PR cf. 4, 189. — *complet* M2 quod rē longum offendebat; cf. Gr. §. 45 An. 4.

Arcades ad portas ruere, et de more vetusto
Funereas rapuere faces; lucet via longo
Ordine flammarum et late discriminat agros.
Contra turba Phrygum veniens plangentia iungunt
Agmina. Quae postquam matres succedere tectis
Viderunt, maestam incendunt clamoribus urbem.
At non Euandrum potis et vis ulla tenere;
Sed venit in medios. Feretro Pallanta reposto
Procubuit super, atque haeret lacrimansque gemensque,
Et via vix tandem vocis laxata dolore est:
Non haec, o Palla, dederas promissa parenti.
Cautius ut saevo velles te credere Marti!

142. *ruere:* Et verbum ipsum et infinitivi forma signat festinationem. — Antiquis autem temporibus Romani noctu facibus sepeliebant, ne funus occurreret magistratibus aut sacerdotibus, qui eo putabantur violari. Quare etiam erant, qui *funus* a *funalibus* candelis, quibus praelucentibus mortui efferebantur, deducerent. Postea quum luce efferebant, tamen faces praeferebant. — Obviam autem procedunt facibus, ut cum Troianis in urbem redeant. Ad rem h. l. narratam cf. quae in Servianis: „Varro et Verrius Flaccus dicunt: Si filius familias extra urbem decessit, liberti amicique obviam procedunt, et sub noctem in urbem infertur in cereis facibus praelucentibus, ad cuius exsequias nemo rogabatur.“ — *ruere et rapuere*: Quod ad 8, 125 notatum est, patet latius, et potest alterum enuntiatum addi alio tempore. Sic hoc loco *et rapuere* est secundarium et tempore prius quam *ruere*. Itaque sic explicabis: Ruunt raptis facibus.

145. *iungunt* Mb rec. *Ld. iungit* PRγc rec. *Wg. Rb.* Turba Phrygum adiungit sibi sive se ad agmina cf. 2, 267. *Turba* collectivum addito genitivo plurali *Phrygum* facile assumit pluralem (cf. 1, 212), quod affirmat *Ld*, neque in eo haesisse videntur *Rb.* et *Wg*, sed quod post *Phrygum* legitur singularis *veniens.* Tamen quod turba adiungitur ad agmina plura, ipsa dissipatur in partes *plures*, ut *pluralis* verbi defendatur cf. Gr. §. 242 An. Res tamen hoc loco admodum lubrica. Nam *iungunt* oriri potuit ex proximo *agmina;* sed quum in P. multa insint mutata, *iungit* videtur illatum esse, ne quis *iungunt* ad *agmina* putaret pertinere.

146. *succedere tectis.* urbem intrare.

147. *incendunt clamoribus urbem* cf. 5, 455.

149. *Pallanta* M2 rec. *Wg. Rb. Pallante* M1PRγbc et S. ex proximo *reposto* natum videtur esse. *Super* et cum acc. et cum abl. h. l. recte iungi docet Gr. §. 357. — *Super* longe postpositum substantivo ut v. 509.

151. *vocis* RPγ rec. *Jh.* „*UOCES* M1 sed *E* correctum in I“ (quod testatur *Wg.* et *Rb.*) „S. autem transfixa“, (quod testatur *Wg.*) et *voci* rec. *Wg. Rb*, et est in P. ut *Wg.* auctor est, in quo *vocis* esse dicit *Rb.* Utrumque stare potest. Prae dolore, qui diu vocem suppressit, vix eius vel ei via laxatur. *Hs.* coni. *vocis l. dolori*, *Pl*: *Et sua vix tandem vox est l. dolori.*

152. Speravit Pallas, se magnis rebus gestis rediturum, idque patri tristi et omnia timenti affirmaverat. *Rb.* post *parenti* comma posuit, ut sequens versus a *dederas promissa* pendeat, sc. Pallas in bellum iturus patri forti promittit se evitaturum omne periculum! Er wolle ein Drücker werden. „Alii non *parenti* sed *petenti* legunt“ S. in aliql „sine ulla dubitatione restituendum est *petenti*“ *Mv.* Adv. Cr. 2, p. 30. *Petenti* ab iis propositum est, qui *ut velles* cum prioribus non satis cohaerere putarent. Neque *alii legunt* aliud arbitror significare, quam *alii volunt legi. Pl.* dat *precanti*, quod ad *parenti* propius accedat. Sed ut diximus, si *precanti* aut *petenti* a Virgilio scriptum fuisset, nemo in *parenti* mutasset. Noli autem iungere *dederas promissa ut*, etsi ap. Nep. Dat. 10 *promittere ut* in Mss. aliquot legitur et scripsit Servius ad 9, 282, qui tamen illud *ut*, non magis cum *promitto* quam cum addita voce *tantum* iunxisse videtur.

153. *Ut* optantis est, sic 10, 631 et Terentianum illud *ut te dii perdant*, dass dich die Pest. Eun. 2, 3, 10. Heaut. 4, 6, 6. *Phorm.* 4, 4, 6.

Haud ignarus eram, quantum nova gloria in armis
Et praedulce decus primo certamine posset.
Primitiae iuvenis miserae bellique propinqui
Dura rudimenta et nulli exaudita deorum
Vota precesque meae! tuque, o sanctissima coniunx,
Felix morte tua, neque in hunc servata dolorem.
Contra ego vivendo vici mea fata, superstes
Restarem ut genitor. Troum socia arma secutum
Obruerent Rutuli telis! animam ipse dedissem,
Atque haec pompa domum me, non Pallanta, referret!
Nec vos arguerim, Teucri, nec foedera, nec quas
Iunximus hospitio dextras; sors ista senectae
Debita erat nostrae. Quod si immatura manebat
Mors gnatum, caesis Volscorum millibus ante
Ducentem in Latium Teucros cecidisse iuvabit.
Quin ego non alio digner te funere, Palla,
Quam pius Aeneas, et quam magni Phryges, et quam
Tyrrhenique duces Tyrrhenum exercitus omnis.
Magna tropaea ferunt, quos dat tua dextera leto.

156. Prima rudimenta belli propinqui, quod minus timetur quam longinquum, dura sunt, quod mortes didicit pretio.

156. *sanctissima* quod iam dea est, ut 5, 80 *sancte pater* Anchises dicitur ab Aenea.

160. *vivendo vici mea fata:* cf. Lucr. 1, 203 *vivendo vitalia vincere saecla.* Plaut. Epid. 2, 1, 8 *aliquem vivendo vincere. Pl.* coni. *C. e. v. vidi m. f.* „vidi ipse meam mortem, meum funus. Vivus videns sepelior.“ Post coni. *genitor, natum s. a. s.* etc. i. e. *natum* pro *Troum.* Fata autem sua vincit, quod fatorum ordo postulat, ut pater moriatur ante filium, ac sic mater mortua est sancta illa, quum ipse quasi peccati sui nunc det poenas.

162. *obruerent*; quasi res agatur loquitur. cf. v. 153.

165. *iungere dextras hospitio* cf. 3, 83.

167. Volscos memorat acerrimos hostes nominis Romani.

168. *iuvaret* M. (R) rec. *Wg.* *iuvabit* Pybc rec. *Rb. Ld.* Si modo, quum ei occumbere fatale erat, accidisset parta victoria et Aenea in regnum constituto, id esset solatium. Nunc vero is, quem voluit adiuvare, adhuc versatur in belli periculis. Si *iuvabit* legis, iam haec facta esse dicit Evander iisque mortem solatur. Neque huic loco ineptum hoc est neque falsum omnino, quum multos iam Pallas occiderit, et Aeneae victoria iam certa sit, et ipse Aeneas rem maximam effectam esse dicat v. 14.; et hoc explicare videtur Servius, qui: „Lucrum quodammodo putat, impendisse pro amicorum felicitate filium, qui morti fuerat acerbo funere fataliter debitus.“

171. Ut in Troianis, ita in Tyrrhenis et duces et exercitum laudat. Arcades, suam gentem, memorare omisit Evander. Ita autem iunge verba *Aeneas et Phryges et Tyrrheni*, quos et per duces et milites significavit. De particula *que* in verbis *Tyrrhenique Tyrrhenum* cf. 10, 313. *Rb.* delet *et quam magni — omnis.*

172. *ferunt* M. *ferant* Rbc. Versum multi eiecerunt, in Mss. tamen est ut videtur omnibus; etsi ad marginem ed. Venet. 1544 adscriptum est: „Versum hunc non habet codex vetustus.“ Caussa autem erat eiiciendi, quod nimis obscura esse verba videbantur, ut apta sententia non posset extricari. Se non posse honestius, quam fecissent Tyrrheni et Troiani, instruere Pallanti funus Evander fassus est. Sequitur hic versus, qui caussam reddit sententiae. Caussalem autem particulam saepe videmus omissam esse in quavis lingua. Honos igitur summus habetur Pallanti, quod spolia feruntur eorum, quos ille occiderat, quod erat certissimum eius fortitudinis documentum. — *ferunt:* Non dicitur qui ferant, neque opus est. Res summa est, quod tropaea feruntur. Et ferunt aliqui ex Tyrrhenis et Troianis. Noli autem iungere *exercitus ferunt*; tot enim spolia de caesis hostibus ne fortissimus quidem referre potuit paucis horis, ut milia ho-

Tu quoque nunc stares immanis truncus in armis,
Esset par aetas et idem si robur ab annis,
Turne. Sed infelix Teucros quid demoror armis?
Vadite, et haec memores regi mandata referte:
Quod vitam moror invisam Pallante perempto,
Dextera caussa tua est, Turnum gnatoque patrique
Quam debere vides. Meritis vacat hic tibi solus
Fortunaeque locus. Non vitae gaudia quaero,
Nec fas; sed gnato Manes perferre sub imos.
    Aurora interea miseris mortalibus almam
Extulerat lucem referens opera atque labores:
Iam pater Aeneas, iam curvo in litore Tarchon
Constituere pyras. Huc corpora quisque suorum
More tulere patrum; subiectisque ignibus atris
Conditur in tenebras altum caligine caelum.

minum opus essent, qui portarent. — *tropaea* (eorum) *quos* cf. v. 81. — *dat* praesens cf. 4, 228. — Itaque et grammatica et sententia versus firmatur. Iam vero eo versu opus est, ut stent sequentes. Nam quum ea spolia memoret, in mentem sibi revocat Turnum, quem spoliare Pallas non potuit. Deinde quum Turnum vivere meminisset, se ipsum reprehendit, quod retineret Troianos a bello persequendo et Turno. Itaque ordo sententiarum recte procedit. Et recte *Pl.* quum eiiceret v. 172, non erat eo contentus, sed simul 173—75 abesse voluit; perspexerat enim uno tantum versu eiecto turbari omnia. Nos vidimus salvis versibus omnibus salvam esse sententiam.

173. Turne, non tua te virtus, quae superior erat in Pallante, sed vires servarunt, quas dat series annorum.

175. *demoror armis* i. e. ab armis. Sic Stat. Theb. 4, 774 *sed quid ego haec? fessosque optatis demoror undis?*

179. „Nihil est aliud, quod possit vel virtus tua, vel fortuna praestare; nam his rebus victoria contingit; nisi ut occiso Turno et vindices filium et patrem consoleris orbatum. *Sed nato* etc.: ac si diceret, hanc solam esse caussam, quae eum cogat ad vitae patientiam, ut filio Turni nuntietur interitus.“ S.

180. Neque vitae (dat.) quaero gaudia, sed ea ad Manes cupio deferre. Moriar ipse Turno occiso et Pallanti gaudia afferam, quae ex hoc nuntio accipiet. Cf. 2, 587. Itaque quum sanguine sanguis expiaretur, cognatus quisque proximus debebat poenas occisi ab eo qui occiderat repetere. Ea ultio *fas* erat, et *nefarius* homo, qui suos non ulcisceretur. Haec est antiqua *pietas*, qua amare et diligere se cognatos significabant. Postea quum civitates ordinarentur, ad magistratus ea cura translata est; remansit tamen ex antiquo more apud Romanos, quod magistratus facinus non persequebantur nisi accusante aliquo, qui solebat esse proxime cognatus eius cui iniuria illata erat. — *Quaero* duplici structura cf. 3, 180.

181. *Nec fas* patri post filii mortem. — Manes *sub* imos cf. 4, 387. — *Perferre* et alia verbi *ferre* composita sequente acc. et inf. significare nuntium ferre, nuntiare, certum est. cf. 2, 75; sed addi debet quid nuntietur; h. l. unum potest obiectum esse *gaudia* sc. Turni occisi. Horridam esse orationem non negamus, alii eiecerunt a *non vitae* — *imos* (sic *Pl.*), alii variis tentarunt coniecturis. Sed quum libri consentiant, satius est explicare verba quam mutare.

182 — 202. Troiani suos sepeliunt.

182. *miseris mortalibus operae et labores.* „Asinius Pollio dicit, ubique Virgilium in diei descriptione sermonem aliquem ponere aptum praesentibus rebus.“ S. Locos, quibus tempus matutinum Vgl. describit, non sine fructu comparabis, ut intelligas quantus sit variandi artifex et quam vere iudicaverit Asinius. Sunt autem hi: 3, 521. 588. 4, 7. 118. 129. 584. 5, 42. 65. 105. 739. 6, 535. 7, 25. 148. 8, 170. 454. 9, 458. 10, 256. 11, 1. 210. 12, 77. 113. — *miseri mortales* cf. 2, 268.

185. „*Pyra* est lignorum congeries. *Rogus*, quum iam ardere coeperit dicitur. *Bustum* vero iam exustum vocatur. Quem ordinem servat poeta.“ S. Cf. v. 189. 201.

186. *ignibus atris* cf. 4, 384.

Ter circum accensos, cincti fulgentibus armis,
Decurrere rogos; ter maestum funeris ignem
Lustravere in equis, ululatusque ore dedere.
Spargitur et tellus lacrimis, sparguntur et arma;
It caelo clamorque virum clangorque tubarum.
Hic alii spolia occisis derepta Latinis
Coniiciunt igni, galeas ensesque decoros
Frenaque ferventesque rotas; pars munera nota,
Ipsorum clipeos et non felicia tela.
Multa boum circa mactantur corpora Morti;
Saetigerosque sues raptasque ex omnibus agris
In flammam iugulant pecudes. Tum litore toto
Ardentes spectant socios, semiustaque servant
Busta, neque avelli possunt, nox humida donec
Invertit caelum stellis ardentibus aptum.
    Nec minus et miseri diversa in parte Latini
Innumeras struxere pyras, et corpora partim
Multa virum terrae infodiunt, avectaque partim
Finitimos tollunt in agros, urbique remittunt.

188. Sollemnis erat decursus ille militaris in clarorum virorum funere; in pugnae speciem. cf. Tac. An. 2, 7. Val. Fl. 3, 347. Apoll. 1, 1059. Iam ap. Homerum Il. 23, 13. — Ita etiam rogi lustratio, quum composito ordine circumequitarent. Ternus autem numerus in rebus ad Manes pertinens legitimus cf. 6, 229. 506. et magicam habet vim. Adde locis allatis 4, 510. E. 8, 73 sq. G. 1, 345.

190. *ululatus dedere* cf. 2, 698.

191. Item Hom. Il. 23, 15 *Δεύοντο ψάμαθοι, δεύοντο δὲ τεύχεα φωτῶν δάκρυσι.*

192. *it caelo clamor* cf. 5, 451. — *tubarum*: „Ante enim mortui ad tubam deducebantur.“ S. cf. Pers. 3, 103. Prop. 4, 12, 9. Inde etiam in spectaculis cf. 5, 113.

193. „*Hinc* (quod olim receperam fisus auctoritate *Wgri*) in quo libro exstet nescio; *hic* MPRγbc“ *Rb.*

194. *enses decori*, pulchri, quos hostibus eripuerant; tamen in honorem mortuorum pretiosissima coniiciunt.

195. *ferventes rotas.* Usitatum hoc de rotis cf. G. 3, 107 *volat vi fervidus axis*, Hor. C. 1, 1, 4 *Metaque fervidis evitata rotis.* S: „non quae nunc fervent, sed quae solent fervere.“ *Pl.* proposuit *ferratas.* At nonne hoc vel magis superfluum? Cf. 213. — *munera nota* cf. 4, 221. Quae ea sint, dicitur versu proximo.

196. *et non felicia tela* „quibus se defendere nequiverunt.“ S. — *non felicia* etiam ad *clipeos* pertinet.

197. *Morti*, quasi deae; ita Mors dea Luc. 5, 230. 6, 600.

198. *Raptas* i. e. non electas; eligere hostias Inferis nulla erat necessitas. Iis enim ac Morti debentur omnia.

199. *in flammam iugulant:* Sic 12, 214.

202. „*invertit caelum*, ut ea pars, quae noctem haberet, sub terra esset.“ S. cf. 8, 280. — *aptum* cf. 4, 482.

203—224. Idem facientes Latini iam Turno belli mala exprobrant.

203. *Nec minus* cf. 1, 633.

204. *innumeras:* „Hoc loco multis rebus ostendit, immensam caedem factam esse Rutulorum.“ S.

206. *urbique remittunt.* Apud Italos mortui et sepeliebantur et cremabantur. Utrumque igitur sequitur Vgl. Qui ex remotioribus erant regionibus, in loco sepeliuntur aut comburuntur; qui ex finitimis agris et urbe sunt Laurentina, domum mittuntur, ut a cognatis iusta solverentur, i. e. avecta aut tolluntur in agros aut mittuntur in urbem, ut duo membra bipartita inter se opponantur. *Pl.* qui *avecta tollunt* reprehendit et *sublata avehunt* dicendum fuisse sumit, coni.: *F. plaustris i. agros urbesque r.*

Cetera confusaeque ingentem caedis acervum
Nec numero nec honore cremant; tunc undique vasti
Certatim crebris collucent ignibus agri.
Tertia lux gelidam caelo dimoverat umbram:
Maerentes altum cinerem et confusa ruebant
Ossa focis, tepidoque onerabant aggere terrae.
Iam vero in tectis, praedivitis urbe Latini,
Praecipuus fragor et longi pars maxima luctus.
Hic matres, miseraeque nurus, hic cara sororum
Pectora maerentum, puerique parentibus orbi
Dirum exsecrantur bellum Turnique hymenaeos.
Ipsum armis ipsumque iubent decernere ferro,
Qui regnum Italiae et primos sibi poscat honores.

207. *cetera* sc. corpora et *confusae caedis* i. e. caesorum (ut 10, 245, abstractum pro concreto cf. 3, 471) sine nomine acervum cremant, non curantes singulos *Pl.*: „Praeferam, si codex haberet: *Ceteraque, ingentem confusae caedis acervum.*"

208. Cf. formulam qua praeter alios usus est Caes. BG. 6, 13 *aliquo sunt numero atque honore.* — *que* cf. Exc. 1, 2.

211. *maerentes:* „Sane *maerere* est cum silentio dolere, *flere* ubertim lacrimas demittere cf. 59., *plorare* cum voce flere, *plangere* cum aliquibus dictis miserabilibus pectus aut faciem tundere, *lugere* etiam cum habitus mutatione." S. — *altum cinerem*; multi igitur simul concremati sunt. — *Ruebant* verb. activ. cf. 1, 85 i. e. raptim congerebant. cf. Hor. Sat. 2, 5, 22 *unde divitias aerisque ruam acervos?*

213. *Urbe* est explicatio vocis *tectis* cf. 10, 601. — Opponuntur ea, quae fiunt in urbe, iis quae in campo. — *praedivitis* „more Graeco (i. e. Homeri apud quem perpetua sunt epitheta cf. 195) incongruum huic loco posuit." S. Adiectiva ad substantiva addita aut necessaria sunt aut ornantia; de necessariis, quae abesse nequeunt sententia postulante, in quibus consistit pura et incompta oratio, dicere non attinet. Ornantia quae dicuntur maxime videntur propria esse poetis, sed sunt etiam oratoribus. Id autem ante omnia constituendum est, quid vere dicatur epitheton ornans et quomodo differat a necessario; ita enim alterum in alterum transit, ut vix certus terminus constitui posse videatur. Ornantia autem epitheta dicimus ea, quae ad sententiae summam necessaria quidem non sunt, rem tamen aliquam accuratius depingunt et clariorem oculis subiiciunt, ut plus videre videamur adiecto adiectivo, quam omisso. Sunt autem eorum epithetorum diversi gradus. Optima sunt illa, quae proxima sunt necessariis, quae ita rem aliquam describunt, ut adiectivum abesse aegre feramus, ut novam cogitationum seriem aperiat (cf. *Tacitum pertentant gaudia pectus.* al.); adiectivum autem non modo rem omnino describat, sed rem ex tempore et loco enatam, ut non rei omnino aptum sit, sed etiam loco quo memoratur, et alii aptum non sit. Eius generis multa sunt Virgilii; sic *stridentia tingunt aera lacu.* al. Alterius generis sunt epitheta perpetua, vel quae apta sunt substantivo ubique et inhaerent, ut non eo potissimum loco, quo adduntur, sed omnibus locis, quibus substantivum legitur, recte addi possint; ea etiam constantia recte dixeris, et pleraque sunt Homeri, sed non Virgilii et quae afferuntur 1, 212 *frusta trementia.* 5, 158. 10, 197 *longa carina.* 9, 293 *pulcher Iulus.* 638 *crinitus Apollo.* 645 *spirantes aurae*, al. recta interpretatione satis puto defenduntur. Multo minus Virgilio imputanda sunt epitheta incongrua, ut memorantur 2, 516 *praecipites columbae* quae sedent, 10, 230 *praecipites naves*, quae stant in litore, 11, 195 *ferventes rotae*, quae non moventur. Sic h. l. divitiae Latini memorantur, ut hominem cetera beatissimum summis malis premi videamus. De eius divitiis cf. 10, 170. 12, 23. *Pl.* coni. *I. v. tectis ardescit in urbe L. P. f.*

214. Geertzius et *Mv. longe* e codd. bc restituendum iudicaverunt.

215. *cara sororum pectora* cf. 4, 132. Carae sorores sunt, quae carae fuerunt mortuis, atque ex eo amore, quo mortui eas prosecuti sunt, summo dolore ardent. Ut solent homines maxime sibi, quae a mortuis bona acceperant, in luctu revocare. Itaque opus non est cum *Plo* mutare *cara sorores pectora maerentes.*

Ingravat haec saevus Drances, solumque vocari
Testatur, solum posci in certamina Turnum.
Multa simul contra variis sententia dictis
Pro Turno; et magnum reginae nomen obrumbrat;
Multa virum meritis sustentat fama tropaeis.
Hos inter motus, medio in flagrante tumultu,
Ecce super maesti magna Diomedis ab urbe
Legati responsa ferunt: nihil omnibus actum
Tantorum impensis operum; nil dona, neque aurum,
Nec magnas valuisse preces; alia arma Latinis
Quaerenda, aut pacem Troiano ab rege petendum.
Deficit ingenti luctu rex ipse Latinus.
Fatalem Aenean manifesto numine ferri,
Admonet ira deum, tumulique ante ora recentes.
Ergo concilium magnum, primosque suorum
Imperio accitos, alta intra limina cogit.
Olli convenere, fluuntque ad regia plenis
Tecta viis. Sedet in mediis et maximus aevo
Et primus sceptris, haud laeta fronte, Latinus.

220. *ingravat* „maiorem invidiam concitat" S.

221. *testatur*: „testificatur etiam legatorum fidem, qui cum eo fuerunt." S. — Alii a Turni parte stant, cui favent reginae amor et ipsius egregia facta.

223. *obumbrat* „tuetur; translatio ab arboribus" S. cf. Liv. 7, 30 *itaque umbra vestri auxilii, Romani, tegi possumus. Pl.* coni.: *Multa virum c. v. s. d. P. T.* et *Multa simul m. s. f. t.* Cuius coniecturae fundamentum subiicitur, quod v. 224 in M. est *simul* correctum in *virum.*

225—242: Legati ad Diomedem missi redeunt.

226. „ecce (cf. 2, 57) *super* (cf. 7, 462) insuper ad cumulationem malorum. *maesti* hoc sermone eos nihil egisse significat." S. — *magna:* „Legitur et *magni.*" S. Id etiam non pauci Mss. Cf. 8, 9, qui locus firmare videtur. Sed *magni* reiicitur ob sonum. Deinde *magna urbe* dixisse videtur, ut magnum ab ea auxilium exspectari significaret.

228. Neque donis neque precibus Diomedem ad foedus contra Aeneam ineundum perduci potuisse.

230. *pacem petendum* M2bc ita Serv. Donat. Rufinianus. — *petendam* M1PRγ, in quam scripturam sponte incurrebat calamus. Gerundium in *um* regit casum verbi vel apud Ciceronem. Sic 6, 719. ubi a gerundio pendet infinitivus cum accusativo. cf. Gr. §. 439, 4.

231. *rex ipse deficit luctu:* luctu perturbatus caret consilio is, qui imprimis dare debebat.

232. „*Manifesto numine* i. e. manifesto deorum iudicio ad Italiam venisse, numinum ira testatur, quam cognoscimus tantorum caede sociorum." S.

233. *que* etc. explicat *iram* cf. 8, 289.

234. Legatos reversos excipere vult Latinus in curia, ut senatus et ipse audiat et in re trepida det consilium. — *Cogere senatum* dicitur magistratus, qui convocat. Sic *cogere* v. 304. 460. Cum eo verbo concordat *imperio accitos;* summi enim magistratus id ius et imperium est.

236. *Fluunt* PRγc recte dictum de magno numero coeuntium, ut hoc loco. *ruunt* M. rec. *Ld.* rapidum incessum signat cf. 12, 442 *simul agmine denso Antheusque Mnestheusque r u u n t, omnisque relictis turba f l u i t castris.* — *regia*, ubi curia erat cf. 7, 170. 173. 192.

238. *primus sceptris:* „Primus inter sceptriferos. Namque apud maiores omnes duces cum sceptris ingrediebantur curiam. (Cf. notam Galli et Papirii historiam.) Postea coeperunt tantum ex consulibus sceptra gestare, et signum erat, eos consulares esse." S. Malim accipere: primus regia potestate, cuius sceptrum signum est.

Atque hic legatos Aetola ex urbe remissos,
Quae referant, fari iubet et responsa reposcit
Ordine cuncta suo. Tum facta silentia linguis,
Et Venulus dicto parens ita farier infit:
Vidimus, o cives, Diomedem Argivaque castra,
Atque iter emensi casus superavimus omnes,
Contigimusque manum, qua concidit Ilia tellus.
Ille urbem Argyripam patriae cognomine gentis
Victor Gargani condebat Iapygis arvis.
Postquam introgressi et coram data copia fandi,
Munera praeferimus, nomen patriamque docemus;
Qui bellum intulerint, quae caussa attraxerit Arpos.

239. *Aetola ex urbe*, quam condidit et colit Aetolus Diomedes. — *remissos* a Diomede infecta caussa.

240. Ut accurate referant de legatione poscit, nam in iis quae antea in populum erant perlata, summa modo rerum prodita erat.

242. *infit* cf. 5, 708.

243—295. Et Diomedem referunt pacem iussisse eos petere Troianorum.

243. Hoc quod sequitur Diomedis responsum totius nos docet carminis consilium. Romae videmus aeternae fata. Dardani nepotes ex Italia totum terrarum orbem ex fato subigent; et merentur propter pietatem; sed errore ductus Dardanus Italia relicta condidit Troiam, qua ex urbe, ut magnum imperium adipiscerentur, in Italiam erant reducendi; quod factum bello Troiano atque Troia eversa. Itaque ipsi Troiani non victi sunt ignavia sed fato adverso, quo maiorem ad gloriam perducerentur. Graeci autem qui contra eos pugnaverant, impii et sacrilegi, quare dederunt poenas omnes, quibus ipsi intelligerent, se nefas commisisse. Bene haec sententia per totum carmen servatur; neque obest quod per Paridis scelus Troia interiit; nam ut Troiani e sua terra abirent, malo aliquo erant cogendi, quod ipsum malum consequi debebat ex scelere aliquo. Ita *visum superis* 3, 2. — Placet praecipue quod ea dicit Diomedes, fortissimus Graecorum, sed idem et deorum et hominum observantissimus. Is potuit etiam Aeneam laudare, expertus eius fortitudinem, neque timendum ei erat, ne ipse ignavus haberetur, qui Aeneam certamine vicerat singulari. cf. 255. — *Diomedem* Mss. alqt. — *Diomeden* MPRγ, quod ferri nequit. — *Diomede* graeca forma prolata a Servio, sed inusitata Romanis; et ipse Servius: „Si Graecum accusativum facere voluerimus, *Diomede* legatur", ut Servium hanc formam non invenisse appareat. Quare non debebant recipere editores. Rec. *Wg. Rb.* — *Argiva castra*, quae posuit rex Argivus.

244. *casus superavimus:* omnia quae tali in itinere accidere solent, pertulimus.

245. Magna Diomedis laus, qua excluditur in belli recusatione omnis ignaviae suspicio. Simul quod dicit *contigimus manum*, Diomedem Latinis favere eorumque salutem quaerere videmus.

246. Plin. HN. 3, 11, 16 *Arpi aliquando Argos Hippium, Diomede condente, mox Argyrippa dictum.*" „In Apulia condidit (Diomedes) civitatem, quam patriae suae nomine (nam etsi Aetolus erat patre Tydeo, natus tamen erat Argis ibique regnaverat) appellavit et Argos Hippion dixit. Quod nomen postea vetustate corruptum est et factum est, ut civitas Argyrippa diceretur, quod rursus corruptum Arpos fecit." S.

247. *Iapygis* adiectivum est, ut saepe nomina propria cf. 1, 686. Ita v. 678 et *Daunus Iapyx* Ov. M. 14, 458. „Iapygia pars est Apuliae, in qua est mons Garganus, qui per Calabriam usque in Adriaticum tenditur pelagus. Et haec est Iapygia Apuliae, a qua et Iapyx ventus est nominatus." S.

248. Idem versus 1, 520.

249. *docemus*: varia structura cf. 3, 180.

249. et 250. Faciunt omnia, quae ex re facere debebant; itaque in legatis culpa non est, quod nihil perfecerunt. Et benigne respondet Diomedes.. Attende praeterea multis uti Venelum verbis praemunientibus, quod invitus accedit ad ipsum responsum.

Auditis ille haec placido sic reddidit ore:
O fortunatae gentes, Saturnia regna,
Antiqui Ausonii, quae vos fortuna quietos
Sollicitat, suadetque ignota lacessere bella?
Quicunque Iliacos ferro violavimus agros, —
Mitto ea, quae muris bellando exhausta sub altis,
Quos Simois premat ille viros — infanda per orbem
Supplicia et scelerum poenas expendimus omnes,
Vel Priamo miseranda manus: scit triste Minervae
Sidus, et Euboicae cautes, ultorque Caphereus.
Militia ex illa diversum ad litus abacti,
Atrides Protei Menelaus ad usque columnas
Exsulat, Aetnaeos vidit Cyclopas Ulixes.
Regna Neoptolemi referam, versosque Penates
Idomenei? Libycone habitantes litore Locros?
Ipse Mycenaeus magnorum ductor Achivom
Coniugis infandae prima intra limina dextra
Oppetiit; devictam Asiam subsedit adulter.

252. Fortunatae eae sunt gentes, quod a Saturno regebantur aliquando et summa pace fruebantur. Eam pacem ne ipsi turbent hortatur Latinos.

253. Quid caussae est, ut bella moveatis, quibus pares non estis? — *Ausonii* pro *Ausones* cf. 10, 105.

254. *Ignota bella:* Nescitis quanta ea sint bella cum Troianis gerenda, in quibus qui tandem post maximos labores vicerunt, misere omnes pereunt. — *lacessere bella* cf. 5, 429.

255. *Violavimus* „quasi sacros, nam violare de religiosis rebus dicimus." S. Ita *violare numen* cf. 1, 7. „Et ingenti arte agit, ne aut victoriam suam sileat, aut non procedendo contra eos, quos vicit, confiteatur ignaviam, dicens, non esse contra eos pugnandum, quos vincere perniciosissimum est." S.

256. *exhausta* cf. 4, 14.

257. *premat* sc. mersos opprimat, cf. ad rem 1, 100. — *infanda* cf. 2, 3. — *Per orbem* totum disiecti sumus.

258. *poenas expendere* cf. 2, 229.

259. *vel Priamo miseranda manus.* Similia 2, 7.

260. *triste Minervae sidus et Caphereus*: De re cf. 1, 41; de voce *sidus* cf. 4, 578. — „*Ultorque Caphereus* τὸ αὐτὸ est, i. e. cautes Euboicae (cf. 1, 41). Ultor autem ideo dixit, quod Nauplius, Palamedis pater, dolens filium suum factione interemptum (cf. 2, 82 sq.), quum videret Graecos tempestate laborare, montem Caphereum adscendit et elata facula signum dedit vicini portus; qua re decepti Graeci inter asperrimos scopulos naufragium pertulerunt." S. Tamen Caphareo naves frangente ultam se esse dicit Minervam, neque hominis in ea re ultionem, sed deae poenam intelligit.

261. *abacti* M2 et Mss. *adacti* M1. Quod a recta via abacti sunt, id dicendum erat, non esse eos aliquo adactos.

262. Proteus rex Aegypti, ad quem pervenit Menelaus cf. Hom. Od. 4, 351 sq. — Ibi etiam in oriente columnas extremam terram claudere fingit, ut Herculeae cingunt occidentem. — *ad usque* ut *ab usque* 7, 289 compositum et est pro *usque ad* et *usque ab.* Hae formae sunt non nisi apud poetas et inferioris aetatis scriptores Ammianum, Solinum. Locos dat Hand. Turs. s. v. — Ita *super usque* est v. 317.

264. *regna Neoptolemi* sc. eversa cf. ad 3, 294.

265. De *Idomeneo* cf. 3, 121. — Locros Aiacis tempestate divisos esse et alteros Epizephyrium, alteros in Africa Pentapolim tenuisse narrat Servius.

266. Mycenaeus ductor Agamemno fraude periit coniugis Cytaemnestrae, simulatque domum est ingressus. Contra ap. Homerum Od. 11, 411 in convivio exceptus ab Aegistho necatur; inde *Pl.* coni. *C. i. Bacchi inter munera d.*

268. „*devicta Asia:* Legitur et *devictam Asiam* (ita Mss.). Quod si est, ita intelligimus ut *subsedit* sit, dolo possedit. Lucanus (5, 227) *subsidere regnum . . . parabas.* (Sic Sil. 13, 221 *subsidere saepe leonem — adsuerat.*

Invidisse deos, patriis ut redditus aris
Coniugium optatum et pulchram Calydona viderem?
Nunc etiam horribili visu portenta sequuntur,
Et socii amissi petierunt aethera pennis,
Fluminibusque vagantur aves — heu dira meorum
Supplicia! — et scopulos lacrimosis vocibus implent.
Haec adeo ex illo mihi iam speranda fuerunt
Tempore, quum ferro caelestia corpora demens
Adpetii et Veneris violavi volnere dextram.
Ne vero, ne me ad tales impellite pugnas.
Nec mihi cum Teucris ullum post eruta bellum
Pergama, nec veterum memini laetorve malorum.
Munera, quae patriis ad me portatis ab oris,
Vertite ad Aenean. Stetimus tela aspera contra,
Contulimusque manus: experto credite, quantus
In clipeum adsurgat, quo turbine torqueat hastam.
Si duo praeterea tales Idaea tulisset
Terra viros, ultro Inachias venisset ad urbes

Cf. ἐφεδρεύειν.) Unde et *subsessores* dicuntur, qui insidiis tauros interimunt." S. Sic Sen. Hipp. 52. et de structura 10, 301. Praeterea ad dicendi formam cf. *Spartam expugnavit adulter* 10, 92.

269. Dii ipsi prohibuerunt Diomedem, quominus coniugem et Calydona, Aetoliae urbem, unde Tydeus profectus erat, videret. Infinitivus *invidisse* pendet a *referam* 264, neque absona est eorum opinio, qui v. 266—8 iam perfectis reliquis a Virgilio additos existimant: neque ut nunc verba sunt, offendimur, quod homo dolore agitatus, quum sociorum infelices memoret exitus, structura aberrat, rursusque in eam revertitur. Quae oratio ut continuetur, volunt etiam post *magnorum* v. 266 inferre *ut*. Male. Potest esse infinitivus exclamantis cf. 1, 37. — Haec verba facile deducunt aliquem in eum errorem, ut erroris ipse insimulet poetam, qui coniugium Diomedis Calydone fuisse putaverit. Sed *Hn.* docuit in excursu suo Diomedem uxoris suae insidiis Argis depulsum Calydonem petivisse, quo loco non receptus in Italiam transiit. Per totum autem litus Italiae occidentale Diomedes heros colebatur a Venetis usque, multarumque urbium habebatur conditor. Sed maxime Diomedeae insulae et aves celebratae erant. *Rb.* et *Ld.* v. 264. 265 removent post v. 268, ut *invidisse*, quod est v. 269, pendeat a *referam* v. 264; et sic nasci *Ld.* sentit summam concinnitatem, exsistere enim et narrationem et quaestionem, illam complecti heroas tres, Menelaum, Ulixem, Agamemnonem, hanc totidem Neoptolemum, Idomeneum, Diomedem. Idem eiicit v. *Libycone* — *Locros*, et quod haec fabula nusquam legatur, et quod natio tota inferatur inter heroas.

271. Varie traditur haec Diomedis sociorum in aves conversio, et plerique eam post Diomedis mortem factam narrant. Plura dat Serv. Ov. Met. 14, 441 sq. Plin. NH. 10, 44, 61.

272. *amissi:* „Legunt nonnulli et *admissis pinnis.* (Sic *Pl. sumptis pennis.*) Sed melius est *amissi.*" S. Quod est in MR. al. ut testatur *Hn.* Durum enim est, quod socios amisit, durum, quod illo modo amisit.

275. *sperare* cf. 1, 543.

276. *caelestia corpora* Veneris et Martis.

280. *memini laetorve malorum;* ubi genitivus a *memini* pendet ad laetor *malis* ex voce *malorum* eruendum est. cf. Gr. §. 321 An. 2. Cic. Cluent. 2 *unaquaque de re dicam et diluam.* Sall. Cat. 51, 38 *imitari quam invidere bonis malebant.* al. Quare hic locus non docet *laetari* iungi genitivo.

283. *contulimus manus* cf. Hom. Il. 5, 239.

284. *quantus in clipeum assurgat* cf. 9, 749.: clipeo elato in hostem irruit. — Sententia autem est: et cominus et eminus pugnando timendus est. — *quo turbine* i. e. qua celeritate et impetu; ita nos: *wie ein Wetter.* Cf. Sil. 4, 543 *intorquens directo turbine robur.*

286. *Inachias*, Argivas (cf. 7, 792), Graecas.

Dardanus, et versis lugeret Graecia fatis.
Quidquid apud durae cessatum est moenia Troiae,
Hectoris Aeneaeque manu victoria Graium
Haesit, et in decimum vestigia rettulit annum.
Ambo animis, ambo insignes praestantibus armis;
Hic pietate prior. Coeant in foedera dextrae,
Qua datur; ast, armis concurrant arma, cavete.
Et responsa simul quae sint, rex optime, regis
Audisti, et quae sit magno sententia bello.
Vix ea legati, variusque per ora cucurrit
Ausonidum turbata fremor: ceu saxa morantur
Quum rapidos amnes, fit clauso gurgite murmur,
Vicinaeque fremunt ripae crepitantibus undis.
Ut primum placati animi et trepida ora quierunt,
Praefatus divos solio rex infit ab alto:
Ante equidem summa de re statuisse, Latini,
Et vellem, et fuerat melius; non tempore tali
Cogere concilium, quum muros adsidet hostis.

287. *Dardanus* i. e. Troianus; nomen singulare quasi collectivum sit cf. 9, 380. — Si praeter hunc duo tales exstitissent, Troiani Graeciam evertissent.

288. *durae* cf. 9, 603.

289. Cf. Hom. Il. 17, 513 Ἕκτωρ Αἰνείας θ', οἳ Τρώων εἰσὶν ἄριστοι. cf. 6, 170.

290. Quod idem soli datur Hectori 9, 155 (*decimum quos distulit Hector in annum*) caussa patet.

292. *prior* c. abl. idem fere quod *potior*, ut 760 *arte prior*.

293. *qua* pro *qua ratione* cf. 1, 676. — *qua datur* ratione, quacunque conditione pax vobis offeratur, arripite; sed nolite pugnare. — Sic Romanorum tutius erat tentare fidem quam arma.

295. Habes et quae sentiat de auxilio ferendo, et de toto bello. Suam ipse Venulus sententiam non addit. *Mv.* rectius dictum fuisse iudicat *et quae de magno*. Sed ipse addit, „Sed qui poterat, etiamsi adscriberetur *sit*, tolli *de*? Itaque parum confido.“ Neque opus est.

296—335. Latinus senatus exposcit sententiam.

296. *vix* — *que* cf. 5, 857.

298. *clauso gurgite:* Obiectis saxis aquarum cursus praeclusus est. — *murmur* Varr. LL. 6, 67 „*Murmuratur* dictum a similitudine soni surdi. . . . Hinc etiam poetae *murmurantia litora*. Similiter *fremere*, *gemere*, *clamare*, *crepare* ab similitudine vocis sonitus dicta.“

299. *crepitantibus undis:* cf. Hor. Epod. 16, 47 *montibus altis levis crepante lympha desilit pede* — *fremunt*. cf. 453. Itaque tantus est exortus clamor dissonus vociferantium, ut is fremor possit comparari cum fluminis cadentis ex longinquo sonitu.

301. *praefatus divos*: „more antiquo; nam maiores nullam orationem nisi invocatis numinibus inchoabant, sicut sunt orationes Catonis et Gracchi.“ S. Ov. M. 15, 593 *priscoque deos e more precatus*; dein sequitur oratio. Ita Demosthenes orditur praeclaram suam de corona orationem his verbis: Πρῶτον μὲν, ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῖς θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις. Adde Plin. Pan. 1. — *solio ab alto* cf. 8, 541.

302. *statuisse vellem:* „Est compendiosa locutio, quum querimur non esse factum, quod fieri debuit.“ S. Pertinent ad ea, quae Latinus suaserat 7, 591 sq., neque tamen omnibus ira praepeditis et a Turno in furorem actis potuit perficere.

304. *muros adsidet*: Accusativum cum v. *adsidere* iungi ap. Cic. et Sall. testis est Arusianus p. 211 ed. Lindem. Et legitur Sall. Iug. 11 *dextra Adherbalem adsedit;* ita ea quae h. l. est obsidendi notione ap. Tac. A. 4, 58 *moenia urbis adsidens*, 4, 43 assidendo castellum et ap. Sall. fragm. 4, 9 *Amisum assideri sine proeliis audiebat*. Ap. Ciceronem nunc non est.

Bellum importunum, cives, cum gente deorum
Invictisque viris gerimus, quos nulla fatigant
Proelia, nec victi possunt absistere ferro.
Spem, si quam adscitis Aetolum habuistis in armis,
Ponite. Spes sibi quisque; sed haec quam angusta videtis.
Cetera qua rerum iaceant perculsa ruina,
Ante oculos interque manus sunt omnia vestras.
Nec quemquam incuso. Potuit quae plurima virtus
Esse, fuit: toto certatum est corpore regni.
Nunc adeo, quae sit dubiae sententia menti,
Expediam et paucis — animos adhibete — docebo.
Est antiquus ager Tusco mihi proximus amni,
Longus in occasum, fines super usque Sicanos;
Aurunci Rutulique serunt, et vomere duros
Exercent colles, atque horum asperrima pascunt.

305. *bell. imp.:* „Concepit grandem iracundiam et sic in haec verba prorupit.“ S. Tota oratio eius est, qui quum mala praevidebat, non auditus est, postquam acciderunt, aliis obiicit, quod non antea sanum acceperint consilium. — *cum gente deorum* „qui a diis originem ducunt.“ S.

306. *invictis viris:* Non enim fortitudine Graecorum, sed insidiis oppressi sunt.

307. Ne victi quidem eo possunt adigi, ut arma deponant, sed semper rebellant; quod erat proprium Romanorum pacem non petere, clade accepta. cf. Hannibalis de Romanis iudicium ap. Liv. 27, 14 et Hor. C. 4, 4, 50; docetque omnis Romanae reipublicae historia.

308. *adscitis* MRγbcP2 *accitis* P1. — Servius explicat: evocatis, adiunctis. — Eadem est librorum discrepantia 12, 38, ubi iterum *adscire* praeferendum est; *socios* enim *adscire* est *adsciscere*, *accire* autem est *arcessere*.

309. *ponite* „deponite“ S. Cf. 8, 639. — *spes sibi quisque* sc. *est*. — *quam angusta* sc. *sit* cf. 5, 362.

310. *Cetera* „exercitus, auxilia, vires imperii.“ S. Cui respondent, quae Turnus dicit v. 419. 20. — Iunge *cetera sunt ante oculos, qua iaceant ruina* pro usitato *qua cetera iaceant . . ., est ante oculos*.

311. Itaque de his non opus est multis verbis. — *inter manus* cf. 9, 502.

312. *nec q. inc.:* „Excusatio haec ostendit obliquam esse in Turnum orationem Latini.“ S. Non incusat, quasi quis non omnem exhibuerit fortitudinem.

313. *Toto corpore regni:* „Imperii omnibus viribus.“ S. Cf. 9, 410. Quod regnum dicitur corpus cf. 12, 835. Claud. in Eutr. 1, 398 *ne toto conspiret corpore regnum*. Sil. 12, 317 *Corpore sic toto ac membris Roma omnibus usa*.

314. *nunc adeo* cf. 2, 567.

315. *expedire* cf. 3, 460.

316. *Est mihi ager*; videtur igitur hic ex iis fuisse, quos rex habebat Latinus. Quare pacis conditiones eo magis placere debent, quod incolumibus ceteris is modo damnum facit, qui eas proponit. — *antiquus* iam diu a nobis occupatus. — *Tusco amni:* Sic Tiberis dicitur Tuscus amnis 8, 473. *Tuscus Tiberis* G. 1, 499. Luc. 1, 381. Ov. Fast. 1, 500 eius *aquae Tuscae* vocantur. *Lydius Thybris* Aen. 2, 781.

317. *longus in occasum*: qui longe ab oriente ad occidentem extenditur, ne iungas *in occasum* cum *est mihi*: Tiberis enim a Laurento est septentrionem versus. — *super usque* cf. 262. Itaque usque super Sicanorum fines extenditur. De Sicanis cf. 7, 795, de Auruncis cf. 7, 723, de Rutulorum sedibus 7, 412. 793 sq. Aurunci et Rutuli Latini agrum serebant; quod ita videtur intelligendum esse, Latinum regem a peregrinis Auruncis et Rutulis maluisse sibi colonos agri sui acquirere, quam ex Latinis; itaque facile hi possunt depelli. Nihil hi A. et R. faciunt ad Turni regnum. Cf. 7, 727.

319. *duros colles* et *asperrima*: (itaque non est ager ea fertilitate, ut Troianis invideamus.) „Extenuat agri meritum, ut vile videatur esse quod donat.“ S. Gt. coni. *nemorumque* pro *atque horum* et *Mv.* p. 45 „Quovis pignore contendam,

Haec omnis regio, et celsi plaga pinea montis
Cedat amicitiae Teucrorum et foederis aequas
Dicamus leges sociosque in regna vocemus;
Considant, si tantus amor, et moenia condant.
Sin alios fines aliamque capessere gentem
Est animus, possuntque solo decedere nostro:
Bis denas Italo texamus robore naves,
Seu plures complere valent. Iacet omnis ad undam
Materies; ipsi numerumque modumque carinis
Praecipiant; nos aera, manus, navalia demus.
Praeterea, qui dicta ferant et foedera firment,
Centum oratores prima de gente Latinos
Ire placet, pacisque manu praetendere ramos,
Munera portantes aurique eborisque talenta
Et sellam regni trabeamque insignia nostri.

Vergilium non post durorum collium appellationem superposuisse in altero verbo (*pascunt*) ignavissimum illud *atque horum* (ipsorum collium) asperrima; debebat praeterea *eorum* dici; idemque sensisse vides Gentium Batavum, hominem alioquin omnia coniecturis non necessariis, id est, malis persequentem. Vix dubito quin poeta scripserit: *E.* c., *tesquorum a. p.*" — *exercent colles;* sic *terram* 7, 748, *agrum* 10, 142 dicitur.

320. Ea regio pinis abundabat. — *celsi plaga montis*, nunc Monti di Decima ad septentrionem versus a silva Laurentina (Selva di Ostia). — Etiam hoc loco sequitur Vgl. fabulam antiquam. Cato enim in Originibus dicit Troianos a Latino accepisse agrum, qui est inter Laurentum et castra Troiana. Hic etiam modum agri commemorat dicitque eum habuisse iugera DCC. „Nec omissum sit Aeneam aestate ab Ilio capto secunda, ut Hemina tradit, sociis non amplius sexcentis, in agro Laurenti posuisse castra; ubi dum simulacrum, quod secum e Sicilia advexerat, dedicat Veneri matri, quae Frutis dicitur, a Diomede Palladium suscipit, tribusque mox annis cum Latino regnat; socia potestate, quingentis iugeribus ab eo acceptis" Sol. 2, 14.

321. *Cedat amicitiae*, permittatur Troianis, amicis factis. Non vult se ipsos dicere victos, sed Troianos a se volentibus in amicitiam receptos, ut ii quasi beneficium accepisse videantur. — *aequae leges* ut 4, 520.

324. Ponit id, quod ipse fore non credit, sed vult Turno persuadere, hoc etiam posse fieri, ut abscedere malint, quam invitis se coniungere. — *gentem* i. e. terram gentis cf. 1, 533; simplicior tamen est ratio accipere: Si alios fines (terram), aliam gentem, in qua vivant, quaerunt.

325. *possunt*: si possunt a se impetrare, ut v. 307.

326. *Texere* cf. 2, 16.

327. *complere* proprium, cf. Caes. BC. 1, 56. ita πλήρωμα Graecorum. Iacet omnis, qua opus esse potest, ad undam materies; itaque facile praestabimus.

328. Troianorum naves in proelio perditae erant cf. 9, 120. — *materies* eadem forma ap. Hor. AP. 131 pro vulgari *materia.*

329. *aera*, quibus opus est in navibus cf. 1, 35. *manus*, operas qui construant. Illi dicant, quot et quo modo sibi fieri naves velint, nos et operam et quae opus sunt praestemus. — „*Navalia* res navales sunt i. e. pix, cera, funes, vela et alia huiusmodi." S. in alqt. Ita materia reliquis rebus, quibus instruuntur naves, opponitur ap. Curt. 10, 1, 19.

331. *centum prima de gente:* „Et ex numero et ex nobilitate legatorum intelligitur negotii magnitudo." S. De centum oratoribus cf. 7, 153. Nonne h. l. Vgl. respexit verbis *prima de gente* ad Rhamnes, quorum ex singulis gentibus (centum erant) singuli lecti sunt oratores, ut etiam in talibus Romana ad instituta alludat?

332. *pacis ramos* cf. 7, 152.

333. *eborisque talenta* „quia et ebur ad pondus venditur." S. *Pl.* tamen improbat *eboris* talenta scribitque *aerisque talenta.*

334. *Sella curulis et trabea* imperii insigne apud Romanos (cf. de trabeae forma et usu 7, 612.) traductum a Tuscis

Consulite in medium, et rebus succurrite fessis.
Tum Drances idem infeusus, quem gloria Turni
Obliqua invidia stimulisque agitabat amaris,
Largus opum, et lingua melior, sed frigida bello
Dextera, consiliis habitus non futilis auctor,
Seditione potens; genus huic materna superbum
Nobilitas dabat, incertum de patre ferebat;
Surgit, et his onerat dictis atque aggerat iras:
Rem nulli obscuram, nostrae nec vocis egentem,
Consulis, o bone rex. Cuncti se scire fatentur,
Quid fortuna ferat populi, sed dicere mussant.

Flor. 1, 6. „Romanorum enim imperatorum insigne fuit sella curulis et trabea.“ S. Sellam curulem a senatu Romano regibus sociis esse donatum docet 3, 466.

335. *Consulere* est senatorum h. l. absolute dictum, ut Liv. 21, 16. Hor. C. 2, 1, 14. — *in medium* „in commune“ S. *εἰς κοινόν*, in communem utilitatem. cf. G. 1, 127 *quaerebant in medium*. Liv. 26, 12 *quemadmodum nemo privato consilio ad hostem transibat, ita nihil salutare in medium consulebatur*; ita *consulere in commune* Ter. And. 3. 3, 16. *in publicum* Plin. Ep. 9, 13. in *unum* Tac. H. 1, 68. — *rebus fessis* cf. 3, 145.

336—375. Pace laudata Drances Turnum, omnium malorum auctorem, cum Aenea certare iubet.

336. Drances, idem Turno infensus et dives sed dicendi arte potentior, in consiliis bonus et ad movendam seditionem strenuus; itaque satis formidabilis, quamquam ignavus erat, et ob id ipsum pacis amator, qua valere poterat in civitate, et Turno inimicus, quod is bello inclaruerat. — Describit indolem hominis, ut quod facit fiat probabile. — Tamen admodum difficile est *idem*. Simplicissima videtur ratio, qua dicitur pertinere ad sequentia, ut 3, 80. 9, 327; sed ibi iungitur *idem — et*, *idem — que;* quod hoc loco non est. Itaque varie transpositis verbis et versibus locum interpretes studuerunt emendare. Saepius corrigi locum corruptum versibus mutatis, id quidem constat, sed quod hoc loco factum esse fingitur, ut verba omnia susque deque iacta sint, quum in Mss. ne minimum quidem eius perturbationis reperiatur signum, non potest esse verum. Unum ponam exemplum *Wgi: T. D. lingua m. s. f. b. Dextera, c. h. n. f. a. Idem largus o, infensus q. g. T. Obliqua i. st. a. a. Seditione p.* — Tali transpositione potiorem habeo coniecturam *Pli: pridem.* — Missis his tentaminibus restat, ut explicemus: idem ille, qui iam memoratus est antea. Quam explicationem quare VV. DD. recipere noluerint, fateor me non satis intelligere. Narratur enim Drances, Turni adversarius, ut antea v. 129. 226, sic iterum arripere occasionem Turno obtrectandi.

337. *obliqua* „qui non ex aperto impugnabat Turnum, sed eum reipublicae simulata defensione lacerabat.“ S. Sed ea est *obliqua oratio*, ut ap. Suet. Dom. 2. non *obliqua invidia*, quae est „oculis obliquum respiciens.“ Ita *stimuli amari* sunt aegritudo et dolor animi ob Turni gloriam.

338. *lingua melior;* ita melior Ov. M. 9, 29 *melior mihi dextera lingua.* — *frigida bello dextera*, ut 5, 396 *frigent effetae in corpore vires.* — *melior* c. abl. cf. 9, 40 sc. erat. Mutata structura est, sed statim in priorem recurrit. Nominativi absoluti cf. 2, 170.

339. *auctor* consiliis est, quem alii sequuntur consilia dantem.

340. „Bene segni homini paternam non dedit nobilitatem.“ S.

341. *ferebat* MP2 i. e. semper habebat, non poterat eo exsolvi. — *ferebant* Rc; et videtur legisse Servius, qui: „penitus ignoratum aut ipsum patrem aut genus tradunt.“

342. Aggravat et aggerat iram in Turnum.

344. *Egere* cum gen. cf. 27. — *consulere rem* i. e. de re aliqua consilium exquirere. — *o bone rex:* „Auxit epitheto dignitatem.“ S. Cf. Hor. C. 4, 37 *dux bone patriae.*

345. *ferat* M2RP — *petat* M1γ2c. Cf. Cic. Fam. 1, 7, 6: *Quid res, quid caussa, quid tempus ferat, tu facillime optimeque perspicies.* — *mussant:* „modo verentur significat, alias dubitant, ut 12, 657.“ S. cf. 454. 12, 718. seu cun-

Det libertatem fandi, flatusque remittat,
Cuius ob auspicium infaustum moresque sinistros —
Dicam equidem, licet arma mihi mortemque minetur —
Lumina tot cecidisse ducum, totamque videmus
Consedisse urbem luctu: dum Troia tentat
Castra, fugae fidens, et caelum territat armis.
Unum etiam donis istis, quae plurima mitti
Dardanidis dicique iubes, unum, optime regum,
Adiicias, nec te ullius violentia vincat,
Quin natam egregio genero dignisque hymenaeis
Des pater, et pacem hanc aeterno foedere firmes.
Quod si tantus habet mentes et pectora terror,
Ipsum obtestemur, veniamque oremus ab ipso:
Cedat, ius proprium regi patriaeque remittat.
Quid miseros totiens in aperta pericula cives
Proiicis, o Latio caput horum et caussa malorum?
Nulla salus bello; pacem te poscimus omnes,
Turne, simul pacis solum inviolabile pignus.
Primus ego, invisum quem tu tibi fingis et esse

ctantur cf. Lucr. 6, 1177. Pl. Ep. 3, 11, 12. Tu quaeris a nobis rem minime dubiam, et in qua omnes consentiunt; quominus autem edicant, solo metu impediuntur.

346. *flatusque remittat* „tumores, aut ponat superbiam." S. Sic *remittant spiritus, comprimant animos suos, sedent arrogantiam* Cic. Flacc. 22, 53.

347. „Invidiose Turni auspiciis imputat, quod tantus periit exercitus. — Sane sciendum hunc exprimere quidquid verecunde celavit Latinus." S. — *mores sinistros* „quia Latino obtemperare noluit." S.

348. Dicit se intrepidum et qui, si modo rem bonam defendat, libenter in se potentium recipiat invidiam. Sed metuendum sibi esse fingit, ubi nihil metuendum est, movetque invidiam Turno.

350. *cons. urb. luctu* „in luctum esse demersum." S. *Considere* est corruere, perire cf. 2, 624. 9, 145; itaque est: luctu periisse.

351. *fugae fidens:* Signat illum ex pugna abitum Turni qui narratur 10, 636 — 688. — *et caelum t. a.:* omnia bello turbat, dum ipse ignavus fugit. „Perite Dranci haec data sunt verba, qui tumida uti oratione inducitur. Unde ei paulo post Turnus dicit: *Quae tuto tibi magna volant.* Item: *proinde tona eloquio.* Item: *ventosa in lingua.*" S. Ad verba cf. 10, 895.

852. *quae plurima* cf. 5, 728. — „*mitti* aurum, ebur, sellam et cetera, *dici* de navibus vel agro." S.

354. *nec* cf. 12, 801.

355. *egregio genero dignisque hym.* Ergo Turnus videtur indignior.

356. *pater* quum sis, cuius de filia summa potestas est. Neque ex antiquo iure de connubio ineundo quidquam valebat voluntas filiae. — *firmes* M2R. Et Serv. explicat. Propterea intuli, secutus est *Ld. iunges* M1 rec. *Wg. Rb.*

357. *Habet mentes terror:* Sic Latini dicunt *habet me dolor, somnus, morbus.*

358. *ipsum — ipso* epanadiplosis est, et verba extremis versus locis ponuntur, ut 1, 750. 9, 127. 12, 29. E. 7, 4. G. 4, 342, apud alios.

359. Cedat et remittat ius proprium regi et patriae (cuius consilium primores sunt), regis natam dare cui velint; nolit id sibi arrogare, qui petit uxorem et qui externus est. Invidiose omnia haec dicta sunt, quod petit a Turno, ut concedat ea, quae non potest ullo iuris nomine sibi vindicare. — *remitto* cf. 5, 419.

361. Latio, non uni civitati. — *Caput et caussa* recte „nam Aeneas pacem promisit." S. — *proiicis*, ut res viles cf. 6, 436.

362. Accedit, quod salus bello non paratur.

363. *Pacis inviolabile pignus* est Lavinia, quam sibi arrogat.

364. Docet patriae salutem sibi omnibus amicitiis esse potiorem.

Nil moror, en supplex venio. Miserere tuorum,
Pone animos, et pulsus abi; sat funera fusi
Vidimus ingentes et desolavimus agros.
Aut, si fama movet, si tantum pectore robur
Concipis, et si adeo dotalis regia cordi est:
Aude, atque adversum fidens fer pectus in hostem.
Scilicet, ut Turno contingat regia coniunx,
Nos, animae viles, inhumata infletaque turba,
Sternamur campis. Et iam tu, si qua tibi vis,
Si patrii quid Martis habes, illum adspice contra,
Qui vocat.
Talibus exarsit dictis violentia Turni;
Dat gemitum, rumpitque has imo pectore voces:
Larga quidem, Drance, semper tibi copia fandi
Tum, quum bella manus poscunt; patribusque vocatis
Primus ades. Sed non replenda est curia verbis,
Quae tuto tibi magna volant, dum distinet hostem
Agger moerorum, nec inundant sanguine fossae.

366. *pulsus abi:* Ad haec respondet Turnus v. 392. — Cf. 5, 305. 7, 733. 12, 733 *indictus abibis*. Adde *repulsus abibis* Sall. Iug. 110. *missus abibis* Hor. Sat. 2, 1, 86. pro repelleris etc. cf. 2, 169. Simili modo Ov. M. 2, 453 *labens ibat rivus*. 3, 388 *egressaque silvis ibat*. — Demitte animi superbiam, qua Latini gener fore cupis omnibus invitis.

367. *desolavimus agros:* similia cf. 1, 471. Stat. Theb. 6, 917 *desolavimus urbes.*

369. *Dotalis regia*, regnum Latini, quod dotem accipit, qui ducit Laviniam. Quasi regni magis esset cupidus Turnus quam reginae. Dotem marito dare ab uxoris patre mos erat Romanus. Inde etiam Vgl. eum morem observavit; et memorat *dotes* 7, 423, et *dotales* dantur Aeneae Tyrii 4, 104, ut h. l. et 9, 737 regia. Sic ap. Ov. M. 4, 705 *promittunt regnum dotale parentes.*

372. Scilicet nos sternamur, viles, quos curari non iuvat, si modo Turnus uxore potiatur. — Sen. Troad. 81 *vulgus dominam vile sequemur*. Ita *sanguine viles* Stat. Theb. 2, 458. — *inhumata:* Recte quoad Turnum, qui non perfecit, ut possent sepeliri; sed id debetur benignitati Aeneae.

374. *adspice contra:* *ἄντην εἰςιδέειν* Hom. Il. 19, 15; nos: *ins Gesicht sehen*; ut dicitur oculos tollere contra aliquem. Nep. Epam. 8 Lacedaemonios *nemo Boeotorum ausus fuit adspicere in acie.*

375. Cf. v. 115 sq.

376—444. Turnus Drancem refellit.

376. Turnus per singula refutat Drancis orationem; et ut fieri solet in altercatione, crimina quae refelli nequeunt, intacta relinquit; alia proponit, quibus maxime adversarium doceat esse indignum, quod ignavus sit; se autem et boni ducis et militis partes sustinuisse, neque verum esse, quod victos dicat Latinos.

377. *dat gemitum*, ingemit cf. 2, 698. — *rumpit vocem*, cf. 2, 129. „More suo habitum futurae orationis ostendit.“ S.

378. Verba facis, quum proelio decertandum est.

381. *Verba magna volant*: Pro telis, quibus opus est in proelio, magna loqueris in curia. Cf. Val. Fl. 5, 600 *Non frustra magna superbo dicta volant, ait, et vocem paria arma sequuntur.* — *distinet* Pybc et S. *destinet* R *detinet* M. Interpretes fere omnes a Virgilio scriptum esse putant *distinct*, quod errore mutatum sit in *destinet*, idque correctum in *detinet*. „*Detinere* est morari aliquem, *distinere* prohibere disiuncta, ne in unum coire possint.“ Wg. Hanc ratiocinationem firmat S., qui: „*Distinet*, arcet, repellit; proprie extra tenet. Nam *dis* separantis est, unde et *diduco* et *distraho* dicimus.“

382. *agger moerorum* cf. 10, 24. — *inundant sanguine fossae* cf. 3, 625. — Magniloquus es, dum tutus in urbe lates, nec hostes urbem oppugnant. — Tum patiar a te mihi ignaviam obiici, si eadem in proelio splendida facta edideris, quae ego.

Proinde tona eloquio, solitum tibi, meque timoris
Argue tu, Drance, quando tot stragis acervos
Teucrorum tua dextra dedit, passimque tropaeis
Insignis agros. Possit quid vivida virtus,
Experiare licet: nec longe scilicet hostes
Quaerendi nobis; circumstant undique muros.
Imus in adversos? Quid cessas? an tibi Mavors
Ventosa in lingua pedibusque fugacibus istis
Semper erit?
Pulsus ego? aut quisquam merito, foedissime, pulsum
Arguet, Iliaco tumidum qui crescere Thybrim
Sanguine, et Euandri totam cum stirpe videbit
Procubuisse domum, atque exutos Arcadas armis?
Haud ita me experti Bitias et Pandarus ingens,
Et quos mille die victor sub Tartara misi,
Inclusus muris hostilique aggere saeptus.
Nulla salus bello! Capiti cane talia demens
Dardanio, rebusque tuis. Proinde omnia magno
Ne cessa turbare metu, atque extollere vires
Gentis bis victae; contra premere arma Latini.
Nunc et Myrmidonum proceres Phrygia arma tremescunt,
Nunc et Tydides, et Larissaeus Achilles,
Amnis et Hadriacas retro fugit Aufidus undas.

383. *eloquium*: ita Ov. M. 13, 63. 322.

384. „*quando*, siquidem. Et per irrisionem in illum suas confert laudes.“ S. *stragis* i. e. stratorum cf. 3, 471.

385. *Pl.* pro *Teucrorum* coni. *Dardaniae.*

386. *vivida virtus*, item 5, 754.

389. *imus?* quin imus! ut Cic. de or. 3, 5. Cf. Gr. §. 421 An. 9.

391. *Semper erit* del. *Gr.* Male, futuro enim opus est, non praesenti.

393. *tumidum crescere Thybrim sanguine* cf. 4, 22.

394. *cum stirpe* „Occiso enim Pallante, interiit eius cuncta posteritas.“ S. Attamen satis magniloquus et ipse est Turnus in uno Pallante occiso; neque enim qui de tota domo audiet de uno agi homine putabit. Postea etiam ipsa facta sua auget, quod mille se homines mentitur occidisse.

396. De *Bitia* et *Pandaro* cf. 9, 762 sq.

397. *die* i. e. uno die, sive singulis diebus, ut Hor. S. 2, 1, 4 *putat mille die versus deduci posse. Pl.* pro *die* coni. *alios.*

399. Demens es, qui quae Aeneae divinanda sunt, nobis canas. — *capiti Dardanio* pro Dardanio Aeneae. Sic *caput* 8, 570. — *Canere* est vatum cf. 2, 124. „Quotiens argumentum non possumus solvere, aut contraria obiectione aut risu aut maledicto, ut hoc loco, adversario respondemus.“ S.

400. *rebusque tuis:* Quum ipsum Aeneae hosti iungat, facit proditorem, quod crimen firmat sequentibus verbis.

402. Dicendo extollis vires gentis, quae iam bis victa est. — Ita in contemptum: *bis capti Phryges* 9, 599. — *Supprimere arma Latini* eum dicit, ut Drancem Latino reddat invisum.

403. Iam narrationi, qua Diomedes auxilium recusaverit, fidem habendam non esse significat, sed frustratam legationem Drancis esse perfidia. Nam nunc, inquit, a victoribus victi timentur. Quis tam demens est, qui id credat. Haec Turni est sententia. Cf. similem locum 4, 376.

404. *Tremescunt* cum acc. legitur 3, 648. Stat. Theb. 9, 680 *notamque tremescit silva deam*, et perfectum 8, 296 et ap. Hor. C. 2, 12, 8 *periculum contremuit domus.* Similia 2, 31.

405. Aufidus (Ofanto) fluvius Apuliae, in qua Diomedes consederat. Sic hoc loco Turnus, ut quae de Diomedis recusatione narrata sunt, fide omni carere ostendat, hoc incredibile addit. Item, inquit, credibile est fluvium Troianos me-

Vel quum se pavidum contra mea iurgia fingit
Artificis scelus, et formidine crimen acerbat.
Nunquam animam talem dextra hac — absiste moveri —
Amittes; habitet tecum, et sit pectore in isto.
Nunc ad te et tua magna, pater, consulta revertor.
Si nullam nostris ultra spem ponis in armis,
Si tam deserti sumus, et semel agmine verso
Funditus occidimus, neque habet Fortuna regressum:
Oremus pacem, et dextras tendamus inertes;

tuentem retro agi, neque mirarer, si ea retulissent illi nuntii, quam victorem refugere a victo. Satis haec magniloqua sunt et tumida, non minus quam Drancis verba; tumor autem proprius est eius, qui falsa pro veris vendit. Tamen non incuso Virgilium, quod „labe saeculi intactus non manserit", sed ad personas sua eum accomodasse dixerim. Turnus autem virtutis suae conscius, rebus male gestis perturbatus, recessu e proelio dubiae famae obstrictus, exacerbatus Latini tecta insimulatione non minus quam aperta obiurgatione Drancis irritatus, regi parcere quum cogatur, omni vi et ardore, quo agitant eum dolor, pudor, ira, in Drancem erumpit, neque verba libra aestimat. Sic h. l. *Larissaeus Achilles* satis ventose dictum puto. In ea oratione monuit iam Faber „Istud *amnis Aufidus* mihi segnius et ignavius est hoc quidem loco, quam ut id Virgilianum possim credere. Itaque legendum putem: *Amnis et H. r. f. Appulus u.*" Nec Vgl. alio loco ad nomen fluvii addidit voces *amnis*, *fluvius etc.*; quando fecit, ut 6, 550. 7, 516. 729, addidit ad vocem *amnis* adiectivum. Sic etiam Hor. C. 1, 31, 9 *rura Liris quieta mordet aqua taciturnus amnis.* Sed *Aufidus* multo significantius est quam *Appulus*, et poteris *Aufidus* dicere adiectivum cf. 1, 686. Neque tamen opus. Ad nomen enim *Aufidus* recte Vgl. addidit *amnis*, quod memoratur id quod maxime contra *amnis est* naturam i. e. retro labi; quare etiam primo ponitur loco. *Pl.* coni. *Agmine et Hadriacas verso f. A. u.* et *agmine verso* firmat ex 2, 782. G. 1, 322, quasi id dubium esset.

406. *vel quum se* etc. Quintilianus 9, 3, 14 locum laudat ob particulam *vel*, quod facile intelliges, si ceteros locos e Virgilio laudatos contuleris. Huius verba sunt: „Commendatio vetustatis, cuius amator unice Virgilius fuit. *Vel*. . . . Quorum similia apud veteres tragicos comicosque sunt plurima." — „Habet autem particula *vel* hoc vetustum, ut significet: quid opus est longe exempla quaerere; vel hoc quod afferam, praecipue probat, quod volo; hoc, verbi caussa, statim sufficit." *Pl.* Re non differt, si Schellerus pro *velut* accipit. Cf. Ter. Heaut. 4, 6, 1 *Nulla est tam facilis res, quin difficilis siet, quam invitus facias: vel me haec deambulatio, quam non laboriosa, ad languorem dedit.* Hec. 1, 1, 3. al. — Itaque ea est sententia: Quam falsa sint haec (quae ad v. 405 usque dicta sunt.), ex eo potest intelligi, quod metuere se fingit, ne ego eum occidam, qui bene scit, quam securus possit esse per me. — *fingit* Mss. — *iactat* Quintilianus. Utrumque recte dicitur. *Pl.* coni. *V. q. s. impavidum c. m. i. iactat, Artifici scelere et f. c. a.*

407. *artificis scelus* i. e. artifex scelestus; ita *scelus* de homine Ter. Andr. 3, 5, 1 *ubi illic est scelus, qui me perdidit.* Plaut. saepissime, ut Bacch. 5, 2, 57 *abin' a me scelus?* et qui locus huic est simillimus. Casin. 2, 1, 8 *flagitium illud hominis*, alia. Quae omnia in sermone vulgari usitata fuisse videntur. Cf. 5, 574. Sic *virtus* 5, 752. — Quod in me fingit esse crimen violentiae et temeritatis acerbat, quum se formidare simulet, quod verum audeat dicere.

408. Non ego, fortis homo, ignavum velim interficere; vivas tu in tuum dedecus.

411. Si omnem spem amisimus, pax petenda est; sed pergit 419 minime eo redacti sumus.

412. Non deserti sumus ab omnibus, quum unus deserat Diomedes.

413. *nec habet F. regressum.* Cf. Stat. Silv. 3, 3, 157 *seu blanda diu fortuna regressum maluit.*

414. *Dextras* tendebant victoribus victi vitam petentes. Cf. Caes. BC. 3, 98 *Arma proiicere iussit. Quod ubi sine recusatione fecerunt passisque palmis proiecti ad terram, flentes ab eo salutem petierunt.* — *dextras tendamus*

Quamquam, o, si solitae quidquam virtutis adesset, —
Ille mihi ante alios fortunatusque laborum,
Egregiusque animi, qui, ne quid tale videret,
Procubuit moriens et humum semel ore momordit.
Sin et opes nobis et adhuc intacta iuventus,
Auxilioque urbes Italae populique supersunt;
Sin et Troianis cum multo gloria venit
Sanguine: — sunt illis sua funera, parque per omnes
Tempestas — cur indecores in limine primo
Deficimus? cur ante tubam tremor occupat artus?
Multa dies variique labor mutabilis aevi
Rettulit in melius; multos alterna revisens
Lusit et in solido rursus Fortuna locavit.
Non erit auxilio nobis Aetolus et Arpi:
At Messapus erit, felixque Tolumnius, et quos
Tot populi misere duces: nec parva sequetur
Gloria delectos Latio et Laurentibus agris.
Est et Volscorum egregia de gente Camilla,
Agmen agens equitum et florentes aere catervas.
Quodsi me solum Teucri in certamina poscunt,

inertes. His verbis vel illa conditione flagitium se putare indicat, pacem petere, et erumpit animi eius affectus in verba: *quamquam o si* etc.: si non omni careremus virtute, moreremur potius. Sed dum profert, sentit haec aliis nimis acerba visum iri. Itaque apodosin supprimit; addit modo suo quidem iudicio beatum esse, qui occubuerit, antequam de deditione facta sit quaestio. Ita post *quamquam o* aposiopesis est cf. 5, 195. et ex commoto animo recte admittitur.

416. *Mihi* est fortunatus i. e. meo iudicio, *mir gilt er;* propria dativi vi. Cf. E. 3, 104. Nep. praef. *Hi si meminerint non eadem omnibus esse honesta atque turpia.* — *fortunatus laborum,* de gen. cf. 1, 14.

418. *semel*, *einmal für allemal*, cum vi pronuntiatum in re, a qua regressus non est, et quae bis non fit. Prop. 4, 11, 3 *Quum semel infernas intrarunt funera leges.* Hor. C. 1, 34, 16. — *memordit* P1 rec. *Rb. momordit* MP2Rγbc.

420. *Urbes Italae:* Hoc dicit; Habemus robur Italum, non Graecum militem, Italo inferiorem.

421. Victoria Troianis multo sanguine parta est, itaque et ii debilitati.

423. *in limine primo* sc. belli animum abiicimus; *Deficere* ut 231. 12, 2. Cic. ad Att. 1, 16, 9 *ne una plaga accepta patres conscripti conciderent, ne deficerent;* et Caesar saepius. — *animo deficere* Cic. RA. 4.

424. *ante tubam,* cf. 4, 663.

425. Multa et tempus (*dies* cf. 6, 745) et aevi mutabilis variatio correxit (*retulit in melius*); et vice versa (*alterna*) *fortuna* hos *lusit* felices *revisens* (ita *fortuna revisit* 3, 318. et E. 1, 28 *libertas quae sera tamen respexit inertem; ludere* pro deludere cf. 1, 407); — hos *in solido rursus locavit* i. e. in integrum restituit. — *Labor aevi* est perpetuus ille motus aevi, qui nunquam cessat. Sic ap. Ov. Met. 15, 179 *ipsa quoque assiduo labuntur tempora motu.* Claud. in Eutr. 1, 287 *Nil adeo foedum, quod non exacta vetustas ediderit longique labor commiserit aevi.* — Saepe bona fortuna in malam, mala in bonam vertitur; quare nunquam excusatur animum demittere. — *varii* M1PR *varius* M2γ rec. *Rb.*

429. *felix Tol.* qui quum augur esset, in bellum non isset, quod sciret fore infelix *Fb.* explicat: florens opibus. *Pl.* coni. *fidus.* Quid? Num ceteri infidi?

433. idem v. 7, 804.

434. *Quodsi* particula maxime logica non videtur apta esse carminibus; sed Horatius intulit vel lyricis, in quibus decies septies se legisse meminit Dillenburger; quare non miramur, si Vgl. in oratione, quae maxime argumentis nititur, ea particula usus est. Sic 6, 133.

Idque placet, tantumque bonis communibus obsto:
Non adeo has exosa manus Victoria fugit,
Ut tanta quidquam pro spe tentare recusem.
Ibo animis contra: vel magnum praestet Achillem,
Factaque Volcani manibus paria induat arma
Ille licet. Vobis animam hanc soceroque Latino
Turnus ego, haud ulli veterum virtute secundus,
Devovi. Solum Aeneas vocat. Et, vocet, oro.
Nec Drances potius, sive est haec ira deorum,
Morte luat, sive est virtus et gloria, tollat.
Illi haec inter se dubiis de rebus agebant
Certantes: castra Aeneas aciemque movebat.
Nuntius ingenti per regia tecta tumultu
Ecce ruit, magnisque urbem terroribus implet:
Instructos acie Tiberino a flumine Teucros
Tyrrhenamque manum totis descendere campis.
Extemplo turbati animi concussaque volgi
Pectora et arrectae stimulis haud mollibus irae.
Arma manu trepidi poscunt, fremit arma iuventus.
Flent maesti mussantque patres. Hic undique clamor
Dissensu vario magnus se tollit ad auras.

435. *idque placet:* Si id vos ipsi vultis, et si unus obsum communi utilitati. „Oblique promittit se singulari certamine dimicare velle, quum nolit.“ S.

436. Saepe victoriam reportavi; quod iterum factum iri non est improbabile.

437. *tanta pro spe.* Spero enim me unum posse liberare patriam.

440. Ego pro vestra salute me devoveo et „bene sibi et favorem conciliat populi et a soceri nominis praeiudicio Latini implicat voluntatem.“ S. Deinde cum irrisione addit: Non patiar Drancem pugnare et, sive secunda sive adversa sit fortuna, aut laudis aut mortis habere partem.

441. *nulli secundus.* Cf. Liv. 23, 10 *nulli Companorum secundus.* Sil. 7, 55 *nulli quisquam virtute secundus.*

445—531. Interea Aeneas ad urbem movet. Turnus copias instruit.

446. *Castra movere* satis usitatum; adiunxit *aciem*; itaque duxit exercitum instructa acie, quovis in loco pugnare paratus.

448. *ecce* cf. 266. Nuntius statim accedit ad regem et Turnum; ab iis cognoscunt, qui a consiliis sunt; ad reliquos rumor pervenit.

453. *trepidi poscunt.* trepidant ex nimia proficiscendi cupiditate. cf. 10, 283. Plebeiis arma dantur bello ingruente. — *manu poscunt:* „Gestum etiam flagitantis exprimunt.“ S. *Pl.* coni. *arma arma intrepidi p.* Nonne *intrepidi* toti narrationi ineptum est? — *Fremit* i. e. cum fremitu poscit, ut 7, 460 et Stat. Theb. 3, 593 *Bella animis, bella ore fremunt.* „Vox militaris est.“ S. De acc. cf. 2, 31. *Fremere* omnino est obscurum sonum fundere; inde est multitudinis assentientis, ut 1, 559. 5, 385. 555. 9, 637. 10, 96. 11, 132 et lugentis 6, 175, et ferociter arma postulantis, ut h. l. Hinc etiam fremor est diversa simul agitantium, ut 297. Iam propria vox est in leonis rugitu, ut 9, 341. 12, 8, et hinnitu equorum v. 496. 599. 607, et aliorum animalium, cuius usus plurima exstant apud omnes exempla. Etiam inanima fremunt, neque enim in *fremere* inest aliqua viventis notio, sed soni surdi; inde tecta fremunt ululatu 4, 668, ripae undis 11, 299, tormento saxa 12, 922, mons vento 12, 702, ipse ventus 10, 98. — Iuventus audax in arma concurrit, dum timent et maerent senes.

454. *clamor dissensu vario*, ad arma vocantium et dolore lamentantium. — *mussant* cf. 345.

455. *ad auras* M. *in auras* PRγbc rec. *Rb.* Utrum hoc loco scribendum sit vix dicas.

Haud secus, atque alto in luco quum forte catervae
Consedere avium, piscosove amne Padusae
Dant sonitum rauci per stagna loquacia cycni.
Immo, ait, o cives, arrepto tempore Turnus,
Cogite concilium et pacem laudate sedentes:
Illi armis in regna ruunt. Nec plura locutus
Corripuit sese et tectis citus extulit altis.
Tu, Voluse, armari Volscorum edice maniplis:
Duc, ait, et Rutulos. Equitem, Messapus, in armis
Et cum fratre Coras latis diffundite campis.
Pars aditus urbis firmet, turresque capessat;
Cetera, qua iusso, mecum manus inferat arma.
Ilicet in muros tota discurritur urbe.
Concilium ipse pater et magna incepta Latinus
Deserit ac tristi turbatus tempore differt,
Multaque se incusat, qui non acceperit ultro
Dardanium Aenean generumque adsciverit urbi.
Praefodiunt alii portas, aut saxa sudesque

457. *consedere* perf. in comparatione cf. 2, 380. — Padusa ostium meridionale Padi fluminis paludosum, ubi multi cycni erant, unde etiam cycni origo in eam regionem translata est. Cf. Ov. M. 2, 367 sq.

458. *stagna loquacia* „in quibus habitant cycni loquaces.“ S. cf. 12, 475.

459. *arrepto tempore ait:* Inventa opportunitate, quae offerebatur, abrumpit consultationem sibi iniquam.

460. *sedentes*; inest vituperatio, ut 12, 15. Sedete et laudate pacem, dum hostis armis in urbem irruit. Non vestris is consultationibus, sed telis est repellendus.

461. *ruant* dederunt *Hn. Wg.* i. e. Vos non curatis hostes irruentes; *ruunt Hp. Ld. Fb.* et nunc *Wg.* et *Rb*, qui alteram scripturam ne addit quidem i. e. Hostes non curant vos sedentes et pacem laudantes.

462. *corripuit sese* cf. 4, 572.

463. *edice*. Ita *addice* Plaut. Poen. 2, 50 et *indice* Pseud. 1, 5, 133 et *adduce* Asin. 2, 2, 88. „*Armari edice*, figura est: dic ut armentur.“ S. Cf. 2, 33. — Volusus, qui est Turni legatus et minister proximus, qui eius exsequitur imperia, Volscorum ducem suos iubet armare, Rutulos autem, quibus ipse praeest Turnus, adducit; non habebat Volusus, cui hoc officium committeret. — *maniplis* MRγ2 *maniplos* Pγ1 rec. *Rb*, ut tolleret homoeoteleuton. *Pl.* coni. *Volscorum dice maniplos, Dice, ait, et R.* Deinde *Equitum Messape, catervas*, (cf. v. 500) *et cum fratre, Cora, l. d. c.*

464. *Messapus* vocativus. Cf. 8, 77. — *equitem in armis*, i. e. armatum. „Nam figura est.“ S. Exempla 5, 37. Sic *in armis* est armatus 5, 440. Cf. *cum* 5, 681. *ex* 3, 618. *ab* 7, 647. *ad* 9, 648 *sine* 6, 534 et Gr. §. 472.

465. *cum fratre* Catillo cf. 7, 672.

466. *firment* M. sed perfosso *n*, idem, ut ex *Rbi* nota concludo, dat *capessat*. Pluralem dant Rbc.

467. *qua* cf. 1, 676. *iusso* cf. §. 14.

469. *magna incepta*, reddere pacem Italiae. — Cf. 7, 562. — *consilium* M1γ2 rec. *Rb. concilium* M2PRγ1bc rec. *Wg. Fb.* al.

471. „*Multaque se incusat*, pro *multum*. Et est Graeca figura.“ S. Cf. 8, 489.

472. *urbi* cf. 11, 367 „Si gener externa *petitur* de gente *Latinis*.“ *Pl.* coni. *qui non asciverit ultro D. A. generum, atque acceperit urbi. Rb*, qui v. 469—72 a poeta putat esse postea adscriptos, esse igitur dittographiam, in v. 471 sequitur *Plum*, in 472 dat *generumque acceperit urbi*; sed Aeneas id non petivit. Quod autem *Rb.* haeret in *ultro accipere* sc. *generum*, caussa non est, nam hoc etiam non petit Aeneas. Sedem is aliquam, non affinitatem oraverat.

473. *praefodiunt* etc. „ante portas fossas faciunt.“ S. Sic *praefodere aurum* Ov. M. 13, 60 fodiendo occultare. — Saxis sudibusque pro telis usuri sunt cf. 891. Flor. 3, 21. 7 *quum sudesque et saxa undique a moenibus et tela iacerentur.* Liv. 23, 37 *Inde primum*

Subvectant. Bello dat signum rauca cruentum
Buccina. Tum muros varia cinxere corona
Matronae puerique; vocat labor ultimus omnes.
Nec non ad templum summasque ad Palladis arces
Subvehitur magna matrum regina caterva,
Dona ferens, iuxtaque comes Lavinia virgo,
Caussa mali tanti, oculos deiecta decoros.
Succedunt matres, et templum ture vaporant,
Et maestas alto fundunt de limine voces;
Armipotens, praeses belli, Tritonia virgo,
Frange manu telum Phrygii praedonis et ipsum
Pronum sterne solo portisque effunde sub altis.
Cingitur ipse furens certatim in proelia Turnus.
Iamque adeo rutilum thoraca indutus aenis
Horrebat squamis, surasque incluserat auro,
Tempora nudus abhuc, laterique accinxerat ensem;
Fulgebatque alta decurrens aureus arce:
Exsultatque animis, et spe iam praecipit hostem.
Qualis ubi abruptis fugit praesepia vinclis
Tandem liber equus, campoque potitus aperto
Aut ille in pastus armentaque tendit equarum,

saxis sudibusque et ceteris missilibus propugnatores moenia atque urbem tuebantur. Caes. BG. 7, 81. — Vides autem iam in summa esse desperatione omnes.

475. *varia corona*; immixti pueri et matres cingunt muros. De v. *corona* cf. 9, 380. — *buccina* cf. 7, 519.

476. *labor ultimus*, ultima necessitas, ultimum discrimen. — *vocat* cf. 9, 170.

478. *subvehitur* pilento cf. 8, 665. — *magna caterva* abl. cf. Gr. §. 325, 2.

480. *mali tantis* M1. inde mutatum *malis tantis* Rbc1, restitutum *mali tanti* M2Pγc2 Serv. Minus boni *tanti atque*, ad vitandum hiatum. *Pl.* coni. *Caussa mali*, *tacita atque o. d. d.* — *oculos deiecta* cf. 1, 228.

482. *de limine:* Nam in medium templum introire non licuit nisi sacerdoti.

483. Similis Palladis invocatio Hom. Il. 6, 305, quam per singula conferas. — *belli praeses* Stat. Silv. 4, 5, 23 *regina bellorum virago* Pallas dicitur. *praeses* M1P1Rγ2c2 *praesens* M2P2γ1bc1. — „*Armipotens* Antonomasiva sunt pro proprio.“ S. Sic *Omnipotens* est Iuppiter, 10, 668. *Ignipotens* Vulcanus 8, 423. 628. 710. *Arcitenens* Apollo 3, 75.

484. *Frange tela* Aeneae, quibus nostros petit, et mortuum eum prosterne ante ipsas portas.

485. *effunde*, prosterne; ita dicitur: *hostes fusi fugatique.* cf. 10, 574. 12, 532.

487. *Iamque adeo* cf. 2, 567. — *Rutulum* MPγ1 rec. *Wg.* Sed Rutulum hominem Rutulum thoraca induere cur narratur? — *rutilum* Rb rec. *Rb.* firmant Macr. 5, 10. Gell. 2, 6. qui hunc locum ob vocem *rutilum* laudant. Rutilantia arma sunt Aeneae 8, 529 eiusque lorica sanguinea v. 622. Sic Claud. Gigant. 92 Minerva „ostendens rutila cum Gorgone pectus.“

490. *aureus fulgebat.* Cf. 9, 270 *Turnus . . . ibat in armis aureus.*

491. *exsultat animis*, cf. 2, 386. — *praecipit spe h.* iam gaudet, quasi hostem capiat. cf. de v. *praecipere* 6, 105. „Mente praeoccupat hostis adventum“ S. Non recte, sed iam captum eum animo sensit.

492. Eadem comparatio ap. Hom. Il. 6, 506 sq. — Ennius ap. Macr. 6, 3 *Et tunc sicut equus, qui de praesepibus actus vincla suis magnis animis abrumpit et inde fert sese campi per caerula laetaque prata celso pectore, saepe iubam quassat simul altam, spiritus ex anima calida spumas agit albas.* Facile quantopere superet Ennium Virgilius apparebit.

494. *Mv.* p. 45 „Perversum hoc prorsusque vitiosum. Nam *adsuetus aquae* accipi vetat *perfundi* infinitivus, *adsuetus aquae perfundi* nihil est; iungenda igitur

Aut adsuetus aquae perfundi flumine noto
Emicat arrectisque fremit cervicibus alte
Luxurians, luduntque iubae per colla, per armos.
Obvia cui, Volscorum acie comitante, Camilla
Occurrit, portisque ab equo regina sub ipsis
Desiluit, quam tota cohors imitata relictis
Ad terram defluxit equis; tum talia fatur:
Turne! sui merito si qua est fiducia forti,
Audeo et Aeneadum promitto occurrere turmae
Solaque Tyrrhenos equites ire obvia contra.
Me sine prima manu tentare pericula belli;
Tu pedes ad muros subsiste et moenia serva.
Turnus ad haec, oculos horrenda in virgine fixus:
O decus Italiae, virgo, quas dicere grates
Quasve referre parem? Sed nunc, est omnia quando
Iste animus supra, mecum partire laborem.
Aeneas, ut fama fidem missique reportant
Exploratores, equitum levia improbus arma
Praemisit, quaterent campos; ipse ardua montis

haec sunt: *adsuetus perfundi flumine noto aquae;* atqui (ut taceam de *flumine aquae*) *flumine noto* avelli ab *emicat* nequit, quod nec hoc absolute dictum sensum habet et quod equus, levari solitus, consuetudine flumen notum petit ex eoque deinde emicat. Scribendum est igitur necessario: *aut, adsuetus aqua p., f. n. E.*"

496. *luxurians* i. e. ferociens.

498. *Obvia occurrit* cf. 10, 552.

500. *desiluit* „ad honorem Turni defertur." S. Apud Romanos quattuor erant signa honoris, equo desilire, caput aperire, via decedere, assurgere. Consuli advenienti unumquemque equo descendere ius erat. — *Cohors* dici solet peditum, et „in legione sunt centuriae sexaginta, manipuli triginta, cohortes decem" Gell. 16, 4. et Serv. ad v. 463. Legio habet decem cohortes, sexaginta centurias." Sed cohortes etiam equitum dici docuit Lersch p. 58 ex inscriptionibus; quamquam eo vocabulo latiore significatione Virgilius usus est, ut 7, 710. 10, 328. etiam de navibus 3, 563. Simile observatum est 5, 824.

501. *ad terram defluxit:* „Dicendo defluxit artem et quandam moderationem descendendi significavit, quae est etiam in ascendendo apud huius rei peritos." S.

502. *si qua forti est sui fiducia merito* i. e. si qui fortis merito aliquam habere potest sui fiduciam, ego etiam audeo et promitto etc.

503. *Turmae* equitum sunt (cf. 10, 310); itaque solam se opponi vult equitatui. — *Promitto* c. infinitivo praesentis nudo iungitur ut 4, 487. Hoc loco accedit quod *sola* additur nominativus, ut in verbo *spero* legimus 4, 306 *Dissimulare sperasti tacitusque mea decedere terra.* Recte tamen dices *sola* h. l. pendere ab *audeo* vel potius a notione, qualis utrique verbo inest, sc. *parata sum.*

509. *omnia q. I. a. supra*: de loco praepositionis cf. 149, de significatione 12, 839.

510. *supra* M2PRγbc *supera* t M1, *supera* rec. *Rb.* — *mecum partire laborem* sc. ducis. Et laborem et partitionem versus docent sequentes.

512. *Exploratores*: Itaque Turnus dum in urbe ac senatu versatur, non omisit officia ducis hostemque observabat. — *improbus*: In eum, qui ubique premit et angit, probrum iacit; ut solent esse hominum mores. Ceterum cf. 2, 356 — *Levia arma equitum* sunt arma equitum levis armaturae, ut nos dicimus. Neque tamen est hypallage adiectivi, quae nulla est, sed proprio est relatu illud *levia* cf. 8, 526.

513. *quaterent campos*, obequitarent campos cf. 875. — *quaterent* cf. 8, 505. — Aeneas praemisit equites, qui campos pervolitarent levibusque proeliis retinerent hostes, ne exercitus per montes descendens impediretur, neve proelio lacesseretur, antequam ad urbis muros pervenisset.

Per deserta iugo superans adventat ad urbem:
Furta paro belli convexo tramite silvae,
Ut bivias armato obsidam milite fauces.
Tu Tyrrhenum equitem collatis excipe signis;
Tecum acer Messapus erit, turmaeque Latinae,
Tiburtique manus; ducis et tu concipe curam.
Sic ait, et paribus Messapum in proelia dictis
Hortatur sociosque duces, et pergit in hostem.
Est curvo anfractu valles, accommoda fraudi
Armorumque dolis: quam densis frondibus atrum
Urguet utrimque latus; tenuis quo semita ducit,
Angustaeque ferunt fauces aditusque maligni.
Hanc super in speculis summoque in vertice montis
Planities ignota iacet, tutique recessus,
Seu dextra laevaque velis occurrere pugnae,
Sive instare iugis et grandia volvere saxa.
Huc iuvenis nota fertur regione viarum,
Arripuitque locum et silvis insedit iniquis.
Velocem interea superis in sedibus Opim,

514. Per summos montes et desertam et asperam regionem iter faciens de summo iugo ad urbem descendit.

515. *furta belli* „insidias. Sallustius: *gens ad furta belli peridonea.*" S. cf. 6, 568. — Turnus ipse vallem, per quam Aeneae eundum erat, montibus undique clausam, una tantum via utrimque apertam (Inde fauces sunt biviae) obsidere in animo habet. Itaque dum parat pedestri exercitui furculas Caudinas, Camillam iubet equitatui obviam ire, cui in fugam verso nec peditatu ullo sustentato pereundum erat. Sed Camilla caesa Tyrrheni ad urbem procedunt, quam ne capiant timens Turnus regreditur et Aeneae eiusque exercitui angustias apertas relinquit. Vgl. autem locum habuit Camillae et Tarchonis ornare virtutem, et Aeneam et Turnum per tempus distinet. Res autem non ferocia stupida aguntur sed arte bellica.

516. „*Fauces* dicuntur itinera inter duo montes locata angusta et pervia, dicta a faucium similitudine." S. cf. 6, 273. — *obsidam* cf. 10, 301. De singulari *milite* cf. 8, 390.

517. *collatis signis*, iusto proelio; ut pellat, non huc illuc obequitando et tergiversando retineat.

518. *tecum erit:* in tuum auxilium additus. — *acer* cf. 10, 308.

519. *Tiburti* cf. 7, 671. — *et tu* sc. ut ego.

522. *Valles* teste Servio ad h. l. et aliorum grammaticorum antiqua et vera est forma, non *vallis*, et *valles*, probatum metro, h. l. est in MR al., ut *Hn.* testatur.

523. *atrum.* Obumbrata vallis est arboribus in monte consitis. *Rb.* delet *quam — latus.*

525. *aditus maligni*, angusti cf. 6, 270. Stat. Theb. 2, 498 *fauces malignae.* Luc. 5, 651 *portus maligni.*

526. *speculis*, quae est in montis vertice.

527. *ignota*, multis, maxime Aeneae. Sed praestat „quod ab iis, qui illas fauces transgrediebantur, conspici cognoscique non poterat" *Jh.* — *receptus* M1Pγbc rec. *Rb. recessus* M2R. — *Recessus* locus est, ubi bene lateas cf. 8, 193. unde hostem opprimere possis. — *Receptus* est locus, quo salvus te recipias. Utrumque iam legit Servius.

529. *instare iugis*, insistere et inde saxa detrudere.

530. *regione viarum* cf. 2, 737.

531. *iniquis* sc. Aeneae cf. 5, 203. — *insedit*: „Nam *insidere* est dolose aliquem exspectare, unde et *insidiae* nominatae sunt." S. Cf. *subsidere* v. 268 et 10, 301. — *arripuit*, raptim cepit; ita 9, 13.

532—596. Camilla.

In his versibus multa sunt tentata. „Mihi totus ille interventus Dianae cum sua nympha non placet. Historiam Camillae et Metabi poetae optime narrare licuisset sub finem libri VII. Heindrichius putabat versus 537—586 *Neque enim — una mearum*, a Virgilio carmini iam ab-

Unam ex virginibus sociis sacraque caterva,
Compellabat, et has tristis Latonia voces
Ore dabat: Graditur bellum ad crudele Camilla,
O virgo, et nostris nequidquam cingitur armis,
Cara mihi ante alias; neque enim novus iste Dianae
Venit amor, subitaque animum dulcedine movit.
Pulsus ob invidiam regno viresque superbas
Priverno antiqua Metabus quum excederet urbe,
Infantem, fugiens media inter proelia belli,
Sustulit exsilio comitem, matrisque vocavit
Nomine Casmillae mutata parte Camillam.

soluto esse insertos. Destinavit fortasse libri VII. fini. Ipsa historia hinc sublata eo facile transferri poterat [Poterat! At nonne videt hoc loco Dianam aptissime exponere studium Camillae suum, quum libro VII. res esset satis supervacanea?] Inspice libri VII. 811 *Ferret — plantas.* Post illum versum lege: *Priverno antiqua* etc. Historia finitur: *Aeternum telorum et virginitatis amorem Intemerata colit* (huius libri v. 584). Optime sequitur *Illam omnis tectis* (7, 812). Locus autem in hoc libro, aliis ad librum VII. traductis, sic connectitur: 537 *Cara mihi... Venit amor . . . movit.* 587 *Verum age* etc. Versus 584—586 *Vellem . . . mearum* inseruerunt Tucca et Varius, vel alii, ut ista ad suam opinionem ordinarent" *Pl.* Ea arte critica constitues, quidquid velis.

532. *interea*: „Licet *interea* particula negotia semper praeteritis futura coniungat, tamen abruptus est et vituperabilis transitus et in superioribus libris et in sequenti praecipue, ubi Iuppiter appellat Iunonem." S. v. 791. Quod quam abruptum et vituperabile sit, ut omnes apud se possint constituere, locos apponam omnes Aeneidis, quibus *interea* legitur, neque ullum omissum esse arbitror. Sunt 1, 124. 180. 418. 479. 633. 2, 57. 250. 298. 3, 284. 472. 508. 568. 4, (67.) 129. 160. (291.) 5, 1. 755. 779. 6, 212. (523.) 703. 7, 572. 8, 172. 213. 280. 9, 41. 159. 367. 422. 473. 10, 1. 118. 164. 256. 287. 439. 575. 606. 665. 689. 833. 11, 1. 22. 182. 532. 597. 896. 12, 107. 161. 384. 614. 791. 842. — Diana de caelo prospectans, maesta quod Camillae vitam servare non possit, demittit nympham Opim, quae eam certe ulciscatur; qua data occasione narrat vitam Camillae.

534. „tristis ist mit *voces* zu verbinden" *Ld.* Ego iungo cum *Latonia*, ad *voces* adiectivum iam est *has*.

535. Oratio Dianae vituperatur propter h. v. et 557. 66. 82, quos Diana dicere non posset. Sed potest is qui narrat suo nomine uti, cf. 2, 79; ac quum orationibus scriptores antiqui saepissime uterentur pro narrationibus, ut eius de quo narrabant et quem dicentem inducebant consilia declararent et rationes, nonnunquam formam orationis, ut quae non esset nisi forma, omisisse eos videmus et deflexisse in narrationem. Cf. v. 543. 1, 246. 268. 2, 504. — *ore dabat voces*: cf. 4, 344.

536. *nostris*, qualia nos gerimus cf. 652.

539. *vires superbas*, quibus superbe utebatur.

540. *Privernum* in Latio Volscorum oppidum. — *antiqua*: „nobili urbe (cf. 1, 531), nam *hoc* Privernum dicitur." S. Cf. 8, 561.

543. *Casmilla* in *Camilla* ut *Casmena* in *Camena* esse mutatum, vetus opinio est. Camillam significare ministram, ut Mercurius dicatur apud Tuscos Camillus, praeminister deorum, docet Macr. 3, 8, 6. „Romani quoque pueros et puellas nobiles et investes Camillos et Camillas appellant, flaminicarum et flaminum praeministros. Camillus proprie appellatur puer ingenuus" Paul. Fest. p. 43, M. „Cumeram vocabant antiqui vas quoddam, quod opertum in nuptiis ferebant, in quo erant nubentis utensilia, quod et camillum dicebant, eo quod sacrorum ministrum κάσμιλον appellabant" p. 63. cf. Varr. LL. 7, 34 „*Camillam*, qui glossemata interpretati, dixerunt administram; addi oportet, in his quae occultiora; itaque dicitur nuptiis *camillus*, qui cumerum fert, in quo quid sit, in ministerio plerique nesciunt. Hinc *Casmilus* nominatur Samothrace mysteriis dius quidam administer Diis Magnis. Verbum esse Graecum arbitror, quod apud Callimachum in poematis eius inveni." Adde Dion. Hal. 2, 22. — Eam autem explicationem grammaticam et etymologicam sunt qui eiicere cupiant,

Ipse sinu prae se portans iuga longa petebat
Solorum nemorum; tela undique saeva premebant,
Et circumfuso volitabant milite Volsci.
Ecce, fugae medio, summis Amasenus abundans
Spumabat ripis; tantus se nubibus imber
Ruperat. Ille, innare parans, infantis amore
Tardatur, caroque oneri timet. Omnia secum
Versanti subito vix haec sententia sedit:
Telum immane, manu valida quod forte gerebat
Bellator, solidum nodis et robore cocto,
Huic natam, libro et silvestri subere clausam,
Implicat atque habilem mediae circumligat hastae;
Quam dextra ingenti librans ita ad aethera fatur:
Alma, tibi hanc, nemorum cultrix, Latonia virgo,
Ipse pater famulam voveo; tua prima per auras
Tela tenens supplex hostem fugit. Accipe, testor,
Diva tuam, quae nunc dubiis committitur auris.
Dixit, et adducto contortum hastile lacerto

ut Virgilio indignam. At quamquam ab aliis tales sunt versus illati (cf. 6, 242 et 3, 702.), sunt tamen alii, qui satis firmantur cf. 1, 109; qui locus, quamquam ineptus multis visus est, satis tamen defenditur, quod Quint. 8, 2, 14 eum affert, ut vituperet. Adde 1, 367. 421. 3, 335. Alia, ut 8, 149. 268—272. 331. 338, vel necessaria sunt ad sententiam. Atque omnino antiqui, non solum poetae, in locorum descriptione, verborum derivatione, rerum expositione, quod legentium non ignorabant ignorantiam, multa addiderunt, quae nos inepta esse opinamur, quum nostra aetate homines earum rerum magis sint periti aut certe magis peritiam simulent. Quod deinde absurda esse dicuntur: *quum excederet, sustulit et vocavit,* „quasi pater inter fugam et pugnam de nomine filiolae cogitaverit," est ea sententia eius, qui argutiis utitur, ut obscuret, non illustret poetae verba; neque enim poeta Camillam dictam esse refert eo tempore, quo excedebat. *Pl.* delet *matrisque — Camillam.*

544. *ipse sinu*, ut *ipse manu* dictum. Cf. 2, 645. — „longe posita, remotiora. Sallustius: *Et Metello procul agente longa spes auxiliorum* i. e. longe remota." S. Cf. 12, 52.

545. *solorum*, desertorum cf. 5, 613. — *iuga nemorum* cf. 6, 256.

546. *volitabant* cf. Cir. 117 *Infesto ad muros volitantes agmina turmae.*

547. *fugae medio* „dum fugit, inter fugam. Nam figuratum est." S. cf. 1, 422. — *Amasenus* fluvius cf. 7, 685.

548. Imber se nubibus ruperat, cf. 3, 416., solverat cum vi, atque deciderat. Flumen multis imbribus erat auctum. — *tantus* i. e. maximus enim cf. 5, 404.

551. *sententia sedit:* cf. 5, 418. — *subito vix*: In summa enim rerum anxietate aegre pervenit ad certam sententiam, sed accedente propius periculo omnem vincit dubitationem statimque facit, quod ceperat consilium. Itaque verba iunguntur sic: Versanti subito sedit sententia, vix ea sedit sententia, implicat etc., i. e. statim. cf. 5, 857. *Pl.* coni. *fixa* pro *vix.*

552. Iunge *Quod telum i. m. gerebat, huic* . . . et omnia facilia sunt. Nihil conferimus ad laudem poetae, si verba ita distinguimus, ut perturbati Metabi perturbata exsistat narratio.

553. Coctum est robur, ut baculi illi Ziegenhainii, aliquando laudati.

555. *habilem* cf. 1, 318. — *mediae*, ut aequilibrio teneatur.

558. *Tibi Dianae foveo famulam:* „Bene *ipse pater*, quia auctoramenti potestatem nisi patres non habent." S. et quod mirum est a patre filiam ad perpetuam devoveri virginitatem. „Voveo autem, consecro in tuum ministerium. Unde et Camilla quasi ministra dicta est." S. Tua prima tela tenens i. e. primum tenens per auras fugit. *Pl.* haec verba inepta esse iudicat, quare eiectis verbis *tua — fugit*, facit versum: *Ipse p. f. voveo, famulam accipe testor.*

561. *adducto lacerto* ex re dictum est: cf. Ov. M. 8, 28 *Torserat adductis hastilia lenta lacertis.*

Immittit: sonuere undae, rapidum super amnem
Infelix fugit in iaculo stridente Camilla.
At Metabus, magna propius iam urguente caterva,
Dat sese fluvio, atque hastam cum virgine victor
Gramineo donum Triviae de caespite vellit.
Non illum tectis ullae, non moenibus urbes
Accepere, neque ipse manus feritate dedisset:
Pastorum et solis exegit montibus aevum.
Hic natam in dumis interque horrentia lustra
Armentalis equae mammis et lacte ferino
Nutribat, teneris immulgens ubera labris.
Utque pedum primis infans vestigia plantis
Institerat, iaculo palmas armavit acuto,
Spiculaque ex humero parvae suspendit et arcum.
Pro crinali auro, pro longae tegmine pallae,
Tigridis exuviae per dorsum a vertice pendent.
Tela manu iam tum tenera puerilia torsit,
Et fundam tereti circum caput egit habena,
Strymoniamque gruem aut album deiecit olorem.
Multae illam frustra Tyrrhena per oppida matres
Optavere nurum; sola contenta Diana
Aeternum telorum et virginitatis amorem

562. *Sonuere undae* hastaeque strepitum reddunt. Erant qui coniicerent *aurae*: idque ad communem sermonem aptius est. Sed maior est vis iaculi, si undae, quas supra iacitur, sonum reddunt.

563. Infelix est, quod iam tenera aetate fortunam adversam experta est, et quod nunc ei est moriendum.

565. *victor* cf. 2, 329.

566. *donum Triviae* Camillam; „Mirum Triviae, quum ipsa loquatur." S. in alqt. At cf. quod S. monet 2, 79.

567. Pro *ullae* coni. *Pl. villae* prob. *Rb. Ld*, neque tamen in textum recipere ausi sunt. — *non tectis*, *non moenibus* „hoc est non in civitatem, non in privatam admissus est domum." S. cf. 1, 600 *urbe*, *domo socias*. Non receptus est, quod illae urbes cum Volscis foedere iunctae erant; neque ipse ob feritatem *manus dare* volebat ad reconciliandam amicitiam.

569. Pastorum aevum (vitam) et in montibus desertis (solis cf. v. 545) exegit. — *exigere aevum* cf. 10, 53.

570. *lustra* sc. ferarum, quae silvae sunt.

571. *ferino*, equino; equum etiam ferum dici vidimus 5, 818.

573. *insistere* c. acc. cf. 6, 563. *vest. pl.* „signa pedum primis plantis expresserat." S. i. e. ubi primum incedere didicit.

576. *longae pallae*: „Palla proprie est muliebris vestis deducta usque ad vestigia: unde ait longa." S. „Palla est honestae mulieris vestimentum." Non. „Palla est quadrum pallium muliebris vestis, deductum usque ad vestigia, quod adfixis in ordinem gemmis micat." Isidor. 19, 25, 2. Quod de gemmis memorat, non erat in omnibus. Auratam pallam invenimus 1, 648. Cir. 150. De forma et usu eius vestimenti cf. Beckeri Gallum. — De auro crinali 4, 138.

579. Funda circumacta ictus vis augetur. cf. 9, 587.

580. *Strymoniam gruem:* Sic grues Strymoniae dicuntur 10, 265. G. 1, 120. Sic ap. poetas bestiis et plantis tribuuntur epitheta perpetua ex iis locis, ubi primum inventae aut ubi plurimae sunt. Sic apes Hyblaeae E. 1, 55. leones Poeni 5, 27. tigres Armeniae v. 29. columbae Chaoniae 9, 13; sic glans Chaonia G. 1, 8. lens Pelusiaca v. 228. palma Idumaea 3, 12. Alia. Cf. 5, 311.

581. *Tyrrhena per oppida*: „Amaseno traiecto Metabus ad Campanorum fines accedebat, hos insedere olim Etrusci." *Hn.* Cf. O. Müller Etr. *Einl.* 4.

Intemerata colit. Vellem haud correpta fuisset
Militia tali, conata lacessere Teucros:
Cara mihi comitumque foret nunc una mearum.
Verum age, quandoquidem fatis urguetur acerbis,
Labere, Nympha, polo, finesque invise Latinos,
Tristis ubi infausto committitur omine pugna.
Haec cape, et ultricem pharetra deprome sagittam:
Hac, quicunque sacrum violarit volnere corpus,
Tros Italusque, mihi pariter det sanguine poenas.
Post ego nube cava miserandae corpus et arma
Inspoliata feram tumulo, patriaeque reponam.
Dixit; at illa levis caeli delapsa per auras
Insonuit, nigro circumdata turbine corpus.
At manus interea muris Troiana propinquat,
Etruscique duces equitumque exercitus omnis,
Compositi numero in turmas. Fremit aequore toto
Insultans sonipes et pressis pugnat habenis
Huc conversus et huc; tum late ferreus hastis
Horret ager campique armis sublimibus ardent.
Nec non Messapus contra celeresque Latini,
Et cum fratre Coras et virginis ala Camillae

584. *intemerata* quae servat pudicitiam suam cf. Ov. A. 3, 4, 23 *Penelope mansit, quamvis custode careret, inter tot iuvenes intemerata procos.* Sic ap. Stat. Theb. 2, 724 intemeratae equae memorantur. Cf. *temerare* 6, 841. — Nisi hoc bello nefando esset correpta atque ipsa peccaret (cf. 243), Troianos sanctos et diis acceptos hostili animo aggressa, cara mihi comes et immortalis maneret nympha. Nunc vero fato suo adverso abripitur. Haec (584—586) delenda censet *Pl.* Esse ea a Vario et Tucca inserta, neque enim apta esse et *corripi militia* esse suspectam Latinitatem, *conata lacessere* non verum! Quasi illi Latine nescissent!

587. *Fata urgere* dicuntur 2, 653 et Liv. 5, 22. 36. 22, 43. Tac. Germ. 33. Ov. Tr. 5, 6, 23. Luc. 10, 29.

589. *tristis*, quod in ea pereundum est Camillae. — *Infausto omine* commissa sit necesse est ea pugna, quae malum habet exitum. Et dea ea omina praenoscere potuit, etsi homines praetervidebant. Itaque recte haec dicta sunt, etiamsi a Virgilio ipsa omina non memorantur.

590. *haec cape*: Tradit arcum suum et sagittam inevitabilem.

591. *sacrum corpus*, quod dicatum est numini, inde etiam *violare* dictum.

592. *Tros Italusque* MPRγ rec. *Rb. Ld.* *ve* c. rec. *Wg*, qui defendit *ve*, quum hoc loco unus tantum aut Tros aut Italus hoc possit facere, ut disiunctiva particula opus sit. At cf. 2, 37.

594. *inspoliata tumulo feram:* Omnia praestat, quae in honorem bellatricis mortuae fieri possunt, ut nec armis suis spolietur, nec careat iusto sepulcro.

596. *insonuit* celeri lapsu, cf. v. 562. — *nigro turbine* cf. 12, 416.

597—647. Pugna equestris.

597. Pauci Troiani (manus), multi Etrusci (exercitus) adveniunt.

599. *compositi in turmas numero:* ad numeri rationem, itaque ordinati.

600. *pressis pugnat h.* renititur contra frenos. — *pugno* c. dat. cf. 4, 38. — *premere habenas* cf. 1, 63.

601. *obversus* Rbc bene, nam obnitendi, h. l. apta est notio. *conversus* MPγ rec. *Rb. Ld.* — *huc et huc* cf. 12, 558. — *Ferreus ager horret hastis*, quae sunt in agro et a militibus tolluntur; itaque *ardent campi* i. e. solis ardore, qui repercutitur armis equitum sublatis. — Simili modo dicitur *seges horrescit ensibus* 7, 526. Cf. versum Ennii: *sparsis hastis longis campus splendet et horret*, ut quantum antiquis Vgl. semper, si non sententiarum pondere, tamen forma praestet, intelligas. cf. 3, 195.

604. „*Alae* dicuntur equites.“ S. Cf. v. 730. 835. Adde ad 4, 121. Suet. Aug. 38 *praefecturae alarum.* Cincius ap. Gell. 16, 4 *Alae dictae exercitus equi-*

Adversi campo adparent, hastasque reductis
Protendunt longe dextris, et spicula vibrant;
Adventusque virum fremitusque ardescit equorum.
Iamque intra iactum teli progressus uterque
Substiterat: subito erumpunt clamore, furentesque
Exhortantur equos; fundunt simul undique tela
Crebra nivis ritu, caelumque obtexitur umbra.
Continuo adversis Tyrrhenus et acer Aconteus
Connixi incurrunt hastis, primique ruinam
Dant sonitu ingenti, perfractaque quadrupedantum
Pectora pectoribus rumpunt; excussus Aconteus,
Fulminis in morem aut tormento ponderis acti
Praecipitat longe, et vitam dispergit in auras.
Extemplo turbatae acies, versique Latini
Reiiciunt parmas et equos ad moenia vertunt.
Troes agunt; princeps turmas inducit Asilas.
Iamque propinquabant portis, rursusque Latini

tum ordines, quod circum legiones dextra sinistraque tamquam alae in avium corporibus locabantur."

605. *Hastae* non iaciuntur, sed protenduntur adversus hostem, dum dextra manus ad extremam hastam reducitur. Ita enim hastae vis augetur. cf. v. 613.

606. *Spicula vibrant*, celeriter contorquent; nimio animo iam in pugnam proludunt, antequam ad hostem perveniunt. Cf. Luc. 7, 82 *Vibrant tela manus, vix signa morantia quisquam exspectat.* — *et*: Alii protendunt, alii vibrant cf. 1, 701.

607. *adventus et fremitus ardescit*: i. e. adveniens fremitus ut 8, 201 *auxilium adventumque dei* auxiliantis adventum dei accipitur. Ardor de strepitu dicitur cf. v. 147. Versum delet *Rb.*

609. *consliterat* M *substiterat* M2 et alii. — *Consistere* dicitur acies instructa et ad proelium parata; *subsistit is*, qui desinit procurrere. Utrumque huic loco aptum, hoc vel aptius: equites procurrunt vehementi impetu: ubi intra teli iactum perveniunt, cursum inhibent, ut se colligant, in ordinem redeant, qui celeri cursu solvitur, et arma parent. Mox sublato clamore irruunt. — *Substiterat* ex sequente *subito* potest ortum videri, sed id ipsum *subito* caussa potuit esse, cur aliquis mutaret in *consliterat*. — *furentisque* Mss. praeter unum. — *frementisque* P. iam bis legitur v. 599. 607. — Instimulant equos iam summo ardore procurrentes. Erat proverbium *currentem incitare* Cic. de or. 2, 44, 186. cf. Hom. Il. 8, 293 σπεύδοντα ὀτρύνεις, alia similia.

610. *fundunt*. Videmus ardorem, qui magis curat, ut multa, quam ut certa iaciat tela.

611. *caelum obt. u.* Simile 12, 578 et notum illud Persae dictum ad Thermopylas Cic. Tusc. I, 42.

612. Iam emissis iaculis cominus pugnatur.

613. *ruinam dant*, corruunt. cf. 12, 453. — *adversis* P. mit eingelegten Lanzen, *adversi* MRγ. — *ruina* P2 Moretanus. *ruinam* MRγbc, *sonitum* MPγ1, *sonitu* Rγ2bc, *ingenti* MRγ2bc, *ingentem* Pγ1. Itaque duae scripturae invaluere, nostra et quam rec. *Rb: ruina sonitum ingenti.*

614. *perfracta rumpunt*, perfringunt cf. 2, 169. — Ambo decidunt, quum equi corruant, Aconteus vero magna Tyrrheni vi concussus longe proiicitur vitamque relinquit, ita ut Tyrrhenus sit victor equo amisso.

615. Pro *excussus Aconteus Pl.* coni. *excussus uterque*. Quod ne Aconteus bis diceretur, *Pl.* pervertit omnem rerum connexum. Cur enim fugiunt Latini?

616. Ut fulmen, aut qua celeritate saxa machinis bellicis iaciuntur.

617. *praecipitat* cf. 1, 104. — *dispergit*: Sic Sil. 9. 167 *In vacuas vitam disperserat auras.* cf. 4, 705.

618. *acies* sc. Latinorum, quod sequitur ex *que*.

619. *Parma* equitum reiicitur, ut tergum tueatur. Parma est equitum ut velitum cf. 9. 548.

620. De *Asila* cf. 10, 175.

621. rursus*que* i. e. facile intelligitur Latinos, quos fugam suam a civibus suis conspici pudet, impetum facere.

Clamorem tollunt et mollia colla reflectunt;
Hi fugiunt penitusque datis referuntur habenis.
Qualis ubi alterno procurrens gurgite pontus
Nunc ruit ad terram scopulosque superiacit unda
Spumeus extremamque sinu perfundit arenam,
Nunc rapidus retro atque aestu revoluta resorbens
Saxa fugit litusque vado labente relinquit.
Bis Tusci Rutulos egere ad moenia versos;
Bis reiecti armis respectant terga tegentes.
Tertia sed postquam congressi in proelia, totas
Implicuere inter se acies, legitque virum vir:
Tum vero et gemitus morientum, et sanguine in alto
Armaque, corporaque, et permixti caede virorum
Semianimes volvuntur equi; pugna aspera surgit.
Orsilochus Remuli, quando ipsum horrebat adire,
Hastam intorsit equo, ferrumque sub aure reliquit.
Quo sonipes ictu furit arduus altaque iactat
Volneris impatiens arrecto pectore crura.
Volvitur ille excussus humi. Catillus Iollan,

622. Clamorem solebant tollere Romani, quando pugnam ciebant; sic 9, 38. cf. Caes. BG. 3, 92. „Antiquitus institutum est, ut signa undique concinerent clamoremque universi tollerent, quibus rebus et hostes terreri et suos incitari existimaverunt.“ Inde proelii initium Liv. 23, 16 indicat sic: *Marcellus signa canere clamoremque tolli iubet.* Saepe etiam iteratus est clamor in ipso proelio, quando facto aliquo alacriores reddebantur militum animi; sic h. l. et 9, 566. 664. 10, 738. 895. Adde Liv. 8, 38 *Ab hora diei tertia ad octavam ita anceps dicitur certamen stetisse, ut neque clamor, ut primo semel concursu est sublatus, iteratus sit, neque signa promota loco retrove recepta.* — *mollia* „domita, domitorum scilicet.“ S. cf. G. 3, 204.

623. *Penitus referuntur* cf. 12, 256.

624. Comparatio est cum ponto, qui magna vi venti appellitur, quare undae mox partem litoris tegunt, mox refluunt et obiectam terram retegunt.

625. *terram* rec. *Rb.* qui *terras* non nisi in M. legi videtur indicare, idque et ob *scopulos* et ob *undam* potuit inferri. — *scopulosque superiacit undam* b2c et S., qui recte „Super scopulos undam iacit. Nam more suo dedit verbo detractam nomini praepositionem,“ cf. 12, 508. — *unda* MPRγb1, et in eius patrocinium affertur Sil. 15, 155, quo loco imitatus esse dicitur nostrum Silius; sed coniectura scribitur *Isthmon ... superiicit unda*; quum in Mss. sit *suberigit.* Aliud simile affertur 6, 229 *socios circumtulit unda*, ut *unda* per se satis probum exemplo probetur.

626. *sinu*: „curvatione et flexu undarum.“ S. *Pl.* dat *aestu*, quare statim *aestu* cogitur mutare in *in se!*

627. Nunc fugit retro rapidus et aestu resorbens (secum ducens) revoluta saxa. „Aestus proprie est maris incerta commotio.“ S.

628. *vado labente* etc. Omnia haec ad naturam descripsit poeta, nec difficile id erat homini Italo, qui multum Neapoli commoratus est. Et qui maris litus vidit, undas vidit ad siccum impetu allabentes albescere et spumas agere; mox spumas celerius recurrere, paulum aquae remanere et tardius relabi, ut sequente unda excipi soleret.

632. *implicare acies.* Ita Sall. Iug. 59 *Non ut equestri proelio solet, sequi dein cedere sed adversis equis concurrere implicare ac perturbare aciem.* — *legit virum vir* cf. 10, 361.

633. Plures nominativi nullo verbo addito cf. 2, 170. — Certe ad *gemitus* non potest construi *volvuntur.*

635. *pugna aspera surgit* cf. 9, 667.

636. *Orsilochus* Troianus est cf. v. 690. Itaque Remulus, cuius equo hastam intorsit Latinus cf. 9, 593. — *horrebat adire*, timebat cf. 2, 31.

637. *reliquit*; itaque noluit repetere, sed rediit.

640. *volvitur humi* cf. 1, 193. — Catillus Tiburtibus praeest cf. 7, 672.

Ingentemque animis, ingentem corpore et armis
Deiicit Herminium, nudo cui vertice fulva
Caesaries nudique humeri, nec volnera terrent;
Tantus in arma patet. Latos huic hasta per armos
Acta tremit, duplicatque virum transfixa dolore.
Funditur ater ubique cruor; dant funera ferro
Certantes, pulchramque petunt per volnera mortem.
At medias inter caedes exsultat Amazon,
Unum exserta latus pugnae, pharetrata Camilla;
Et nunc lenta manu spargens hastilia denset,
Nunc validam dextra rapit indefessa bipennem.
Aureus ex humero sonat arcus et arma Dianae.
Illa etiam, si quando in tergum pulsa recessit,
Spicula converso fugientia dirigit arcu.
At circum lectae comites, Larinaque virgo,
Tullaque, et aeratam quatiens Tarpeia securim,
Italides, quas ipsa decus sibi dia Camilla
Delegit, pacisque bonas bellique ministras:

642. *Deiicit* proprium hac in re verbum; ita 665. Ov. M. 3, 303. — *Herminius* capite et pectore nudo est, ut ostendat tela se non timere.

644. Sic Ov. M. 13, 119 *patet plagis*, 392 *patuit ferro*. Sen. Ag. 97 *Corpora morbis maiora patent.* — *armos* cf. 4, 11.

645. *Duplicat*, incurvat; ita 14, 927. Ov. M. 6, 293 *duplicataque vulnere caeco est;* i. e. collapsa est moriens. Stat. Theb. 3, 89 *ingentem nixu duplicatus in ictum corruit.*

648—724. Camillae virtute vincuntur Etrusci.

648. *Amazon* dicitur Camilla, quae Amazonum more se gerebat et vestitu cf. Sen. Agam. 217 *picta pharetras et securigera manu peltata Amazon.*

649. *unum latus exserta* accus. cf. 2, 273. Sic *exsertus* v. 803. 1, 492. At videtur, ut venatrices Dianae, dextram mammam exseruisse, quo habilior esset iaculo dextra manus. Sic Hasbyte virgo est *dextrum feroci nuda latus Marti* ap. Sil. 2, 78. et Amazon illa marmorea in Museo Pio-Clementino stat dextra mamma nudata. Neque enim venustum erat pingere, quod narratur, ab Amazonibus dextram mammam, ne arcu tendendo obesset, esse excisam. Cf. Curt. 6, 5, 28. — *pugnae:* ad pugnam ut habilior sit.

650. *spargens* cf. 12, 51. — *denset* i. e. tam celeriter mittit, ut densae volent. cf. 7, 794.

651. *Rapit* ut alibi est raptim ducit cf. 7, 725., sic etiam raptim capit; inde rapta hasta est celeriter arrepta, non erepta alicui. Hanc quam diximus significationem confirmant loci 8, 111. 9, 763. 12, 330. inde *raptus* paene est *rapidus*, quum in utroque praevaleat notio celeritatis. — *indefessa* cf. 10, 770. — *bipennem:* Securis usus in bello est pastorum cf. 7, 184., (Bipennis bellatori datur donum 5, 307.) et Camillae, quod in Amazonum morem pugnat; iis enim proprium est telum. cf. Hor. C. 4, 4, 20. Ov. Pont. 3, 1, 95. Suet. Nero 44. Sen. Ag. laudatum ad v. 648. Praeterea ap. Hom. Il. 15, 711 *πελέκεσσι καὶ ἀξίνῃσι μάχοντο.* cf. 13, 611. Vindelici securi utebantur in proelio cf. Hor. l. l., ut *σάγαρις* est Persis Xen. C. 1, 2, 9. Scythis Her. 7, 64.

653. *si quando in tergum* MRγc *in tergum si quando* b. rec. *Rb* More Parthorum fugit, nam ore in hostem converso tela iacit.

654. Fugientia sunt spicula, quum quae iacit, ipsa fugiat. *Pl.* suo more corrigit: *fugiens sua.* — *spicula* cf. 773.

656. *securim* MRbc, ita 10, 697 et 2, 224. et Gell. 13, 20 „Virgilius *turrim* dixit, non *turrem*, et *securim* non *securem*.“ — *securem* γ1 rec. *Rb.* sed v. 696 *securim*, etsi ibi *securem* est in Pγ1.

657. *Italides:* „pulchra derivatio (i. e. Graeca) non vera.“ S. Nam verum est *Italiae.* Similia Latinorum Graecis cf. 6, 844 et 5, 37.

658. *bonas* Mγ1. — *bonae* Rγ2b. Aptius est, quando bellum geritur, virginum bellatricum, quam pacis laudatio. Neque

Quales Threiciae quum flumina Thermodontis
Pulsant et pictis bellantur Amazones armis,
Seu circum Hippolyten, seu quum se Martia curru
Penthesilea refert, magnoque ululante tumultu
Feminea exsultant lunatis agmina peltis.
Quem telo primum, quem postremum aspera virgo
Deiicis? aut quot humi morientia corpora fundis?
Euneum Clytio primum patre; cuius apertum
Adversi longa transverberat abiete pectus.
Sanguinis ille vomens rivos cadit atque cruentam
Mandit humum moriensque suo se in volnere versat.
Tum Lirim, Pagasumque super, quorum alter habenas
Suffuso revolutus equo dum colligit, alter
Dum subit ac dextram labenti tendit inermem,
Praecipites pariterque ruunt. His addit Amastrum
Hippotaden, sequiturque incumbens eminus hasta
Tereaque, Harpalycumque, et Demophoonta, Chrominque;
Quotque emissa manu contorsit spicula virgo,
Tot Phrygii cecidere viri. Procul Ornytus armis
Ignotis et equo venator Iapyge fertur,

aptum est adiectivum addi alteri substantivo, alteri non addi. Servius autem *bonae* legit. — Ordo est verborum, qualis 8, 500.

659. *Threiciae*: Amazones, gens fabulosa, etiam diversis ac remotis locis attribuuntur. sic Thraciae, Scythiae, ad Tanaim habitant et ad Thermodontem cf. Iust. 2, 4. Strab. 11, 5, 5 p. 507. Ap. Claud. RP. 2, 63 *populantur Arcton ac rigentem Thermodontiaca Tanain fregere securi.* — *Threiciae et Amazones* cf. 8, 168. — *flumina*, Fluthen; sic pluralis 7, 138. 12, 331. cf. 6, 327.

660. *pulsant* fluvium, sc. glacie rigentem. — *bellantur*, bellant cf. 3, 284 et Gr. §. 186. — *picta arma* cf. 8, 588 et 7, 796.

661. Hippolyte a Theseo capta et in matrimonium assumpta est. Cf. Iust. 1. 1. — Seu quum Penthesilea victrix triumpho redit, comitante exercitu. De ea cf. 1, 490. — *Martia*, Martis filia, certe et aliae „duae reginae (Amazonum) — ne successibus deesset auctoritas, genitas se Marte praedicabant." Iust. 1. 1.

622. *ululante tumultu:* Tumultus ipse ululat, quum ululent h. l. ovantes. Contra Sil. 6, 562 *ululante dolore*, est abstractum pro concreto.

663. *Peltae* cf. 1. 490.

664. *aspera* sc. bello cf. 8, 318.

666. *Euneum Clytio patre* cf. 3, 614. *Euneum* legit S. non *Eunaeum*, quod est in MRγ.

668. *sanguinis rivos: In schwarzen Güssen stürzet hervor, ihr Bäche des Bluts. Schill. Braut.*

671. *suffuso* M2Rb2c. Don. et Serv. — *suffosso* etiam Serv. et M1. rec. *Ld. Wg.* — Suffodiuntur equi a peditibus ictu sursum facto. Cf. Caes. BG. 4, 12. Liv. 42, 59.; sed vulnere collapsum equum erigere velle insani est. — Suffossum equum alii intelligunt calcaribus irritatum, quod vel minus aptum. *suffuso* est prolapso (ita *fundi*, *effundi* pro *labi* dicitur). Equus casu aliquo ipse decidit et eques devolvitur, pedibus circum equum retentis, qui ut se erigere possit, colligit habenas, quibus sublatus etiam equum excitet; succurrit Pagasus deposito telo; eoque in labore ambo interficiuntur. *Pl.* coni. *effuso* et intelligit eum qui „cursu effuso ferebatur. Subito habenas colligit, equus stabat. Subiti mutatione motus (quem ipse fecerat eques!) Liris excutitur," malus sane eques!.

672. *dum subit*: „sc. ad sustentationem ruentis." S.

675. *Chromin* MRγc rec. *Rb*, Chromim b.

678. *armis ignotis:* „novis, inconsuetis." S. — *equo Iapyge* „Appulo" S. cf. v. 247. — Equi Appuli nobiles cf. Varr. RR. 2, 7.

Cui pellis latos humeros erepta iuvenco
Pugnatori operit, caput ingens oris hiatus
Et malae texere lupi cum dentibus albis,
Agrestisque manus armat sparus; ipse catervis
Vertitur in mediis, et toto vertice supra est.
Hunc illa exceptum, neque enim labor agmine verso,
Traiicit, et super haec inimico pectore fatur:
Silvis te, Tyrrhene, feras agitare putasti;
Advenit qui vestra dies muliebribus armis
Verba redarguerit. Nomen tamen haud leve patrum
Manibus hoc referes, telo cecidisse Camillae.
Protinus Orsilochum et Buten, duo maxima Teucrum
Corpora: sed Buten aversum cuspide fixit
Loricam galeamque inter, qua colla sedentis
Lucent, et laevo dependet parma lacerto;
Orsilochum, fugiens magnumque agitata per orbem,
Eludit gyro interior, sequiturque sequentem:
Tum validam perque arma viro perque ossa securim,
Altior exsurgens, oranti et multa precanti
Congeminat: volnus calido rigat ora cerebro.
Incidit huic, subitoque adspectu territus haesit

680. *cui — pugnatori* potest iungi, quum nonnunquam pronomini adiiciatur substantivum aliquod, quod pronomine iam indicatur. cf. 5, 609. — Pro galea habet lupi tergus cf. 7, 666, ubi Aventinus simili est ornatu. Sic Val. Fl. 1. 34 *Cleonaeo iam tempora clausus hiatu Alcides.*

681. *cum dentibus albis*, loco adiectivi, sic 7, 667. Et 4, 514 *herbae cum lacte veneni* sunt herbae venenatae. Ov. M. 8, 779 *Cererem cum vestibus atris maerentes adeunt.* 15, 87 *Ursi dapibus cum sanguine gaudent.* Cic. 2 Verr. 4, 27, 62 *Erat vas vinarium, ex una gemma pergrandi trulla excavata, cum manubrio aureo.* Cic. pr. Rab. Post. 10, 27 *Scipionis non solum cum chlamyde, sed etiam cum crepidis in Capitolio statuam videtis.* al. Cf. 464.

682. *sparus*: „Bene *agrestis*; nam sparus est rusticum telum in modum pedis recurvum.“ S. cf. Sall. Cat. 56. Nep. Epam. 9.

683. *vertitur in mediis:* Vides hominis audaciam, qui versatur intra acies.

684. *exceptum* cf. 3, 332.

685. *super*, insuper cf. 7, 462.

687. De ordine verborum cf. 8, 168. Ad dicendi modum cf. 12, 16. Ornytus igitur et Tyrrheni facile se Latinorum victores evasuros gloriati erant. Iam vincitur non a viro, sed a femina.

688. *redarguerit* Priscian. 10, 2, 10, qui „arguo. argui: Vgl. in XI. Verba redarguerit.“ — *redargueret* Rγbc2. — Idem fere dictum 10, 829.

691. De Orsilocho cf. 636. — Butae alii 5, 372. 9, 647. — *Teucrum corpora* cf. 4, 132. — *Aversum* non est quod fugientem intelligas; nam in proelio equestri, solutis et permixtis ordinibus, facile alius alium a tergo potest aggredi.

692. *sedentis* „equitis.“ S. *Pl.* coni. *qua colla, sedenti* et eiicit v. 693.

694. Camilla fugam simulans, acto in sinistram gyro, equitem ab ea parte aggreditur, qua equites sunt minus tuti, quod dextra manus super equi collum translata minus est habilis.

695. *gyro interior* cf. 5, 162.

697. *oranti*, quum videret, ab iniqua parte se peti et iam ictibus crebris proscindi.

698. *congeminat securim* is, qui iterum iterumque eam impingit; efficit enim idem, ac si pluribus securibus semel quaque usus fuerit. Cf. 2, 492 *labat ariete crebro* etc., ubi unus aries saepius adhibetur. Cf. Val. Fl. 6, 378 *gravem nodis auroque securim congeminans.* Explicari solet: ictum congeminat.

699. *incidit huic* i. e. in hanc de improviso, qui subito adspectu ita terretur, ut fugere nequeat; tamen ex astutia genti suae innata aliquid conatur.

Appenninicolae bellator filius Auni,
Haud Ligurum extremus, dum fallere fata sinebant.
Isque, ubi se nullo iam cursu evadere pugnae
Posse neque instantem reginam avertere cernit,
Consilio versare dolos ingressus et astu,
Incipit haec: Quid tam egregium, si femina forti
Fidis equo? dimitte fugam, et te comminus aequo
Mecum crede solo pugnaeque accinge pedestri:
Iam nosces, ventosa ferat cui gloria fraudem.
Dixit; at illa furens acrique accensa dolore
Tradit equum comiti, paribusque resistit in armis,
Ense pedes nudo, puraque interrita parma.
At iuvenis, vicisse dolo ratus, avolat ipse,
Haud mora, conversisque fugax aufertur habenis,
Quadrupedemque citum ferrata calce fatigat.
Vane Ligus, frustraque animis elate superbis,

700. *Appenninicolae* etc. „Quia Liguria maiore parte sui in Apennino est constituta. *Ligures autem omnes fallaces*, sicut ait Cato in II. Originum libro." S. Ligures montibus se occultantes diu et fortitudine et astutia Romanis restiterunt cf. Flor. 2, 3, 4.

701. *Haud Ligurum extremus* sc. in fallendi peritia. — Filius Auni; itaque ipse Aunus. cf. 9, 362.

702. *Evadere pugnae* novum est.

703. *avertere reginam* a se.

704. *versare dolos* ita 2. 62. — *ingredi* c. inf. cf. 4, 107.

705. Femina viris modo propterea es superior, quod forti equo uteris; dimitte fugam (cf. 1, 317) „equi celeritatem, cui fidis." S. Nova quaerere cupidus *Pl.* coni. *fortis* et „Indignum est, si tu, tam fortis femina, viris par, equo fidis." Itaque inter viros equites ipsa femina pedes iubetur pugnare?

708. *Iam* futuro additum eius augere vim vidimus 4, 566. 6, 676. ut Germanorum *schon*, bald, sogleich et indicare rem proxime instantem; atque ita loquuntur scriptores omnes. cf. Hand. Turs. 3, p. 125, 18. At hoc loco etiam recte dicetur particula rem futuram confirmare, ut Germani *schon* non minus usurpant: *da wirst du schon erkennen*, i. e. certissimum est te cogniturum. cf. 1, 272. Tib. 1, 1. 70 *Dum fata sinunt, iungamus amores; iam veniet tenebris Mors adoperta caput.* 2. 5, 56 *Carpite nunc, tauri, de septem montibus herbas, dum licet: hic magnae iam locus urbis erit.* Hor. C. 1. 4, 16 *Iam te premet nox. fabulaeque Manes.* — *fraudem* M1Rc rec. *Rb. Ld.* „Haec est vera et antiqua lectio, ut sit sensus: Pedes congredere, iam agnosces, cui inanis iactantia afferat poenam (i. e. te, inani equi fiducia in proelium virorum abductam, temeritatis tuae poenas daturam). Nam fraudem veteres poenam vocabant. (Sic aliqui codices h. l. dant *poenam*, quod ipsum firmat *fraudem*.) Si autem *laudem* legerimus, erit sensus: Agnosces, cui inanis gloria afferat laudem." S. i. e. tibi non fore laudem ex illa gloria inani qua te iactas, si sola soli congressa eris pedes. Cf. Hor. Ep. 2, 1, 177 *quem tulit ad scenam ventoso gloria curru* — *laudem* M2 et „LAVDEM (L in ras.) P laudem γ, si recte enotavi, quamquam *poenam*. *Hs.* se legisse dicit" *Rb.* rec. *Wg*, *Pl*; coni. *quam gloria laudem.* — De voce *fraus* cf. 10, 72.

709. *dolore*, ob dubitatam fortitudinem.

710. *paribusque resistit in armis pedes:* „sicut etiam illum congressurum putabat." S. cf. 6, 827. — *resistit bleibt stehen;* ita 4, 76. G. 4, 424, et interrita nudo ense et parma.

711. *pura parma*, in qua nihil pictum: „tunc enim primum in bella descenderat." S. cf. 9, 548.

713. *haud mora.* Cf. 10, 153.

714. *Vanus* est, quod putavit suis se artibus Camillae effugere posse; *frustra superbit elatus*, quod ea superbia, qua se putat astutia superiorem, nihil iuvat; *nequidquam tentat*, quod id quidem consequitur, ut Camilla ex equo descendat, sed quum ea suis pedibus vincat equi celeritatem, nihil prodest equo carere virginem.

715. *Ligus* et *Ligur* ap. scriptores est. — *Animis*, pluralis de uno cf. 2, 386.

Nequidquam patrias tentasti lubricus artes
Nec fraus te incolumem fallaci perferet Auno.
Haec fatur virgo, et pernicibus ignea plantis
Transit equum cursu; frenisque adversa prehensis
Congreditur poenasque inimico ex sanguine sumit:
Quam facile accipiter saxo sacer ales ab alto
Consequitur pennis sublimem in nube columbam,
Comprensamque tenet pedibusque eviscerat uncis;
Tum cruor et volsae labuntur ab aethere plumae.
At non haec nullis hominum sator atque deorum
Observans oculis summo sedet altus Olympo.
Tyrrhenum genitor Tarchonem in proelia saeva
Suscitat et stimulis haud mollibus incutit iras.
Ergo inter caedes cedentiaque agmina Tarchon
Fertur equo, variisque instigat vocibus alas
Nomine quemque vocans, reficitque in proelia pulsos.
Quis metus, o nunquam dolituri, o semper inertes
Tyrrheni, quae tanta animis ignavia venit?
Femina palantes agit atque haec agmina vertit?
Quo ferrum, quidve haec gerimus tela inrita dextris?

716. *lubricus*, fallax; de angue comparatio. Sic Val. Fl. 2, 555 *acri lubricus astu rex subit.* — *patrias artes*, Liguribus proprias cf. 700.

717. *ignea* ut 746 et Sil. 3, 306 *levibus gens ignea plantis*, et 16, 509 *se tollit igneus*. Ignis enim et lucis, quam profert, summa est celeritas. Inde Cat. Epith. 342 *Flammeu praevertet celeris vestigia cervae*, Ov. M. 3, 392 *ignipedum vires expertus equarum.*

719. *transit equum cursu*, cf. 7, 807.

721. *sacer*: „ideo quia est Marti consecratus.“ S.

725—835. Tarchon pugnam sustentat; Arruns Camillam vulnerat.

728. *suscitat.* De dei interventu cf. 12, 554. — *iras* cf. 12, 336. *iniicit* Rc rec. *Wg. Ld. Pl. incitat* MPγb, *incutit* coni. *Hs*, probavit *Wg. Pl.* et ego probo, quod proxime accedit ad *incitat*, rec. *Rb.*

730. *alas*, equitum turmas cf. 604. — *variis vocibus* et exprobrando et exhortando et deprecando.

731. *nomine quemque vocans:* „per hoc extrema necessitas indicatur.“ S.

732. *quis metus*: „qui vos etiam feminam timere compellit.“ S. — *nunquam dolituri*: Nunquamne ob inertiam vestram dolore afficiemini? Cf. Val. Fl. 3, 230: *Increpitat: Nunquamne dolor virtute subibit nil ausas sine rege manus? at barbara buxus si vocet et motis ululantia Dindyma sacris, tunc ensis placatque furor.* Notat ita Etruscorum ignaviam, qui Romanis non ea, qua Samnites pertinacia restiterunt. Eo enim quo cum Romanis certamen inibant tempore, iam nobiles luxuria effeminati erant, plebi nullum erat ius nec civitatis amor, civitates ipsae non satis iunctae, praeterea a Gallis premebantur: quare mirum non est, si a Romanis facile vincebantur; et ignaviae tribuitur, quod ex aliis caussis fiebat. Sed Tusci fortiter pugnarunt contra Sullam et G. 2, 533 *Etruria fortis* dicitur. Sed Catullo est Etruscus *obesus* 39, 11. Virgilio *pinguis* G. 2, 193, ubi addit Servius: „victimarum scilicet carnibus.“ Nam quum *studiosius et crebrius hostias immolarent*, (Cic. Div. 1, 42, 93) epulis etiam indulgebant. — Et qui imaginibus pinguntur in urnis Etrusci in coena accubantes pinguedine dicuntur esse insignes. Graeci etiam eos beluari memorant cf. Athen. 4, 38. 153. imprimis Diod. 5. 40, qui eos abiecta pristina virtute compotationibus et luxuriae dedisse se referunt. Cf. Dion. 9, 16. 2, 38. Plut. Cam. 2.

733. *quae tanta animis ignavia venit.* Tib. 1, 6, 73 *venerit iste si furor.* Ov. AA. 3, 477 *spes magis huic veniat certa minorque metus.* Sall. Iug. 103 *Bocchus reputando, quae sibi duobus proeliis venerant.* — *quae tanta* cf. 6, 561.

734. *haec agmina:* „tantam multitudinem.“ S.

At non in Venerem segnes nocturnaque bella,
Aut, ubi curva choros indixit tibia Bacchi,
Exspectare dapes, et plenae pocula mensae, —
Hic amor, hoc studium — dum sacra secundus haruspex
Nuntiet, ac lucos vocet hostia pinguis in altos.
Haec effatus, equum in medios, moriturus et ipse,
Concitat, et Venulo adversum se turbidus infert,
Dereptumque ab eo dextra complectitur hostem
Et gremium ante suum multa vi concitus aufert.
Tollitur in caelum clamor, cunctique Latini
Convertere oculos. Volat igneus aequore Tarchon,
Arma virumque ferens, tum summa ipsius ab hasta
Defringit ferrum et partes rimatur apertas,
Qua volnus letale ferat; contra ille repugnans
Sustinet a iugulo dextram et vim viribus exit.

735. *quo* cf. 2, 150. — *quid* acc. ut 1, 518. — Etiam re Venerea Tuscos infames fuisse Romani narrant.

736. *nocturna bella Veneris*; ita *Veneris proelia* dicuntur G. 3, 98 et usitatum est: *amore vinci*, *vincere puellam* etc.

737. Et Bacchica sacra a Graecis primum Etruriam recepisse, unde Romam pervenerint, docet Liv. 49, 8 sq. Inde Vgl. facit eum cultum etiam antiquiorem. Quam dediti fuerint Etrusci Bacchicis sacris, multae docent antiquae imagines; quantopere ea detestati sint Romani, idem Livius. — *curva tibia*: cf. 9, 618. Tibicines Tusci Romae, quae Etruscos mores secuta est, praecinebant ad sacra Liv. 9, 30, ad pompas Ov. Am. 3, 13, 11, ad saltationes Liv. 7, 2.

738. *exspectate* MPγbc et S. qui: „*exspectate* pro *exspectatis*; modum pro modo posuit.“ S. Ubi ea explicandi ratio invaluit, iam mirum non est, si quae describentis errore oriuntur formae, aliquo modo explicantur et confirmantur. Rec. *Fb. Rb. Ld*, qui: „So erwartet denn immerhin.“ „*Exspectate* codd. fere omnes, etiam optimus quisque Pier. et Heins. cum Servio et sic Ald. pr., mendose tamen; *exspectare* (sc. non segnes) primae statim edd. inde ab Ald. sec., sicque Goth. pr. et tert.“ *Hn.* „Adde Palat. et 2. 3. 7. 11. 12.“ *Wg.* rec. *Hn. Wg.* Improbat *Rb.* „quoniam exspectandi studium nullum est.“ 1. p. 361. — *non segnes* exspectare, non tardantes, dubitantes exspectare. *Segnis* verbi vices sustinet, quod infinitivum regere debebat. Cf. Hor. C. 3, 21, 22 *Segnesque nodum solvere Gratiae.* cf. 4, 564. — Si ad mensas iter est, tunc celeres estis, et quum haruspex secundus (vobis et vestrae edacitati) nuntiat sacra; quod est signum, esse perlitatum (cf. 4, 50) et epularum fieri initium.

739. *hic amor*, *hoc studium* cf. 2, 10.

740. Carnis odor allicit vos in lucos („illic enim epulabantur sacris diebus.“ S.); non ipsum sacrum, nec cultus deorum.

741. Tarchon Venulum arripit et ante se in equo positum et ablatum occidere studet, frustra renitentem. Ita ipsum Caesarem a Gallo equite aliquando arreptum esse narrat Servius. — *moriturus et ipse*, ut alii iam ceciderunt. Neque enim iam tantum dedecus fugae potest videre; neque tantum alios hortatur, ut mortis ineant periculum, sed ipse subit. Atque ita ira est turbidus (cf. 12, 10), ut non consueto utatur pugnandi genere, sed eo, quod et periculosius est et magis eius iram prodit.

742. *Infert* dant *Wg. Fb. Rb*, qui *offert* legi narrat in Rγ. Aptum id hoc loco rec. *Ld*; neque *infert* ineptum, immo fortius, ac libris firmari videtur.

745. *Tollitur clamor:* „rei scilicet admiratione.“ S.

746. *igneus* cf. 718.

747. *defringit ferrum*: Docet hoc virium magnitudinem.

748. *Rimatur*: „inquirit“ S. Ab avibus paludes perquirentibus translatum ad homines, atque ita etiam ap. Cic. Div. 1, 57, 130. Cf. 6, 599. 7, 508. — *partes apertas* i. e. corporis, ubi possit intrudere cuspidem.

750. Cf. Stat. Theb. 2, 648 *a iugulo sustinet hastam.* — *vim viribus exit*, evitare conatur cf. 5, 438.

Utque volans alte raptum quum fulva draconem
Fert aquila, implicuitque pedes atque unguibus haesit;
Saucius at serpens sinuosa volumina versat,
Arrectisque horret squamis, et sibilat ore,
Arduus insurgens; illa haud minus urguet obunco
Luctantem rostro, simul aethera verberat alis:
Haud aliter praedam Tiburtum ex agmine Tarchon
Portat ovans. Ducis exemplum eventumque secuti
Maeonidae incurrunt. Tum fatis debitus Arruns
Velocem iaculo et multa prior arte Camillam
Circuit et quae sit fortuna facillima tentat.
Qua se cunque furens medio tulit agmine virgo,
Hac Arruns subit et tacitus vestigia lustrat:
Qua victrix redit illa pedemque ex hoste reportat,
Hac iuvenis furtim celeres detorquet habenas.
Hos aditus iamque hos aditus omnemque pererrat
Undique circuitum, et certam quatit improbus hastam.
Forte sacer Cybelae Chloreus olimque sacerdos
Insignis longe Phrygiis fulgebat in armis,
Spumantemque agitabat equum, quem pellis aenis
In plumam squamis auro conserta tegebat.
Ipse, peregrina ferrugine clarus et ostro,
Spicula torquebat Lycio Gortynia cornu;

751. *utque* etc. De continuo aquilarum cum draconibus bello Cic. Div. 1, 47. Plin. HN. 10, 4, 5. Hor. C. 4, 4, 10. Descriptio talis pugnae Hom. Il. 12, 201 sq. Ov. M. 4, 362. — *volans fulva* cf. 832.

758. *exemplum eventumque:* „et virtutem et felicitatem." S.

759. *Maeonidae*, Tusci cf. 8, 479. — *fatis debitus*, morti destinatus cf. 590.

760. *arte* i. e. „dolo ut 2, 152 *arte Pelasga*" S. cf. 1, 657. — *prior*, iam ante quam id, quod modo narratum est, factum est. Potius tamen est iungere: *prior arte*, ut v. 292.

761. *fortuna facillima:* In quovis iactu ut in quavis re est fortuna; itaque quaerit, quomodo facillime possit hastam infligere. — *circuit et circuitum* 767: „*circumire* insidiantium est." S.

762. *furens* ut in proelio; sic 1, 490 furens est Penthesilea.

767. *certam hastam*. Cf. 4, 564. — *improbus* „*rastlos*" *Sl.* Cf. 2, 356.

768. *Cybelo* Mbc rec. *Rb*, ut 3, 41 *Cybeli*. Alii dant *Cybelae* deae nomen. — *olim sacerdos* sc. Troiae. — Sacer deo alicui homo memoratur 6, 484. 10, 316. Sed h. l. caussa non apparet, cur ita dicatur.

770. *quem pellis* etc.: „Cataphractum eum fuisse significat. Cataphracti autem equites dicuntur, qui et ipsi ferro muniti sunt et equos similiter munitos habent; de quibus Sallustius: *Equis paria operimenta erant, quae lintea ferreis laminis in modum plumae annexuerant.* Nunc autem pro linteo pellem posuit et aeneas squamas aereas laminas intelligimus. *In plumam* vero est in similitudinem plumae." S. *in plumam* cf. 6, 42 et Iust. 41, 2 *Munimentum ipsis* (Parthis) *equisque loricae plumatae sunt, quae utrumque toto corpore tegunt.* Sic *squamis aureis* 7, 707.

772. *ferrugine* cf. 9, 582. — *clarus*, lucens ita l. l. et 8, 673.

773. *spicula Gortynia:* Cretensia, nam Gortyn sive Gortyna urbs Cretae praeter Gnossum et Cydoniam maxima. Cretes autem sagittandi arte noti erant. „Cretenses sagittas Lycio arcu dirigebat; quod ut etiam supra diximus, ad ornatum poni consuevit." S. cf. 5, 311. — *Spiculum* quum sit acus teli et pro iaculo et pro sagitta ponitur. Sic ap. Vgl. pro iaculo est 5, 586. 7, 165. 687. 10, 888. 11, 606. 676, videtur esse 7, 186. 12, 563; pro sagitta autem est 7, 497. 9, 606. 11, 575. 654. 12, 403. cf. v. 319. Cir. 299.

Aureus ex humeris sonat arcus, et aurea vati
Cassida; tum croceam chlamydemque sinusque crepantes
Carbaseos fulvo in nodum collegerat auro,
Pictus acu tunicas, et barbara tegmina crurum.
Hunc virgo, sive ut templis praefigeret arma
Troia, captivo sive ut se ferret in auro,
Venatrix unum ex omni certamine pugnae
Caeca sequebatur, totumque incauta per agmen
Femineo praedae et spoliorum ardebat amore:
Telum ex insidiis quum tandem tempore capto
Concitat, et superos Arruns sic voce precatur:

Incertum est 7, 626. 12, 406. Omnibus autem in locis legitur pluralis. — Hoc etiam loco ex addito cornu et arcu sagittas intelligi apparet; id modo offendit, quod dicuntur torqueri, quod est iaculorum. At dixit item E. 10, 59 *torquere Cydonia cornu spicula.* — *cornu* cf. 9, 606.

774. *aureus* etc. de repetita voce 1, 449. — *erat* pro *sonat* Mb, rec. *Rb.* — Sed in eo haereo, quod post *torquebat cornu*, quod significat aliquem in sagittando occupatum, statim pendens in humeris memoratur arcus, neque *Ldi* extricor sententia, quam *Fb.* probare videtur arcum dictum esse pro pharetra. Illud facile patior arcum et corneum et aureum dici; est enim corneus auro plurimo ornatus, ut splendeat auro: aureum arcum nemo intenderit. — *ex humero* γ rec. *Wg.*

775. *cassida* pro: *cassis*, ita Prop. 3, 9, 15. — *crocea chlamys:* De chlamyde cf. 9, 582. Crocea vestis Troianis obiicitur 9, 614 ut probrum. Et apud Graecos in comoedia tribuitur feminis, Baccho ut deo effeminato Athen. 5, p. 198, Hymenaeo Ov. M. 10, 1, Amori Tib. 2, 2, 18, Veneri Val. Fl. 8, 234. „Et is color convenit laetitiae, nuptiis in primis.“ Gierig. Ap. Claud. Nupt. Hon. et Mar. 211. et Aen. 1, 649 Helenae velamen croceo acantho ornatum est. — Barbaris hic color vel magis videtur placuisse. — *sinus crepantes carbaseos:* De duplici adiectivo cf. 5, 24. *Sinus* autem sunt ipsius chlamydis in sinum collectae, quos memorando poeta efficit, ut etiam materiam et colorem chlamydis posset dicere, quare non est *sinus* otiosum. Ap. Claud. in Eutr. 2, 183 est *carbaseos induta sinus.* — *crepantes*, ut tenues, qualem sonum et serica dat. Est enim genus lini tenuissimi et pretiosissimi, inventum in Hispania Tarraconensi, sed etiam alibi cf. Curt. 8, 9, 21. Carbaso etiam Fluvii Aen. 8, 34 et Naides et Dryades vestiuntur Ov. M. 11, 48. Noli comparare cum carbaso navium. — Adde 3, 357.

776. *Sinus collegerat in nodum auro:* „Hanc chlamydem, quo expeditior esset, aureis nexibus in nodum habuit collectam.“ Don. — *in nodum* ut v. 770.

777. *pictus acu tunicas:* de structura cf. 9, 582. „Habebat vestem Phrygionis arte perfectam.“ S. cf. 3, 484. — *Barbara tegmina crurum* sunt braccae, quibus Romani etiam Virgilii tempore nondum utebantur; nonnulli adhibebant fascias, quas feminibus et cruribus circumligabant, quae inde dicuntur feminalia, cruralia, tibialia. Contra braccis et quidem amplis, ut etiam nunc, utebantur Medi et Persae, omnino Asiani aliique barbari cf. Columnam Traianam. „Sane armorum longa descriptio illuc spectat, ut in eorum cupiditatem merito videatur Camilla esse succensa.“ S.

779. *captivo* cf. 2, 765.

782. *femineo:* „impatienti“ S. cf. 878. — *per agmen ardebat amore*: Similis brevitas est G. 4, 82 *Per medias acies insignibus alis ingentes animos angusto in pectore versant.*

784. *superos precatur:* Omnes deos precatum esse Arruntem poeta memorat, et tamen in ipsa precatione eum deum nominat, a quo potissimum sibi Arruns auxilium petierat. Cf. 8, 103. — *Arruns* Tuscum est nomen usitatissimum. Hic autem Arruns de monte Soracte videtur esse, cuius regionis incolae secuti sunt Turnum. Cf. 7, 696. Itaque ipse ex ea regione Etruriae, quae Messapo subiecta est, in liberam Etruriam videtur fugisse et sperasse victoria parta se in patriam esse rediturum. Hoc tantum modo possum dissolvere difficultates, quae revera insunt et quae tantae sunt, ut inventi sint, qui Arruntem ex exercitu ipsius Camillae esse dicerent. — *voce precatur* cf. 6, 247.

Summe deum, sancti custos Soractis Apollo,
Quem primi colimus, cui pineus ardor acervo
Pascitur, et medium freti pietate per ignem
Cultores multa premimus vestigia pruna,
Da, Pater, hoc nostris aboleri dedecus armis,
Omnipotens. Non exuvias pulsaeve tropaeum
Virginis aut spolia ulla peto; mihi cetera laudem
Facta ferent. Haec dira meo dum volnere pestis
Pulsa cadat, patrias remeabo inglorius urbes.
Audiit et voti Phoebus succedere partem
Mente dedit, partem volucres dispersit in auras:
Sterneret ut subita turbatam morte Camillam,
Adnuit oranti; reducem ut patria alta videret,
Non dedit, inque notos vocem vertere procellae.
Ergo ut missa manu sonitum dedit hasta per auras,
Convertere animos acres oculosque tulere
Cuncti ad reginam Volsci. Nihil ipsa nec aurae,

785. *Summe deum:* „Ex affectu colentis dicitur, nam Iuppiter summus est." S. Sic Herm. ad Soph. Ant. 338 *θεῶν τὰν ὑπερτάταν Γᾶν* addit: „Eae appellationes deum designant eo, de quo sermo est, in negotio prae ceteris colendum." Ita 790 dicit *omnipotentem;* sed et Iuno *omnipotens* dicitur 4, 693. 7, 428. — *Custos Soractis* dicitur Apollo, quod Soracte ei sacrum est, unde Silius 7, 662 dixit *Phoebeum Soracte*, et quod dei sibi sacra loca tutabantur. Sic Neptunus est *custos Tarenti* Hor. C. 1, 28, 29. „Soractis mons est Hirpinorum in Flaminia collocatus" S. est Etruriae prope Tiberim in Faliscorum agro. Ad montem erat Feroniae lucus. Praeterea Servius montem Manibus dicit consecratum et Diti patri in eo factum esse sacrum. Inde etiam homines qui sacra fecerint, non solum *Hirpos* dici a lupis, qui Sabinorum lingua hirpi dicantur, sed etiam *Soranos* a Dite, nam Ditem patrem Soranum vocari. In eius locum, quum Graecae deorum narrationes magis valerent, successit Graecus Apollo, et quod ei lupi sacri sunt et quod sagittis suis omnes interimit. Müller Etr. 2, 68. — Iam de Hirpis confer quae narrat Solinus 2, 26: „Perpaucae familiae sunt in agro Faliscorum, quos Hirpos vocant. Hi sacrificium annuum ad montem Soractis Apollini faciunt; id operantes gesticulationibus religiosis impune insultant ardentibus lignorum struibus, in honorem divinae rei flammis parcentibus. Cuius devotionis mysterium munificentia senatus honorata Hirpis perpetuo consulto omnium munerum vacationem dedit." Idem tradit Strabo 5, 2, 9 p. 226 et Plin. XII. 7, 2 et is eisdem paene verbis.

786. *quem primi*: *Pl* pro *primi* coni. *Irpini*, ut sit *Hirpini*! Sed *primi* bonum: Nos magis quam alii homines te colimus. Sic 7, 463 *virgea flamma*. 8, 694 *stuppea flamma*. G. 3, 145 *saxea umbra*. 2, 309 *picea caligo*. Poetis is usus proprius est adiectivorum materialium.

788. „*Pruna* quamdiu ardet dicitur. Quum autem exstincta fuerit, *carbo* nominatur." S. *Pl*, quem offendit *cultores* post *colimus*, coni. *secura in multa* etc.; sic quod *pulsae* antecedit, v. 793 *pulsa* mutat in *lapsa*, et quod *aura* legitur v. 799, *auras* mutat v. 795 in *Euros*, et v. 801 pro *aurae* scripsit *hastae* et v. 802 pro *teli* substituit *leti*.

790. Ego ex virgine caesa neque ullum victoriae signum nec laudem peto, quam ex aliis factis mihi parem; sufficit eam occidisse.

792. Camilla pestis dicitur cf. 5, 683.

794. *Pl.* pro *et* coni. *at*.

795. *mente dare* 10, 628. — *dispersit in auras* cf. 9, 313.

796. *Pl* v. 796—8 eiicit, quod Servius versus non explicat, quod sine damno absint, quod post v. 590 et 759 maxime langueant; quod ipsa oratio non sit venusta.

797. *patria alta* cf. 4, 97.

799. *sonitum dedit* cf. 2, 698. — Omnes hastae sono perterrentur; una non movetur Camilla.

800. *Pl.* pro *acres* coni. *acies*.

801. *auras:* „Haec est antiqua lectio." S. qui comparat *paterfamilias*. est in bc, *aurae* in M aliisque bonis. Hoc loco

Nec sonitus memor aut venientis ab aethere teli,
Hasta sub exsertam donec perlata papillam
Haesit, virgineumque alte bibit acta cruorem.
Concurrunt trepidae comites, dominamque ruentem
Suscipiunt. Fugit ante omnes exterritus Arruns,
Laetitia mixtoque metu; nec iam amplius hastae
Credere nec telis occurrere virginis audet.
Ac velut ille, prius quam tela inimica sequantur,
Continuo in montes sese avius abdidit altos
Occiso pastore lupus magnove iuvenco,
Conscius audacis facti, caudamque remulcens
Subiecit pavitantem utero silvasque petivit:
Haud secus ex oculis se turbidus abstulit Arruns,
Contentusque fuga mediis se immiscuit armis.
Illa manu moriens telum trahit; ossa sed inter
Ferreus ad costas alto stat volnere mucro.
Labitur exsanguis; labuntur frigida leto
Lumina; purpureus quondam color ora reliquit.
Tum sic exspirans Accam, ex aequalibus unam,
Adloquitur; fida ante alias quae sola Camillae,
Quicum partiri curas; atque haec ita fatur:
Hactenus, Acca soror, potui; nunc volnus acerbum
Conficit, et tenebris nigrescunt omnia circum.
Effuge et haec Turno mandata novissima perfer:

a grammatico aliquo error, quo ex v. 799 *auras* illatum est, antiqui usus facta est elegantia. Cf. Gr. §. 73 An. 2.

802. *nec — nec — aut* cf. 3, 43.

803. *exsertam*: „nudam“ cf. v. 649. — *papillam*: „*Mamilla* est omnis eminentia uberis, *papilla* vero breve illud, unde lac trahitur.“ S.

804. *hasta bibit cruorem*, cf. 10, 314.

806. *suscipiunt*; ita 4, 391. — Iunge *exterritus* cum *ante omnes*. Nec mirum si is, qui fecit, *ante omnes* i. e. primus extimescit propter ipsum facinus suum, cuius perfecti audacia iam terretur; sed *Pl.* mutat in *ex oculis*.

807. *laetitia mixtoque metu*, explicant *admixto metu*, ut sit simplex pro composito cf. 5, 154. Sed in *laetitia mixto tumultu* 10, 871. *mixtoque insania luctu* 12, 667 ut h. l. non minus valet, quod monitum est 6, 229.

809. *ille — lupus: Ille* significat notum aliquem, inde recte adhibetur, nam quod comparatur, notum esse debet. Ita 10, 707 *Ac velut ille canum morsu de montibus altis actus aper*, et 12, 5. Sic Hebraei substantivo, cuius comparatione aliud illustrant, articulum iungunt constanter. *Sequantur* recte se habet, si sequitur *abdit*, praesens, cf. Gr. §. 416, 2. a. Et hoc loco poeta in comparatione, ut saepe, usus est perfecto cf. 2, 380. Ac differt hoc perfectum a simplici, quod res indicatur, non quae semel facta est et in omne tempus praeteriit, sed quae etiamsi semel facta sit, tamen iterum fit ac fiet, ut ita construere liceat poetae, quasi praesens sit. Idque facit, ut significet rem esse omni tempore praesentem.

812. *caudam remulcens pavitantem:* Ipse enim pavet, metumque suum indicat cauda attracta; quare in ea ipsa metus inesse fingitur. Si non lupum, canem certe vidisti.

817. Frustra conatur ipsa sibi Camilla telum extrahere. Et hoc est beneficium Dianae, quae noluit sacrum corpus sanguine foedari.

818. *Leto* dativus est cf. 5, 451.

821. *Adloquitur fidam ante alias, quae Rb.* cf. 1, p. 85 (in M2Pγ1b2 est *fidam*, in M1Rc *fida*, in b *fidem*) quod improbat, quum mendum sit, *Mv.* Adv. Cr. 2, 33.

822. *quicum* cf. Gr. §. 134.

Succedat pugnae Troianosque arceat urbe.
Iamque vale. Simul his dictis linquebat habenas
Ad terram non sponte fluens. Tum frigida toto
Paulatim exsolvit se corpore, lentaque colla
Et captum leto posuit caput, arma relinquens;
Vitaquė cum gemitu fugit indignata sub umbras.
Tum vero immensus surgens ferit aurea clamor
Sidera; deiecta crudescit pugna Camilla,
Incurrunt densi simul omnis copia Teucrum
Tyrrhenique duces Euandrique Arcades alae.
At Triviae custos iam dudum in montibus Opis
Alta sedet summis, spectatque interrita pugnas.
Utque procul medio iuvenum in clamore furentum
Prospexit tristi multatam morte Camillam,
Ingemuitque deditque has imo pectore voces:
Heu nimium, virgo, nimium crudele luisti
Supplicium. Teucros conata lacessere bello.
Nec tibi desertae in dumis coluisse Dianam

826. *succedere pugnae*, cf. 10, 439. — Bellatricis ostenditur animus, quae in extrema morte ducis non omittit officia; simul arrogantis, quae neminem sibi nisi Turnum putet parem.

827. Ex Furii Anal. 1. laudat Macr. 6, 3. *Ille gravi subito devinctus vulnere habenas misit equi, lapsuque in humum defluxit et armis reddidit aeratis sonitum.* Simile fortasse ap. multos alios erat, sed Virgilii etiam ingenium et dicendi facultas permisit, ut talia de suo diceret. — *simul his dictis* cf. 10, 856.

828. *fluens* cf. v. 501.

829. *exsolvit se corpore*: cf. 4, 695. Solvitur homo e corpore, tamquam e carcere.

830. *Leto captum caput* iunge; cf. *der Kopf ist ihm eingenommen.* — *Arma* de manibus amittit, quum eae lassae decidant. — *relinquens* Mγbc (rec. *Wg. Ld.*) nec non P., siquidem in eo est *reliquens. reliquit* R. — „*arma relinquens*: alii *arma relinquunt* legunt. Probus hypallagen vult, vel. contrarium, ut *ipsa relinquit. S. relinquont Rb.* — Offensi autem sunt VV. DD. in repetito *linquere* v. 827. 830. Sed si in his haeremus, multi versus tentandi sunt. Etiam versum sequentem abesse vult Bothius; *Pl.* delet *arma — umbras*. Sed versum legebat Servius, servant libri.

831. Idem versus 12, 952 de Turno; iuvenis enim aegre a vita discedit, maxime victus certamine. Ita Hom. Il. 16, 856 *Ψυχὴ δ' ἐκ ῥεθέων πταμένη Ἄιδόςδε βεβήκει, ὃν πότμον γοόωσα, λιποῦσ' ἀδροτῆτα καὶ ἥβην.*

832. *immensus surgens* cf. 3, 70.

833. *crudescit*: „crudelior fit caede multorum.“ *S.* cf. 10, 682.

834. *densi*, qui sint per partes deinde indicatur, et *simul* ad *omnis* pertinet. cf. 7, 393.

835. *Tyrrhenum* M, rec. *Hs. Ld*; videtur ex *Teucrum* esse ortum ut in M est *Arcades ales*, sed id correctum in *alae.* — *Tyrrheni* Mss. et Edd. — *Evandrique Arcades alae*, idem 12, 551, explicabis aut ex ordine verborum, qui est 1, 435 aut *Arcades* habebis adiectivum cf. 5, 37.

836—867. Mortem Camillae Opis, Dianae nympha, ulciscitur.

836. *Opis Triviae custos* cf. v. 587. *Pl.* pro *custos* coni. *iussu.*

837. *interrita:* ut dea et venatrix, non perturbatur viso tumultu, sed manet rei suae intenta.

839. *multatam morte:* ita Sil. 10, 462 *multata cadavera caede*, quamquam ibi etiam *mutata* legitur. — *mulcatam* MPRγlbc rec. *Rb.* „*Multatam*, affectam. *Mulcari* enim proprie verberibus dicimus“ S. in Mss. alqt. Habes scripturae dignationem. Utrum probum sit elucet e v. 841. 42.

840. *que — que* cf. Gr. §. 480, 4.

841. *luisti supplicium.* In verbo *luisti* (cf. 849) inest poenae notio; nefas enim erat contra Troianos pugnare cf. 584.

842. *lacessere bello* cf. 5, 429.

843. Neque tibi profuit, quod solitaria in silvis Dianam colere studueras. — *coluisse profuit* cf. 9, 92. — *coluisse Dianam profuit*: „non deam incusat, sed

Profuit aut nostras humero gessisse sagittas.
Non tamen indecorem tua te regina reliquit
Extrema iam in morte, neque hoc sine nomine letum
Per gentes erit, aut famam patieris inultae.
Nam quicunque tuum violavit volnere corpus,
Morte luet merita. — Fuit ingens monte sub alto
Regis Dercenni terreno ex aggere bustum
Antiqui Laurentis, opacaque ilice tectum;
Hic dea se primum rapido pulcherrima nisu
Sistit, et Arruntem tumulo speculatur ab alto.
Ut vidit laetantem animis ac vana tumentem:
Cur, inquit, diversus abis? huc dirige gressum,
Huc periture veni, capias ut digna Camillae
Praemia. Tune etiam telis moriere Dianae?
Dixit, et aurata volucrem Threissa sagittam
Deprompsit pharetra, cornuque infensa tetendit,
Et duxit longe, donec curvata coirent
Inter se capita, et manibus iam tangeret aequis
Laeva aciem ferri dextra nervoque papillam.
Extemplo teli stridorem aurasque sonantes
Audiit una Arruns haesitque in corpore ferrum.
Illum exspirantem socii atque extrema gementem
Obliti ignoto camporum in pulvere linquunt;

fatorum necessitatem, contra quam nec numinis opitulatur auxilium.“ S. — *desertae* cf. 2, 714.

845. Non spoliaberis armis tuis; non mortua es, antequam egregie facta et sempiternae gloriae edidisti; non inulta eris. — *indecorem* cf. 7, 231. *reliquit* MR, rec. *Hs. Hn. Wg. Rb. relinquit* b2 *relinquet* Pyb1c.

847. *famam p. inultae*: „nec invindicatae ignominiam sustinebis, quod etiam Dido dolet,“ S. cf. 4, 659. Simile 10, 739. Adde quae v. 180 dicta sunt.

848. *Violavit*, sanctum enim est corpus virginis, quae Dianae sacrata est.

849. „*monte sub alto* ut (6, 234) *monte sub aerio*. Apud maiores nobiles aut sub montibus, aut in montibus sepeliebantur. Unde natum est, ut super cadavera aut pyramides fierent aut ingentes collocarentur columnae.“ S.

850. Bustum, regis antiqui, Dercenni Laurentis. „Iulius Sabinus, qui pleniorem Servium habuit, haec affert: *Dercennus rex unus ex antiquissimis in Latio, quem plerique Latinum eundem dixerunt, ut Iginus.*“ *Hn.*

854. *laetantem animis* M1. De plur. *animis* cf. 715. — *fulgentem armis* M2PRybc rec. *Ld*, neque tamen armorum fulgor memorandus erat, neque post Camillae mortem splendida sumpserat arma; sed apud se laetatur, neque cuiquam gaudium suum eiusque caussam prodit. — *vana tumentem* „ut *infanda furentem*.“ S. cf. 8, 489.

855. *diversus abis* i. e. a pugna diversus, cur fugis e pugna. — De structura cf. 5, 162.

857. *tune etiam* „cum ingenti amaritudine dictum est, nam ei etiam genus invidet mortis.“ S. Indignum enim habet, qui a dea occidatur, cui iam contigerit occidere egregiam bellatricem. *Hn.* et *Pl.* multa in hac Opis oratione vituperarunt, quae et dea et epica gravitate essent indigna.

858. Threissae bonae venatrices cf. 1, 316. Itaque Opim, Dianae ministram, Thressam facit poeta. — Quod pluribus verbis descripsit sagittae iactum, caussa est, quod magni est momenti, quum se ulciscatur dea. Cf. 9, 622.

861. Capita sunt extremae arcus partes.

863. *una — que:* Utrumque eodem fit tempore; ita iunctum est *simul — que*, *simul — et* cf. 1, 144. *vix — et* 5, 857.

866. *obliti* i. e. negligentes, non curantes mortui corpus, ut vile quiddam. Ita verbum 5, 174. 703. — *ignoto*, nemo enim locum notare studet, in quo eius corpus reliquerint.

Opis ad aetherium pennis aufertur Olympum.
Prima fugit, domina amissa, levis ala Camillae,
Turbati fugiunt Rutuli, fugit acer Atinas;
Disiectique duces desolatique manipli
Tuta petunt et equis aversi ad moenia tendunt.
Nec quisquam instantes Teucros letumque ferentes
Sustentare valet telis aut sistere contra,
Sed laxos referunt humeris languentibus arcus;
Quadrupedumque putrem cursu quatit ungula campum.
Volvitur ad muros caligine turbidus atra
Pulvis, et e speculis percussae pectora matres
Femineum clamorem ad caeli sidera tollunt.
Qui cursu portas primi inrupere patentes,
Hos inimica super mixto premit agmine turba;
Nec miseram effugiunt mortem, sed limine in ipso,
Moenibus in patriis atque inter tuta domorum
Confixi exspirant animas. Pars claudere portas;
Nec sociis aperire viam, nec moenibus audent
Accipere orantes, oriturque miserrima caedes
Defendentum armis aditus inque arma ruentum.

868 — 915. Camilla necata fugiunt Latini; Turnus ad urbem defendendam accelerat; Aeneas ad eam castra ponit.

869. *fugiunt R. etc.:* Haec ad laudem Camillae sunt dicta, qua caesa omnes victoriae spem abiiciunt. — *acer Atinas* „armis sc. acer (cf. 10, 308), fugit tamen.“ S.

870. Duces dispersi palantur, et militum turmae (quas maniplos dixit, quam vocem expl. Ov. Fast. 3, 117) desolatae sunt. Sic Stat. 9, 672 *desolatumque magistro agmen.*

874. *laxos arcus* „non intentos sed solutos.“ De fugientibus ita Hor. C. 3, 8, 23 *Scythae laxo meditantur arcu cedere campis.*

875. Paene idem v. 8, 596. Ita *quatere* etiam 11, 513. Val. Fl. 3, 21 *Dindyma volucri quatit equo Cizycus.*

876. Propius ad urbem accedit densi pulveris caligo, quod signum est Latinos pulsos ad urbem refugere, quare iam mulieres, in muro pugnae finem exspectantes, clamorem tollunt.

877. *e speculis* sc. muri cf. 475.

878. *femineum clamorem* „impatientem.“ S. cf. 9, 477.

879 Portae, quasi tuta esset urbs exercitu propugnante, patent; sed quum foeda fuga advolent equites, clauduntur. Cf. 886.

880. *super:* Liv. 24, 39 *quum alii super aliorum capita ruerent.*

882. *tuta domorum:* Ita *tuta* substantive usurpatur 871. 9, 366. Ov. Tr. 2, 201. Tac. An. 1, 2. 15. 29 cf. 1, 422. Ubi eos domus tutari videbantur, non *intra domos* i. e. in ipsis domibus caeduntur sed in via domibus cincta.

885. *miserrima caedes*; quod eiusdem gentis cives inter se interficiunt; ita 2, 411.

886. Cum fugientibus iam intermixti hostes aliquot (inimica turba) simul in urbem irrumpunt Latinosque caedunt vel intra moenia. Itaque quum periculum esset, ne urbs ab hostibus caperetur, ex iis, qui iam inerant, aliqui portas claudebant, neque prae hostium timore portis reclusis socios recipere iisque unam salutis viam aperire audebant. A quo conatu quum, qui extra erant, frustra precibus et vociferatione removere tentassent, iam summa desperatione turbati, armis prohibebant, ne portae clauderentur. Inde miserrima oritur caedes civium, quum alii armis portam defenderent, alii omni vi in eam irruerent. Hunc versum in omnibus Mss. lectum et a Servio memoratum *Pl.* eiecit, ut glossam, quae caedem miseram explicaret, et caedem sumpsit fieri ab hostibus. Sed omnia, recte explicata, bene cohaerere vidimus. Neque minus sequentia cohaerent. Nam illi armis etiam depulsi portisque exclusi, tamen quum ur-

Exclusi ante oculos lacrimantumque ora parentum
Pars in praecipites fossas urguente ruina
Volvitur, immissis pars caeca et concita frenis
Arietat in portas et duros obiice postes.
Ipsae de muris summo certamine matres, —
Monstrat amor verus patriae, ut videre Camillam —
Tela manu trepidae iaciunt, ac robore duro
Stipitibus ferrum sudibusque imitantur obustis
Praecipites, primaeque mori pro moenibus ardent.
    Interea Turnum in silvis saevissimus implet
Nuntius, et iuveni ingentem fert Acca tumultum:
Deletas Volscorum acies, cecidisse Camillam,
Ingruere infensos hostes et Marte secundo
Omnia corripuisse; metum iam ad moenia ferri.
Ille furens — et saeva Iovis sic numina poscunt —
Deserit obsessos colles, nemora aspera linquit.
Vix e conspectu exierat, campumque tenebat:
Quum pater Aeneas, saltus ingressus apertos,
Exsuperatque iugum silvaque evadit opaca.
Sic ambo ad muros rapidi totoque feruntur
Agmine, nec longis inter se passibus absunt,
Ac simul Aeneas fumantes pulvere campos
Prospexit longe, Laurentiaque agmina vidit;

gerentur a tergo, et alius super alium rueret, aut in fossas detrusi sunt, aut summa vi nituntur, ut portam effringerent.

887. *Exclusi pars — pars.* Saepe aliquid nominatur tantum, deinde per partes exponitur, tanquam ex appositione; ita 12, 277 *fratres — pars — pars.* Ecl. 1, 65 *nos — alii — pars.* cf. 1, 423. 12, 161. 277. Neque miri quidquam huic structurae inest, quare etiam in prosa invenitur ut ap. Liv. 24, 20 *Consules Marcellus Nolam redit, Fabius in Samnium processit.* cf. Gr. §. 237. — *ruentum* cf. 12, 305.

888. *fossae praecipites* ut Ov. M. 1, 97.

890. Cf. Sil. 4, 149 *Boiorum ante alias mobilis ala arietat in primos.*

891. Ipsae matres de muris tela iaculantur, trepidae i. e. alacres, et in rebus extremis ipsae se hostibus obiiciunt, pro sexus ardore et impatientia mortis magis cupidae quam salutis. — *summo certamine* „in extremo discrimine, ut supra (476) *labor ultimus.*“ S. Aliter *Thl*: certatim ut 5, 197.

892. *Monstrat* ut 9, 44. amor patriae verus, qui omnes omnia pro patria subire iubet pericula; et excitantur exemplo Camillae quae in proelio occiderat. *Pl.* versum delet.

894. Neque iacula habent, sed stipites tantum aliaque hostibus immittunt.

895. *ardent* FM1PRγ1 *audent* M2γ2bc.

896. *nuntius implet Turnum* cf. 4, 189.

896. *fert tumultum*, nuntiat cf. 5, 665.

899. *Ingruere* ut 12, 628.

901. Furens accepto nuntio, consilii expers, ut urbem defendat, quae capi non poterat ab equitibus, statim deserit valles angustas, quibus Aeneam includere paraverat, viamque aperit hosti, qui statim post ipsum in campum descendit. Haec autem erat Iovis voluntas, qui Aeneam intactis copiis ad urbem deducebat. De loci natura cf. v. 522 sq. *Pl.* pro *et saeva* coni. *aeterna*, neque enim Iovem iratum esse Turno. Neque est, sed eius voluntas ex fato adversaria Turno est. — *pellunt* coni. *Pl.*

903. *vix — quum* cf. 1, 34.

904. *apertos* „vacantes insidiis.“ S.

905. *exsuperat iugum*, ita 6, 676; et ex opaca silva evadit incolumis.

906. *rapidi* cf. 1, 644.

907. *longis passibus* i. e. multis cf. 10, 549. — *inter se:* cf. Sall. Iug. 55 *Duobus locis haud longe inter se castra faciebant.*

908. *simul — et* cf. 1, 144.

909. *prospexit longe* cf. 7, 288.

Et saevum Aenean adgnovit Turnus in armis,
Adventumque pedum flatusque audivit equorum.
Continuoque ineant pugnas et proelia tentent,
Ni roseus fessos iam gurgite Phoebus Hibero
Tinguat equos noctemque die labente reducat.
Considunt castris ante urbem et moenia vallant.

910. *saevum* cf. 1, 99.

912. *ineant — ni tingat* cf. 1, 59.

913. *Pl.* pro *roseus* coni. *serus.*

914. Sol reducit noctem, abiens ipse. Cf. 3, 70 *Pl.* coni. *noctique, die labente, recedat.*

915. „*Moenia vallant* hinc probatur, quia et qui tuentur, et qui obsident, *vallare* dicuntur.“ S.

P. VIRGILII MARONIS
AENEIDOS
LIBER DUODECIMUS.

Turnus ut infractos adverso Marte Latinos
Defecisse videt, sua nunc promissa reposci,
Se signari oculis: ultro implacabilis ardet,
Attollitque animos. Poenorum qualis in arvis,
Saucius ille gravi venantum volnere pectus,
Tum demum movet arma leo gaudetque comantes
Excutiens cervice toros, fixumque latronis

1—17. Turnus certamen cum Aenea initurus est.

1. *infractos* a verbo *infringere* cf. 5, 784.

2. *defecisse* cf. 11, 423. Infracti sunt, quod victi sunt, *deficiunt*, quod animum demittunt. — *sua promissa*, quae dederat 11. 436. — *reposci* cf. Val. Fl. 7, 650. Suet. Aug. 42 *populo promissum congiarium reposcenti*. Flor. 3, 17, 9 Nec *socii promissa Drusi a populo Romano reposcere armis desierunt*. Promissum reposcitur id, quod antea datum, post negatum est. „Mire vim orationis augebis scribendo: *se nunc promissa reposci, se signari oculis*“ *Pl.*

3. Omnium oculos in se esse conversos, tacite postulantium, ut qua se iactaverat fortitudine Aeneam aggrederetur. — *Ultro* explicatur, antequam ab alio ad pugnam verbis lacesseretur. Sed iam lacessitus erat 11, 370 et nunc omnes eum quamvis taciti lacessunt. Quare *ira* coniecit *Pl.* Sed male hoc. Recte explicat S. per *insuper*, noch obendrein cf. 5, 55. *Ultro* enim compositum ex *ul* = *ille* (cf. *facilis facultas* et simul similis) et forma comparativa *tro* (cf. dexter, uter) darüber hinaus; significat igitur excedere quid simplicem rationem. Sic satis erat h. l. non cessisse tantis malis, sed ex iis ipsis caussas sumere fiduciae ultra rationem est. Simile 9, 127, nec non 2, 145. Sic ultro facere dicitur is, qui maiora audet, quam ab eo potest postulari aut exspectari ut 6, 387. 9, 676. 729. 10. 830.

4. *Attollere animos* cf. 2, 386 et *tollere animos* est aut *capere animum*, seinen Muth erheben. ut 10, 250. Liv. 3, 57 aut *animum facere alicui*, ut 9, 127. Sil. 1, 105. Flor. 1, 3, 7. — *Poenorum in arvis:* in Africa sunt leones acerrimi.

5. *ille — leo* cf. 11, 809. — *saucius pectus* cf. 1, 228.

6. *Movet arma* sc. sua: de pugna cum adversario cogitat; ita serpens *arma movet* Ov. M. 9, 76. cf. 1, 119. — *Tum demum*, quum est vulneratus. „Haec enim leonum natura est, ut nisi lacessiti irasci nequeant.“ S. — *Gaudetque*, non quod iubam concutere potest, quae enim gaudii caussa, sed dum concutit; signum id est gaudii.

7. *Latro* h. l. venantium (v. 5) unus, qui ex insidiis aggressus est, ut ii, qui vias publicas obsident. Sic Val. Fl. 3, 587 in simili comparatione *refugi quem contigit improba Mauri lancea* leonem exacerbat. — *Latronem* enim, non bonum bellatorem leo habet eum, qui ex insidiis pugnat. Serv. ad h. l. et Nonius s. v. p.

Impavidus frangit telum et fremit ore cruento:
Haud secus accenso gliscit violentia Turno.
Tum sic adfatur regem, atque ita turbidus infit:
Nulla mora in Turno; nihil est quod dicta retractent
Ignavi Aeneadae; nec quae pepigere recusent.
Congredior. Fer sacra pater et concipe foedus.
Aut hac Dardanium dextra sub Tartara mittam,
Desertorem Asiae — sedeant spectentque Latini —
Et solus ferro crimen commune refellam,
Aut habeat victos, cedat Lavinia coniunx.
Olli sedato respondit corde Latinus:

134 et Festus Pauli p. 118 M.: „*Latrones* esse dicunt conductos milites et *latrocinari* mercede militare"; et Varro 7, 52: „Latrones dicti ab latere, qui circum latera erant regi atque ad latera habebant ferrum, quos postea a stipatione stipatores appellarunt; aut qui conducebantur; ea enim merces Graece dicitur λάτρον (cf. λατρεύειν, Kriegsknecht). *Ab eo veteres poetae nonnunquam milites appellant latrones*, quod item et milites cum ferro, aut quod latent ad insidias faciendas." Cui quum, unde deducendum sit vocabulum, ipse nesciat, tamen fides habenda est in iis, quae legit. Sic *latro* dicitur miles conductitius Pl. MG. 1, 74. Id mirum, quod ex posterioribus poetis nemo hoc vocabulum assumpsit; ut ex prioribus etiam eo quo est h. l. sensu grammatici non videntur legisse. Qua de caussa, et quod telum non facile frangere studeat leo, sed potius in hostem irruat, quare etiam id nemo sit imitatus, neque quomodo os cruentum sit, satis intelligatur, *Pl.* verba *fixumque — cruento* delenda censet. Sed Serv. iam legit, nec libri signum dant corruptelae. Et quod neminem in fracto telo secutum esse dicit, fallitur; certe ap. Luc. 6, 209 elephas frangit missilia et 222 ursa telum corpori infixum ore capessere et extrahere studet. Sunt igitur illo tempore talia satis observata, quo greges bestiarum immanium ad ludos in urbe dandos compellendi erant. Leo igitur vulnere impavidus telum frangit dentibus, et inde sanguine suo ipsum os polluit.

9. Et ante et post comparationem ponitur comparatum cf. 4, 149. *fremit* cf. 11, 453. — Violentia Turni per totum carmen et maxime in h. l. notatur.

10. *Turbidus* est is, qui aliquo modo est turbatus, sive ira id factum est, ut h. l. et 671. 9, 57. 10, 763. 11, 742, sive superbia, ut 10, 648, sive re alia. Apud Tac. A. 2, 39 *turbidi* sunt turbulenti, *unruhige Köpfe.*

11. *Dicta retractare* est revocare, recusare cf. 889. Cic. Tusc. 1, 31, 76 *Veniet tempus et quidem celeriter et sive retractabis sive properabis.* Iam haec turbidi signa sunt; neque enim Aeneas certamen singulare detrectaverat. — *in Turno* pro *in me* cf. 2, 79.

12. *quae pepigere* cf. 11, 115.

13. *Congredior* praesens ut in re certa et tempore iam praerepta pro futuro; ut apud nos. Vix opus est afferre exempla, ut quae sunt 9, 21. 10, 442. al. — *Fer sacra*, neque enim aliter quam sacris factis foedus poterat fieri. — *Concipe foedus* i. e. conceptis verbis fac. „Concepta verba dicuntur iurandi formula." S.

15. *Desertorem:* In invidiam vertit, quod Aeneas fecit fatis actus, non coactus a Graecis cf. 3, 5. — *Sedeant:* „Pollicetur, se singulari certamine dimicare velle, quum nolit; nam dicens *sed. sp. L.* latenter eos ignaviae arguit (cf. 11, 460), quod solus omnibus quiescentibus dimicet, quam rem plenius sequens indicat versus: *et solus* etc. i. e. commune fugae ac timoris dedecus solus meis virtutibus comprimam." S.

16. *crimen commune*, commune flagitium fugae factae l. X. et XI. — *ferro refellere*, *dicta dextra refellere*, v. 644. cf. 11, 687, ut *bello refutare* Cic. de prov. Cons. 3. Alii crimen commune explicant ab omnibus Latinis mihi factum, quod aptum non est.

17. *aut habeat victos* „Vitavit propter omen pessimum verbum de se, quod de Aenea dixerat." S. — *victos*: Itaque quum ipsis malum impendeat, non debent unum Turnum committere periculo. — *cedat* cf. 3, 297.

18 — 53. Latinus ab eo certamine deterret.

19. „Pro decore aetatis inducitur sermo, hoc est, quod praecipit Horatius in arte poetica (v. 114)" S. — *feroci* cf. 1, 263. — *quantum exsuperas — tanto*

O praestans animi iuvenis, quantum ipse feroci
Virtute exsuperas, tanto me impensius aequum est
Consulere atque omnes metuentem expendere casus.
Sunt tibi regna patris Dauni, sunt oppida capta
Multa manu; nec non aurumque animusque Latino est.
Sunt aliae innuptae Latio et Laurentibus agris,
Nec genus indecores. Sine me haec haud mollia fatu
Sublatis aperire dolis; simul hoc animo hauri:
Me natam nulli veterum sociare procorum
Fas erat, idque omnes divique hominesque canebant.
Victus amore tui, cognato sanguine victus,
Coniugis et maestae lacrimis, vincla omnia rupi;
Promissam eripui genero; arma impia sumpsi.
Ex illo qui me casus, quae, Turne, sequantur

impensius. Sic *quantum* c. verbo iunctum opponitur *tanto* c. comparativo iuncto Liv. 5, 10: *Quantum* autem augebatur militum numerus, *tanto* maiore pecunia in stipendium opus erat. — *quanto* — *tantum* 6, 38: *quanto* iure potentior intercessio erat, *tantum* vinceretur favore legum ipsarum. Sic *quantum* — *eo* c. comparativo idem 3, 15: *quantum* — se magis insinuabant — *eo* acrius tendebant. 44, 7: *quantum* procederet longius, *eo* maiorem inopiam sensit. Adde Taciti Hist. 2, 99: *quantum* hebes — *tanto* promptior.

21. *expendere casus* „ne ex abrupto de eius virtute desperare videatur, casuum varietatem se timere commemorat." S. Caussam quod ea dicat, Latinus amorem, qui timeat, esse dicit; deinde omnia affert, quae vel pugnae cupidum a certamine poterant avocare.

22. Est tibi regnum paternum, a te auctum, est belli gloria; ipse aurum satis amplum habeo (cf. 11, 213 *praedivitis urbe Latini*), et animus est, tibi de eo largiendi, quantum velis; sunt et aliae puellae nobiles genere, quas in matrimonium ducere non dedecet. Offensi sunt nonnulli in eo, quod Latinus pro filia negata aurum offert. Sed aliis moribus haec iudicaverunt. De amore Turni et Laviniae apud Latinum nihil constat; Aeneae daturus est filiam, antequam de amore alterius utrius sciri potuit. Et bellum geritur ab Aenea de Lavinia nondum visa; neque apud Homerum proci amore capti sunt Penelopae; quomodo enim tanta concordia inter se agerent, sed regnum Ulyssis sibi quaesiverunt. Omninoque coniuges inter se noscebant, quum sponsi iam essent. — *Pl* delet *nec non* — *Latino est* et v. 26 *simul* — *hauri.*

24. *Laurentibus agris* PRγbc rec. *Wg.* *arvis* unus Med. rec. *Rb.* Utrumque bonum.

25. *sine me haec:* permitte, ut tibi vera dicam. „Hoc loco intelligimus Turnum dolore voluisse in aliqua verba erumpere." S. — *haud mollia fatu* „vera, nam aspera sunt, quae cum veritate dicuntur." S. Sil. 1, 113 *subiicitque haud mollia dictu.*

26. *animo hauri* „omni intentione percipe." S. cf. 4, 661. Neque ineptum est, multo minus eiicies. Petit Latinus, ut dici sinat Turnus vera, simul ut ipse condita mente teneat.

27. *veterum:* Veteres sunt, qui ante Aeneam iam petebant.

28. *Fas erat* etc. cf. 7, 54 sq. — *canebant* cf. 2, 124.

28. Tamen amore tui victus, et tibi, cognato meo (Nam Venilia, Turni mater, soror erat Amatae) favens, deinde uxoris lacrimis commotus, vincla omnia rupi „religionis et foederis;" S. quum nefas sit aggredi hospitem et foederatum, qui erat Aeneas. Sed quum bellum contra eum exarsisset, Latinus summo in tumultu, cessit Turni furori, non eius partes amplexus est (cf. 7, 585—600), quod nunc se fecisse contendit; ante Aeneae adventum semper Turno filiam suam denegaverat. cf. 7, 96. Itaque quod in ea re a vero recedit, non potest in iis, quae vere dicit, Turnum habere obedientem. — *victus* — *victus* cf. 11, 358; videmusque etiam hoc loco magna vi et arte vocabulum esse iteratum.

31. *Promissam eripui genero* Aeneae cf. 8, 268. — *Impia*, quum sint contra deorum voluntatem; quare necesse est ut is pereat qui gerit.

32. *Me* ipsum persequitur hoc periurium.

Bella, vides, quantos primus patiare labores.
Bis magna victi pugna vix urbe tuemur
Spes Italas; recalent nostro Tiberina fluenta
Sanguine adhuc, campique ingentes ossibus albent.
Quo referor totiens? quae mentem insania mutat?
Si Turno exstincto socios sum adscire paratus,
Cur non incolumi potius certamina tollo?
Quid consanguinei Rutuli, quid cetera dicet
Italia, ad mortem si te — Fors dicta refutet! —
Prodiderim, natam et connubia nostra petentem?
Respice res bello varias; miserere parentis
Longaevi, quem nunc maestum patria Ardea longe
Dividit. Haudquaquam dictis violentia Turni
Flectitur, exsuperat magis aegrescitque medendo.
Ut primum fari potuit, sic institit ore:
Quam pro me curam geris, hanc precor, optime, pro me

33. *Primus*, prae ceteris omnibus laboras, quum sis in bello iniusto. *Ameis* expl. *primus* per Anführer. — Non Turno, sed sibi computat caussam.

34. *Bis victi* cf. quae l. X. et l. XI. narrantur proelia.

35. *Spes Italas* magnifice dictum, ut 3, 1 *res Asiae* de Troia. Spes autem est salutis nostrae; nam victoriam Latinus non audet optare. — *recalent* „re- in quibusdam verbis compositis significat rei alicuius in contrariam mutationem; itaque *reddimus* doctum, qui fuerat antea indoctus, *replemus* vacua, *relevamus* onustum; *requiescimus* labore fatigati; *resipiscimus*, qui insipientes fueramus; *recalet* flumen, quod antea gelidum fuerat.“ Wg.

36. *campi . . . albent ossibus* sc. combustorum. Sed hoc nimium est. Vel a Virgilio res aliquoties amplificantur ultra omnem modum, idque etiam alii poetae fecerunt, ut appareat, hunc morem in pulchris habitum esse. Nostris hominibus puto non placere. Sic Val. Fl. 3, 166 *Ossa virum malaeque sonant sparsusque cerebro albet ager.* Hoc loco etiam eo offendimur, quod ex priore proelio fluvius adhuc calet, et qui die proximo occisi sunt, eorum iam ossa albent. Haec tamen dicendi formula placuit Latinis poetis. Sic 5, 865. Sic Ov. F. 3, 708 *Testes estote Philippi et quorum sparsis ossibus albet humus.* Stat. Silv. 2, 7, 65 *albos ossibus Italis Philippos*, alia multa. Non minus plene dixit Treb. Poll. vit. Claud. c. 8 *campi ossibus latent tecti. Pl.* delet verba a *recalent — mutat;* fecitque intra versus triginta hemistichia quattuor.

37. Cur tam saepe consilium revoco, quae ea est insania mutandi consilii. Mutare autem se dicit et fato adverso actum et ductum Turni amore.

39. *incolumi* sc. Turno. Troianos accepturus sum te interempto, quidni recipiam te vivo?

42. „Iniquissimum est, eum morti prodere, qui tuam affinitatem exspectat.“ S.

43. Et tu potes occidi, quare miserere patris tui, qui omnem in te rem et spem ponit.

44. *longe dividit Ardea eum*: De formula dicendi cf. 3, 383. — Ille Ardeae commoratus, divisus a te, quod caret filio maestus et de tua salute anxius est. Quamquam a Laurento non admodum remota erat Ardea, potuit dici *longe;* desideranti enim omne spatium longum est.

46. *exsuperat:* ita v. 20. 2, 759. — De Gerundio cf. 5, 710. Adhibita medela aegrescit. cf. Ov. M. 3, 566 *Acrior admonitu est irritaturque retenta et crescit rabies, remoraminaque ipsa nocebant.*

47. *ut primum fari potuit:* „Nimius enim dolor vel iracundia ei intercluserat vocem; sic de Evandro“ (11, 151). S. *Institit ore* est loqui incipit; *insistere* enim est inire, incipere; ita *insistere viam* Plaut. Ter. Liv. 37, 7 *Iter quod insistis, ego quoque approbo.* Caes. BG. 3, 14 *Neque satis constabat, quam rationem pugnae insisterent*; in eoque verbo magis quam in v. *inire* est certi consilii significatio.

48. De struct. 2, 183 6, 352. Ov. M. 9, 107 *intrepidum pro se, curam de coniuge agentem.* Claud. Bell. Gild. 428 *si quid pro me doluistis.* — Turnus non credit, quem simulat Latinus amorem; nec potest cf. v. 29. Itaque: Omni cura po-

Deponas, letumque sinas pro laude pacisci.
Et nos tela, pater, ferrumque haud debile dextra
Spargimus, et nostro sequitur de volnere sanguis.
Longe illi dea mater erit, quae nube fugacem
Feminea tegat et vanis sese occulat umbris.
At regina, nova pugnae conterrita sorte,
Flebat, et ardentem generum moritura tenebat:
Turne, per has ego te lacrimas, per si quis Amatae
Tangit honos animum, — spes tu nunc una, senectae
Tu requies miserae; decus imperiumque Latini
Te penes; in te omnis domus inclinata recumbit —
Unum oro: desiste manum committere Teucris.
Qui de cunque manent isto certamine casus,
Et me, Turne, manent; simul haec invisa relinquam
Lumina nec generum Aenean captiva videbo.

sita, quam de me habere simulas, patere me mortem oppetere. Tu modo me terres, ut a certamine absistam Aeneaeque tuo Laviniam ac regnum permittam. Tu non pro me, sed pro Aenea metuis. Simul exacerbatur, quod habetur inferior Aeneae.

49. *letum pro laude pacisci* cf. 5, 230.

51. *spargere tela.* Sic 7, 687 glandes plumbi. 8, 695 ferrum. 11, 650 hastilia.

52. *Longe alicui esse* i. e. non adiuvare. Longinquum enim auxilium in praesenti periculo nullum est. cf. Ov. Her. 12, 53. Met. 8, 434. Plin. Pan. 49. Flor. 2, 2, 8. 6, 34. Ita *longe abesse alicui* Caes. BG. 1, 36. Ov. M. 4, 648. Tib. 1, 5, 2. *longe esse* Ov. M. 11, 479. — *fugacem*, qui solet fugere.

53. Nihil proderit ei mater, quae eum tegat nube, dum ipsa se occulit umbris, ne conspiciatur et vulneretur, ut a Diomede vulnerata est (cf. Hom. Il. 5, 314); itaque debilis et timida femina non praestabit ei auxilium contra virum fortem, qualis ego sum. Sic *sese* satis usitatum deprehenditur et *et* adiungit enuntiatum secundarium, cf. 8, 125. *Pl.* coni. post *Schr. ut vanis.*

54 — 80. Idem frustra Amata conatur.

54. Deterrere etiam studet Amata a certamine. Sed nihil efficit, nec potest. Nam lamentatur ut femina, rationem qua possit vitari proelium ei, in quo omnis domus recumbit, non adstruit; accedit Lavinia, qua visa Turnus magis incenditur. — *nova sorte pugnae* i. e. certamine singulari.

55. Pro *moritura* coni. *Rb. monitura*, quod non statim moritura sit. Tamen est cf. 61—63.

56. *Turne* nudum nomen vocativi primo loco positum et familiaritatem signat dicentis et ardorem. — *per, siquis* de structura cf. 2, 142. Simile 7, 401. Obtestaturae Turnum ei in mentem venit, eum fortasse ipsam non curare.

59. Tu es columen familiae, te erepto peribit.

60. *Pl.* coni. *Teucro.*

61. *te manent casus* cf. 2, 194. Itaque Amata sui amore vult in vita retinere Turnum, vitae suae prodigum.

63. *Lumina* h. l. dicitur vita, ut *lumina vitae* leguntur 6, 828. 7, 771. et *lux* 4, 452. — Non feram, ut ego captiva generum videam Aeneam. His matris verbis auditis Lavinia movetur pudore, quod coram viro de ipsa agitur; modestia, quod ob ipsam tantum bellum exarsit; tristitia, quod matrem videt maerere et esse morituram. Quibus lacrimis visis Turnus sibi favere Laviniam concludit, magisque incenditur. Lavinia autem per totum carmen prodit in scenam, 1) in sacris Latini 7, 73; 2) ubi a matre eripitur et absconditur 7, 387; 3) ubi eius mortem luget 12, 605; 4) ubi supplicatur Palladi 11, 479; 5) hoc loco; in his duobus locis ita ut Turnus ad audenda omnia impellatur, nusquam ut Laviniae appareat animus. Neque id fieri potuit. Nam si Turno faveret, non placeret Aeneas ducens invitam, neque felix esse posset eo matrimonio; si Aeneae esse vellet, Turni omnem excederet modum insania, si contra et patris et filiae voluntatem nuptias vellet obtinere. Ex more autem antiquo filia subiecta erat voluntati patris. cf. v. 22.

Accepit vocem lacrimis Lavinia matris
Flagrantes perfusa genas, cui plurimus ignem
Subiecit rubor et calefacta per ora cucurrit.
Indum sanguineo veluti violaverit ostro
Si quis ebur, aut mixta rubent ubi lilia multa
Alba rosa: tales virgo dabat ore colores.
Illum turbat amor, figitque in virgine voltus;
Ardet in arma magis, paucisque adfatur Amatam:
Ne, quaeso, ne me lacrimis, neve omine tanto
Prosequere in duri certamina Martis euntem,
O mater; neque enim Turno mora libera mortis.
Nuntius haec Idmon Phrygio mea dicta tyranno
Haud placitura refer: quum primum crastina caelo
Puniceis invecta rotis Aurora rubebit:
Non Teucros agat in Rutulos; Teucrum arma quiescant

64. Attende artem verborum collocatorum. *Pl.* coni. *Lavinia amaris*!

65. *cui*: Per relativum pergitur non nunquam in descriptione, ubi nos demonstrativo uteremur, ubi etiam simplex coniunctio et sufficeret; ita 4, 138. 5, 288. Tib. 1, 1, 77 *Et pedibus praetentat iter, suspensa timore, explorat caecus cui manus ante vias.* 2, 2. 6 *Ipse suos adsit Genius visurus honores, Cui decorent sanctas mollia serta comas.* 3, 43. Hor. Ep. 1, 1, 85.

66. *Pl.* coni. *Subiecit pudor.*

67. *violaverit*: Ita Hom. Il. 4, 141 *ὡς δ' ὅτε τις τ' ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μιήνῃ*; ita *violare* ap. Iuven. 3, 19. „Ars enim naturam et adscititius color nativum corrumpit.“ Rup. Sic corrumpere G. 2, 466. Similis comparatio Ov. M. 4, 331 et Stat. Ach. 1, 307 *Lactea Massagetae veluti quum pocula fuscant sanguine puniceo vel ebur corrumpitur ostro.* Ita h. l. rubor virginis non est nativus. Ad grammaticam explicabis: ut si quis violaverit ostro, ebur album *rubet*, aut ut *rubent* lilia alba mixta rosis, ut ad *violaverit* omissa sit apodosis, ex sequente enuntiato exstruenda. Sive: ut ebur ostro violatum aut ut lilia mixta rosis rubent.

70. *illum turbat amor*: „Invenit occasionem, qua Turnus moveretur magis in bellum.“ S. — *Figere in* c. abl., ut *ponere in.* Sic Ov. M. 4, 196 *virgine figis in una oculos.* 13. 456 *inque suo vidit figentem lumina vultu.* Cic. Fam. 2, 6 *mentem omnem in Milonis consulatu fixi et locavi.*

71. *ardet in arma.* Sic *audere in proelia* 2, 347. *meditans in proelia* 10, 455. *se exhortantur in arma* 7, 472. *cessus in vota* 6, 51. cf. *irasci in cornua* v. 104. et G. 3, 232.

72. *omine tanto*, tam gravi. Ominabantur antiqui ex multis lacrimis interitum abeuntium. Ita iam deprecatur lacrimas in Andromacha Hector Hom. Il. 6, 486. cf. 8, 584. Ov. M. 6, 510. 11, 457. Lacrimae enim caussam non habent, si is qui abit, redibit salvus.

73. *euntem* cf. 2, 111.

74. „Noli me mater ad bellum euntem ominosis lacrimis prosequi, neque enim Turno mora libera mortis i. e. neque enim in potestate mea est moram inferre venientibus fatis.“ Neque enim mora libera est non eundi, promisso iam certamine singulari. Sed Servius post datam suam explicationem hunc locum confitetur esse *de insolubilibus.* Qua in re haeserit, non addit; sunt tamen aliqua. Ipse, ut ex omnibus eius verbis intelligi licet, non vult confiteri se esse Aenea inferiorem; fingit Aeneam admodum timere singulare certamen. Ipse precatur, ut Amata male ominatis verbis parcat, quare non convenit ipsum pessimo uti vocabulo *mortis*, quo abstinuit Amata. Sed in *Turno* omnis est vis orationis, quare *mortem* etiam se, siquidem necessitas sit, cupidiorem oppetiturum se profitetur, quam dedecus. Amatae autem sincerum amorem prodentis oratione magis movetur, quam Latini. Quare magis etiam verus Turni animus erumpit Aeneam, quamvis neget, metuentis ac timentis. — *Pl.* coni. *libera Martis.*

76. *haud placitura:* Fingit Aeneam timere singulare certamen, et usque in eo ac sciens (cf. v. 74) perstat errore, in quo est v. 11 et 53.

78. *Non agat* differt aliquatenus a *ne agat.* Cf. Gr. 421 An. 4. *Non* est volentis et iubentis, *ne* optantis. Ov. AA. 3, 133 *Munditiis capimur, non sint sine*

Et Rutuli; nostro dirimamus sanguine bellum.
Illo quaeratur coniunx Lavinia campo.
Haec ubi dicta dedit, rapidusque in tecta recessit:
Poscit equos, gaudetque tuens ante ora frementes,
Pilumno quos ipsa decus dedit Orithyia,
Qui candore nives anteirent, cursibus auras.
Circumstant properi aurigae, manibusque lacessunt
Pectora plausa cavis, et colla comantia pectunt.
Ipse dehinc auro squalentem alboque orichalco
Circumdat loricam humeris: simul aptat habendo
Ensemque clipeumque et rubrae cornua cristae;
Ensem, quem Dauno ignipotens deus ipse parenti
Fecerat et Stygia candentem tinxerat unda.
Exin, quae mediis ingenti adnixa columnae

lege capilli. Tib. 2, 1, 9 *non audeat ulla.* Hor. Sat. 2, 5, 91 *non etiam sileas.* *Non* Teucros agat in R, sed se in me i. e. *nostro d. s. b.* *Non* recte, non *ne*, nam opponit *Teucros* Aeneae, Rutulos Turno.

81—112. Turnus et Aeneas certaminis cupidi.

81. Quibus dictis, quum rapidus domum intrasset, poscit equos et arma explorat. Idque opus erat, fecitque idem Aeneas v. 107. Sed ratio diversa est, Turnique nimia alacritas et furor ardens pugnandi non possunt diu durare; quare probabile eum, ubi ad proelium ventum erit, animo defecturum, ut fit v. 220. Haec igitur non sunt male structa, sed ex hominis natura, et omen habent infelicis certaminis. — *rapidus* cf. 1, 644. Sunt qui a *rapidusque* apodosin incipiunt.

82. *gaudetque tuens*, dum tuetur cf. v. 6. „Solent enim ex equorum vel maestitia vel alacritate eventum futurum dimicaturi colligere.“ S.

83. *Pilumnus*, avus Turni. „Ait Horat. (AP. 339) *Nec quodcunque velit poscat sibi fabula credi.* Unde Critici culpant h. l. Virgilium, dicentes incongruum esse figmentum; namque Orithyia quum Atheniensis fuerit, filia Terrigenae (Erechthei) et a Borea in Thraciam rapta sit, quemadmodum potuit Pilumno, qui erat in Italia, equos dare?“ S. Recte h. l. *Hn.* „Scilicet exemplum hoc est usus mythorum poetici apud seriores poetas tam diversi ab usu antiquo. Maroni est merum ornamentum.“ Cf. 5, 311. — *decus*, quod decus esset. cf. 1, 358.

84. *qui anteirent*, i. e. candor et celeritas caussa erat dandi.

85. *manibus etc.* est blandimentum equorum adhuc usurpatum.

87. *squalentem auro* cf. 10, 314. — *orichalco* cf. Plin. XII. 34, 2, 2 „Aurichalcum, quod praecipuam bonitatem admirationemque diu obtinuit. Nec reperitur longo iam tempore effeta tellure.“ S.: „Apud maiores orichalcum pretiosius metallis omnibus fuit . . . quod et auri splendorem et aeris duritiem possideret.“ Plura etiam addit, tamen ei quoque rem fuisse incognitam apparet. Graece dicitur *ὀρείχαλκον*, Latine et *orichalcum* et *aurichalcum*.

88. *circumdat loricam humeris* cf. 2, 510. — *aptat habendo ensem:* „ad habendum“ S. — *aptare* cf. 3, 472. Itaque accingit et induit, et num habiles sint explorat. — *habilis* ensis, pharetra, cf. 1, 318.

89. *cornua* „Cornua sunt proprie cincinni.“ S. Cornu est, quod apud Homerum ὁ *φάλος*. Cf. quae narrat Liv. 27, 33. — *rubra crista:* insigni igitur colore cristae et suis et hostibus conspicuus erat cf. 1, 468. 8, 620.

90. *ignipotens deus*, Vulcanus. — *ipse:* non Cyclopes, eius ministri, sed ipse summus artifex.

91. *Stygia unda:* „quasi immortalem fecerat.“ S. Aqua enim ad indurandum ferrum est, cf. 8, 450. G. 4, 172; quare Stygia aqua etiam durius reddi probabile.

92. *exin* cf. 7, 341. — *ingenti adnixa columnae:* hastae per columnam exprimitur magnitudo.“ S. cf. 3, 631. — *columna* rec. Rb ed. mai. 2 p. 302 idque esse testatur in *γb*. *columnae* in MRc, postea 1, p. 208 praefert *columnae*, quod sit in MR, *columna* in *γbc*; iterum 1, p. 336 retractat locum, *columnae* inesse dicit in *γbc*, *columna* in MR. Iam in ed. min. dedit *columnae*, quod ante eum vulgatum erat. Haec attuli, ne quis *Rbi* auctoritate defendat *columna*.

Aedibus adstabat validam vi corripit hastam,
Actoris Aurunci spolium, quassatque trementem,
Vociferans: Nunc, o nunquam frustrata vocatus
Hasta meos, nunc tempus adest; te maximus Actor,
Te Turni nunc dextra gerit. Da sternere corpus
Loricamque manu valida lacerare revolsam
Semiviri Phrygis et foedare in pulvere crines
Vibratos calido ferro myrrhaque madentes.
His agitur furiis; totoque ardentis ab ore
Scintillae absistunt, oculis micat acribus ignis.
Mugitus veluti quum prima in proelia taurus
Terrificos ciet atque irasci in cornua tentat,
Arboris obnixus trunco, ventosque lacessit
Ictibus aut sparsa ad pugnam proludit arena.
   Nec minus interea maternis saevus in armis
Aeneas acuit Martem et se suscitat ira,
Oblato gaudens componi foedere bellum.
Tum socios maestique metum solatur Iuli,

93. *adstabat* cf. 1, 152 et 3, 123.

94. *Actor* qui fuerit, incertum. — *Aurunci* cf. 7, 723. — *quassatque trementem* „quassat et tremere facit.“ S. cf. 4, 22.

95. *vocatus* „invocationes et preces“ S. Saepius enim rem inanimatam vel brutum alloquiotur, quasi rationem habeat cf. 10, 773. 860, ut Tell arcum. Ita ap. Val. Fl. 2, 512 Hercules: *patrem pelagique deos suaque arma precatus*; ita 3, 707 iuratur per hastam; et ap. Sil. 6, 138 hastae etiam libatur. — *Vocatus* pluralis substantivorum in *us* rari videntur esse, sed tamen sunt, ut Cato RR. 67 *factoribus det in singulos factus olei sextarios*. Ov. F. 1, 159 *tum patitur cultus ager*.

96. *te* Actor sc. *gessit* supplendum ex sequenti *gerit*. Ita G. 2, 1 *Hactenus arvorum cultus et sidera caeli* (cecini); *nunc te, Bacche, canam*. E. 9, 1 *Quo te, Moeri pedes?* (ducunt) *an quo via ducit, in urbem?*

97. *da sternere corpus* cf. 1, 66.

100. *vibratos calido ferro* „crispatos calamistro. Nam calamistrum est acus maior, quae calefacta et adhibita intorquet capillos. Unde etiam Cic. (pr. Sest. 8.) calamistratam comam appellat frequenter, quae etiam vituperationi est.“ S. Contra *incompti capilli* Hor. C. 1, 12, 41 in laudem dicti sunt. Neque his adversantur quae dicta sunt 10, 832, ubi capilli antiquo more compti memorantur. — *myrrha madentes* „unguentatos“ S. cf. 4, 216. *murra Rb.* — Probra iacit in hostem quasi ignavum, cuius valde timet fortitudinem.

102. *scintillae absistunt*, fortius quam absiliunt; nam constans significatur esse ardor. *Absiliunt* coni. *Rb.* 1, p. 359 et recepit in ed. min. — *Ignis* est irae cf. 7, 577. Ita ira 7, 448 flammea sunt lumina. Ov. M. 8, 466 *saepe suum fervens oculis dabat ira ruborem*. Val. Fl. 4, 135 *sanguineosque rotat furiis ardentibus orbes*. Irae vehementia proditur oculis. Cf. 6, 467. Lucr. 3, 290 *ex oculis micat acribus ardor*.

103. *prima in proelia* „ad ordiendum mox proelium, et infra v. 725“ *Fb.* Ut taurus ante tempus ferox est viresque suas profundit, quibus in certamine ipso uti posset; sic Turnus.

104. *irasci in cornua* cf. v. 71.

105. *obnixus* sc. cornibus; impetum facit in arborem. — *ventos lacessit ictibus*, ut gladiatores, ut pugnandi cupidinem ostentent, ante certamen initum gladio feriunt aerem, quod *ventilare* dicitur.

107. *saevus* „fortis, more suo (cf. 1, 99). Et ingentem moderationem dat Aeneae, quippe quem inducit laborantem, ut possit in iram moveri, quum Turnum ita dicat furere, ut nec Latini consiliis nec Amatae precibus possit obedire.“ S. — *maternis in armis*, quae a Venere accepit cf. 8, 613 sq. De *in* cf. 5, 37.

108. *Martem*, pugnandi cupiditatem; cf. 590.

109. Spectat ubique in bello belli finem, pacem, ob eamque bellum gerit.

110. *Metum solatur Iuli* pro: metuen-

Fata docens, regique iubet responsa Latino
Certa referre viros, et pacis dicere leges.
Postera vix summos spargebat lumine montes
Orta dies, quum primum alto se gurgite tollunt
Solis equi, lucemque elatis naribus efflant:
Campum ad certamen magnae sub moenibus urbis
Dimensi Rutulique viri Teucrique parabant
In medioque focos et dis communibus aras
Gramineas. Alii fontemque ignemque ferebant,
Velati limo et verbena tempora vincti.
Procedit legio Ausonidum, pilataque plenis

tem solatur Iulum, ex nota illa ratione, qua Latini substantivum pro adiectivo ponere malebant. Cf. 1, 422. — Ut metum solari dixit Vgl., sic Ov. F. 2,821 *hinc pater, hinc coniux lacrimas solantur.*

111. *fata docens*, quibus certe Aeneadis sedes in Latio erat promissa.

112. *viros*, qui legati ad eum venerant. Respondet Latino, vero regi, etiamsi Turnus legatos miserat. Eaque in responsione nulla est superbia aut insolentia. — *pacis leges* ut 11, 321 *foederis leges*; et *pacis dicere leges* ap. Liv. 34, 57 al., neque in hac formula quidquam est miri.

113—133. Apparatio certaminis.

113. Solis ortum pluribus describit, quod is dies est, quo bellum et fata viam invenient. — *spargebat* pro conspergebat cf. 5, 154.

114. *gurgite* Oceani.

115. *lucem efflant naribus.* Simile dictum iam memoratur Ennii et Lucilii et Ov. M. 2, 83 de solis equis: *Nec tibi quadrupedes animosos ignibus illis, quos in pectore habent, quos ore et naribus efflant, in promptu regere est.* Cf. quae de anhelitu dicta sunt 5. 739.

118. *dis communibus*, per quos utrique erant iuraturi. cf. 8, 275. Prop. 1, 11, 16 *Ut solet amoto labi custode puella perfida, communes nec meminisse deos:* quos amoris testes fecerant. Communes sunt dii duorum populorum, quos uterque colit. — *aras gramineas* „Romani enim moris erat cespitem arae superimponere, et ita sacrificare“ S. Hoc autem in loco exstruendae erant arae, quae facillime fiebant cespite congesto.

119. „Sane ad facienda foedera aqua et ignis adhibentur, contra quos arcere volumus a nostro consortio, eis aqua et igni interdicimus.“ S. Sunt enim res maxime communes, quas cui negamus omnem nos fugere societatem indicio est. — *fontem* cf. 2, 720.

120. *lino* MPRγbc; sic iam Serv. legebat, qui praeter alia haec annotat: „Atqui Fetiales et Paterpatratus, per quos bella vel foedera confirmabantur, nunquam utebantur vestibus lineis.“ Quo errore iam voluisse indicare Virgilium putat, non esse ratum factum illud foedus, quod iam in sacro aliquid esset peccatum. Sed hoc peccatum nimium est, et vittae de quibus hoc loco est sermo, semper laneae sunt. Addit Serv.: „Caper tamen et Hyginus h. l. dicunt lectionem esse corruptam, nam Virgilium ita reliquisse confirmant: *Velati limo.* Limus autem est vestis, qua ab umbilico usque ad pedes teguntur pudenda poparum, haec autem vestis habet in extremo sui purpuram limam i. e. flexuosam, unde et nomen accepit. Nam *limum* obliquum dicimus. Unde et Ter. (Eun. 3, 5. 53) sc. oculis *limis* i. e. obliquis.“ S. Et Tiro, Ciceronis libertus, ap. Gellium 12, 3 haec scripsit: „Licio transverso, quod limum appellatur, qui magistratibus praeministrabant cincti erant.“ et „*limo* duo Parisini teste Potterio“ *Rb.* et vulgatum in Edd. — *et verbena tempora vincti:* „*Verbena* proprie est herba sacra sumpta de loco sacro Capitolii, qua coronabantur Fetiales et Pater patratus foedera facturi vel bella indicturi. Abusive tamen verbenas iam vocamus omnes frondes sacratos, ut est laurus, oliva vel myrtus.“ S. Sic Plin. XII. 12, 3 in sacris legationibusque *verbenae* . . . Ac semper e legatis, quum ad hostes clarigatumque mitterentur, id est, res raptas clare repetitum, unus utique *verbenarius* vocabatur. Cf. quae narrat Liv. 1, 24 et 30, 43. Aliter ap. H. C. 1, 19, 14. 4, 11, 6. Medici etiam frondes salubres *verbenas* dixerunt Cels 2, 33.

121. *pilata agmina;* pilis instructa,

Agmina se fundunt portis. Hinc Troius omnis
Tyrrhenusque ruit variis exercitus armis,
Haud secus instructi ferro, quam si aspera Martis
Pugna vocet. Nec non mediis in milibus ipsi
Ductores auro volitant ostroque superbi,
Et genus Assaraci Mnestheus et fortis Asilas,
Et Messapus, equum domitor, Neptunia proles.
Utque dato signo spatia in sua quisque recessit:
Defigunt tellure hastas et scuta reclinant.
Tum studio effusae matres et vulgus inermum
Invalidique senes turres et tecta domorum
Obsedere; alii portis sublimibus adstant.
At Iuno e summo, qui nunc Albanus habetur, —
Tum neque nomen erat nec honos aut gloria monti —
Prospiciens tumulo campum adspectabat et ambas
Laurentum Troumque acies urbemque Latini.
Extemplo Turni sic est adfata sororem,
Diva deam, stagnis quae fluminibusque sonoris
Praesidet; hunc illi rex aetheris altus honorem
Iuppiter erepta pro virginitate sacravit:
Nympha, decus fluviorum, animo gratissima nostro,
Scis, ut de cunctis unam, quaecunque Latinae

ut *hastatus*, *clipeatus* exstat, ut *pilata cohors* legitur Mart. 10, 48, 2. Sed non est praetervidendus locus Servii: „Varro rerum humanarum libris duo genera agminum dicit. *Quadratum, quod immixtis etiam iumentis incedit, ut ubivis possit considere, Pilatum alterum, quod sine iumentis incedit, sed inter se densum est, quo facilius per iniquiora loca tramittatur.*" — Prior tamen explicatio h. l. praestat, quod etiam Troiano in exercitu arma memorantur; Latini eodem modo et Romano sc. pilis, Aeneae exercitus vario modo armatus est, quum in eo sint Troiani, Arcades, Etrusci, et moribus et armis diversissimi..

122. *plenis portis* sc. hominum. Sic Liv. 1, 14 *plenis portis effusi.*

126. *superbi* M. cf. 5, 268. — *decori* PRγbc, atque ita 5, 133, quare probabile ex illo loco huc illatum esse.

127. *Mnestheus* cf. 5, 194. — *Asilas* cf. 10, 175.

128. Idem v. 7, 691. 9, 523.

130. *tellure* MPγb1 rec. *Rb.* *telluri* Rb2c rec. *Wg.* Sic G. 2, 290 *terrae defigitur arbor* cf. 5, 451.

131. Spectandi cupiditate inducti senes, pueri, feminae *tecta domorum* murosque complent et portis adstant, de exitu anxii.

132. *et* Mb2c *ac* PRγb1 rec. *Rb.*

134 — 160. Iuno Iuturnam excitat ad opem Turno fratri ferendam.

134. *qui nunc Albanus habetur:* „Catonem sequitur, qui Albanum montem ab Alba longa putat dictum." S.

135. *nec honos aut gloria:* A triumphantibus in monte Albano sacra fiebant. — *Aut nec — nec — aut* cf. 3, 43.

136. *adspectabat:* Ex monte Albano optimus in agrum Latinum prospectus patere dicitur.

139. *Diva deam:* Sic Sil. 8, 206 *diva deae parere parat.* Ov. M. 5, 300 *miranti sic orsa deae dea.* 14, 12 *diva dei miserere precor.* Cf. 10, 735. — Ac vides *divam* esse quod *deam*, ut 5, 45 al. *divom* quod *deorum.* — „Iuturna fons est in Italia saluberrimus (cf. Varr. LL. 5, 71) iuxta Numicum fluvium. cf. 7, 150. De hoc autem fonte Romam ad omnia sacrificia aqua afferri consueverat. . . . Huic fonti . . . sacrificari solet, cui Lutatius Catulus primus templum in campo Martis fecit," S. ad Aquam Virgineam Ov. F. 1, 464. Romae aliquis *Iuturnae lacus* memoratur Flor. 2, 12, 15, qui erat in foro ad Castoris aedem.

141. Iuppiter amore ductus Iuturnam fontis fecit Nympham. Cf. Ov. F. 2, 585.

Magnanimi Iovis ingratum adscendere cubile,
Praetulerim, caelique libens in parte locarim;
Disce tuum, ne me incuses, Iuturna, dolorem:
Qua visa est fortuna pati, Parcaeque sinebant
Cedere res Latio, Turnum et tua moenia texi;
Nunc iuvenem imparibus video concurrere fatis,
Parcarumque dies et vis inimica propinquat.
Non pugnam adspicere hanc oculis, non foedera possum.
Tu, pro germano si quid praesentius audes,
Perge; decet. Forsan miseros meliora sequentur.
Vix ea, quum lacrimas oculis Iuturna profudit,
Terque quaterque manu pectus percussit honestum.
Non lacrimis hoc tempus, ait Saturnia Iuno;
Adcelera et fratrem, si quis modus, eripe morti;
Aut tu bella cie conceptumque excute foedus.
Auctor ego audendi. Sic exhortata reliquit
Incertam et tristi turbatam volnere mentis.
    Interea reges: ingenti mole Latinus
Quodriiugo vehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis sex radii fulgentia cingunt,

144. *ingratum cubile*, „quod gratiam eam castae non praesentat uxori Iuppiter.“ S. Alii accipiunt de Iunone malam gratiam Iovis pellicibus referente. Attamen quum Iuno ipsa loquatur, iniuriae acceptae, quam ultionis mentio aptior videtur esse. — Hanc unam non est persecuta Iuno, sed passa, ut inter deos reciperetur, quam gratiam magnam aestimat. *Pl.* coni. *Germani Iovis*.

145. *libens* MPRbc *lubens Rb*.

147. *qua* sc. ratione cf. 676. et qua ratione Parcae sinebant, i. e. quibus finibus et potestatis et temporis circumscripserunt meam in tutandis Latinis potentiam, texi Turnum. Itaque Iuno iam fatis se inferiorem confitetur.

149. *imparibus fatis* i. e. ipso maioribus, quae nequit superare.

151. *adspicere non possum*: „quia numina quotiens morituros viderint eos, quibus favent, ab his recedunt.“ S. cf. 841. 10, 473. Nimia moveor animi aegritudine.

152. *Tu*, quum ego veter. — *praesentius* „efficacius, vehementius“ S. Ita 245. 9, 404. Cic. Tusc. 1, 12, 28 *Hercules tantus et tam praesens habetur deus.* Inde etiam assumit infinitivum ap. Hor. C. 1, 35, 1 *O diva praesens imo tollere de gradu.* Cf. 4, 564. Sic *propius* est firmius 8, 79.

153. *perge*, age, fac, cf. 4, 113 *perge, sequar. decet*: „Nam decet germanam illicita etiam, pro fratris salute tentare“ S. Sed mihi non permittitur. — *m. m. s.*: fortasse continget vobis fata evitare.

155. *honestum*, cf. 1, 591. *Terque quaterque* mutat *Gt.* in *terque utraque.*

156. *Hoc tempus* est, quo loquimur. Itaque: *Nunc* lacrimis tempus non est. Quare nec *hic tempus*, quod coni. *Hs.* nec *nunc tempus*, quod *Pl.*, opus est. — *lacrimis* MPbc *lacrumis* dat *Rb.*

159. *Auctor ego* cf. Gr. §. 69. An.

160. *Incertam*, quia per *forsan* et quod addidit, *si quis modus* eripiendi est, consilium suum innuerat non ratum fore.

161—215. Latinus et Aeneas foedus iureiurando firmant.

161. *Interea reges*: Latinus, Turnus — Aeneas, Ascanius. Noli supplere *procedunt* cf. 11, 887. — *ingenti mole* „pompa, ambitu“ S. Claud. in Eutrop. 11, 101 *tanta sublimes mole redibant ceu vinctos traherent Medos Indumque bibissent.* Iam hic unus locus, cui addi posse videtur huius libri v. 575, ad firmandam sufficiet Servii explicationem, ut non cogamur accipere coniecturam *Pli*, qui, quum in Ml sit: *rex ingenti de mole L.*, coniecit: *Interea rex ingenti de more L. Q. v. c.;* praesertim quum, cur *ingenti quadriiugo curru* Latinus vehi dicatur, non docuerit, et Macrobius etiam 6, 6 pluralem *reges* ut Mss. omnes firmet.

163. Radiis distincta corona Caesari est decreta Flor. 4, 2, 91. — Quadrigae et corona insignia sunt regum cf. 8, 505.

Solis avi specimen; bigis it Turnus in albis,
Bina manu lato crispans hastilia ferro;
Hinc pater Aeneas, Romanae stirpis origo,
Sidereo flagrans clipeo et caelestibus armis,
Et iuxta Ascanius, magnae spes altera Romae,
Procedunt castris, puraque in veste sacerdos
Saetigeri fetum suis intonsamque bidentem
Attulit, admovitque pecus flagrantibus aris.
Illi ad surgentem conversi lumina solem
Dant fruges manibus salsas, et tempora ferro
Summa notant pecudum, paterisque altaria libant.
Tum pius Aeneas stricto sic ense precatur:
Esto nunc Sol testis et haec mihi Terra precanti
Quam propter tantos potui perferre labores,
Et Pater omnipotens et tu Saturnia coniunx,
Iam melior; iam, diva, precor; tuque inclute Mavors,
Cuncta tuo qui bella, pater, sub numine torques;

164. *Solis avi* cf. 7, 47. — *bigis in albis:* Albae bigae sunt, quibus equi albi iuncti sunt cf. 84 et 287.

165. Idem versus 1, 313.

167. *caelestibus armis*, a Vulcano factis, a Venere datis. *Sidereus* est clipeus, quod *ignes vomit* 10, 271.

168. *magnae spes altera Romae:* Prima est Aeneas. Haec de Virgilio exclamasse dicitur Cicero, quum eclogam sextam poetae in theatro recitari audisset, et in suam et in Virgilii laudem. Cf. Serv. ad Ecl. 6, 11.

169. *pura* „impolluta, qua festis diebus uti consueverant sacra celebraturi," S. corpore et vestibus puris purum animum indicantes. Festus Pauli: „Pura vestimenta sacerdotes ad sacrificium habebant, id est non obsita (cf. Lucan. 2, 367 *obsita funerea celatur purpura lana*), non fulgurita, non funesta, non maculam habentia."

170. *Saetigeri fetum suis*, porcum, quod maluit indicare, quam dicere. Cf. de hoc more Romano 8, 641. Contra libros *Ld.* scribit *saetigerae.* — De v. *bidens* cf. 8, 544. „Ovem Graeco more foederi adhibuit." S. cf. Hom. Il. 3, 246.

171. *Admovere pecus aris* sollemne cf. Lucan. 1, 608. Tac. An. 2, 69. Suet. Calig. 32. Quod alibi etiam *statuere ad aram* cf. 5, 237.

172. *surgentem solem:* „Non utique nunc Solem surgentem dixit, iamdudum enim dies erat, sed disciplinam cerimoniarum secutus est, ut Orientem spectare diceret eum, qui esset precaturus." S. Cf. 8, 68.

173. De more hostias sacrandi cf. 6, 245 et Serv.: „Far et sal, quibus rebus et cultri adspergebantur et victimae. Erant autem istae probationes, aptum utrum esset animal sacrificio. Obliquum etiam cultrum a fronte usque ad caudam ante immolationem ducere consueverant. Hoc est, quod dicit *et tempora ferro etc.*"

174. *pateris alt. lib.* cf. 1, 729.

176. *vocanti* PR iterum legitur v. 181; *precanti* M. Serv. Don., iterum legitur v. 175. Ab hac igitur parte aequo sunt iure, deinde etiam ab altera parte; nam et *vocare* et *precari deum* recte dicitur, precatur autem a deo, ut testis ipsi adsit; rec. *Wg. Ld. Rb.* — *Sol testis* cf. 4, 607.

177. Terram hanc, Italiam invocat, quam ut tandem adipisceretur, multa passus est. — *potui*, ut 7, 309.

178. *Saturnia coniunx* PRγb rec. *Rb.* S. *Iuno* Mc atque id praeter hunc locum ubique 3, 380. 5, 606. 9, 2. 745. 802. 10, 760. 12, 156. quod docet prius esse genuinum. *Pl.* praefert *IUNO* quum quis *IUNX* legisse videatur atque inde scripsisse *coniunx*! Et *Iuno* in M. expunctum est.

179. *melior:* Velis mihi esse propitior, quam adhuc fuisti. Cf. Pl. Capt. 5, 1, 19 *qui mihi melior quam sibi semper fuit. Pl.* pro *Diva* coni. *victa* (!), quod scriptum esset 3, 357 *Iunonem supera donis!*

180. *Torques* explicant *regis*, et recte, siquidem est flectis, moves. cf. 4, 269. — *Pater*, quod deus cf. 1, 155.

Fontesque, Fluviosque voco, quaeque Aetheris alti
Religio et quae caeruleo sunt numina ponto:
Cesserit Ausonio si fors victoria Turno,
Convenit Euandri victos discedere ad urbem;
Cedet Iulus agris nec post arma ulla rebelles
Aeneadae referent, ferrove haec regna lacessent.
Sin nostrum adnuerit nobis Victoria Martem —
Ut potius reor, et potius di numine firment —
Non ego nec Teucris Italos parere iubebo,
Nec mihi regna peto; paribus se legibus ambae
Invictae gentes aeterna in foedera mittant.
Sacra deosque dabo; socer arma Latinus habeto,
Imperium sollemne socer; mihi moenia Teucri
Constituent, urbique dabit Lavinia nomen.
Sic prior Aeneas; sequitur sic deinde Latinus,
Suspiciens caelum, tenditque ad sidera dextram:
Haec eadem, Aenea, Terram, Mare, Sidera, iuro,
Latonaeque genus duplex, Ianumque bifrontem,
Vimque deum infernam et duri sacraria Ditis;
Audiat haec Genitor, qui foedera fulmine sancit.
Tango aras: medios ignes et numina testor:
Nulla dies pacem hanc Italis; nec foedera rumpet,
Quo res cunque cadent; nec me vis ulla volentem

181. *Aether altus* h. l. deus habetur. Ad rem cf. Macr. 3, 4, 8 „Qui diligentius eruunt veritatem, Penates esse dixerunt, per quos penitus spiramus, per quos rationem animi possidemus: esse autem medium aethera Iovem, Iunonem vero imum aera cum terra, et Minervam summum aetheris cacumen.“

183. *Cedere* cf. 3, 297. — *fors* adv. cf. 11, 50.

187. *Aequo Marte* pugnare est ancipiti proelio ut 7, 540. *secundo Marte* est secundo proelio 10, 21. contra *adverso Marte*; itaque *noster* est *Mars*, si nobis favet proelii exitus. Cf. 2, 396 *haud numine nostro* et quae notissima sunt: *nostro tempore, loco.* etc. *Pl.* coni. *Sic nostro Victoria Marte.*

190. *paribus legibus* quid sit cf. 4, 520. — Vides Aeneam multo mitiores pacis ferre conditiones. Hoc vero loco et v. 821 sq. Vgl. complectitur rationem, qua Troiani et Aborigines in Latinos coaluisse putabantur.

191. *Se in foedera mittant* explica ex illis: *mittere in suffragium, in possessionem, in negotium.* — *invictae* „quasi invictae. Et bene sibi conciliat populum. Idem dicendo *mihi moenia* etc. popularem gratiam captat.“ S., etiam in eo, quod in *mittant* ne victor quidem imperat sed rogat.

197. *iurare* c. acc. cf. 6, 324.

198. *Latonae genus duplex:* Apollinem et Dianam. — *Ianumque bifrontem* „rite invocat, quia ipse faciendis foederibus praeest.“ S.

199. *vimque deum infernam*: Vis inferna diis est inferis. Noli tamen statuere hypallagen cf. 1, 169. — „*Sacrarium* proprie est locus in templo, in quo sacra reponuntur.“ S. Significatur Tartarus, in quo periuri poenas dant.

200. *Sancit fulmine*, quod fulmine punit periuros.

201. Arae semper tenentur a precantibus. cf. 4, 219. et iurantibus ut h. l. Sic Cic. Flacc. 36, 90 *Ergo is, cui si aram tenens iuraret, crederet nemo, per epistolam quod volet iniuratus probabit?* Plaut. Rud. 5, 2, 46 *Tange aram hanc Veneris — Per Venerem hanc iurandum est tibi.* — *medios* ignes „weil in der Mitte die Gluth am stärksten ist“ Ameis. Medii ignes sunt, qui nunc inter duas gentes sunt et utrique genti sunt.

203. Verba *nec me — solvat* eiecit *Pl.* probante *Rb.*, quod v. 202 et 206 possent inter se iungi. Recte sive mundus stet, sive pereat, hoc nihil ad regem, nihil ad fidem, nihil ad perfidiam monet pertinere; neque si tellus in undas effunderetur, caelum in Tartara solveretur, a quoquam Latinum amplius sollicitatum

Avertet; non, si tellurem effundat in undas,
Diluvio miscens, caelumque in Tartara solvat;
Ut sceptrum hoc — dextra sceptrum nam forte gerebat —
Nunquam fronde levi fundet virgulta neque umbras,
Quum semel in silvis, imo de stirpe recisum,
Matre caret posuitque comas et brachia ferro;
Olim arbos, nunc artificis manus aere decoro
Inclusit, patribusque dedit gestare Latinis.
Talibus inter se firmabant foedera dictis,
Conspectu in medio procerum. Tum rite sacratas
In flammam iugulant pecudes, et viscera vivis
Eripiunt, cumulantque oneratis lancibus aras.
At vero Rutulis impar ea pugna videri
Iamdudum et vario misceri pectora motu;
Tum magis, ut propius cernunt non viribus aequis.

iri, ut hanc pacem rumperet. Haec quamquam vera sunt, tamen nihil valent ad versus reiiciendos, quum Latini indolem reddant (cf. 1, 210), nec verba reprehendenda sunt, modo iungas: Nec me volentem, qui volo foedus ratum haberi, ulla vis avertet sc. ab hac mea voluntate.

204. *Tellurem effundere in undas* est tellurem fluidam faciendo in mare commutare; pro quo vocabulo v. 205 *solvere* ponitur.

206. Neque foedus frangam, ut sceptrum non revirescet. „Tenet sceptrum Latinus, non ut rex sed quasi pater patratus" S.

208. „Ideo genere usus est masculino, quia de arboribus loquitur; nam de hominibus genere feminino dicimus." Inde masculinum est 770. 781. G. 2, 379, femininum 1, 626. 7, 293. Ipse tamen Servius ab aliis suam regulam non servari docet, et, quod saepius videtur factum esse, singularem Virgilii usum communem omnium fecit legem. Alia vocabula quorum genus mutavit Vgl. cf. 5, 462.

209. Ferro desectae sunt comae (frondes) et brachia (rami); itaque *posuit comas ferro* i. e. ferrum caussa est, ut ponat. — Sic *mater* dicitur arbor G. 2, 19, ut *comae* et *brachia* arboris G. 2, 368. al.

210. Etiam in his haesit *Pl.* et sententiam minime aptam esse pronuntiavit, nec *patribus* pro *regibus* aptum esse voluit. At verba facit rex, cuius patres reges erant. Etiam quod sceptrum arbos dictum est, post ea, quae v. 209 dicta sunt, minime sollicitandum erat. — *aere decoro* explicat Serv. *orichalco*, de quo cf. 87. — Attende Latinum, a qua parte foedus violatur, multa facere verba de fide sua; Aeneam, qui servat, rem paucis absolvere. Sic, ut fit, Latinus malae fidei conscius, abripitur iurandi cupiditate; et quo minus ipse, qui et hoc certamen improbat et Aeneam iam antea fraudavit, dignum se esse fide intelligit, eo magis verbis eam firmandam putat.

213. *rite sacratas* cf. v. 173.

214. *in flammam iugulant pecudes.* Sic 11, 199.

215. *cumulant aras*: idem v. 8, 284.

216 — 310. Iuturna Latinos contra foedus movet.

216. *Videri* infinitivus in re describenda cf. 2, 132.

217. *iamdudum.* Nonnunquam vox ad duo verba (ut 3, 188) aut duo enuntiata pertinens, inter utrumque medium obtinet locum, et inter enuntiata etiam versu ineunte. Sic *iamdudum* 5, 27. *rursus* 6, 751. *semper* G. 1, 248. Tib. 3, 1 al. Sic nonnunquam plura verba interponi, vel totum enuntiatum reperitur, quod et ad priora et posteriora aeque pertinens medium locum obtinet; ut 2, 433 *si fata fuissent, ut caderem, meruisse manu.* Cic. Lael. 7 *Id si minus intelligitur, quanta vis amicitiae concordiaeque sit, ex dissensionibus atque discordiis percipi potest.* Cf. Gr. §. 513, 6.

218. Iamdudum Rutuli Turnum non parem esse Aeneae putaverant, sed quum prope inter se eos adstare *cernunt*, etiam magis intelligunt, praesertim quum ipse Turnus idem sentiens demisso vultu, fracto incessu, tabens et pallens prodeat. *non viribus aequis* „*eos congressuros* subaudis" S. At nimis multa iubet subaudiri. Alii *cernunt* pro certant, pugnant (cf. v. 709) accipiunt, et subiectum

Adiuvat incessu tacito progressus et aram
Suppliciter venerans demisso lumine Turnus,
Tabentesque genae et iuvenali in corpore pallor.
Quem simul ac Iuturna soror crebrescere vidit
Sermonem et volgi variare labantia corda:
In medias acies, formam adsimulata Camerti, —
Cui genus a proavis ingens, clarumque paternae
Nomen erat virtutis, et ipse acerrimus armis —
In medias dat sese acies, haud nescia rerum,
Rumoresque serit varios, ac talia fatur:
Non pudet, o Rutuli, pro cunctis talibus unam
Obiectare animam? numerone an viribus aequi
Non sumus? En, omnes et Troes et Arcades hi sunt,

eius esse volunt *Turnus et Aeneas*, non *Rutuli*. Neque tamen iam certant. Alii *viribus aequis* trahendum censent ad *pugna*: eam iniquam, imparem esse Rutulos intelligere, quum propius cernant duos bellatores. At idem esset, quod v. 216 *impar ea pugna*. His tricis facillime exsolvi videntur ii, qui versum et sententiam imperfectam et *non viribus aequis* ex locis aliis (cf. 5, 809. 10, 357. 431) ab alio intrusum esse dixerunt. Sic *Pl*. Contra *Rb*. „sententiam non ad finem perductam esse" putat. Restat tamen eadem difficultas; nam si quis et sententiam et versum explere in animo habebat, cur non dixit *non viribus aequos* aut *aequam* aut *aequum*, ut certe quid vellet intelligeremus. Eius certe qui complebat erat aperte loqui, praesertim quum tam facile posset. Ceterum si *Wg*., „qui legit," inquit, „velim meminerit, in re plana, ut haec est, non raro veteres scriptores minus curare, quo modo, quam ut aliquo modo id, quod senserint, expressum sit;" haec non sunt rationes explicantis verba, sed peccata confitentis. Alii modo supplent *eos*, ad quod adiectivi loco appositum sit *viribus aequis*; ad idemque videtur tendisse Servius. Ablativum substantivi cum adiectivo iuncti sustinere vices adiectivi satis constat cf. 9, 50 et Gr. §. 331. Id modo offendit, quod id, ad quod adiectiva descriptio pertinet, supplendum est. Et sane durum est hoc; sed si Ovidius statim ab initio carminis sui praepositione cum substantivo ita usus est, ut substantivum non adderet, Met. 1, 19 *Frigida pugnabant calidis, humentia siccis, mollia cum duris, sine pondere* (i. e. pondere carentibus) *habentia pondus* et adverbialem illam dictionem vel pro casu obliquo esse vellet (cf. Gr. §. 472, 3), si scriptor Suetonius (Aug. 80 *Corpore traditur maculoso*) ablativo illo vel pro praedicato usus est: quid, nonne licet certe sumi, etiam Virgilium eadem licentia aliquando usum fuisse, praesertim in eo libro, qui minime est perfectus in singulis?

219. *adiuvat progressus Turnus* i. e. quod progreditur Turnus. Participium enim cum substantivo suo in unam notionem coalescit, neque quidquam praedicatur de substantivo omnino, sed tantum de eo, quatenus est definitum participio. Cf. 8, 132 et Gr. §. 446. An. 4. — *Incessus tacitus* est eius, qui non fortiter sed timidus incedit, neque vim videtur habere pedibus terram pulsandi; neque quidquam proloqui audet. „*Schr*. eleganter (!) emendavit *incessu tardo*" *Pl*. — Humanam naturam recte observasse dicendus est Vgl., quod eum, qui ante periculum furore suo omnia quasi comburere videbatur (cf. 81), post aliquod tempus praesenti iam periculo animum fingit amittere.

221. *Tabentes* c. — *pubentes* MPR. — *pallentes*, *rŭbentes*, *labentes* proponitur. Primum optimum, quum signet colorem, qui ad mortem ductis esse soleat.

224. Camers aliquis iam occisus est 10, 562. Itaque alium sibi finxit Camertem; non notanda est negligentia aliqua poetae, quod factum est a quibusdam.

225. „Cuius auctoritatem commendabat et origo maiorum et paterna virtus et propria fortitudo." S.

227. *haud nescia rerum* del. *Pl*. *Rb*. „inane" dicit „hemistichii supplementum." Non est, nam omnes alii nescii sunt rerum, i. e. nesciunt quid vere fiat et agatur, una scit Iuturna.

Fatalesque manus, infensa Etruria Turno.
Vix hostem alterni, si congrediamur, habemus.
Ille quidem ad superos, quorum se devovet aris,
Succedet fama, vivusque per ora feretur;
Nos, patria amissa, dominis parere superbis
Cogemur, qui nunc lenti consedimus arvis.
Talibus incensa est iuvenum sententia dictis
Iam magis atque magis, serpitque per agmina murmur;
Ipsi Laurentes mutati, ipsique Latini.
Qui sibi iam requiem pugnae rebusque salutem
Sperabant, nunc arma volunt, foedusque precantur
Infectum et Turni sortem miserantur iniquam.
His aliud maius Iuturna adiungit, et alto
Dat signum caelo, quo non praesentius ullum
Turbavit mentes Italas monstroque fefellit.

232. *fatalisque manus* Pyc. *fatalesque manus* MRb. Si *fatalis* explicas „exitio destinata", est versus sententia haec: Hi omnes sunt Tusci, qui Turno infensi sunt, fatis iam debiti. Melior etiam, si esset, quod nostrum *das verfluchte Volk*. Ut Dem. ctr. Aristocr. 691, 5 *καὶ Μεγαρέας τουτουσὶ, τοὺς καταράτους*. Eius tamen significationis exempla non potui reperire. Si *Ld.* explicat *fatalis manus*, quae fato contra nos ducta est, non potuit Iuturna afferre caussam rei suae magis adversantem. Serv. „*f. m.;* Troianorum scilicet, qui fataliter ad Italiam venerant, ut sit iteratio." Potius dixerit: qui se fatis ad Italiam venisse gloriati erant. Sed eius iterationis caussa non est, et verba ita iuncta sunt, ut *f. m.* ad *Etruria* pertineat — Post haec superest, ut me versum explicare non posse confitear, neque possum post varias explicationes, quas novissime congessit *Fb.* At non possum ab alio putare illatum, antequam demonstratum fuerit, qua re alius quis potuerit induci, ut Etruscos diceret manum fatalem, et cur Vgl. h. l. Etruscos omiserit, quum ceteros nominasset. Ii enim non minus hostes erant, neque lentos eos pugnam cum Troianis ineundam spectaturos fore probabile erat, neque lenti postea spectaverunt. Omne auxilium in libris positum est. Tuscos autem magis timet, ne fraude agant Turnumque subito aggrediantur, quod latet in *infensa*. Versum delet *Pl.* — *Etruria* pro Etruscis cf. 2, 193.

233. *alterni*, Med. — *hostem, alterni* vulg. Vel altera parte superamus hostium numerum. Haec irati hostis verba laudem continent fortitudinis Troianae.

234. *se devovet aris* cf. 129 et 11, 442, ubi idem de se ipso Turnus. Ita Hector ap. nostrum: *Kämpfend für den heil'gen Heerd der Götter fall' ich* etc. Itaque hic, qui devovet animam suam pro patria et patriis diis, quos Aeneas remoturus est cf. 192; ingentem ex eo facto laudem feret. Pugnat enim pro aris et focis solus, pro quibus quemvis mortem oppetere ius et fas est. — *ad superos succedet fama* virtutis: heros coletur cf. 6, 130.

235. *vivus per ora feretur.* Simile Ennianum „*volito vivus per ora virum.*" et Virgilii G. 3, 8 *Tentanda via est, qua me quoque possim tollere humo victorque virum volitare per ora.* Et quem referent Musae, *vivet*, dum robora tellus, dum caelum stellas, dum vehet amnis aquas Tib. 1, 4, 65. Sic etiam Turnus inter homines vivet.

237. *lenti* cf. Ecl. 1, 4 *Tu Tityre lentus in umbra.* Nos qui ignavi pugnam spectamus, mox serviemus, quum strenue pugnando victores evadere possimus.

240. *Ipsi Laurentes*, qui ut rex Latinus bellum finiri voluerant.

241. Laurentibus salus certa est, sive Aeneas sive Turnus vincit, si modo foedus servatur bellumque finitur.

243. *Precantur infectum*, nondum factum, ut nondum factum sit. Sic verba voluntatis participium assumunt. cf. Gr. §. 430. — Sors iniqua est Turni, quod aliorum culpa periturus est, non sua.

245. *praesentius* cf. v. 152.

246. *monstro*, ostento fefellit. — Quod Iuturna in caelo tale prodigium dare potest in regno alieno, non videtur multos movisse, neque quisquam similia attulit. Sane monendum est hoc, neque

Namque volans rubra fulvus Iovis ales in aethra
Litoreas agitabat aves turbamque sonantem
Agminis aligeri: subito quum lapsus ad undas
Cycnum excellentem pedibus rapit improbus uncis.
Arrexere animos Itali, cunctaeque volucres
Convertunt clamore fugam — mirabile visu
Aetheraque obscurant pennis, hostemque per auras
Facta nube premunt donec vi victus et ipso
Pondere defecit praedamque ex unguibus ales
Proiecit fluvio, penitusque in nubila fugit.
Tum vero augurium Rutuli clamore salutant,
Expediuntque manus; primusque Tolumnius augur,
Hoc erat, hoc, votis, inquit, quod saepe petivi.
Accipio adgnoscoque deos; me, me duce ferrum
Corripite, o miseri, quos improbus advena bello
Territat invalidas ut aves et litora vestra
Vi populat. Petet ille fugam penitusque profundo

tamen pro *Iuturna* scribendum *Saturnia* (Ut *Pl.* coni. *Hic a. m. Saturnia iungit.*), sed Saturniam ut in suo regno tale quid moliretur Iuturnae dicemus concessisse. *Maius* autem est hoc, quam prius, quod falso suo ostento deorum minuit fidem et auctoritatem.

247. *aethra* cf. 3, 585. — *Ales* masc. signat aquilam, ut est aquila *armiger* Iovis et *minister* fulminis Hor. C. 4, 4, 1. Retinet tamen genus femininum alibi, ut A. 1, 394. Ov. M. 4, 362, ubi idem *ales* est de aquila. Cf. 4, 462. Gr. §. 77 An. 3. De bello cycni et aquilae cf. 1, 394.

250. *Cycnum excellentem*, significatur Turnus. — *Improbus* de quavis bestia voraci et nocenti dicitur. cf. 10, 727.

252. *convertunt fugam* i. e. a fuga revertentes „cum clamore redeunt." S. Ita 5, 582 *convertere viam*. *Clamore* autem fit conversio, ut recte ponatur abl.

254. *facta nube* i. e. conglobatae impetum faciunt, qua incursione coacta aquila est mittere avem.

256. *Penitus* videtur cum *penetrare*, *penus*, *Penates* eiusdem esse radicis et ad lucum refertur; sic *penitus diversa* cf. 9, 1. Sic *penitus rescindere* v. 390 et *penitus reposti* 6, 59, ut nos *tief in Indien*; et 1, 200 ex sententia satius est a Servio recedere et *penitus* iungere cum *accestis*, et 11, 623 iungere *penitus* non cum *datis*, sed cum *referuntur*. Cf. E. 1, 67 *toto penitus divisos orbe Britannos*. Sic Ov. M. 2, 179 *terras penitus penitusque iacentes despexit*; 753 *tanto penitus traxit suspiria motu*.

257. *salutant* „venerantur," S. cum acclamatione omen accipiunt. Sil. 2, 411 *omen clamore salutant*. *Deos salutare* pro venerari dixit Plaut. Curc. 3, 1, 19. Ter. Phorm. 2, 1, 81, quos locos iam Serv. excitavit, alii. Cf. illud *salve* in precationibus 5, 80. Rutuli autem, Turni milites, ubique sunt auctores Latinis et sociis.

258. *expediuntque manus:* „dimicare se velle significant. Haec enim est consensio militaris. Lucan. (1, 387) *Elatasque alte, quaecunque ad bella vocaret, promisere manus*." S.

259. Saepe aliquod omen de exitu huius belli *votis petiit;* quod iam sibi oblatum putat, et explicat in suam rem, et ita accurate, ut Servianam illam explicationem 2, 693 ex Virgilii mente factam putemus. Non audeo *saepe* explicare per *valde*, *magnopere*.

260. *accipio* sc. omen, formula sollemni. Ita simplex *accipio* supplenda voce *omen* Ov. M. 7, 620, siquidem loco est opus. — Neque in *agnosco deos*, neque ex *hoc erat*, *hoc quod etc.* consequitur id illum sibi omen petivisse, sed tamen omen aliquod certum.

261. *Miseros* habet, quod non armis a se servitutem propellunt, quum possint.

262. *quos territat et litora populat*. Cf. 944.

263. *populat* „antique, nam veteres et *populo* et *populor* dicebant." S. Sic 4, 403. 1, 527 G. 1, 185 et passivum *populari* et *depopulari* Liv. 3, 6. — *Profundo vela dare* singulare est, similia 3, 9.

Vela dabit. Vos unanimi densete catervas,
Et regem vobis pugna defendite raptum.
Dixit, et adversos telum contorsit in hostes
Procurrens; sonitum dat stridula cornus, et auras
Certa secat. Simul hoc, simul ingens clamor, et omnes
Turbati cunei, calefactaque corda tumultu.
Hasta volans, ut forte novem pulcherrima fratrum
Corpora constiterant contra, quos fida crearat
Una tot Arcadio coniunx Tyrrhena Gylippo;
Horum unum ad medium, teritur qua sutilis alvo
Balteus et laterum iuncturas fibula mordet,
Egregium forma iuvenem et fulgentibus armis
Transadigit costas, fulvaque effundit arena.
At fratres, animosa phalanx accensaque luctu,
Pars gladios stringunt manibus, pars missile ferrum
Corripiunt, caecique ruunt. Quos agmina contra
Procurrunt Laurentum. Hic densi rursus inundant
Troes Agyllinique et pictis Arcades armis.
Sic omnes amor unus habet decernere ferro.
Diripuere aras; it toto turbida caelo
Tempestas telorum ac ferreus ingruit imber;

264. *densete* cf. 7, 794.

267. *Procurrit*, ut iaciat, simulque conspicitur ab omnibus.

268. *certa hasta* cf. 4, 564. — *simul — simul* cf. 1, 144. — Clamor maxime indignantium.

269. *Cunei* dictum h. l. de ordinibus peditum cf. 5, 664. Cuneus militum qui fit in acie, ut perrumpat hostes, memoratur v. 575.

272. *horum unum*, cui appositum est *iuvenem* v. 275.

273. *ad medium* M2 al. „absolute i. e. ubi alvo teritur balteus.“ S. *Medium* est substantivum ut 7, 59. 227. 563 al. *ad mediam* Mc quod firmatur libris non bonis, in quibus *ad mediam . . . alvum* legitur. Structura *ad mediam*, *qua* teritur *alvo* et alibi reperitur cf. G. 3, 387 *illum autem, quamvis aries sit candidus ipse, reiicies.* Adde 8, 168. — *ad medium*, *qua — alvo* cf. 5, 609. — *teritur:* „Omnia enim quibus utimur, non nos terunt, sed ea nos terimus.“ S. *alvo* Mss. et S. — *auro* M. rec. *Ld.* At locus vulneris describendus erat.

274. Laterum iuncturae esse videntur orae baltei, quas fibula mordet. Sed si Silium sequimur, intelligemus iuncturas loricae, qua ea coit fibulis iuncta. Is enim 7, 624 habet haec: *qua fibula morsus loricae crebro lassata resolverat ictu, accepit lateri ferrum.* Itaque latus significatur, quo balteus fibulam loricae partes nectentem tegit. — *fibula mordet.* Cf. Ov. M. 8, 318 *Rasilis huic summam mordebat fibula vestem.* Claud. de Pr. et Ol. C. 88 *laxumque coercens mordet gemma sinum.*

275. *iuvenem transadigit costas:* Additur eodem casu ad explicandum obiectum aliud vocabulum, quod qua parte imprimis obiectum tangitur indicat. Ita 10, 698 *Latagum os occupat* et 5, 172 *Exarsit iuveni dolor ossibus.*

277. *fratres — pars — pars* cf. 11, 887. „Bene a numero, a germanitate, a nobilitate, a forma, ab aetate, a vulneris genere, ab ipsius laude, a genere mortis incitatio nata.“ S. Idque bene composuit, quod talem fecit necari, cuius proxime aderant ultores.

279. *caeci* „salutis improvidi“ S. cf. 2, 335.

280. *inundant* „more undae fluunt“ S. et complent cf. Iustin. 38, 4 *Cimbros more procellae inundasse Italiam.*

381. *Agyllinique*, Caeretani, ut qui Tuscis erant belli auctores pro omnibus Tuscis. De Agylla cf. 8, 479. — *pictis Arcades armis* cf. 8, 588.

283. *diripiunt aras*, vel impedituri sacrum vel ex aris tela capturi. *Pl.* coni. *D. a.; i. t. torrida c. t., t. a. f. i. i.*

284. *It tempestas telorum* cf. 9, 417. — *ferreus imber.* Iam Ennius dixit: *fit ferreus imber.* Cf. v. 654.

Craterasque focosque ferunt. Fugit ipse Latinus
Pulsatos referens infecto foedere divos.
Infrenant alii currus, aut corpora saltu
Subiiciunt in equos, et strictis ensibus adsunt.
Messapus regem regisque insigne gerentem
Tyrrhenum Aulesten, avidus confundere foedus,
Adverso proterret equo; ruit ille recedens,
Et miser oppositis a tergo involvitur aris
In caput inque humeros. At fervidus advolat hasta
Messapus, teloque orantem multa trabali

285. *Crateras focosque ferunt.* Quivis quod proxime adstat arripit, et ita armatus pugnam ciet. — *fugit ipse Latinus:* Tanta est omnium perturbatio, tantus ardor pugnandi, ut ne rex quidem a furore suorum tutus sit, ne deorum quidem simulacra possint defendi. Liv. 1, 9 *Turbato per metum ludicro profugiunt incusantes violati hospitii foedus, deumque invocantes.*

286. *pulsatos* „violatos, laesos fractis foederibus." S. Dii qui pacem volebant constituere, subito pugnantium furore quasi repelluntur et fugere coguntur. Ita 1, 68 *victi penates.* Latinus autem ipsa simulacra videtur attulisse, ut foederi interessent. *Pl.* emendat *Polluto testans violatos foedere divos* vel (!) *Pollutos testans confuso foedere divos.*

287. *Infrenant currus,* sc. equis iunctos cf. v. 350; ita 7, 163 *domitantque in litore currus* et G. 1, 514 *neque audit currus habenas.* Claud. de Cons. Mall. Theod. 187 *aurigae non audit verbera currus.* Maxime notandus G. 3, 268 *Glauci Potniades malis membra absumsere quadrigae.* Nonnunquam etiam equis tribuitur, quod propius ad currum pertinet, ut v. 736 *iunctos conscendebat equos.* — Curribus certatum esse bello Troiano Homerus narraverat. Itaque Virgilius in illo tempore describendo currus memorat Achillis 1, 468. 10, 581. Hectoris 1, 486. Troili 1, 476. Idaei 6, 485. antiquorum Troianorum 6, 651. et dei Martis 8, 433. — Sed Italorum etiam currus Virgilius memoravit, quorum quum in proelio apud Romanos usus non fuerit, ex Homeri eos imitatione ad alias gentes transtulisse facile quis ut putet adducetur. At Virgilium non temere sequi Homeri vestigia, sed Romanum semper morem observasse, iam saepius dictum est. Neque temere hac eum in re versatum esse docet, quod quum currus attribueret et Latinorum maioribus 7, 163 et populis ab illis superatis 7, 184 et Turno 10, 440. 12, 327. 329. 355. 370. 372. 478. 485. 511. 664. 681. 918. (bigae 12, 164) eiusque sociis 9, 12. 317, ut Aventino 7, 655. Haleso 7. 724. Virbio 7, 782. Rhoeteo 10, 399. Niphaeo 10, 571. Lucago 10, 575, eos nec Troianis dedit neque iis, qui eorum in auxilio erant. Nam qui Pallantis dicitur currus 11, 88, is est ereptus Rutulis. De curruum apud Romanos usu quae huc pertineant, pauca tantum proferre possumus. Quadrigae erant in regis Tulli exercitu cf. 8, 642; postea qui triumphabant quadrigis invehebantur; et qui erat quadrigarum in ludis usus sine dubio antiquitus spectabat ad belli exercitationem. Sic quadrigis certabant Vetentes cf. Plut. Publ. 13. Pl. XII. 8. 65. Festus s. v. *Ratumena,* et Romani in circo Dion. 7, 72.; et quadriga fictilis erat inter septem pignora imperii, quae in Servianis memorantur ad 7, 188. Sunt ea: „Acus matris deum, quadriga fictilis Veiorum, cineres Orestis (!), sceptrum Priami, velum Iliones, Palladium, ancilia."

288. *subiiciunt in equos,* „sursum iaciunt." Non. p. 387. Ita Ecl. 10, 74. G. 3, 241. 4, 385 *Ter flamma ad summum tecti subiecta reluxit.* Cf. *suspicere* 1, 438. *subvolvere* 1, 424. Stapiis autem Romani non utebantur. — Aut curribus aut equis aut pedibus in certamen procurrunt. — *regisque insigne gerentem,* ut erroris non esset excusatio. — *adsunt* sind gleich bei der Hand.

290. *Aulestes* cf. 10, 207. est Lar vel Lucumo, inde rex dicitur. Talem autem aggreditur Messapus, ne principe caeso iterum coeant foedera; hinc dicitur *avidus confundere foedus.* — *avidus* cum inf. Sil. 8, 619. 12. 350. 16. 178. cf. 4, 564. Servius et *avidum* et *avidus* legit, et recte *avidum* improbavit. — *confundere foedus,* ita 5, 496.

292. *involvitur* cf. 1, 116 *pronusque magister volvitur in caput.*

294. „Ennius: *teloque trabali.*" S. cf. 888.

Desuper altus equo graviter ferit, atque ita fatur:
Hoc habet; haec melior magnis data victima divis.
Concurrunt Itali, spoliantque calentia membra.
Obvius ambustum torrem Corynaeus ab ara
Corripit, et venienti Ebuso plagamque ferenti
Occupat os flammis. Olli ingens barba reluxit,
Nidoremque ambusta dedit. Super ipse secutus
Caesariem laeva turbati corripit hostis,
Impressoque genu nitens terrae adplicat ipsum:
Sic rigido latus ense ferit. Podalirius Alsum
Pastorem primaque acie per tela ruentem
Ense sequens nudo superimminet: ille securi
Adversi frontem mediam mentumque reducta
Disiicit, et sparso late rigat arma cruore.
Olli dura quies oculos et ferreus urguet
Somnus; in aeternam clauduntur lumina noctem.
At pius Aeneas dextram tendebat inermem
Nudato capite atque suos clamore vocabat:
Quo ruitis? quaeve ista repens discordia surgit?
O cohibete iras! ictum iam foedus, et omnes
Compositae leges; mihi ius concurrere soli;

296. *Hoc habet:* „i. e. letali percussus est vulnere" S. et est formula gladiatorum. Insultantis est hoc loco, ut verba sequentia. — *Haec melior* etc. idem dictum 5, 483. Hostem potius caedam quam hostiam.

297. Itaque caedes et spoliatio in ipsis aris facta.

300. *reluxit* „bene ad brevitatem ignis retulit." S. sc. perfecti formam. — *occupat os.* Ebusi, antequam is posset gladio ferire. In *occupare* inest praeveniendi notio, si non est prius capere quam alius capit, tamen est prius capere, quam alius quid facit. Cf. 10, 699.

301. *nidorem* „putorem" S.

303. *ipsum.* Pronomine *ipse* totum parti alicui opponitur. Sic 7, 816. G. 2, 297. 4, 274.

304: *sic*: tali modo; id quum fecisset. Ita *sic* post perticipium 1, 225. — *rigidus*, cf. G. 1, 508 *Et curvae rigidum falces formantur in ensem.* Adde 10, 346. — Alsus in Podalirii caput, qui iam a tergo ense premebat, retro versus securim adegit.

305. *ruentem* „magno impetu se inferentem," ut v. 535. 9, 727. 11, 886. al. *Pl.* coni. *intrepidum* pro *pastorem.*

307. *reductam* i. e. reducta manu adactam.

309. 10. Iidem versus 10, 745. 46. *clauduntur* MR rec. *Wg. Ld.* — *conduntur* P. rec. *Rb.*

311—323. Aeneas pacem restituens vulneratur.

311. Aeneas sacro intentus, quum tumultum moveri sentiret, ut erat, sine telo, sine armis, nudato etiam capite in medios irruit eosque placare studet; sed in tumultu ipse vulneratur. — *Pius* est, quod ius iurandum servat. Itaque epitheto Vgl., ut ubique, indicat, quid quis facturus sit.

312. *nudato capite:* In sacris enim, quum iuraret, galeam non gerebat, neque armatus erat. Atque tantopere cupit tumultum compescere, ut suae salutis oblivisceretur. — Nescit autem, ab hostibus ortam esse caedem suosque studet a pugnando retinere; siquidem Latinus et Turnus manent in officio. Eo in labore dum est, ab iis vulneratur, a quibus vult arma retineri. Contra si *suos* illo modo dictum accipis quo „utrumque exercitum iam suum vocabat" S. aut *viros* substituis cum *Plo*, Aeneas Latinos appellando quasi suos arrogantiae et superbiae insigne documentum exhiberet, et iure aliquis ex hostibus tantopere irasceretur, ut eum cuperet necare. Obest etiam v. 317; quomodo enim verba *T. d. h. i. m. s.* Rutulos a certamine poterant retinere? Sed metuit, ne quis alius Troianorum Turnum interficiat.

313. *Repens* cum *surgit* iungas.

Me sinite, atque auferte metus. Ego foedera faxo
Firma manu: Turnum debent haec iam mihi sacra.
Has inter voces, media inter talia verba,
Ecce, viro stridens alis adlapsa sagitta est,
Incertum, qua pulsa manu, quo turbine adacta,
Quis tantam Rutulis laudem, casusne deusne,
Attulerit; pressa est insignis gloria facti,
Nec sese Aeneae iactavit volnere quisquam.
Turnus, ut Aenean cedentem ex agmine vidit
Turbatosque duces, subita spe fervidus ardet;
Poscit equos atque arma simul saltuque superbus
Emicat in currum et manibus molitur habenas.
Multa virum volitans dat fortia corpora leto,
Semineces volvit multos, aut agmina curru
Proterit, aut raptas fugientibus ingerit hastas.
Qualis apud gelidi quum flumina concitus Hebri
Sanguineus Mavors clipeo increpat, atque furentes
Bella movens immittit equos: illi aequore aperto

316. *faxo.* De fut. exacto cf. 6, 89.

318. De iunctis verbis *media inter talia verba* cf. 4, 663.

319. *viro*, i. e. ei ut 6, 615. *Pl.* pro *viro* coni. *humero!* Male, nam vulnus tardat euntem. — *alis adlapsa* ut 9, 578.

320. *Incertum etc.* Iuturnam caussam fuisse, ut sagitta in Aeneam ferretur, sciunt dii v. 815. Sed neque id notum erat Troianis, nec a quo homine missa esset.

321. *casusne deusne* cf. 1, 308.

322. Insignis facti suppressa est gloria silentio.

324 — 382. Turnus et ipse foedere rupto in arma ruit.

324. Turnus, remoto Aenea et turbatis ex eius vulnere Troianorum ducibus, tam vehementi in hostes fertur impetu, ut ipsa celeritate omnes proturbet. Sed probabile est talem non posse diu vigere pugnandi ardorem.

325. *spe fervidus.* Cf. Soph. Ai. 478 ὅστις κεναῖσιν ἐλπίσιν θερμαίνεται. Sperabat autem Aeneam vulnere aut statim periturum esse, aut diu a proelio impeditum iri.

327. *manibus molitur habenas.* Tanta est alacritas Turni, ut et pugnatoris et aurigae simul officia capessat. Male culpatus est poeta, quod hic versus a versu 469 abhorreat, ubi Metiscus auriga in curru esse dicitur. Tam sui immemor est ne negligentissimus quidem scriptor. Quid enim, currus et equi ubi erant? nonne mandati curae Metisci? Quomodo is, regis auriga, ita oblitus esset officii sui, ut equos relinqueret, et errare sineret quo vellent? Non putavit poeta opus esse, ut moneret, quod quivis equarius sciret. Unde habuit ensem Metisci v. 737, nisi erat Metiscus in bigis Turni? Desilit de curru suo Turnus v. 355, quod non poterat facere, nisi alius equos per id tempus cohibebat. — *emicat* cf. 5, 319.

330. *raptas hastas*, celeriter arreptas. Neque otiosum est; indicat enim quum simul equos flecteret, simul hastas iaceret, summa celeritate fuisse opus, quae subest verbo *rapere.* Sic *rapere hastas* alibi cf. 11, 651. *Pl.* coni. *rapidas.*

331. Summa laus et terribilitas Turni, qui cum Marte comparetur. — Hebrus Thraciae fluvius cf. 1, 317. — Mars autem imprimis in Thracia cultus cf. 3, 35.

332. *sanguineus*, αἱμοχαρής, ita *Mars sanguineus* Ov. RA. 153. Propria tamen vis est: sanguine pollutus. — *increpat* Pγb Serv. rec. *Rb. Wg.* *Increpare* est clipeo, gladio vel hasta concussa signum dare proelii ineundi; crepitus autem etiam alibi sonitum signat armorum. — *intonat* MR rec. *Ld.;* et id bonum, quamquam hoc ad sonum ingentem, illud ad pugnae exhortationem pertinet.

333. *immittit equos*, si habenas immittit. Sic 5, 146. — *illi* et quae sequuntur, comparationi iniecta sunt ad maiorem ornatum, ut 1, 499, — *aequore aperto*, plano campo cf. 1, 394.

Ante Notos Zephyrumque volant; gemit ultima pulsu
Thraca pedum, circumque atrae Formidinis ora,
Iraeque, Insidiaeque, dei comitatus, aguntur:
Talis equos alacer media inter proelia Turnus
Fumantes sudore quatit, miserabile caesis
Hostibus insultans; spargit rapida ungula rores
Sanguineos, mixtaque cruor calcatur arena.
Iamque neci Sthenelumque dedit Thamyrumque Pholumque,
Hunc congressus et hunc, illum eminus; eminus ambo
Imbrasidas, Glaucum atque Laden, quos Imbrasus ipse
Nutrierat Lycia, paribusque ornaverat armis,
Vel conferre manum, vel equo praevertere ventos.
Parte alia media Eumedes in proelia fertur,
Antiqui proles bello praeclara Dolonis,
Nomine avum referens, animo manibusque parentem,
Qui quondam, castra ut Danaum speculator adiret,
Ausus Pelidae pretium sibi poscere currus:
Illum Tydides alio pro talibus ausis
Adfecit pretio, nec equis adspirat Achillis.
Hunc procul ut campo Turnus prospexit aperto,

334. Ventos superare celeritate saepe, cf. 1, 317. Ac ventorum Notus et Zephyrus sunt rapidissimi. — *ultima* „hoc est tota, si enim gemit ultima, omnis sine dubio. *Thraca* autem i. e. Thracia. Cicero in de Rep.: *Colonia vero quae est deducta a Graecis in Asiam, Thracam, Italiam*, et non dixit *Thraciam*" S. Θράκη. *Thraca* legimus ap. Hor. Ep. 1, 3, 3. *Thracam* 1, 16, 13. *Thracen* ap. Lucr. 5, 30. Ov. F. 5, 257.

335. *circumque currum aguntur ora Formidinis* i. e. Formido cf. 4, 132. — *ater* cf. 9, 719. Cf. Martis comitatum ap. Hom. Il. 4, 440.

336. *Irae* sic plurali dictum est a Valerio 2, 205 *Pavor, et Discordia, hirtaeque genis pallentibus Irae, et Dolus et Rabies*. Omnino pluralis *irae* saepius apud poetas. Sic v. 494. 590. 10, 814. 11, 728.

338. *miserabile* adv. cf. 8, 489.

340. *Mixtaque cruor arena* recte dictum, quamquam vulgare est *mixta cruore arena*. Cf. 11, 807.

341. *Thamyrum* MPRγ *Thamirum* h. *Thamyrim* vulg. ante *Rb*.

342. *Hunc* non a *congressus* pendet, sed a *neci dedit* cf. v. 510; itaque Thamyrum et Pholum cominus, Sthenelum eminus ferit et neci dat. — *hunc* — *hunc* cf. 9, 572.

344. Infinitivi pendent a verbo *nutrierat*, in quo verbo inest educandi notio. Solet iungi *ut*; sed quum quod effectum est significetur, sequitur infinitivus. cf. 2, 539 et 33. — *paribusque ornaverat armis:* Haec verba addunt aliquid secundarium, quod addi solet participio cf. 8, 125. Itaque poterant ante verba, quae a v. *nutrierat* pendent, inferri.

347. *antiqui* „pro nobilis est magni." S. cf. 3, 131.

348. *referens*, reddens. Avi ei erat nomen, patris vero vires et audacia. cf. 4, 329. — *animo manibusque*: Dolonem, de quo liber unus dictus est Iliadis (I. 10); qui unus ausus est hostium adire castra, fortem fuisse facile credimus. Ignavus est habitus, quod fugit Diomedem et Ulixem, et quod deprensus vitam petit, quae res nihil docent. Eadem facit Turnus.

351. *pro talibus ausis* ut 2, 535; *fortibus ausis* 9, 281. „Quaeritur quis ante hunc *ausis* dixerit." S. Ita *ausus* et *ausum* inter se iunxit 6, 624. et *ausis* plur. Ov. M. 2, 328 *magnis excidit ausis*. Cf. 7, 562.

352. *Nec equis adspirat* sc. Dolon nec iam adspirat ad equos, nec iam cupit equos. Sic *adspirare ad aliquid* apud Ciceronem legitur pro affectare aliquid. Male h. l. *adspirat* ex *adspiravit* contractum habetur. Eo enim tempore de quo agitur, iam non adspirat. Versus 351. 52 eiicere conatus est *Pl*, qui non vidit hos versus esse necessarios, quum poeta fortium virorum patris et filii diversis in terris tristes mortes vellet memorare. Si

Ante levi iaculo longum per inane secutus,
Sistit equos biiuges et curru desilit atque
Semianimi lapsoque supervenit, et, pede collo
Impresso, dextrae mucronem extorquet et alto
Fulgentem tinguit iugulo, atque haec insuper addit:
En, agros, et, quam bello, Troiane, petisti,
Hesperiam metire iacens: haec praemia, qui me
Ferro ausi tentare, ferunt; sic moenia condunt.
Huic comitem Asbuten coniecta cuspide mittit;
Chloreaque, Sybarimque, Daretaque, Thersilochumque,
Et sternacis equi lapsum cervice Thymoeten.
Ac velut Edoni Boreae quum spiritus alto
Insonat Aegaeo sequiturque ad litora fluctus,
Qua venti incubuere, fugam dant nubila caelo:
Sic Turno, quacunque viam secat, agmina cedunt,
Conversaeque ruunt acies; fert impetus ipsum,
Et cristam adverso curru quatit aura volantem.
Non tulit instantem Phegeus animisque frementem;
Obiecit sese ad currum, et spumantia frenis
Ora citatorum dextra detorsit equorum.
Dum trahitur pendetque iugis, hunc lata retectum
Lancea consequitur rumpitque infixa bilicem
Loricam et summum degustat volnere corpus.

omissi essent a poeta, ut nihil aliud dictum esset, quam Eumedem filium esse Dolonis illius, qui castra Graecorum speculatus esset: quae caussa potuit alium inducere, ut hos versus inferret? Hunc Eumedem iaculo vulnerat Turnus, vulneratum et lapsum suo ipsius gladio iugulat. Eumedes tamen lapsus retinet gladium.

354. *longum inane* cf. v. 906.

358. *haec insuper addit*: item 2, 593.

360. *metire:* Metiri solebant victores agrum occupatum, ut dividerent. Amara igitur haec est irrisio, nec minus, quod suo ense trucidatur.

364. *sternacis* „ferocis, qui facile sternit sedentem.“ S. cf. Sil. 1, 261 *Idem correptis sternacem ad proelia frenis frangere equum gaudet.* Avien. desc. orb. 203 *pecus sternax.*

365. *Edonus* Boreas est Graecis, non Romanis. Edoni enim populus ad Strymonem in Thracia. Graeci autem Boream Thracem esse dixerunt, quod ad ipsos e Thracia venit. At recte h. l. Vgl. dixit, nam in Aegaeo mari Edonus est Boreas. — *quum* cf. 4, 402.

367. *qua* cf. 2, 505. — *fugam dant*, fugiunt cf. 2, 698. Comparationis summa est haec: Turnum fugiunt agmina, ut nubila Boream. Iam illa *sequiturque a. l. f.* non ad eam pertinere et ad aliam imaginem abducere videtur. Sed etsi non omnia semper in comparationem dicta esse iam observavimus (ad 1, 498), tamen diversum et alienum esse quod additur non licet. At alienum non est. Ut fluctus enim sequuntur ventum, sic ducem suum Rutuli. — Eiicere versum 367, quod fecit *Pl.*, nolimus, quia in eo omnis est vis comparati, neque v. 366 ea ratione fieret aptior.

368. *viam secat* cf. 6, 900.

369. Cf. Hor. C. 4, 14, 29 *Barbarorum Claudius agmina ferrata vasto diruit impetu.*

370. In crista volante maxime apparet celeritas.

371. Phegeus equos Turni vult de cursu deflectere. Sed equi concitati secum trahunt; hinc *pendet iugis*, equos frustra retinens. Ita quum scuto non satis se tegeret, lancea [„raro lectum et est telum missile“ S.] in latere vulneratur. Iam proiicit scutum et ense stricto it in hostem Turnum; quare quum equos mittere cogeretur, curru deiicitur, et Turnus desuper caput demetit. *Hn.* hostem qui vulneraverat, in quem ibat, alium fuisse putat non Turnum.

376. *degustat corpus* „i. e. leviter tangit, unde e contra de alto vulnere ait 11, 804 *virgineum alte bibit acta cruorem.*“ S. Cf. *haurire* 10, 314.

Ille tamen clipeo obiecto conversus in hostem
Ibat et auxilium ducto mucrone petebat;
Quum rota praecipitem et procursu concitus axis
Impulit effunditque solo; Turnusque secutus
Imam inter galeam summi thoracis et oras
Abstulit ense caput truncumque reliquit arenae.
  Atque ea dum campis victor dat funera Turnus,
Interea Aenean Mnestheus et fidus Achates
Ascaniusque comes castris statuere cruentum,
Alternos longa nitentem cuspide gressus.
Saevit et infracta luctatur arundine telum
Eripere auxilioque viam, quae proxima, poscit:
Ense secent lato volnus telique latebram
Rescindant penitus, seseque in bella remittant.
Iamque aderat Phoebo ante alios dilectus Iapis
Iasides, acri quondam cui captus amore
Ipse suas artes, sua munera, laetus Apollo
Augurium citharamque dabat celeresque sagittas.
Ille, ut depositi proferret fata parentis,
Scire potestates herbarum usumque medendi

378. *ducere gladium*, stringere; *ziehen.* Sic addito *vagina* Ov. F. 4, 929. Sil. 8, 342. *Duci* etiam securis dicitur cf. Val. Fl. 1, 122 *ducta resonare bipenni litora.*

379. *praecipitem impulit* cf. 4, 22.

380. *secutus*: i. e. statim quum solo esset effusus. — *Impulit effunditque*: de temporibus cf. 2, 466.

381. *Et* tertio loco, ut 2, 690.

383—440. Aeneas Veneris ope refectus in pugnam redit.

383. *dat funera* cf. 2, 698.

386. *alternos gressus nitentem;* unum enim femur saucium est. Simile Val. Fl. 2, 93 Vulcanum caelo deiectum Lemnii fovent *alternos aegro cunctantem poplite gressus.* Et Hannibal femur tragula ictus *tegit clipeo fusum per membra cruorem, tardaque paulatim et dubio vestigia nisu alternata trahens aversus ab aggere cedit* Sil. 1, 551. *Lapsantis fultum truncata cuspide gressus* 6, 79.

387. *saevit* „sc. quia non potest in bella procedere;" S. Quare ipse vult eripere telum et quoquo modo extrahi iubet, ut posset redire in proelium. — *infracta* cf. v. 1. — *luctatur eripere:* Sic *luctor* cum infinitivo iungitur Ov. M. 5, 354. 15, 300. Cf. 2, 36.

389. *latebras* M. sec. *Rb.* (rec. *Ld.*) in ceteris Mss. quid sit *Rb.* tacet, dat autem *latebram.* Id in P. et in aliis Heinsianis esse videtur, *Hs.* in M2 *latebras* esse refert, in M1 *latebram.* Spitta P. Sondershausen 67 *latebram* improbat, quod singularis praeter h. locum non exstet.

391. *Iapyx* MPRγb rec. *Rb.*, quod hominem cum notiore vento confundebant. Iapis Mss. mali, „aptum nomen medico. nam ἰᾶσθαι Graeci dicunt curare." S. *Iasis* coni. *Pl.* Nec minus Iasus pater medicus fuisse videtur, ut ex antiquo more talis ars a patre ad filium transiit.

394. Apollo augurii, musices, sagittandi artis deus, cf. Ov. M. 1, 517 sq., de suis facultatibus aliquam amato *dabat.* De hoc imperfecto cf. 6, 468. Dabat revera Apollo, sed ille non accepit. — *dedit* M. „Vera lectio est *dabat*, nam non dedit." S. Accepit artem medicam.

395. *depositi* „i. e. desperati; nam consuetudo erat, ut desperati ante ianuas collocarentur, vel ut extremum spiritum redderent terrae, vel ut possent a transeuntibus forte curari, qui aliquando simili laboraverant morbo. Cic. (Verr. 2, 1, 2, 5) *Aegram et prope depositam reipublicae partem.*" S. Ov. Tr. 3, 3, 40 *Depositum nec qui me fleat, ullus erit.* — *proferret:* ita Hor. C. 1, 15, 33 *Iracunda diem proferet Ilio classis Achillei.*

396. *potestates herbarum* cf. 7, 19. — *usum*, recte quum talis sit ars, quae non meditatione possit confici, sed plurimum debeat experientiae et usui rerum; chirurgia enim signatur.

Maluit et mutas agitare inglorius artes.
Stabat acerba fremens, ingentem nixus in hastam,
Aeneas, magno iuvenum et maerentis Iuli
Concursu, lacrimis immobilis. Ille retorto
Paeonium in morem senior succinctus amictu,
Multa manu medica Phoebique potentibus herbis
Nequidquam trepidat, nequidquam spicula dextra
Sollicitat prensatque tenaci forcipe ferrum.
Nulla viam Fortuna regit, nihil auctor Apollo
Subvenit; et saevus campis magis ac magis horror
Crebrescit, propiusque malum est. Iam pulvere caelum
Stare vident, subeuntque equites, et spicula castris
Densa cadunt mediis; it tristis ad aethera clamor
Bellantum iuvenum et duro sub Marte cadentum.
Hic Venus, indigno nati concussa dolore,
Dictamnum genetrix Cretaea carpit ab Ida,

397. *mutas artes*, quas qui tractat siletur, atque inde inglorius est, si comparas cum augurandi. canendi et sagittandi arte. Simile dictum Silii 3, 579 *mutum volvens inglorius aevum*. *Pl.* pro *artes* coni. *annos*.

398. *acerba fremens* adv. cf. 8, 489. Ira eum subit, quod fraude submotus in proelium non potest redire.

399. *et Iuli* cf. 1, 30.

400. *lacrimis immobilis* i. e. non lacrimans; et ablativus suo significatu est, modo animadvertas, antiquos ea etiam inter caussas referre, quorum defectu aliquid fit. cf. 3, 69. *Ld.* explicat: non motus lacrimis aliorum.

401. *senior*, itaque multo usu doctus. — *ille* — *senior* cf. 5, 609. — *Paeonium in morem* i. e. ut medici solent, qui operi se accingunt. Sic Stat. Silv. 1, 4, 107 *ritu se cingit uterque Paeonio*, et ap. Sil. 5, 366 *intortos de more adstrictus amictus* medicus est. Paeon est, qui medetur, et est epitheton Apollinis; deinde novus factus est deus (cf. 5, 105), medicus deorum Hom. Il. 5, 401. 899. Inde *Paeoniis* i. e. medicantibus herbis curatur Hippolytus 7, 769. — *amictu:* „Medici enim fere palliati, etiam Romae, quandoquidem Graeci fere erant genere. Obvius quoque idem Aesculapii habitus in veterum signis et nummis.“ *Hn.* — Retorta palla succingi aut pallam deponere chirurgus cogitur.

402. *manu medica*, ut magnae solet esse habilitatis manus medicorum. Inde *lenis dextra* est medici Sil. 5, 365. — *potentes herbae* cf. 7, 19.

403. *nequidquam trepidat* i. e. varia tentat, ac nimia festinatione et anxietate, qua mederi studet, agitatur, neque a Fortuna iuvatur neque ab Apolline.

405. *auctor Apollo:* Non subvenit Apollo ita, ut auctor esset medicinae aptae, ut aptam curandi monstraret rationem.

407. *propius malum est* „ex fuga scilicet Troianorum.“ S. Propius ad castra accedit pugna; inde maior auditur strepitus et iam crassior conspicitur pulvis. — *pulvere caelum stat*, cf. Claud. Laud. Stil. 1, 257 *Stant pulvere syrtes Gaetulae; Poenus iaculis obtexitur aer.* Simile rei augmentum Plaut. Amphitr. 1, 1, 77 *boat caelum fremitu virum: ex spiritu atque anhelitu nebula constat.* cf. 6, 300 *stant lumina flamma.*

408. *subeunt* M1Pyb rec. *Rb.* *subeuntque* M2Rc rec. *Wg.* Utrum praestet, vix dixeris.

411. Quod dei auxilio aliquis subito pristinam recipit valetudinem, fit ap. Hom. cf. Il. 16, 523 sq. — *indigno dolore*, quum sit ex vulnere insidiis facto.

412. *Dictamnus* herba caulis et foliorum lanugine insignis. — *puberibus foliis* cf. 4, 514. — *Dictamnum g. Cretaea* Mss. omnes et Serv. rec. *Wg. Rb.* — *Ipsa manu g. Dictaea* apud unum Donatum. Per se id quidem probabile, nec defuerunt, qui adscripto nomine *Dictamnum* illud *ipsa manu* explosum esse arbitrarentur; neque opus est addito plantae nomine. At standum a libris et Servio, praesertim quum *ipsa manu* ortum videatur ex correctura, quod ad *dictamnum* appositum *caulem* non placebat. Sed ea appositio optima est, explicans et describens rem, quae antea nomine

Puberibus caulem foliis et flore comantem
Purpureo: non illa feris incognita capris
Gramina, quum tergo volucres haesere sagittae.
Hoc Venus, obscuro faciem circumdata nimbo,
Detulit; hoc fusum labris splendentibus amnem
Inficit, occulte medicans, spargitque salubris
Ambrosiae sucos et odiferam panaceam.
Fovit ea volnus lympha longaevus Iapis
Ignorans; subitoque omnis de corpore fugit
Quippe dolor; omnis stetit imo volnere sanguis.
Iamque secuta manum nullo cogente sagitta
Excidit, atque novae rediere in pristina vires.
Arma citi properate viro; quid statis? Iapis
Conclamat, primusque animos accendit in hostem
Non haec humanis opibus, non arte magistra
Proveniunt, neque te, Aenea, mea dextera servat;
Maior agit deus atque opera ad maiora remittit.
Ille avidus pugnae suras incluserat auro
Hinc atque hinc, oditque moras; hastamque coruscat.
Postquam habilis lateri clipeus loricaque tergo est,
Ascanium fusis circum complectitur armis,

tantum indicabatur. Ex nomine enim proprio de ipsius rei natura nihil intelligitur. Hoc apparet, eum qui versum variaverit, non inficetum hominem fuisse, ut qui *Cretaea* mutaret in *Dictaea*, ut Dictamni et vox et notio subreperet legenti.

414. Cf. Cic. de Nat. Deor. 2, 50, 126: „Auditum est . . . capras in Creta feras, quum essent confixae venantium sagittis, herbam quaerere, quae Dictamnus vocatur, quam quum gustavissent, sagittas excidere dicunt de corpore.“ Cf. Plin. 25, 53, 92 „Dictamnum ostendere (cervae) vulneratae, pastu statim decidentibus telis. Non est alibi quam in Creta . . . Et in Creta non spatiosa nascitur, mireque capris expetitur.“ Describit etiam eam aliaque genera memorat aliis in terris nascentia. — Et 26, 87 „Dictamnus pota sagittas pellit et alia tela extrahit illita. Bibitur ex aquae cyatho foliorum obolo.“

416. *faciem* et cum facie totum corpus. Cf. 1, 658. — „Proprie nimbus est, qui deorum vel imperantium capita quasi clara nebula ambire fingitur“ S. ad 3, 585 in alqt. et ad 2, 616 explicat „nube divina.“ Ibi Iuno effulget nimbo, et 8, 608 Venus inter aetherios nimbos adest; sed nimbus est etiam turbo niger 11, 596, ap. Val. 2, 115 est nimbus piceus. At sive ater est, sive candidus, semper nimbus tegit deum et oculis hominum obscurat.

417. *labris* sc. lebetis *splendentibus* sc. aere *amnem* sc. aquam. *Inficitur aliquid aliqua re*, si inde vim, colorem, saporem vel tale quid concipit; ita pocula veneno, lana rubro etc.

419. *odoriferam* cf. Lucr. 4, 123. *Odorem exspirant acrem panaces.* Plin. 25, 11 „Panaces ipso nomine omnium morborum remedia promittit. *Panacea* enim a πᾶν et ἀκέομαι. Sic *ambrosia* (ἄ-μβροτος) vires dat indelebiles cf. Hom. Il. 19, 353.

420. *Fovere* ea in re proprium.

421. *ignorans*, se deae adhibere medicamina.

422. *quippe* adv. natürlich, quod facile intelligitur.

424. *rediere in pristina vires.* Similis structura Ov. M. 1, 1 *In nova fert animus mutatas dicere formas.* cf. 4, 569. *Pl.* coni. *in pectora*, et si *pristina* servetur, legendum esse *suae* putat pro *novae*. Male. Nam novae, pristinis vulnere exstinctis, tantae redeunt, quantae pristinae fuerunt.

427. *arte magistra*, ita 8, 442.

429. *maior* sc. me.

430. *incluserat*, cf. 10, 546.

431. *hinc atque hinc* cf. 1, 162.

432. *habilis* i. e. aptus cf. 1, 318 quod legi vult *Pl.*

433. *Ld.* in *armis* intelligit *armos*, non *arma* et si comparaveris Tac. H. 1, 36 *prensare manus, complecti armis, collo-*

Summaque per galeam delibans oscula fatur:
Disce, puer, virtutem ex me verumque laborem,
Fortunam ex aliis. Nunc te mea dextera bello
Defensum dabit, et magna inter praemia ducet.
Tu facito, mox quum matura adoleverit aetas,
Sis memor, et te animo repetentem exempla tuorum
Et pater Aeneas et avunculus excitet Hector.
   Haec ubi dicta dedit, portis sese extulit ingens,
Telum immane manu quatiens; simul agmine denso
Antheusque Mnestheusque ruunt omnisque relictis
Turba fluit castris. Tum caeco pulvere campus
Miscetur, pulsuque pedum tremit excita tellus.
Vidit ab adverso venientes aggere Turnus,
Videre Ausonii, gelidusque per ima cucurrit
Ossa tremor. Prima ante omnes Iuturna Latinos
Audiit adgnovitque sonum et tremefacta refugit.
Ille volat campoque atrum rapit agmen aperto.
Qualis ubi ad terras abrupto sidere nimbus

care iuxta, probabis. Debebam autem hunc locum, non tantum 11, 644 afferre ad 4, 11, ne viderer fraudulenter egisse. Nam hoc loco armi memorantur ipsius Aeneae. Tamen persto in illius loci explicatione.

434. Cf. 1, 256 *Oscula libavit natae.* — Finito dolore apte exhortatur filium, quum summa subeat pericula, quae eum non superasse fama erat; nam secundum alios obiit in eo bello etiam Aeneas, quod tecte h. l. significavit, ut supra 4, 620. Similes exhortationes patrum in mortem euntium Hom. Il. 6, 477 sq. Soph. Ai. 550 sq., unde Attius *Virtute sis par, dispar fortunis patri.* Sed nullus locus praestat huic, quum filius iam tam adultus sit, qui possit verba intelligere.

435. *verumque laborem:* „Quem per me ipse suscipio: non qui ex aliorum virtute imperatoribus adscribi consuevit.“ S. At verus labor est, qui vere dicitur labor; hinc: disce a me quid sit virtutem exercere, quid laborare. Aeneas enim ne minimum quidem tempus sibi permittit: statim telo extracto redit in proelium.

437. *defensum dare* cf. 1, 63. — *inter* zwischen hinein cf. E. 2, 3 *inter fagos veniebat.*

438. sq. „Versus aurei infigendi puerorum animis, quibus illustres parentes providentiae munere contigerunt. Similes erant supra 3, 342.“ *Hn.* Aliter sentit *Pl.*, qui a *et te* usque ad *Hector* verba delet „Hectoris mentio tam aliena est, quam quod est alienissimum;“ deinde legi dicit in Mss. etiam *virorum*, et *avunculus* humile ei est vocabulum. Eadem verba abesse vult *Rb.* 1 p. 87, sed in textu uncis non inclusit. Et conscientiae virium est, nam se aequiparat, et pietatis, nam memorat Hectorem.

441—499. Aeneas Turno frustra quaesito et fraude petitus ipse tandem alios adoritur.

441. *se extulit* cf. 5, 290. — *ingens* cf. 9, 597.

443. *Antheus* cf. 1, 181. 510.

444. *fluit* cf. 11, 236. — *caeco* cf. 6, 715.

446. *ab aggere* sc. castrorum, quae Troiani more Romano vallaverant. cf. 11, 915.

447. *gelidusque* etc. Qui multas iam in proelio aerumnas exantlaverant, iterum victoriae spem, quam iam praeceperant, in periculum adduci sentiunt, et fessis iam multo terribilius adstare certamen cum fortioribus et integris.

448. *Prima*, quod semper metuit; scit enim se omina turbasse.

450. *atrum agmen* eorum qui densi incedunt cf. 4, 404. et horrorem movet. *Pl.* pro *atrum*, quum in d'Orvilliano sit *actum*, coniicit *citum*.

451. Ut quum saeva a mari advenit tempestas, qua arbores et sata sunt peritura, agricolae trepidant; iam praecedunt venti tempestatem allaturi: sic irruit Aeneas, omnia ferro vastaturus, sic eum timidi accedere vident Ausonii, et iam ante eum procurrentes Troiani audaces

It mare per medium; miseris, heu, praescia longe
Horrescunt corda agricolis; dabit ille ruinas
Arboribus, stragemque satis, ruet omnia late;
Ante volant sonitumque ferunt ad litora venti:
Talis in adversos ductor Rhoeteius hostes
Agmen agit; densi cuneis se quisque coactis
Adglomerant. Ferit ense gravem Thymbraeus Osirim,
Archetium Mnestheus, Epulonem obtruncat Achates,
Ufentemque Gyas: cadit ipse Tolumnius augur,
Primus in adversos telum qui torserat hostes.
Tollitur in caelum clamor, versique vicissim
Pulverulenta fuga Rutuli dant terga per agros.
Ipse neque aversos dignatur sternere morti;
Nec pede congressos aequo, nec tela ferentes
Insequitur; solum densa in caligine Turnum
Vestigat lustrans, solum in certamina poscit.
Hoc concussa metu mentem Iuturna virago
Aurigam Turni media inter lora Metiscum
Excutit et longe lapsum temone relinquit;
Ipsa subit manibusque undantes flectit habenas,
Cuncta gerens, vocemque et corpus et arma Metisci.
Nigra velut magnas domini quum divitis aedes
Pervolat et pennis alta atria lustrat hirundo,

in hostem impetum faciunt. Nihil est in hac comparatione, quod ornatus tantum caussa adiectum videatur. — *abrupto sidere. Sidus* omnino pro tempestate dictum cf. 4, 578. Tempestatem autem ut nos nubem dixerunt, quae affert tempestatem; et *abruptae* nubes saepius dicuntur cf. 2, 416. — Recte h. l. *Pl.* „Propria autem significatio ita servatur, ut non omnia de *sidere* dicas, quae dici possunt de tempestate. Recte navigamus hiberno sidere, ferimus et timemus triste sidus, sidus fluctus asperat, similia. Sed nemini, nedum Virgilio, in mentem venire potuit, ut scriberet *sidus abrumpitur*, ut *nubes, caelum abrumpitur.*“ Coniicit *abruptus ab aethere*, quod posse dici exemplis firmat, quibus opus non est. cf. 11, 549. Sed quis alius dixit *accingi facibus?* 9, 74.

453. *Dabit — satis.* „An grammaticus, alia expleturus, et hoc corruperit, nescio. Vgl. saltem elegantius scripsisset: *H. c. a., quibus ille ruinam A. st. satis ferat.*“ *Pl.* Deinde haeret in *ruinas et ruet* et delet *ruet — venti. Dare ruinas* ut 11, 613 est *ruere* transitivum; alibi cf. 2, 698 est *ruere* intransitivum.

456. *ductor* Rhoeteius i. e. Troianus a Rhoeteo Troadis promontorio.

457. *densi etc.* sc. „in cuneorum modum compositi.“ S. Tribus modis signavit densitatem: *densi, cuneis coactis, se adglomerant.* — *se aggl.* cf. 2, 341.

458. Ad *gravem* additur nonnunquam *aevo, annis, pietate* etc.; quod si nihil additur, in pugnae descriptione de mole corporis est accipiendum.

462. „Occiso eo qui auctor disrumpendi foederis fuerat, exortus est clamor et statim secuta fuga Rutulorum,“ S. ex ea ipsa re aversos deos suspicantium. — *vicissim* nam ante fugerant Troiani v. 368. 406.

465. Alios non curat, nec qui fugiunt nec qui obsistere audent, solum Turnum in certamen poscit; itaque etiam nunc foederis leges servans et rei summae intentus alios occidere spernit. Nullius igitur momenti est distinguere peditem et equitem, quod fecit qui scripsit *nec pede c. nec equo*, quod ap. Servium legitur, sed modo fugientem et obstantem.

466. *Caligo* oritur pulvere, iaculis, pugnantibus. καλύπτεται his omnibus Turnus.

469. *media inter lora*, inter ipsam aurigationem.

470. *relinquit* VM1 rec. *Wg. Ld. Fb. reliquit* M2PRγbc rec. *Rb.*

471. *undantes* „quia in motu undarum modo flectuntur.“ S. Sic 5, 146.

Pabula parva legens nidisque loquacibus escas;
Et nunc porticibus vacuis, nunc humida circum
Stagna sonat: similis medios Iuturna per hostes
Fertur equis, rapidoque volans obit omnia curru;
Iamque hic germanum, iamque hic ostentat ovantem,
Nec conferre manum patitur: volat avia longe.
Haud minus Aeneas tortos legit obvius orbes,
Vestigatque virum et disiecta per agmina magna
Voce vocat. Quotiens oculos coniecit in hostem,
Alipedumque fugam cursu tentavit equorum,
Aversos totiens currus Iuturna retorsit.
Heu, quid agat? Vario nequidquam fluctuat aestu,
Diversaeque vocant animum in contraria curae.
Huic Messapus, uti laeva duo forte gerebat
Lenta, levis cursu, praefixa hastilia ferro,
Horum unum certo contorquens dirigit ictu.
Substitit Aeneas, et se collegit in arma,
Poplite subsidens; apicem tamen incita summum
Hasta tulit, summasque excussit vertice cristas.
Tum vero adsurgunt irae, insidiisque subactus,

475. *pabula parva legens;* ita etiam Turnus huc illuc se vertendo et singulos intercipiendo, hirundinis in modum, nusquam perficit quidquam, quod magni sit momenti. Hirundo autem „sola avium non nisi in volatu pascitur" Pl. XII. 10, 35.

475. *nidis loquacibus,* pullis cf. 1, 355. Ita Ov. Med. Fac. 77 *querulus nidus.* In versu Montani Iuli ap. Sen. Ep. 122 legitur „*hirundo argutis reditura cibos immittere nidis incipit.*" Iuven. 5, 142 *loquaci gaudebat nido.* Sic 11, 458 dant sonitum rauci per stagna loquacia cycni. Adde quae ad 2, 488.

476. *Vacua* sunt, quae carent hominum turba cf. 2, 528. Ita Turnus non in mediam fertur aciem, sed vagantes adit ac palantes. — Porticus atriis adiunctas esse apparet ut 2, 528; stagna igitur humida aquas Lersch intellexit in compluvio ex pluviis restantes in labris fortasse vel puteo collectas. Neque tamen quidquam impedit, quominus vera stagna intelligamus, quae prope villae aedes sunt; de iis enim, non de aedibus urbanis sermo videtur esse.

479. Iamque hic, iamque hic ostentat ovantem germanum; sed ostendit modo, non permittit, ut acre certamen ineat.

481. Aeneas Turnum quaerens huc et illuc torquet (flectit) viam, ubi eum putat reperiri.

482. *vestigatque*: „inquirit, translatio a canibus. — *disiecta per agmina,* dissipata adventu Aeneae." S. Omnes enim trepidi diffugiunt.

483. Quoties conspexit Turnum et cursu eum assequi studet, Iuturna equos deflectit. Aeneas autem pedes incedit.

484. *Pl.* pro *tentavit* coni. *affectavit.* Non recte, nam simulatque Turnum petere Aeneas visus est, Iuturna iam equos avertit.

485. *aversos retorsit* cf. 4, 22. — Dum quid faciat nescit, quum Turnus fugiat, ipse autem alios aggredi nolit: a Messapo hasta petitus, tandem in alios irruit, non tamen antequam Iovem foederis laesi testem invocaverit.

486. *fluctuat aestu* cf. 4, 532.

488. *huic dirigit,* in hunc. Leve anacoluthon: Messapus eorum hastilium, quae . . . unum dirigit.

489. *lenta hastilia* cf. 7, 164. *praefixa* cf. 5, 557.

491. *se collegit in arma*: „ita se texit, ut nulla parte posset feriri." S. cf. 10, 412 „post scutum se clausit" S. Sil. 10, 128 *Consumit clipeo tela, et collectus in arma sustinet ingentes crepitantibus ictibus hastas.*

494. *Surgere* irae saepe dicuntur, ut 10, 813. Val. 2, 165 *dolor iraque surgit.* al. Cf. 1, 209. — *Subactus* fortius quam *coactus.* Quamquam foedus vellet servare etiam tum, quum violatum erat, tamen quum iterum struerentur ei insidiae contra totam gentem bellum renovare coactus est.

Diversos ubi sentit equos currumque referri.
Multa Iovem et laesi testatus foederis aras,
Iam tandem invadit medios, et Marte secundo
Terribilis saevam nullo discrimine caedem
Suscitat, irarumque omnes effundit habenas.
Quis mihi nunc tot acerba deus, quis carmine caedes
Diversas, obitumque ducum, quos aequore toto
Inque vicem nunc Turnus agit, nunc Troius heros,
Expediat? tanton placuit concurrere motu,
Iuppiter, aeterna gentes in pace futuras?
Aeneas Rutulum Sucronem — ea prima ruentes
Pugna loco statuit Teucros — haud multa morantem
Excipit in latus, et, qua fama celerrima, crudum
Transadigit costas et crates pectoris ensem.
Turnus equo deiectum Amycum, fratremque Diorem,
Congressus pedes, hunc venientem cuspide longa,
Hunc mucrone ferit; curruque abscisa duorum
Suspendit capita et rorantia sanguine portat.
Ille Talon Tanaimque neci fortemque Cethegum,
Tres uno congressu, et maestum mittit Oniten,
Nomen Echionium, matrisque genus Peridiae;

495. *sentit* M. al. *sensit* PRVγbc rec. *Rb.* Praestat praesens, quum res adhuc agatur.

496. *testatus* M. al. — *testatur* PR. Serv. Praestat prius, quod ita oratio melius cohaeret.

499. *irarum effundit habenas* cf. 6, 1. „Et hic moderate locutus est. Nam Ennius *effundit irarum quadrigas* dixit." S. Videmus Virgilium acri iudicio vitasse ineptias.

500 — 553. Aeneas et Turnus multos caedunt. Utrimque acerrime pugnatur.

500. *quis mihi etc.:* „Ac si diceret, nec Musa nec Apollo sufficiunt. Stat. (Theb. 10, 830) *Maior ab Aoniis sumenda audacia lucis, mecum omnes audete deae.*" S.

503. *Placet* proprium est deorum, quorum in consiliis rationem perspicere homines non valent cf. 3, 2.

504. *Futuras*, quibus constitutum est, ut essent in pace.

506. *morantem:* Sucro non potuit diu remorari Aeneam resistendo, quamquam ruentes Troianos sustinuerat.

507. *fata celerrima*, qua parte corpori celerrime mors afferri potest. — *crudum* cf. 10, 682.

508. *Crates pectoris* de similitudine dictum ut *hasta crates laterum perrumpit* Ov. M. 12, 370. — *transadigit costas ensem* i. e. agit ensem trans costas. Cf. Gr. §. 302 et 6, 328.

509. Hic *Amycus* esse potest idem qui est 1, 221; sed diversi sunt, qui memorantur 5, 373. 9, 772. 10, 704. — *Diores* cf. 5, 297.

510. *venientem* cf. 10, 456.

511. Turnus ea est insolentia ac crudelitate, ut misericordia aliena dignus non sit.

513. *Talon*, *Tanaim*, *Oniten* nomina nec satis Latina sunt, neque satis libris firmata, in quibus variis modis scripta inveniuntur. *Oniten* non Onyten *Ld. Wg. Rb.* recepi.

514. Cur Oniten maestum dixerit poeta, caussa reperta non est, nec vocabulum ita nude positum sufficere videtur, quo hominis mores et vita describatur. *Pl.* emendavit *quartum*, et recte numeravit. Sed cogitur ordinem versuum 515 et 516 invertere. Ingeniose explicat *maestum* Nürnberger: *mit der Vorahnung des Tods im trüben Blick. Wg.* O., inquit maestus erat natura. Sed id non inest in voce, neque quisquam maestus est natura, sed rebus adversis.

515. Onitis pater Echion, mater Peridia. — *nomen Echionium.* Sic *Servius Albanum nomen* 6, 763. *Echionius* patronymicum cf. 10, 123.

Hic fratres Lycia missos et Apollinis agris,
Et iuvenem exosum nequidquam bella Menoeten
Arcada, piscosae cui circum flumina Lernae
Ars fuerat pauperque domus, nec nota potentum
Munera, conductaque pater tellure serebat.
Ac velut immissi diversis partibus ignes
Arentem in silvam et virgulta sonantia lauro;
Aut ubi decursu rapido de montibus altis
Dant sonitum spumosi amnes et in aequora currunt,
Quisque suum populatus iter: non segnius ambo
Aeneas Turnusque ruunt per proelia; nunc, nunc
Fluctuat ira intus, rumpuntur nescia vinci
Pectora, nunc totis in volnera viribus itur.
Murranum hic, atavos et avorum antiqua sonantem
Nomina per regesque actum genus omne Latinos,
Praecipitem scopulo atque ingentis turbine saxi
Excutit effunditque solo. Hunc lora et iuga subter
Provolvere rotae, crebro super ungula pulsu
Incita nec domini memorum proculcat equorum.
Ille ruenti Hyllo animisque immane frementi
Occurrit, telumque aurata ad tempora torquet:

516. *Lycia et Apollinis agris*, Pataris, qua in urbe templum celebre. cf. 4, 143. Templis autem agri solebant esse, et *Apollinis agris* locus indicatur Lyciae. De ea epexegesi cf. 1, 2. Sunt qui male abesse censeant fratrum nomina; sed poterant ea etiam sileri. Quid autem, nonne revera iam dicta sunt 10, 126? In loco, quo non spiritu igneo poeta fertur, sed quo re acriter pensitata variationis maxime vias ingreditur, fundit si quae ad id consilium apta videntur, neque vitat inusitata. Ad hunc l. habet *Rb.* haec: huic loco „*Pl.* demum transpositis duobus versibus 516. 515 salutem tulit.“ Sed licebat dici de uno et *nomen* ut 6, 763 et *gens* ut 7, 556; neque Lycii fratres qui fuerint, transpositis versibus comperimus.

518. Lernae locus in Argolide, serpente ab Hercule occiso notus.

520. *Limina* M. rec. *Hs. Hn. Ld.* ortum videtur ex Hor. Ep. 2, 7 *Forumque vitat et superba civium potentiorum limina.* Sed limina vel pauperrimis possunt esse nota et solent esse. De ceteris Mss. nec *Wg.* nec *Rb.* referunt. Ex Donati explicatione nulla valet conclusio. Serv. legit *munera* rec. a *Wg. Rb. Munera* explicat Serv. obsequia, quae pauperes divitibus loco munerum solvunt; sed sunt munera, quae potentium esse solent, magistratus, imperia, res pauperi ignotae. Sic recte iam *Wg.* — *conducta tellure serebat:* Tam pauper erat, ut ne suum quidem agrum coleret. — Similis est pauperis piscatoris descriptio Ov. M. 3, 584.

522. *Virgulta sonant lauro*, siquidem ipsa laurea sunt. Laurus autem incensa valde crepitat. cf. Ov. F. 1, 344 *non exiguo laurus adusta sono.* Plin. NH. 15, 40 *Laurus quidem manifesto abdicat ignes crepitu et quadam detestatione.* Lucr. 6, 153 *Nec res ulla magis, quam Phoebi Delphica laurus terribili sonitu flamma crepitante crematur.* — Ad rem 10, 405.

524. *dant sonitum* cf. 2, 698.

527. *nescia vinci:* Hor. C. 1, 6, 6 *Pelidae stomachum cedere nescii.* *Nescius*, qui nescit, facile infinitivum assumit. Cf. 4, 564.

529. *sonantem*, referentem et gloriantem ut Mart. 5, 17, 1 *Dum proavos atavosque refers et nomina magna. Pl.* pro *et avorum* coni. *atavorum.*

530. Eius maiores omnes reges fuerunt apud Latinos. — *Pl.* pro *actum* coni. *auctum.*

532. Curru deiectus subter lora et equos incidit, a quibus conteritur; iunge: ungula incita nec memorum domini equorum crebro pulsu super proculcat.

534. *nec domini* i. e. ne domini quidem. Sic *nec* fortius negans quam *non* E. 9, 6. et alibi cf. Gr. §. 398, 2.

536. *aurata tempora*, quum habeat galeam auratam cf. 7, 684.

Olli per galeam fixo stetit hasta cerebro.
Dextera nec tua te, Graium fortissime, Cretheu,
Eripuit Turno; nec di texere Cupencum
Aenea veniente sui; dedit obvia ferro
Pectora, nec misero clipei mora profuit aerei.
Te quoque Laurentes viderunt, Aeole, campi
Oppetere et late terram consternere tergo;
Occidis, Argivae quem non potuere phalanges
Sternere, nec Priami regnorum eversor Achilles:
Hic tibi mortis erant metae; domus alta sub Ida,
Lyrnesi domus alta, solo Laurente sepulcrum.
Totae adeo conversae acies, omnesque Latini,
Omnes Dardanidae; Mnestheus, acerque Serestus,
Et Messapus equum domitor, et fortis Asilas,
Tuscorumque phalanx. Euandrique Arcades alae:
Pro se quisque viri summa nituntur opum vi.
Nec mora, nec requies; vasto certamine tendunt.
Hic mentem Aeneae genetrix pulcherrima misit,
Iret ut ad muros urbique adverteret agmen
Ocius et subita turbaret clade Latinos.
Ille ut vestigans diversa per agmina Turnum
Huc atque huc acies circumtulit, adspicit urbem
Immunem tanti belli atque impune quietam.
Continuo pugnae accendit maioris imago;

538. *dextera etc.:* „Ita comparat Aeneam Turno, ut eum superiorem esse significet. Nam quem Turnus interemit, fortitudo sua liberare non potuit: ei vero, quem occidit Aeneas, ne sua quidem numina prodesse potuerunt.“ S. — *Graii* dicuntur a poetis antiqui illi Graeci virtute praestantes, non Graeculi homines, quales postea Romanis erant contemptui. Cf. Horatii *praemia fortium Graiorum* et *Graeco trocho.* Inde epicis poetis *Graius* est adamatum.

539. *Cupencum*: „Sane sciendum Cupencum Sabinorum lingua sacerdotem vocari.“ S. Quod ad 4, 610 de hominum singulorum geniis a Servio dictum est, hoc loco non posse firmari satis apparet; nam si sacerdos est, eius dii sunt, quorum est sacerdos; neque h. l. negatur, deos Cupenci esse etiam aliorum, vel totius suae gentis.

541. Nec clipeus mortem moratus est.

543. *oppetere* cf. 1, 96.

546. *mortis metae* „mors quae meta est et finis.“ S. cf. 5, 52.

547. *Lyrnesi* cf. 10, 128. — Solet poeta varias hominum sortes fingere, atque ita docere humanae fortunae incertitudinem. Post singulorum caedes totius proelii imaginem paucis depingit, quum ad aliam certaminis speciem est transiturus.

548. *omnesque — omnes* cf. 10, 313.

551. *E. Arcades alae* cf. 11, 835.

552. *summa nituntur opum vi:* „Hemistichium est Ennianum.“ S. — *pro se quisque viri* cf. 5, 501.

554 — 582. Aeneas ipsam urbem oppugnat.

554. *mentem* cf. 1, 676. „Bona usus est oeconomia, ut diceret instinctu numinis profectum esse Aeneam ad civitatis excidium. Nam incongruum fuerat occupatum bello per se tale cepisse consilium.“ S. Sed quod oeconomiam vocat S., Vgl. credere putandus est, esse deos hominibusque cogitata suggerere cf. 8, 55. Similis est deorum interventus 1, 535.

556. *subita clade.* Cf. 22, 4 *Hannibal quod agri est inter Cortonam urbem Trasimenumque lacum omni clade belli pervastat.* — *Ocius* cf. 8, 555 h. l. ad utrumque pertinet enuntiatum.

558. *huc atque huc* ut 9, 57. 11, 601. usurpatur *hinc atque hinc* 1, 162. *Hic* bis positum copula non addita cf. 9, 572.

560. *accendit*, cf. 1, 104.

Mnesthea Sergestumque vocat fortemque Serestum
Ductores, tumulumque capit, quo cetera Teucrum
Concurrit legio, nec scuta aut spicula densi
Deponunt. Celso medius stans aggere fatur:
Ne qua meis esto dictis mora; Iuppiter hac stat;
Neu quis ob inceptum subitum mihi segnior ito.
Urbem hodie, caussam belli, regna ipsa Latini,
Ni frenum accipere et victi parere fatentur,
Eruam et aequa solo fumantia culmina ponam.
Scilicet exspectem, libeat dum proelia Turno
Nostra pati, rursusque velit concurrere victus?
Hoc caput, o cives, haec belli summa nefandi.
Ferte faces propere, foedusque reposcite flammis.
Dixerat, atque animis pariter certantibus omnes
Dant cuneum, densaque ad muros mole feruntur.
Scalae improviso, subitusque adparuit ignis.
Discurrunt alii ad portas primosque trucidant,
Ferrum alii torquent, et obumbrant aethera telis.
Ipse inter primos dextram sub moenia tendit
Aeneas, magnaque incusat voce Latinum,
Testaturque deos iterum se ad proelia cogi,
Bis iam Italos hostes, haec altera foedera rumpi.
Exoritur trepidos inter discordia cives:
Urbem alii reserare iubent et pandere portas
Dardanidis ipsumque trahunt in moenia regem;

561. Idem versus 4, 288.

563. Medio in proelii periculo et pugnandi cupiditate nolunt arma deponere, dum imperator alloquitur. Densi stant ordine dispositi, ut Romani milites in contione. — „Nihil ad rem facere v. 563 sq. *nec — deponunt* adnotavit *Wg.*, sed idem studio poetae instituta Romana ex antiquissimi aevi consuetudine repetendi satis excusans. Unus ex duobus versiculis fiat, si contrahatur vel sic: *Concurrit legio, celso stans aggere fatur*, vel sic *C. l. medius st. a. f.*“ *Rb.* I, p. 87. Dubius igitur ac cautus neutram coniecturam in textum intulit.

565. *Iuppiter hac stat* sc. parte, a nobis contra Latinos, qui foedus laeserunt.

566. Ne quis, quod tale mandatum non diu deliberatum est, minus sit promptus ad exsequendum.

567. *Urbs* est caussa belli, quod ab eius incolis motum est.

568. *Victi* ad Latinos pertinet, non est per grammaticam referendum ad *urbem*. — *ni fatentur — eruam.* Praesens in comminatione cf. Liv. 6, 15 *Quod nisi facis, in vincula te duci iubebo.* — „*Frenum* singulari numero raro lectum est.“ S. in alqt. Cf. Gr. §. 104.

569. *aequa ponam* i. e. solo aequabo. — *culmina fumantia* i. e. incendam et destruam.

572. *hoc caput*, cf. 600.

573. Igni illato cogite ad foedus iterum ineundum.

575. *Dant cuneum*, faciunt, cf. 2, 698. „quoties in similitudinem cunei milites disponuntur.“ S. Cf. 457. — *densa mole*, *in dichten Massen.*

577. *primos*, qui excubant custodes ad portas cf. 2, 612.

578. *obumbrant aethera* cf. 11, 611.

582. Semel per Ilioneum 7, 285, post ab ipso Aenea foedus erat factum. Inter *haec* et *altera* in M. suprascriptum est *iam* quod rec. *Wg.* Bonum id quidem, neque tamen eo est opus, et facile quis *iam* repetendum putabat; neque in alio libro est.

583—592. Oppidanorum summa perturbatio.

584. *reserare iubent* cf. 2, 3.

585. *Trahunt* de conatu cf. 6, 468.

Arma ferunt alii et pergunt defendere muros
Inclusas ut quum latebroso in pumice pastor
Vestigavit apes, fumoque implevit amaro:
Illae intus trepidae rerum per cerea castra
Discurrunt, magnisque acuunt stridoribus iras;
Volvitur ater odor tectis, tum murmure caeco
Intus saxa sonant, vacuas it fumus ad auras.
Accidit haec fessis etiam fortuna Latinis,
Quae totam luctu concussit funditus urbem.
Regina ut tectis venientem prospicit hostem,
Incessi muros, ignes ad tecta volare,
Nusquam acies contra Rutulas, nulla agmina Turni:
Infelix pugnae iuvenem in certamine credit
Exstinctum et subito mentem turbata dolore
Se caussam clamat crimenque caputque malorum,
Multaque per maestum demens effata furorem
Purpureos moritura manu discindit amictus,

Volunt Aeneam recipi in urbem bellumque finiri. — Alii intelligunt regem Latinum, qui in muros trahatur ad foedus renovandum.

587. Similis comparatio ap. Apoll. 2, 130. — *latebroso in pumice*: Ita pumex de saxo 5, 214. Ov. F. 2, 315. „Pumicem masculino genere posuit, et hunc sequimur, licet Catullus 1, 2 dixerit feminino: *arida modo pumice expolitum.*“ S. cf. 4, 462.

589. *Trepidae rerum* „nescientes quid agant, ignarae auxilii.“ S. Sic Liv. 36, 31 *Trepidi rerum suarum legatos mittunt.* cf. de gen. c. adi. 1, 14, de gen. *rerum* 7, 178 *fessi rerum.* Deinde cf. *trepidi salutis* Sil. 12, 13. et *trepidare* c. gen. cf. 11, 126. — *cerea castra:* Sic G. 4, 202 *cerea regna.*

590. *acuunt iras.* Sic 9, 464 et 108 *Martem acuere* dixit, 850 *acuere metum* et 7, 406 *acuere furores.* — *Acuere iram* etiam ap. Liv. 22, 4, qui locus ad v. 556 est allatus. Valerius ausus est dicere *fletus acuunt* 2, 172; Silius dixit *acuebat fraudibus enses* 12, 52.

591. *Ater odor*, quod est odor in fumo, visusque adiectivum ad odorem, ut in *caecum murmur* (quod legisti iam 10, 97) ad auditum relatum est cf. 2, 301. Recte etiam *ater* explicatur foedus, taeter 9, 719.

592. *intus saxa sonant:* Murmur fit apium discurrentium, quo saxa sonant; interim flamma exsuperat. Ita in urbe inclusi huc illuc discurrunt, diversa probantes, nec agentes, quod ad finem certum perducat, incendium dominare sinunt. Mellarius enim, ut favos eximeret, fumo apes pellere solebat cf. G. 4, 228.

593—613. Amatae morte voluntaria tota urbs contristatur.

593. *Accidit: Pl.* coni. *addidit . . . quo totam. fessis* „pro afflictis,“ malo: iam confectis.

694. *funditus concussit:* Similitudo sumpta ab arbore, quae funditus concussa exstinguitur.

596. *incessi* M2Pb2c *incensi* R. *incendi* γ. Serv. explicat *invadi* et Stat. Theb. 11, 361 scribit *agnovit tecta incessentem.* — Nota repetitum *tecta* cf. 6, 901; quod ut vitaret *Pl. pro tectis* dedit *speculis* e loco 4, 586! — *prospicit* c. dupl. struct. cf. 3, 180.

597. *nusquam:* sc. Aeneas subito cum suis urbem aggressus Turnum et Latinos aperto campo cum Tuscis et Arcadibus confligentes post se reliquerat.

598. *Infelix* credit esse exstinctum in pugnae certamine Turnum, quippe qui vivus non esset passus ad urbem hostes procedere.

600. Recte monuit *Pl.* non fere dici aliquem *crimen malorum*, contra *caussa caputque malorum* saepius iungi (cf. 572. 11, 361); et proposuit *se solam clamat caussamque c. m.* Sed recte Vgl. ad caussam et caput addidit *crimen*, ut Amata ipsa scelus se aliquod commisisse confiteatur. *Caussa* enim potest esse aliquis sed sine culpa, ut 11, 480 Lavinia est *caussa mali tanti. Caussa* et *crimen* iunguntur Cic. Mil. 9, 23.

601. *demens multa effata*, quae scilicet erant mali ominis.

Et nodum informis leti trabe nectit ab alta.
Quam cladem miserae postquam accepere Latinae,
Filia prima manu flavos Lavinia crines
Et roseas laniata genas, tum cetera circum
Turba furit; resonant late plangoribus aedes.
Hinc totam infelix volgatur fama per urbem.
Demittunt mentes; it scissa veste Latinus,
Coniugis attonitus fatis urbisque ruina,
Canitiem immundo perfusam pulvere turpans;
Multaque se incusat, qui non acceperit ante
Dardanium Aenean, generumque adsciverit ultro.
Interea extremo bellator in aequore Turnus

603. Etiam aliae reginae ita perisse dicebantur, ut Iocasta Hom. Od. 11, 278. Arachne Ov. M. 6, 134. — *Informe*: recte *Informe letum* est, quod deformem (cf. Sil. 1, 166) facit eum, qui suspensus est cf. v. 905; et erat in pontificalibus libris, ut qui laqueo vitam finivisset, insepultus abiiceretur." S. qui etiam inedia Amatam se interemisse alios esse auctores perhibet. Emendat ipsum poetam *Pl.*, quum pro *leti* scribat *laquei!* Attende quantopere moveat misericordiam *purpureos*.

605. *flavos* cf. 4, 559. „*Floros* in Leid. m. pr. et in Mentel. pr. fuisse coniiciebat *Hs. flavos* MPRγbc etc." *Rb.* qui rec. *floros*, quod in P. inesse refert *Fb.* et S. habet haec; „*flavos L.* c.; antiqua lectio *floros* habuit, i. e. florulentos, pulchros: et est sermo Ennianus." In Mss. aliqt. additi sunt loci Accii et Pacuvii, quos attulerit Probus. His auctoritatibus cesserunt Voss, *Pl. Hp. Ld. Rb.* Conington. Sed tamen sto a partibus *Wgi*, neque enim *florus* in fragmentis scriptorum antiquissimorum si inveniri narratur in loco satis incerto, nec si ap. Gellium 3, 9, 3 est *equus flora et comanti iuba* (ubi *flava* non minus legitur) vocabulorum obsoletorum renovatorem, formam inauditam non audeo inferre compto poetae, praesertim quum *flavus* h. l. aptius sit, quippe quod opponatur *roseo*.

607. *resonant plangoribus aedes* cf. 2, 488.

609. *demittunt* etc.; desperant. Ita Cic. Fin. 5, 15, 42 *victi dibilitantur animosque demittunt*. Alibi. Contra *efferre*, *tollere*, *erigere animum* dicitur. Vestes scindere est lugentium et desperantium, qua re ostendunt omnia simul se velle deperire. Notus est is mos Hebraeorum; sed memoratur etiam apud Romanos, cf. 5, 685. Sil. 16, 436. Stat. 9, 354. Nero idem fecit Suet. 42; et iam Varro in satiris hunc morem perstrinxit, cuius verba sunt: *Si vestimenta ea opus sunt, quae fers, cur conscindis? si opus non sunt, cur fers?* Sat. περὶ ταφῆς 17. ed. Oehler.

611. *Canitiem pulvere turpans:* Mos crines pulvere foedare in luctu memoratur 10, 844. ap. Catull. 64, 225. *Canitiem terra atque infuso pulvere foedans.* Val. Fl. 3, 716 Telamon Herculem relictum lugens *illacrimat multaque comas deformat arena.* Ov. M. 8, 528 *pulvere canitiem genitor vultusque seniles foedat humi fusus.* Claud. in Eutr. 2 prol. 25 *canitiem largo raram de pulvere turpat.* Stat. Theb. 6, 30 *squalentiaque ora sparsus et incultam ferali pulvere barbam.* Sed hunc morem etiam alii testantur scriptores. cf. Hom. Il. 18, 23. Od. 24, 316. 2. Sam. 1, 2. Micha 1, 10. al.

612. 13. Hi versus omissi in MPRγb, exstant in c. Sic *Rb.*, sed *Wg.* inesse dicit in P. Abiiciunt *Pl. Rb.* Iam leguntur 11, 471. 472; quare ex illo loco huc translati putantur; sed sunt h. l. aptissimi, nec plane iisdem verbis repetuntur, sed uno verbo mutato ut mos est Virgilii cf. 8, 42; eaque diversitas apta est ad utriusque loci sententiam. In Med. autem facile poterant omitti, quum v. 611 ultimus sit paginae, unde error in alias poterat transire. Neque bene finitur narratio participio praesentis, quale est *turpans*. Cf. 3, 300. Recte igitur *Pl.*, qui versus abiicit, turpans mutavit in *turpat*. Quod si esset in Mss., etiam nos cum *Fbo.* uncis includeremus.

614 — 649. Turnus invita sorore redire vult ad moenia.

614. Turnus in *extremo* campo singulos et palantes persequitur, iam minus alacer, et iam *successu equorum*, cursu equorum remorato ipse deficiens animo.

Palantes sequitur paucos iam segnior atque
Iam minus atque minus successu laetus equorum.
Attulit hunc illi caecis terroribus aura
Commixtum clamorem, arrectasque impulit aures
Confusae sonus urbis et inlaetabile murmur.
Hei mihi! quid tanto turbantur moenia luctu?
Quisve ruit tantus diversa clamor ab urbe?
Sic ait, adductisque amens subsistit habenis.
Atque huic, in faciem soror ut conversa Metisci
Aurigae currumque et equos et lora regebat,
Talibus occurrit dictis: Hac, Turne, sequamur
Troiugenas, qua prima viam victoria pandit;
Sunt alii, qui tecta manu defendere possint.
Ingruit Aeneas Italis et proelia miscet:
Et nos saeva manu mittamus funera Teucris.
Nec numero inferior pugnae nec honore recedes.
Turnus ad haec:
O soror, et dudum adgnovi, quum prima per artem
Foedera turbasti, teque haec in bella dedisti;
Et nunc nequidquam fallis dea. Sed quis Olympo
Demissam tantos voluit te ferre labores?
An fratris miseri letum ut crudele videres?

617. Vento affertur ad Turnum clamor ille commixtus et confusus Latinorum aut accepta iam mala lamentantium aut instantia anxie defendentium; cuius clamoris quum caussas nesciat, *caecis terroribus* impletur. *Mv.* p. 45 „*Hunc* dici oportet, qui proxime ante significatus narrando sit. Atqui proximis versibus poeta Turnum extremo in aequore versantem commemoravit, ad quem subito e longinquo clamor pervenit, superioribus versibus inde a 593 Amatae interitum (sic legitur). Apparet hoc poetam dicere, ad Turnum hostes iam segnius persequentem eo, ubi erat, allatum esse non hunc clamorem, sed clamorem aliquem tristis rei nuntium, scribendumque esse *A. huc i. . .* Atque sic in codice aliquo Hamburgensi Heynius secunda manu scriptum esse tradit, quae non auctoritas est, sed vera coniectura multis annis ante me facta."

618. *arrectas aures* „ad audiendum sollicitas." S. cf. 1, 153. *impulit* ut G. 4, 349 *aures impulit luctus* Cic ND. 2, 57 *Sensus* (auditus) *a vocibus pulsus.*

619. *confusae s. u.* Sonus diversa clamantium confusam indicat esse civitatem.

620. *tanto*, ut ipse admodum remotus audiat.

621. *quis tantus clamor* cf. 6, 561. — *diversa ab urbe*, remota, in diversa parte sita cf. 3, 3.

622. *amens* „egens consilii, nescius rei gerendae." S. cf. 2, 314. 7, 460. Ipse iterum habenas arripit, ut retineat equos ab auriga incitatos.

625. *occurrit dictis* „orationi eius verbis obviam venit" S. et refellit ea, quae Turnus dicturus est de redeundi necessitate. cf. 630.

626. *prima* cf. 7, 61.

628. *proelia miscere*, committere, ut G. 2, 282. 3, 220. Prop. 4, 1. 28.

629. *Pl.* pro *manu* coni. *neci* ex v. 513.

630. „Nec pauciores interimis, nec minor te quam Aenean comitabitur gloria. Sane sciendum, Iuturnam in hac omni oratione occurrere quaestionibus tacitis." S. Neque tamen respondet ad rem, neque potest, sed evitat rebusque aliis solatur, sed frustra. Sic vanum illud est quod dicit v. 629, nam utcunque res geretur, supererit Aeneas, quocum Turnus pugnare cogetur.

634. *Soror*, tu quod *dea* es, poteras me fallere, sed nunc, etiamsi dea es, non iam falles.

635. Cur descendisti de caelo? Modo ut labores ferres; nam opem ferre non potes. An dulce tibi est videre mortem meam?

Nam quid ago? aut quae iam spondet Fortuna salutem?
Vidi oculos ante ipse meos me voce vocantem
Murranum, quo non superat mihi carior alter,
Oppetere, ingentem atque ingenti volnere victum.
Occidit infelix, ne nostrum dedecus Ufens
Adspiceret: Teucri potiuntur corpore et armis.
Exscindine domos — id rebus defuit unum —
Perpetiar? dextra nec Drancis dicta refellam?
Terga dabo et Turnum fugientem haec terra videbit?
Usque adeone mori miserum est? Vos o mihi Manes

637. *Quid ago?* Idem 4, 534. 10, 675, quibus in locis non est deliberantis, sed quasi se interrogantis de consilio quod iam captum est et se corrigentis. Cf. Gr. §. 419, 10. Sic 4, 325 *Quid moror?* 367 *Quid dissimulo?* quae sunt pro: Nihil morandum, dissimulandum est. Sic etiam Cicero: *Quid ego illa commemoro?* Mil. 7, 18.

638. *me voce vocantem:* „Atqui hoc nusquam legimus. Sed aut κατὰ τὸ σιωπώμενον intelligimus, aut mortis est omen audire quod non dicitur, videre quod minime occurrit. Sic in quarto (460).“ S. — Versus 638—642 eiici iubet *Pl.*, quod quae de Murrano Turnus hoc loco memoret, ante v. 529 narrata non sint, neque esse potuerint, quum Turnus maxime remotus fuerit ab Aenea; deinde quod *superat* nec de mortuo possit dici, nec pro *superabat*, (qua in re apertus est error; nam Turnus, non mihi, inquit, carior alter superest) [Ipse pro *superat* coni. *fuerat*] tum quod v. 640 iam 10, 842 legatur; tum quod nec Ufens, nec Murranus amicissimi esse Turni alibi dicantur, multo minus quod Ufens mortem petierit, ne fugam Turni videret; denique quod armis Murrani et aliorum Troiani non minus quam Ufentis potiti sint; postremo quod his versibus interrogationes male abrumpantur. Cui hae caussae satis graves videntur, accedat ad eius sententiam; sed antea comprobet velim, quomodo alius quis hos versus ut fingeret et inferret hoc loco perduci potuerit. Deinde Servius Turni verba ita explicavit, ut possit satisfacere. Sed ne ea quidem explicatione opus est. Nam v. 485 Aeneam proxime ad Turnum accessisse poeta narravit, sed Turnum ab eo recessisse. Itaque ea quae vidisse se dicit Turnus, vider potuit. Ufens autem est inter ductores quibus maxime fidit Turnus. Cf. 8, 6. Occisus est a Gya v. 460; Murranus ab Aenea v. 529. Quod autem non eadem omnia, quae hoc loco dicuntur, narrata sunt antea, non vituperandum est sed laudandum. Bis enim eadem dici contra narrationis est legem; saepissime autem legimus Virgilium prius aliqua omittere, ut loco postea afferat aptiore. Postremo quae sequuntur interrogationes his versibus firmantur, quibus omissis incongruae sunt et ineptae.

640. *ingentem* etc. Idem 10, 842.

641. *Occidit infelix, ne . . . Ufens adspiceret.* De ordine verborum cf. 8, 168 — *ne nostrum* MRγbc rec. *Wg. Ld.*, *nostrum ne* P. rec. *Rb. Nostrum* non tantopere extollendum erat, ut ante coniunctionem poneretur; neque enim opponitur dedecori alterius. Turnus autem omnia colligit, quae ipsi sunt probro.

643. Passus sum omnes amicos interire; passus sum spolia iis auferri: unum restat, ut domos exscindi patiar.

644. *Drancis dicta* cf. 11, 351. — *dextra refellam* ut v. 16.

646. *usque adeone. Adeo* augere alius vocabuli vim vidimus 2, 567. *Usque adeo* autem ita coaluit in unam notionem, ut *ne* postponatur, quod etiam apud Statium fit Theb. 1, 442 *usque adeone angusta dies?* Creech etiam ap. Lucretium coniunxit. — *Usque* quid significet satis notum, et pertinet eius significatio et ad tempus et ad locum, deinde etiam ad modum. Simili modo *usque adeo* ad tempus Lucr. 1, 583, ad locum 1, 965. 1005, ad modum transtulit 2, 366. 6, 236. 252. 753; estque *so durchaus*, additurque etiam ad aliam particulam augendam ut 5, 123 *Quae procul usque adeo divino a numine distent.* Eadem significatione est Ecl. 1, 12. Ov. M. 5, 396. 6, 67. 438. 14, 152. Luc. 1, 366. 3, 118. 9, 507. — *Manes* sunt dii inferi, qui quondam fuerunt homines cf. 10, 34. De iis varias fuisse inter Romanos opiniones minime mirum, quot h. l. det Servius iam apponam: „Manes sunt animae illo tempore, quo de aliis recedentes corporibus necdum in alia transierunt. Sunt autem noxiae, et dicuntur κατὰ Antiphrasin. Nam *manum* ut supra (1, 139)

Este boni, quoniam superis aversa voluntas.
Sancta ad vos anima atque istius inscia culpae
Descendam, magnorum haud unquam indignus avorum.
   Vix ea fatus erat: medios volat, ecce, per hostes
Vectus equo spumante Saces, adversa sagitta
Saucius ora, ruitque implorans nomine Turnum:
Turne, in te suprema salus; miserere tuorum.
Fulminat Aeneas armis, summasque minatur

diximus, bonum est, unde et *mane* dictum est [et *immanis* et Festus Pauli p. 122 M. dicit: *Inferi dii manes, ut suppliciter appellati bono essent*]. Alii *manes* a *manando* dictos intelligunt. Nam manibus plena sunt loca inter lunarem et terrenum circulum, unde et defluunt. Quidam *manes* deos infernos tradunt, eosque inter numina laeva numerant, placarique putant sacrificiis ne noceant. Quidam alios *manes*, alios *deos infernos* dicunt: plurimi deos *caelestes*, ut vivorum; ita *manes* mortuorum tradiderunt. Alii putant hoc nomine appellatas fuisse animas separatas a corpore; unde videmus vetusta sepulcrorum monumenta *Diis Manibus* esse inscripta. In qua etiam sententia videtur esse Appuleius de Daemonio Socratis: *Manes*, inquit, animae dicuntur melioris meriti, quae in corpore nostro *Genii* dicuntur, corpori renuntiantes *Lemures*; quum domos incursionibus infestarent, *Larvae* appellabantur; contra, si aequi et faventes essent, *Lares familiares*. Sunt etiam qui putent, *Manes* eosdem esse, quos vetustas Genios appellavit, duosque Manes corporibus ab ipsa statim conceptione assignatos fuisse, qui ne mortua quidem corpora deserant, consumptisque etiam corporibus sepulcra inhabitent. Cicero (de legg. 2, 10) „Deorum Manium iura sancta sunto.“ Atque eandem ob caussam *Manes* pro ossibus ipsis et sepulcris ponuntur. Persius (1, 38) „Nunc non e Manibus illis nascuntur violae.“ Idem (5, 151) „Indulge genio, carpamus dulcia, nostrum est, quod vivis, cinis et Manes et fabula fies.“ Quandoque *Manes* dicuntur *poena* ut in VI (743) „Quisque suos patimur Manes.“ Stat. Theb. 11, 562 *Nondum ille peractis Manibus ultrices animam servabat in iras*, et Furias ut Luc. 10, 336 *Habitant sub pectore Manes ultricesque deae dant in nova monstra furorem*. Non mirum hoc, siquidem etiam Graeci Furias sive Erinyes dicebant Eumenides. Odofr. Müllerus putat Tuscum esse nomen et *Mantus* et *Mania* eiusdem esse originis. Cf. 10, 198. Sic *Manius* dicitur Ariciae sacerdos Dianae.

647. *bonus* i. q. benignus cf. 1, 195. etiam de diis usurpatum ut 1, 734. E. 5, 65. — *aversa* rec. *Hn. Wg. Rb.*, neque dicunt quibus Mss. nitatur. Explicant illi ex sententia: Quod aversa deorum superorum mens est cf. 2, 173, i. e. quod non opitulatur, petit T. voluntatem inferorum; vult enim mori. *adversa* Myb rec. *Wg.* in ed. min. et *Ld.*, qui ultro demonstrat posse dici *adversam voluntatem*, quod nemo negat.

648. *sancta anima*, non scelere polluta turbati foederis, quae tua est culpa, soror. Inde pronomen *istius* quod ad personam pertinet alteram. — *inscia* MPRγbc al. *nescia* Mss. duo mali. Haec coniectura illata, et *Pli.*: *anima atque istius ego inscia* et *Lchi.*: *anima, atque anima inscia*, ut vitaretur hiatus. At mirum si quis *inscia* intulit, aut *anima* expulit, ut hiatu versum turbaret. Cf. §. 6 et 9. — Turnus igitur volens se offert morti, antequam Saces advenit. Cuius si verbis tandem commotus esset, tamen ignaviae in eo haereret dedecus, quod subito animi impetu perturbatus videretur subterfugere.

649. *non indignus*, nec fide, nec fortitudine. — *indignus* c. gen. cf. Gr. §. 328 An. 2.

650—696. Turnus quaerit Aeneam.

651. *Vix* cf. 5, 857. — *ecce* cf. 2, 57.

652. „Ex multis rebus indicat perturbationem, quod festinans venit, quod per hostes, quod vulneratus, quod Turnum nomine appellat.“ S.

653. „Omnia quae supra Iuturna dixerat, oratio ista dissolvit.“ S. et quidem per partes singulas. — In *miserere tuorum* inest obtrectatio.

654. *fulminat*, sane grave verbum, ut de Augusto G. 4, 561 *Caesar quum magnus ad altum fulminat Euphratem bello*. Cf. 6, 843, et infra v. 700 Aeneas *intonat armis*. Sic dicitur v. 284 *tempestas telorum*, et bellum saepe cum

Deiecturum arces Italum excidioque daturum;
Iamque faces ad tecta volant. In te ora Latini,
In te oculos referunt; mussat rex ipse Latinus,
Quos generos vocet aut quae sese ad foedera flectat.
Praeterea regina, tui fidissima, dextra
Occidit ipsa sua lucemque exterrita fugit.
Soli pro portis Messapus et acer Atinas
Sustentant aciem. Circum hos utrimque phalanges
Stant densae strictisque seges mucronibus horret
Ferrea: tu currum deserto in gramine versas.
Obstipuit varia confusus imagine rerum
Turnus, et obtutu tacito stetit; aestuat ingens
Uno in corde pudor mixtoque insania luctu
Et Furiis agitatus amor et conscia virtus.
Ut primum discussae umbrae, et lux reddita menti,
Ardentes oculorum orbes ad moenia torsit
Turbidus, eque rotis magnam respexit ad urbem.
Ecce autem, flammis inter tabulata volutus
Ad caelum undabat vertex, turrimque tenebat,
Turrim, compactis trabibus quam eduxerat ipse,
Subdideratque rotas, pontesque instraverat altos.
Iam iam fata, soror, superant; absiste morari;
Quo deus et quo dura vocat Fortuna, sequamur.

tempestate comparatur, ut 7, 222. Cf. imprimis Flori grandia verba 2, 6, 8—13. Ita cum grandine comparantur tela 9, 669.

657. *mussat*, silentio suo dubitationem prodit. cf. 11, 345.

658. *generos* cf. 7, 98.

659. *tui fidissima occidit;* itaque ipse iam adsit necesse est, ne Aeneam Latinus recipiat. *Fidissima* autem *tui* non dictum ad modum *tui studiosissima.* cf. 1, 14. — *ipsa sua dextra* cf. 2, 645.

661. *Atinas* cf. 11, 869.

662. *sustentant aciem* rec. *Rb. Wg.* ed. mai. suos a fuga retinent. Ita Tac. A. 1, 65. 2, 17 *aciem sustentare;* sed dicitur etiam *sustentare hostem* Tac. A. 15, 10. — *acies* Mγ rec. *Ld. Wg.* ed. min.

664. *deserto in gramine*, ubi nullus est hostis.

665. *varia i. rerum* „multiplici nuntio (quod regina periit, quod urbs oppugnatur, quod omnes Latini in illum oculos referunt, quod dubitat Latinus, quos generos vocet)." S. Simul ex his intelligimus, qui rerum status futurus sit Turno caeso.

666. *Obtutu stat*, ut qui magna et multa simul cogitet.

667. *uno in corde* Mss. *imo* P. eadem varietate, quae est 10, 871, nec multum differunt forma externa. Prius multas simul et diversas eodem in animo esse perturbationes indicat, alterum totum iis animum esse occupatum. Utrumque igitur stare potest. — *pudor* ex iis quae dixit Saces v. 664. — Iidem versus 10, 871. 872.

668. *amor* Laviniae, qui ad summum furorem crescit, et *conscia virtus* cf. 5, 455. Poterat igitur virtute sua haec omnia vitare et adhuc potest.

669. *umbrae* „postquam mentis caligo discessit, quod sequentia indicant, ut *et lux reddita menti est.*" S.

670. Ardent oculi ira et furore cf. 2, 405.

671. *turbidus* cf. 10.

672. *tabulata* cf. 2, 463.

673. *Undat flamma* cf. 2, 609, neque minus *vertex* de aqua ebulliente translatum.

674. *quam eduxerat ipse, subdideratque:* de struct. cf. 944. Ipse fecerat turrim mobilem ad urbem defendendam.

676. Quum quam ipse fecerat turrim ardentem conspiciat, iam intelligit superare fata, iam sibi ipsi esse intereundum.

677. Similis sententia 5, 709.

Stat conferre manum Aeneae, stat, quidquid acerbi est,
Morte pati; neque me indecorem, germana, videbis
Amplius. Hunc, oro, sine me furere ante furorem.
Dixit, et e curru saltum dedit ocius arvis;
Perque hostes, per tela ruit; maestamque sororem
Deserit, ac rapido cursu media agmina rumpit.
Ac veluti montis saxum de vertice praeceps
Quum ruit, avolsum vento, seu turbidus imber
Proluit, aut annis solvit sublapsa vetustas.
Fertur in abruptum magno mons improbus actu,
Exsultatque solo; silvas, armenta virosque
Involvens secum: disiecta per agmina Turnus
Sic urbis ruit ad muros, ubi plurima fuso
Sanguine terra madet, striduntque hastilibus aurae;
Significatque manu, et magno simul incipit ore:
Parcite iam, Rutuli; et vos tela inhibete, Latini;
Quaecunque est Fortuna, mea est; me verius unum
Pro vobis foedus luere, et decernere ferro.
Discessere omnes medii spatiumque dedere.
 At pater Aeneas, audito nomine Turni,
Deserit et muros et summas deserit arces,

678. *stat*, consilium est cf. 5, 418. — *quidquid acerbi est morte pati.* Varie haec verba iuncta sunt; *Pl.* ita habuit inepta, ut corrigeret *Marte* i. e. „quicunque huius certaminis cum Aenea futurus sit eventus, etiam si sit acerbus, stat pati." Sed multa iam et maxime turris cremata Turno mortem portendebant, et iam 646 se moriturum ostenderat. Quae interea facta sunt, non possunt aliam ei mentem iniicere. Atque ex praegressis exspectamus: equidem mortem oppetere paratus sum. Iam ut 1, 219 legimus *extrema pati* pro *mori*, sic h. l. acerbi quidquid est pati morte profitetur i. e. omnem ferre mortis acerbitatem. Neque amplius certamen et mortem differam, nec fugiam indecorus.

679. Non amplius a te me retineri patiar. — *indecorem* cf. 7, 231.

680. *hunc furere furorem* „figura antiqua, ut servitutem servit, dolet dolorem." S. cf. Gr. §. 294, 1. — *ante* sc. quam moriar, sine me hunc furorem furere, quo ardeo, ostendere virtutem meam.

681. *saltum dedit* cf. 2, 698. — *arvis* dativus motum signans.

683. *Deserit* prius est quam *ruit* cf. 8, 125.

684. *Pl.* pro *montis* coni. *Pindi*, motus versu 687.

685. *avolsum vento sive turbidus imber proluit* h. e. si subita exorta aliqua tempestate, *aut annis solvit vetustas*, i. e. aut vetustate corruit. Bergsturz. Inde videmus *sive* et *aut* non sibi opponi. cf. 5, 68.

686. *sublapsa*, sensim labens vetustas.

687. *mons* i. e. saxum, fragmen montis; ita et Iuv. 3, 258. — *improbus.* Cf. 2, 356.

688. Gradatio est, nam silvae fixae stant, armenta malum possunt effugere, viri etiam malum futurum praevidere.

694. *verius*, iustius, ita 2, 141. Hor. Ep. 1, 7, 98 *Metiri se quemque suo modulo ac pede verum est.* Ita ap. Cic. Sall. Liv. alios, et recte. Veritas enim summa est iustitia, omniumque rerum veritatem exquirere in officiis posuerunt antiqui philosophi, ut iam ex Cicerone satis apparet.

695. „Ego solus luam poenas, quas vos propter illud foedus meruistis. Nam turpe et scelestum foedus est. Ita Silius de Saguntinis, qui *luerent foedera* inter Romanos et Poenos 1, 671" *Pl.*

697—745. Congrediuntur. Ense fracto Turnus fugit.

697. *Pater* Iuli, cuius ob regnum in Italia constituendum Aeneas omnes et maris et belli labores toleraverat.

698. *deserit muros et summas arces.* Itaque iam certam deserit victoriam urbemque paene captam, ut possit inire certamen cum Turno; tanto pugnandi agitur ardore.

Praecipitatque moras omnes, opera omnia rumpit,
Laetitia exsultans, horrendumque intonat armis:
Quantus Athos aut quantus Eryx, aut ipse, coruscis
Quum fremit ilicibus, quantus, gaudetque nivali
Vertice se attollens pater Appenninus ad auras.
Iam vero et Rutuli certatim, et Troes, et omnes
Convertere oculos Itali; quique alta tenebant
Moenia, quique imos pulsabant ariete muros;
Armaque deposuere humeris. Stupet ipse Latinus,
Ingentes, genitos diversis partibus orbis,

699. *Opera omnia*, quibus erat occupatus, *rumpit*, *bricht ab*.

700. Quod tandem aliquando potestas pugnandi datur, Aeneas laetitia affectus, quum ad certamen progreditur, ipse videtur crescere. — Vetus est opinio antiquiores et proceritate praestitisse et viribus, hominesque fieri sensim et breviores et debiliores. Sic apud Hom. Il. 5, 304 Diomedes lapidem proiecit, quem vix duo possunt ferre *οἷοι νῦν βροτοί εἰσι·* apud Virgilium v. 900 Turnus saxum provolvit, quod vix duodecim homines moverent. Hanc opinionem, qua humanum genus ad Liliputanorum humilitatem decrescere videatur, falsam esse iam re est comprobatum. Tamen sustentabitur ea re, quod qui adolescunt, minus memores sunt crevisse se, quam iuniores esse breviores opinantur, quam ipsi illorum aetate fuerint. Sed etiamsi habeamus veram, tamen etiamtum Virgilium peccasse iam diximus 5, 263. 487. neque tamen h. l. peccavit. Recte enim dicitur Aeneas *ingens* 3, 619, aliique homines; sed ad montium et arborum altitudinem olim homines ascendisse non dixit Vgl.; eam dat magnitudinem Polyphemo et Cyclopibus, Orioni, Centauris 7, 676. Comparat quidem homines cum abietibus cf. 5, 448. 9, 674, non tamen ut aequet. Neque hoc loco altitudine comparatur Aeneas cum monte Appennino, sed strepitus armorum cum illo fragore, quem montes edunt arboribus quae in iis sunt vento concussis. Itaque videmus naturam animatam, montemque gaudio quasi exsultantem declarari et arbores concutientem, ut Aeneas laetitia exsultat et arma concutit. Ita apud Hom. Il. 13, 754 Hector *ὡρμήθη ὄρεϊ νιφόεντι ἐοικώς*. Quanta ea in re nonnunquam peccaverint posteriores poetae afferre hoc loco opus non est. — Verba autem iunge sic: intonat armis, quantus intonat Athos, Eryx, Appenninus, quum fremit ilicibus etc.

701. Athos in Chalcidice, Macedoniae parte, notus Persarum naufragiis et monasteriis Christianorum. — *Eryx* cf. 1, 570. — *coruscis* cf. 1, 164.

702. *Gaudet* non cum *attollens* iungitur, sed cum *vertice nivali*.

703. *Appenninus pater* dicitur, altus mons, qui circumdatur minoribus, ut pater liberis suis. Dicebantur etiam montes esse animantes; cf. quae de Atlante narrabantur. *Pl. pater* in *patet* mutato, et verbis *quantus* — *attollens* eiectis haec de reliquis: „Versus suavissimi, quos legere sufficit, ut Virgilianos dicas." Sed is est error *Pli*, quod si uno vel pluribus versibus eiectis aliqua stare posse videtur sententia, iam iure eas se eiecisse opinatur, et eadem ratione mutat singula verba. Sed a tali arte critica admodum est cavendum; et mutandi libido etiam in fraudem impulit. Sic h. l. non demonstravit *patere ad auras* altum montem posse dici. Ipse etiam animadvertit Silium verba, quae eiiceret, legisse 2, 313 *mole nivali Alpibus aequatam attollens caput Appenninus.* Nec magnitudine Aeneam cum monte comparari iam vidimus.

705. Itaque et defensuri urbem et capturi desinunt seque ad hoc certamen convertunt: tanta est eius pugnae exspectatio.

706. *aries* cf. 2, 492.

707. *stupet ipse Latinus.* Quaeritur, quae fuerit caussa stuporis Latino? Iam viderat Latinus utrumque, et utriusque staturam potuerat considerare. Sed miratur non robur et vires, sed quod hi viri, viribus praestantes, ex locis diversissimis tandem ad pugnam coierint. Certamen inter eos Latinus omni studio tollere cupierat, post coactus ipse certaminis conditiones sanxerat, quae quum dissolutae essent, ne esset certamen, iterum eos congressuros non putaverat. Firmat autem versus Seneca Ep. 56 qui laudat verba *stupet* — *ferro. Pl.* eiicit *stupet* — *ferro* quasi inepta. — *stupet* cf. 2, 31.

Inter se coiisse viros, et cernere ferro.
Atque illi, ut vacuo patuerunt aequore campi,
Procursu rapido, coniectis eminus hastis,
Invadunt Martem clipeis atque aere sonoro.
Dat gemitum tellus. Tum crebros ensibus ictus
Congeminant; fors et virtus miscentur in unum.
Ac velut ingenti Sila summove Taburno
Quum duo conversis inimica in proelia tauri
Frontibus incurrunt; pavidi cessere magistri,
Stat pecus omne metu mutum, mussantque iuvencae,
Quis nemori imperitet, quem tota armenta sequantur;
Illi inter sese multa vi volnera miscent,
Cornuaque obnixi infigunt et sanguine largo
Colla armosque lavant; gemitu nemus omne remugit:
Non aliter Tros Aeneas et Daunius heros
Concurrunt clipeis; ingens fragor aethera complet.
Iuppiter ipse duas aequato examine lances

709. *coire* sc. ad certamen cf. 5, 379. — *cernere ferro* Serv. pro *decernere*, quod est in MP2Rγbc (*cernere* in Pl.) metro perverso, ut appareat librarios usitatum *decernere* suo Marte substituisse inusitato *cernere*; sed *cernere* apud Virgilium invenit Sen. Ep. 56. Sic Ennius ap. Cic. Off. 1, 12 *Ferro, non auro vitam cernamus utrique.* Lucr. 4, 966 *cernere bellum.* (Plaut.) Amph. arg. 2 *Pro patria Amphitruo dum cernit cum hostibus.*

710. *Vacuum* aequor campi, unde omnes alii recesserant. Ita *vacua atria* 2, 528. — *aequor* cf. 5, 456.

712. *invadunt Martem*, ut 9, 186 *pugnam invadere.* Quum hastas cupidius coniecissent neque tetigissent (de Aeneae hasta 772) adversarium, statim cominus pugnant clipeis compressis. *Pl.* qui addit: „*M. invadunt clipeis* intellectu difficile nec suo loco positum. *Dat tellus gemitum* ab hoc loco alienum est, imprimis quum mox sequatur: *ingens f. a. c.*“ (724) et eiecit *clipeis — tellus.* Vana haec sunt omnia. Gemit terra pulsu pedum ut 334. cf. 3, 555.

714. Fortuna et virtus simul dimicant. His verbis iam is, qui victus erit, excusatur. Quare male *Pl.* coni. *ars* pro *fors*, aitque „*Fors* non est in protestate certantium.“ Verum id quidem, sed id ipsum spectavit Vgl. — *miscentur in unum* cf. 9, 801.

715. sq. Splendida imago, quamquam ad nostrum sensum non comparata, qui talia proelia videre non solemus. — *Sila* silva est in Bruttiis. Plin. NH. 3, 10. Georg. 3, 219. — *Taburnus*, mons Samnii, non procul a furculis Caudinis.

717. *Magistri* pecoris pastores saepe dicuntur cf. E. 2, 33. 3, 101. Ov. F. 4, 747. Tib. 2, 5, 35.

718. *mussant* cf. 11, 345. — Itaque Turnus tam par est Aeneae, ut dubia videatur esse victoria.

719. *quis* non accurate dictum, pro *uter* ut 727 *quem.* Sic Caes. BG. 5, 44 (Pulfio et Varenus) perpetuas inter se controversias habebant, quinam anteferretur.

723. Non sine consilio utrumque signavit poeta origine. cf. 707.

725. Ad modum Homeri Vgl. facit Iovem fata pugnantium lancibus expendentem. cf. Il. 22, 209 sq. Iuppiter enim non ipse dat fata, sed cognoscit modo et exsequitur Fati voluntatem (cf. 3, 251); quare homines recte etiam Iovis esse fata dicunt; nam per Iovem accipiunt. Sero tamen Iovem fatum exquirere, quod iam v. 150 Iuno sciret, notavit Macrob. 5, 13. At poeta, quum congrediantur homines, insignes viribus et fortitudine, ipsum Iovem, quum eos inter se comparet, dubium esse fingit, utri victoria sit destinata. Tantus ei Turnus videtur. Tantopere igitur praestant ii viri, ut non solum milites omnes anxii constiterint; sed ipse stupeat Latinus, et rex summus deorum, fatorum rector et gubernator moveatur, remque iam ante certissimam iterum exploret. „Frigent haec, vss. 725—27“ *Wg.* ed. min. — *examine*: „Examen proprie est filum quo trutina regitur.“ S.

Sustinet, et fata imponit diversa duorum;
Quem damnet labor, et quo vergat pondere letum.
Emicat hic, impune putans, et corpore toto
Alte sublatum consurgit Turnus in ensem,
Et ferit. Exclamant Troes trepidique Latini,
Arrectaeque amborum acies. At perfidus ensis
Frangitur, in medioque ardentem deserit ictu,
Ni fuga subsidio subeat. Fugit ocior Euro,
Ut capulum ignotum dextramque adspexit inermem.
Fama est, praecipitem quum prima in proelia iunctos
Conscendebat equos, patrio mucrone relicto,
Dum trepidat, ferrum aurigae rapuisse Metisci;
Idque diu, dum terga dabant palantia Teucri,
Suffecit: postquam arma dei ad Volcania ventum est,
Mortalis mucro glacies ceu futilis ictu
Dissiluit, fulva resplendet fragmen arena.

727. De v. *damnare* cf. 4, 699. — Vocabulo *Labor* subest notio oneris deprimentis cf. 2, 11. — *Et* MPRγc explicativum ut 805. cf. 1, 2. *que* cf. 8, 289. et ita receptum est Romanis per *et* idem bis dicere, ubi alterumutrum rem non satis declarat, ut is mos ab iis, qui de Latine scribendi ratione praecipiunt, non soleat omitti. — ***aut*** S., quod ex mala sua explicatione verbi *damnare* coactus esse videtur recipere. — *Quo* ad quem trutina *vergat* letum pondere sortis.

728. *hic* — *Turnus* cf. 5, 609. — *impune putans* se nunc posse plagam dare in Aeneam.

829. *consurgit in ensem* ut 9, 749.

730. Sonus versus subitum ictum summamque signat exspectationem, cf. 5, 643. — *Latini trepidi* sunt, quod audaciam Turni timent, qui primus ferit, quum sit inferior.

731. *perfidus ensis:* Ensis quod frangitur, fidem fallit, quam habet Turnus cf. 10, 693.

732. *descrit:* In hoc quoque verbo perfidiae est significatio. Itaque omnino esset omni auxilio destitutus, nisi subsidio subiret fuga i. e. nisi fugam capesseret. Attende structuram singularem et Latinam cf. 6, 358. *Rb.* nec grammatica cogente nec sententia statuit lacunam, et *Mo.* p. 46 „Ridiculum prorsus est: „Fractus est ensis, ni fugisset,“ quod in fracto Turni ense nulla minima est significatio ictus ab adversario venturi aut omnino rei coeptae et longius progressurae et effectum habiturae, nisi fuga praeveniat. Periculum ex fracto ense natum nova res est et per se significanda. Addam, de fuga prorsus perverse poni *subsidio venire*, quod dicitur de adiutore et defensore adveniente et appropinquante. Itaque Ribbeckius, hoc intellecto, lacunae notam posuit. Sed salva res est, modo verba recte interpungantur: *Frangitur in m. a. d. ictu. N. f. subsidio, subeat. F. o. Euro.* Ictum, quem inferre non potuit, ipse subeat, ni fugae subsidio utatur.“ Itaque *fugae subsidium* et ipse dicit, et ictum subit T., quem inferre debuit, at ictus est non ipsius sed Aeneae; quare manet, quod *Mo.* ipse vituperavit.

734. Nunc tandem videt se ensem gerere alienum. Deposuerat enim ensem suum, quando ad aras processit pactionis caussa, ut ipse Aeneas inermis est cf. 311. Subito orto tumultu gladium arripuerat Metisci.

735. *Fama est*, narratur, traditur. Non profert haec tamquam dubia. cf. 7, 48. — *prima proelia* cf. 7, 61.

737. *trepidat* cf. 10, 283.

739. *arma dei Vulcania*, arma dei Vulcani. cf. 8, 526.

740. *mortalis mucro:* „ensis mortali manu factus“ Forc. Cf. 797. et Ov. M. 7, 525 *mortale malum* est, quod a mortali est illatum, non a deo.

741. *resplendent* M perfosso *n*, *resplendent* Pγb, *resplendet* adscripto *n* c, *resplendet* R. — *fragmen* R — *fragmina* M *i* in *e* mutato et perfosso *a*, *fragmina* Pγbc. Duae igitur sunt scripturae, altera in R et M est, eaque praestantior, nam dissilit ensis, frangitur; neque tamen dicitur frangi in partes plures, sed in duas, et una iacet in terra, altera et capulus est in manu. Idem probat *Wg.*, *fragmina* rec. *Ld. Rb.*, qui in ed. mai. dedit *fragmenu*.

Ergo amens diversa fuga petit aequora Turnus,
Et nunc huc, inde huc incertos implicat orbes:
Undique enim densa Teucri inclusere corona,
Atque hinc vasta palus, hinc ardua moenia cingunt.
Nec minus Aeneas, quamquam tardante sagitta
Interdum genua impediunt cursumque recusant,
Insequitur trepidique pedem pede fervidus urguet:
Inclusum veluti si quando flumine nactus
Cervum aut puniceae saeptum formidine pennae
Venator cursu canis et latratibus instat;
Ille autem, insidiis et ripa territus alta,
Mille fugit refugitque vias; at vividus Umber
Haeret hians, iam iamque tenet, similisque tenenti
Increpuit malis, morsuque elusus inani est.
Tum vero exoritur clamor ripaeque lacusque
Responsant circa, et caelum tonat omne tumultu.
Ille simul fugiens Rutulos simul increpat omnes,
Nomine quemque vocans, notumque efflagitat ensem.
Aeneas mortem contra praesensque minatur
Exitium, si quisquam adeat, terretque trementes,

742. *amens*, non cogitans, nihil sibi fugam esse profuturam cf. 2, 314.

743. *orbes* ita 481. — *implicat* i. e. facit implicito cursu. — *incertos*, quum ipse nesciat, quo se vertat.

744. *Teucri densa* M rec. *Wg.* (qui eum v. ordinem esse dicit etiam in P.) *Ld. densa Teucri* rec. *Rb.*, neque dicit in quibus id insit Mss. Sumendum est esse in omnibus.

745. *palus* cf. 10, 709. „quae nunc non apparet" S. in aliqt. Martialis tempore videtur exstitisse; certe habet haec: *Laurentino turpes in litore ranas* 10, 37, 5. Nunc etiam esse dicitur.

746—790. Tandem armis refecti certamen restituunt.

746. *Nec minus* cf. 1, 633. — *tardata* PRγb *tardata* correctum in *tardante* Mc. — *tardata* rec. *Hn. Ld. Rb.* — *Gt.* coni. *Turnum ante se agentem* (Metrum!) *Pl.* coni. *tardata fatiscunt* vel *tardatus anhelat Spiritus et genua* „an Vgl. in suo exemplari reliquit *quamquam* . . . *Interdum*, eaque Tucca et Varius per *tardante sagitta* explevere ex 5, 395?" Id est criticam factitare. Facilius mutabatur in *tardata*, quam in *tardante*. Neque *sagitta* pro *vulnere* dicitur ex sagitta orto, sed tardat sagitta etiam extracta et interdum genua impedit; *tardata* autem genua, quod recte monuit *Wg.*, non interdum impediunt hominem sed semper.

747. *cursumque recusant*; non valent currere, ut nos versagen.

749. Similis comparatio Ov. M. 1, 533. 7, 785, et apud alios.

750. *formidine*, quae fit ipsis pennis puniceis. Tales pennae ad territandas feras saepe memorantur. Cf. 4, 121.

751. *venator canis* „venaticus," S. ut *venator Lacon et Umber* (canis) Sil. 3, 295. Male post *cursu* comma ponitur, ut *venator* et *canis* diversi sint. Ita enim Aeneas cum duobus compararetur; sed comparatur cum cane, Turnus cum cervo.

752. *insidiis* sc. pennarum, quas timet sine caussa. Sic Turnus Troianos timet, et paludem.

753. *fugit refugitque*. Cf. 4, 438. *vias* cf. 5, 235. — *Umber canis* est venaticus cf. 751.

754. „Hi duo versus verbum ad verbum sunt translati de Apollonio." S. Verba sunt 2, 278 ὡς ὅτε . . . κύνες . . . (280) θείωσι, τυτθὸν δὲ τιταινόμενοι μετόπισθεν ἄκρης ἐν γενύεσσι μάτην ἀράβησαν ὀδόντας. Vides quid dicat Servius verbum ad verbum expressum.

758. *increpat*, obiurgat. — *simul fugiens simul incr.* cf. 10, 856.

761. *terret trementes* cf. 6, 22. — *si quisquam adeat*; itaque est quicunque adeat, nihil enim indefinitorum est generalius quam *quisquam* cf. Gr. §. 386, 4.

Excisurum urbem minitans, et saucius instat.
Quinque orbes explent cursu, totidemque retexunt
Huc illuc. Neque enim levia aut ludicra petuntur
Praemia, sed Turni de vita et sanguine certant.
Forte sacer Fauno foliis oleaster amaris
Hic steterat, nautis olim venerabile lignum,
Servati ex undis ubi figere dona solebant
Laurenti divo et votas suspendere vestes;
Sed stirpem Teucri nullo discrimine sacrum
Sustulerant, puro ut possent concurrere campo.
Hic hasta Aeneae stabat, huc impetus illam
Detulerat fixam et lenta in radice tenebat.
Incubuit voluitque manu convellere ferrum
Dardanides, teloque sequi, quem prendere cursu
Non poterat. Tum vero amens formidine Turnus,
Faune, precor, miserere, inquit; tuque optima ferrum
Terra tene, colui vestros si semper honores,
Quos contra Aeneadae bello fecere profanos.
Dixit, opemque dei non cassa in vota vocavit.
Namque diu luctans lentoque in stirpe moratus
Viribus haud ullis valuit discludere morsus
Roboris Aeneas. Dum nititur acer et instat,
Rursus in aurigae faciem mutata Metisci
Procurrit fratrique ensem dea Daunia reddit.

762. *et instat*, quamquam saucius est.

763. *retexunt* cf. Claud. VI. Cons. Hon. 131 *revolutus culmine fati turpe retexit iter.* — *explent cursu*, ita Lucr. 2, 323 *loca cursu camporum complent.*

764. Ad rem cf. Hom. Il. 22, 159—61.

765. Turnus non Aeneas in mortis est periculo.

767. *lignum:* ita Hor. C. 2, 13, 11 arborem, quae eum paene suppresserat, nuncupat *triste lignum.* „*Venerabile lignum:* antiquam arborem voluit exprimere.“ S.

768. *figere dona.* Solebant servati e naufragio dona aliqua suspendere, saepe tabulam votivam cf. Hor. C. 1, 5, 13 *Me tabula sacer votiva paries indicat uvida suspendisse potenti vestimenta maris deo.* Cf. Cic. ND. 3, 37 89. Quod Fauno suspendunt, caussa videtur esse, quod pinus, navis materies, ei sacra est. Cf. Ov. Her. 5, 137. M. 1, 699, quibus in locis ea fronde coronatus esse dicitur. Sed Faunus cum Pane a Romanis confunditur, et is dicitur ἄκτιος Theocr. 5, 14 et ἁλίπλαγκτος Soph. Ai. 694, ubi schol.: ἢ ὅτι ἐβοήθησε τοῖς Ἀθηναίοις ἐν τῇ ναυμαχίᾳ . . . ἢ ὅτι οἱ ἁλιεῖς τιμῶσι τὸν Πᾶνα ὡς νόμιμον θεόν.

770. *nullo discrimine* habito, sacer an profanus esset. Sed quum ceteras arbores deciderent, huic quoque Fauno sacrae, nescientes qualis esset, non parcebant. — *stirps* masc. v. 208.

771. *purus*, non impeditus, apertus. Sic Hor. Ep. 2, 2, 71 *purae plateae.* Ov. M. 3, 709 *purus ab arboribus spectabilis undique campus.* F. 3, 582 *p. ager.* Liv. 24, 14 *campus purus ac patens.*

773. *Impetus* illam detulerat et fixam tenebat lenta radix. Violento impetu hasta in arboris radicem impacta erat, quo in Turnum coniecta aberraverat cf. 711. — *in* abest a Mγbc om. *Rb. Fb.* Conington. *Pl.* coni. *fixa hic lenta in r. sedebat.*

779. Aeneadae honores arboris fecere profanos, quum eam excinderent 2, 681 et Macr. 3, 3 qui „Trebatius *profanum* id proprie dici ait, quod ex religioso vel sacro in hominum usum proprietatemque conversum est.“ „*Profanum* proprie dicitur, quod ex religiosa re in hominum usum convertitur.“ S. Hic autem versus necessarius est; complet enim precandi caussam: Faunus et Terra, mihi favete, qui vos colui; nolite opitulari ei, qui vos violavit. *Pl.* v. delet „Tuto carere possumus.“ Quod ut verum sit, num delenda sunt, quae possunt abesse?

782. *morsus roboris*: non potest discludere partes roboris, quae mordent quasi et continent hastam.

Quod Venus audaci Nymphae indignata licere,
Accessit telumque alta ab radice revellit.
Olli sublimes, armis animisque refecti,
Hic gladio fidens, hic acer et arduus hasta,
Adsistunt contra certamine Martis anheli.
  Iunonem interea Rex omnipotentis Olympi
Adloquitur fulva pugnas de nube tuentem:
Quae iam finis erit, coniunx? quid denique restat?
Indigetem Aenean scis ipsa et scire fateris
Deberi caelo fatisque ad sidera tolli.
Quid struis? aut qua spe gelidis in nubibus haeres?
Mortalin decuit violari volnere divum?
Aut ensem — quid enim sine te Iuturna valeret? —
Ereptum reddi Turno, et vim crescere victis?
Desine iam tandem precibusque inflectere nostris;
Nec te tantus edat tacitam dolor, et mihi curae

788. *armis animisque refecti.* Nam uterque idoneo telo destitutus animum deiecit; Turno deerat gladius, quo contra Aeneam stare posset, Aeneae hasta, qua Turnum fugientem posset consequi.

789. *hic — hic* cf. 9, 572.

790. *certamina* MPγc rec. *Wg. Rb. Fb. Hp. Ld. certamine* b. „alii *certamine* legunt" S. *Pl.* coni. *cursus certamine anheli. Certamina* per *contra* ortum videtur. Anheli sunt Martis certamine; iam diu enim acriter pugnaverant. Sic *anheli* habet nominativum Conington, alii contra genitivum; quod *anheli* convenire non putant cum *refecti*: sed sunt corpore anheli, animo refecti.

791—842. Iuppiter animum Iunonis Aeneae infestum placat.

791. *Omnipotentis Olympi* cf. 10, 1.

793. *quae finis* cf. 2, 554.

794. *Indigetem* Aeneam cf 1, 259. De ratione, qua quis caelum mereri putabatur ap. antiquos, cf. 6, 130. Qui sint dii indigetes quum pluribus demonstrare conatus esset S. haec addidit: „vel certe indigetes sunt dii ex hominibus facti — quasi in diis agentes — alii ab invocatione indigetes dictos volunt, quod *indigeto* est precor et invoco." cf. Voss G. 1, p. 206 qui comparat vocem *indigenae*.

795. Cf. G. 4, 325 *Quid me caelum sperare iubebas?*

796. *mortali* Mss. „a mortali illato." S. Cf. 740. *Divus* est Aeneas, qui in deos recipiendus est, quem ab homine vulnerari non decuit. *Pl.* coni. *Hunc talem decuit.* Satis poetice!

799. *Gt.* pro *ereptum* coni. *expertum*; *Pl.* coni. *Restitui patrium.* — *victis* de plurali cf. Gr. 363, 4. — Victo nihil prodest crescere vim, quum vincere nequeat. — *Ereptus* ensis est fato, quo constitutum est, ne Turnus ense Vulcanio, quo utebatur, feriret Aeneam, Vulcaniis armis tectum. Id Iuppiter, quum omnia ex fato fieri sciret, recte poterat dicere, etsi ante narratum est Turnum furore actum ensem suum reliquisse. Sed ipse ille furor erat ex fato, certe ut fata viam invenirent. Sic homines saepe nesciunt, quid struxerint dii, et tamen ipsi conferunt, ut fiat quod dii volunt. Cf. 1, 535. 6, 348.

800. *inflectere*, Medium cf. 2, 707.

801. *nec edat te dolor:* similia 4, 66. *Nec*, et *neque* quod et simpliciter annectit et negat, locum posse obtinere particulae *neu*, *neve* patet, ubi iam quae in *neve* accedit optandi notio ex verbis aliis elucet. De eo usu, qui vel apud Ciceronem est, uberrime exposuit Hand. Turs. 4, p. 118. Apud Virgilium *nec* est pro *neve* cum coniunctivo iunctum post imperativum in sententia affirmativa, ut h. l. E. 8, 102 *transque caput iace nec respexeris.* G. 3, 96 *Hanc abde domo nec turpi ignosce senectae;* etiam post coniunctivum, ut 4, 618. 11, 354. E. 8, 89 *Talis amor teneat, nec sit mihi cura mederi.* (Ovidii exempla dat Bach ad Met. 2 p. 549.) — *Nec* coniunctivum aut imperativum adiungit alius generis enuntiato, ut 3, 394. E. 9, 6. 10, 46. Huc referendi sunt loci 10, 32 et G. 1, 36 *nam te nec sperant Tartara regem, nec tibi regnandi veniat tam dira cupido.* Neque ea in re haerendum est, praesertim quum etiam *non* pro *ne* dicatur. Cf. 78. Alia est ratio 11, 44 *ne regna videres nostra*

Saepe tuo dulci tristes ex ore recursent.
Ventum ad supremum est. Terris agitare vel undis
Troianos potuisti, infandum accendere bellum,
Deformare domum et luctu miscere hymenaeos:
Ulterius tentare veto. Sic Iuppiter orsus;
Sic dea submisso contra Saturnia voltu:
Ista quidem quia nota mihi tua, magne, voluntas,
Iuppiter, et Turnum et terras invita reliqui.
Nec tu me aeria solam nunc sede videres
Digna indigna pati: sed flammis cincta sub ipsa
Starem acie, traheremque inimica in proelia Teucros.
Iuturnam misero, fateor, succurrere fratri
Suasi, et pro vita maiora audere probavi;
Non ut tela tamen, non ut contenderet arcum;
Adiuro Stygii caput implacabile fontis,
Una superstitio superis quae reddita divis.
Et nunc cedo equidem pugnasque exosa relinquo.
Illud te, nulla fati quod lege tenetur,
Pro Latio obtestor, pro maiestate tuorum:
Quum iam connubiis pacem felicibus, esto,
Component, quum iam leges et foedera iungent,
Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos,
Neu Troas fieri iubeas Teucrosque vocari,
Aut vocem mutare viros, aut vertere vestem.

neque ad sedes victor vehere paternas; neque enim per *neque* novum aliquid adiicitur, sed eiusdem rei pars altera. — Negatio valet etiam in altero enuntiato per *et* vel *que* adiuncto cf. v. 824. 2, 534. 10, 610. Adde Hand Turs. 2 p. 536. 21.. — Nec est in bc, in MP2γ est *ne* in P1 est *ni:* *edat* in P1bc ap. Diom. et Serv. *edit* sed suprascripto *a* Pγ. Hinc *Rb.* dat *Ni te tantus edit* et infert 801 et 802 post 832, eiicit ex hoc loco.

802. *curae recursant*; idem 1, 662.

804. *potuisti*: sed iam non poteris. — *infandum bellum*, quod est foedere rupto gestum et inter cognatos. Cf. 2, 3.

805. *deformare domum* „deformem reddere per luctum“ S. et Amatae ignobile letum. Sic *deformis* i. e. dehonestans *dolor* ap. Luc. 8, 81. *deformis aegrimonia* Hor. Ep. 13, 18. cf. v. 603. — *miscere hymenaeos*, qui fato fient, Aeneae et Laviniae; *luctu* i. e. morte aliorum et Amatae.

806. *orsus* post orationem ut 9, 656.

808. Se maxime obedientem fingit marito, ut quae sibi petit assequatur.

809. *Turnum reliqui* cf. 9, 802 sq.

811. *digna indigna pati* „omnia, et proverbialiter dictum est“ S. De asyndeto cf. Gr. §. 503. — *flammis cincta:* Dii magno splendore divinitatem suam produnt, maxime si iram suam volunt ostendere cf. 2, 616.

812. *traherem etc.*: cogerem iniquo proelio pugnare.

813. *Suasi etc.* ad rem cf. 138 sq. *suadeo* c. inf. et acc. ut G. 4, 264. Cf. 2, 33.

816. *implacabile* peierantibus.

817. *Superstitio* eodem modo, quo *religio* ap. Cic. pr. RA. 24 *magnam religionem possidet paternus maternusque sanguis.* — *reddita* cf. 3, 717. — De re cf. 6, 324.

819. Fatum voluit, Aeneam in Italiam venire ibique regnum condere; quo incolae nomine insigniendi essent siluit, quare in eo est libera deorum potestas, et concedit Iuppiter, ut aliquid fiat contra usum gentium, scilicet ut victores eorum, quos vicerant, nomen assumerent. Sic Normanni facti sunt Angli.

820. *tuorum*, nam a Saturno, Iovis patre, Latinorum reges ducunt originem.

825. Petit ne deponant Latini nomen, linguam, vestitum. Ita quod factum esse narratur, deorum consultationi Vgl. tribuit. Bene id quidem; nam iure quaeritur, si

Sit Latium, sint Albani per saecula reges,
Sit Romana potens Itala virtute propago;
Occidit, occideritque sinas cum nomine Troia.
Olli subridens hominum rerumque repertor:
Es germana Iovis Saturnique altera proles,
Irarum tantos volvis sub pectore fluctus.
Verum age et inceptum frustra submitte furorem.
Do, quod vis, et me victusque volensque remitto.
Sermonem Ausonii patrium moresque tenebunt;
Utque est, nomen erit; commixti corpore tantum
Subsident Teucri. Morem ritusque sacrorum
Adiiciam, faciamque omnes uno ore Latinos.
Hinc genus Ausonio mixtum quod sanguine surget,
Supra homines, supra ire deos pietate videbis;
Nec gens ulla tuos aeque celebrabit honores.
Adnuit his Iuno, et mentem laetata retorsit.
Interea excedit caelo nubemque relinquit.
  His actis aliud Genitor secum ipse volutat,
Iuturnamque parat fratris dimittere ab armis.

tanti momenti fuerit Troiana colonia, ut vult esse Vgl., quum tanti carminis faciat argumentum, qui factum sit, ut nulla eius rei certiora exstent documenta, qualia ante omnia sunt nomen, sermo, vestitus. Iuppiter autem quae Iuno petit concedit quasi res nullius momenti. Summum erat, quod sacra et deos, quibus terrarum imperium stetit, in Italiam asportaverant. Et hoc iam ab initio carminis indicavit 1, 4 *dum conderet urbem, inferretque deos Latio.*

828. *Pl.* pro *sinas* coni. *suo.*

829. *repertor* cf. 7, 772. Itaque Iuppiter mundum et homines ipse creavit.

830. Probas te Iovis germanam Saturnique prolem, quod tantos irarum volvis fluctus. Omissa particula *nam*, quae saepius omittitur ante *tantus* cf. 5, 404. Pergit Iuppiter: Attamen, quum tu velis, concedam.

831. *irarum fluctus volvere* cf. 4, 532.

835. *Corpus* sic 11, 313.

836. *subsident Teucri* „latebunt in Latinorum scilicet multitudine ut 5, 498 *galeaque ima subsedit Acestes.*“ S. — *ritusque sacrorum adiiciam:* Si Iuppiter adiicit, non est id Iunoni dedecori, sed si id fieri dicitur a Troianis. Attamen a Troianis dii illati sunt cf. 192 et 1, 4; igitur, ut ex hoc loco intelligimus, ex Iovis sententia sive ex fato. — Ausonios et Teucros uno nomine Latinos factos esse dicit Sallustius cf. 1, 6. — *Pl.* coni. *commixti corpore Teucri subsident: tantum m. r. s. adiiciunt* detrahitque de Iovis ac Iunonis maiestate.

839. *supra deos ire.* Hi observantiores erunt deorum, quam dii Romanorum curam habent. — *supra* sic 11, 510.

840. Iuno Regina ex urbe Veiis evocata (de quo more cf. 2, 351) a Camillo, et ab eo tempore Romae est culta Liv. 5, 21, 22. Templum habuit in Aventino Liv. 22, 1.

841. *mentem retorsit. Retorquere* est torquendo, flectendo revertere; sic ubique et 485 *equos retorsit* Iuturna, i. e. retro egit *aversos*, quod ipsum adiecit poeta. Itaque mentem retorquet, qui removet et in contrariam sententiam vertit. Sic Iuno quum haec ex Iove audisset, iam destitit Turnum iuvare propitiaque reddita est Aeneae; eo enim ducta fuerat errore, quod Troianos debitum sibi honorem recusaturos opinabatur cf. Sen. Benef. 3, 3 Ingrati *ad praeterita rari animum retorquent*, *Schr.* coni. *vultum.* — *laetata*, quod audit de sua potestate nihil detractum iri et Latinum nomen permansurum.

842. *Nubem relinquit* explicat id, quod dixit *caelo excedit*, ut saepe adiuncto per *que* verbo prius explicatur. Cf. 1, 2. — Itaque eodem tempore *excedit* et *relinquit* est dicendum. Iuno autem a nube recedit domum.

843—886. Iuppiter Diram immittit Iuturnae, ut a fratre recedat.

843. *his actis:* quum Iuppiter ita Iunonis animum commutasset.

Dicuntur geminae pestes cognomine Dirae,
Quas et Tartaream Nox intempesta Megaeram
Uno eodemque tulit partu paribusque revinxit
Serpentum spiris ventosasque addidit alas.
Hae Iovis ad solium saevique in limine regis
Adparent, acuuntque metum mortalibus aegris,
Si quando letum horrificum morbosque deum rex
Molitur, meritas aut bello territat urbes.
Harum unam celerem demisit ab aethere summo
Iuppiter, inque omen Iuturnae occurrere iussit.
Illa volat celerique ad terram turbine fertur.
Non secus, ac nervo per nubem impulsa sagitta,
Armatam saevi Parthus quam felle veneni,
Parthus sive Cydon, telum immedicabile torsit,

845. *pestes* cf. 5, 683. Paulus p. 69. M. explicat *Dirus dei ira natus;* et Serv. ad 3, 235 „Sabini et Umbri quae nos mala, *dira* appellaverunt." Sic *dirus* ubique significat quod est contra deorum voluntatem, sic *dira mens* 2, 519 schrecklicher Gedanke, qua tentantur dii, ut hominem senem iuvent viribus senectuti negatis, sic *dira cupido* 6, 373. 9, 185, quae cupit, quod dii vetuerunt, sic *funus dirum* 11, 56, quia est contra naturam filio mortem imprecari, *volucres dirae* 8, 235, quae vescuntur cadaveribus; inde *dirae* sunt *Harpyiae* 3, 235, quae ab avium natura longe recedunt, suntque revera factae ad explendam iram deorum. Inde *dirae* sunt infausta auspicia, et est *dirarum obnuntiatio.* Cf. Cic. Div. 1, 16, 29 *diras obnuntiare.* Inde *Dirae* signant *Fluch,* ut dicatur *diras imprecari* Tac. A. 6, 24, et factae sint deae, quas „usurpative" Furias dici docet Serv. ad 4, 609. Locus, quo sint, varius traditur (cf. 6, 280), et 4, 473 Dirae adsunt ad templi limen. Ita h. l. *apparent* „praesto sunt ad obsequium" S. (ut etiam magistratuum ministri dicebantur *apparitores*) Iovi, ut eius acerba iussa exsequantur, duae; tertia, Megaera, in Tartaro. In eo 6, 571 etiam Tisiphone. Utrum Vgl. ipse finxerit, an ab alio assumpserit, nescimus. Apollonius Rhodius Harpyias dicit Iovis canes 2, 289, et sunt famulae Iovis *quas magnas sibi legit in iras* Val. Fl. 4, 520. Facile autem aliquis ad eam accedere poterat opinionem, qua Iovi, cui hominum peccata punienda sunt, adesse illas famulas putaret. Constat ab antiquis varia Furiarum nomina misceri; tamen quum sint nomina appellativa, singula eorum singula indicant officia Furiarum. Et Dirae sunt Graecorum *Ἀραὶ,* ut Furiae *Ἐρινύες* cf. Aesch. Eum. 416 *ἡμεῖς γάρ ἐσμεν Νυκτὸς αἰανῆ τέκνα, Ἀραὶ δ' ἐν οἴκοις γῆς ὕπαι κεκλήμεθα;* ibi adsunt ad puniendum Orestem. Apertius Dira indicatur Sept. 69, ubi Eteocles: *ὦ Ζεῦ καὶ Γῆ, καὶ πολισσοῦχοι θεοὶ, Ἀρὰ δ', Ἐρινὺς πατρὸς ἡ μεγασθενής.* Sic Ara ab Erinye secernitur ap. Soph. El. 111 *ὦ χθόνι' Ἑρμῆ καὶ πότνι' Ἀρὰ, σεμναί τε θεῶν παῖδες Ἐρινύες, αἳ τοὺς ἀδίκως θνήσκοντας ὁρᾶτε,* et dicitur *δεινόπους* O. R. 418, ut Erinys *χαλκόπους* El. 491 et *πολύστονος* Eur. Or. 991.

846. *Megaera* inter Furias saepissime memorata.

848. Spirae serpentum cf. 2, 217.

849. *saevi:* „Epitheton est, accommodatum ei, quum saevit, neque enim est Iuppiter semper saevus." S. Exacerbatus est hominum sceleribus.

850. *mortales aegri* cf. 2, 268. — *metum acuere* cf. 590.

852. *meritas.* Iuppiter non punit nisi sceleratos.

854. *in omen* i. e. ut omen esset. Cf. 6, 42.

856. *impulsa sagitta:* ita v. 320. Ov. M. 11, 325 *nervoque sagittam impulit.* — *per nubem:* Sic Parthi Crassi exercitum aggressi sunt pulvere a primo equitum ordine commoto, per quem sagittas mittebant, qui post erant.

857. De Parthis et Cydonibus, qui sunt ex Cretae urbe Cydonia, sagittas veneno inficientibus cf. 10, 140. — *armare veneno* cf. 9, 773. *fel veneni:* Sic Ovid. *fel vipereum* Tr. 5, 7, 16. Pont. 1, 2, 18.

858. *Sive* hoc uno loco ap. Vgl. iungit vocabula, non enuntiata. Sic usus est particula saepius Cicero, semel ut videtur Liv. 1, 3 *Ascanius urbem matri seu novercae relinquit,* semel Curtius 4, 4, 20.

Stridens, et celeres incognita transilit umbras:
Talis se sata Nocte tulit terrasque petivit.
Postquam acies videt Iliacas atque agmina Turni:
Alitis in parvae subitam collecta figuram,
Quae quondam in bustis aut culminibus desertis
Nocte sedens serum canit importuna per umbras,
Hanc versa in faciem, Turni se pestis ob ora
Fertque refertque sonans; clipeumque everberat alis.
Illi membra novus solvit formidine torpor,
Arrectaeque horrore comae, et vox faucibus haesit.
At, procul ut Dirae stridorem adgnovit et alas,
Infelix crines scindit Iuturna solutos,
Unguibus ora soror foedans et pectora pugnis:
Quid nunc te tua, Turne, potest germana iuvare?
Aut quid iam durae superat mihi? qua tibi lucem
Arte morer? talin possum me opponere monstro?
Iam iam linquo acies. Ne me terrete timentem,
Obscenae volucres: alarum verbera nosco
Letalemque sonum, nec fallunt iussa superba
Magnanimi Iovis. Haec pro virginitate reponit?
Quo vitam dedit aeternam? cur mortis adempta est

Celeri et scriptores et poetae videntur eo usu abstinuisse. Ex Ovidii carminibus loci afferuntur Am. 3, 333. Tr. 1, 9, 43. Ib. 507 satis dubii. *Telum immedicabile* est, quod vulnus facit immedicabile.

859. *Incognita* i. e. inopinanti advolans, improvisa et repentina allabitur, et *transilit umbras*, quas infra se ipsa facit, dum per aerem volat; et *celeres* eae umbrae sunt, quum celeriter volet, umbraeque sagittam sequantur.

862. *In parvam alitem* collecta sc. noctuam, quae mortis omen putatur. Quod alii hoc loco intelligunt bubonem, non possum reprehendere, quum et is parvus sit, si cum grandi et excelso corpore Dirae comparatur cf. 4, 462.

863. *quondam* cf. 2, 367. — *collecta*, constricta Tib. 1, 8, 14 *Ansaque compressos colligit arta pedes*. Prop. 3, 7, 29 *in tenues humilem te colligis umbras*.

864. *importuna:* Importunus, quicunque moribus et factis suis molestus est; itaque hoc loco infesta. Apud Tib. 1, 5, 52 *e tectis strix violenta canit*.

866. *se fertque refertque*, cf. 4, 438. — *everberat* legitur ap. Ov. Met. 14, 577 *cineres plausis everberat alis* et ap. Quint. Curt.; fortius quam *verberat* cf. 8, 227.

867. Novus torpor est, quem antea nunquam senserat.

868. Idem paene versus 3, 48.

869. *stridorem et alas:* i. e. alarum stridorem. Servius autem vocis stridorem et alarum plausum intelligit.

872. *Inquit* omissum cf. 4, 416.

873. *durae*, „inmiti, quae posset fratrem cernere tot laboribus subditum" S. cf. 4, 681.

875. *timentem* sc. vos Furias. *Ne* c. imper. 6, 544.

876. Obscenum omne est, quod taetrum est et foeditate movet horrorem. Inde obscenus est cruor 4, 455. obscenae sunt Harpyiae 3, 241. et Hecates canes 6, 257; obscena est frons Allectus 7, 417. Hoc loco et alibi explicant etiam obscenum id, quod mali est ominis; quam significationem accipere quum nusquam necesse sit, generalior autem, quam proposuimus, ubique sufficiat, satius est in ea perstare, quum vocem quomodo scribant et unde deducant adhuc ambigant doctissimi. cf. Gr. §. 225. — *Volucres* pluralem dicit, quum non videat, sed modo audiat et sentiat adesse; quare facile potest plures esse suspicari.

878. *reponit*, rependit. Haec sunt praemia pro erepta mihi ab eo virginitate? De re cf. 11, 141.

879. *quo*, quorsum, quem in usum. cf. 2, 150. Quid mihi prodest aeternitas, nisi ut aeternis premar doloribus? Quantopere praestaret mortalem esse, finem habere dolorum, et cum fratre descendere ad inferos. Simile Ov. M. 1, 661 *Nec finire*

Condicio? possem tantos finire dolores
Nunc certe, et misero fratri comes ire per umbras.
Immortalis ego? aut quidquam mihi dulce meorum
Te sine, frater, erit? O quae satis ima dehiscat
Terra mihi, Manesque deam demittat ad imos?
Tantum effata caput glauco contexit amictu
Multa gemens et se fluvio dea condidit alto.
Aeneas instat contra, telumque coruscat
Ingens arboreum, et saevo sic pectore fatur:
Quae nunc deinde mora est? aut quid iam, Turne, retractas?
Non cursu, saevis certandum est comminus armis.
Verte omnes tete in facies et contrahe quidquid
Sive animis sive arte vales; opta ardua pennis
Astra sequi, clausumque cava te condere terra.
Ille caput quassans, Non me tua fervida terrent
Dicta, ferox; di mi terrent et Iuppiter hostis.
Nec plura effatus, saxum circumspicit ingens,
Saxum antiquum, ingens, campo quod forte iacebat,
Limes agro positus, litem ut discerneret arvis.

licet tantos mihi morte dolores; sed nocet esse deum, praeclusaque ianua leti aeternum nostros luctus extendit in aevum.

880. *condicio* sic MPRγb.

882. Ego quam misera, quod immortalis sum, aut erit quidquam mihi dulce erepto fratre! Per enuntiatum particula *aut* incipiens caussa redditur prioris exclamationis. — *meorum* neutrum est, i. e. rerum mearum. cf. 1, 599.

883. *dehiscat* cf. 4, 24. — *o quae*: Sic G. 2, 488 *O qui me gelidis convallibus Haemi sistat.* Ter. Phorm. 1, 2, 73 *Homo confidens: qui illum di omnes perduint. O quis* est idem ac *utinam quis.* — *dehiscat* MRγbc *dehiscet* P. (sed perfosso *e* et suprascripto *a*) rec. *Rb.* — Deinde *alta* intulit *Hs.* „qui *alta* ex praestantioribus dedit" *Hn.* retinuit *Wg.*, etsi memorat *ima* legi in MR, quod firmat *Rb.*, qui ait esse in P. Itaque caussa iam non est retinere *alta*, quum praestantiores Heinsii qui sint non certum sit.

884. *demittat* MRγc2 *demittit* perfosso *i* et suprascripto *a* P. rec. *Rb.* „Bis idem exprimitur v. 879—881 et 882—884, sed ita, ut ternionem utrumque poeta ipse proposuisse credendus sit." Non idem esse doctum est ad 879 et 882.

885. *glauco amictu*, nam Nympha est cf. 8, 33.

887—952. Turnus occiditur.

887. *Contra* i. e. Iuturna deseruit Turnum; instat Aeneas; soror abest, hostis urget.

888. Ingens Aeneas coruscat telum *arboreum*; cf. 294 *hasta trabalis.* Et haec ad exprimendam heroum magnitudinem composita sunt. cf. 700. Alii *ingens* iungunt cum *telum*, sed ingens esse telum iam declaratur voce *arboreum.*

889. *deinde* cf. 5, 14. — *retractas*, recusas cf. 11.

891—3. *Verte te in facies omnes* ut Proteus; omnes artes adhibe, te tamen tenebo, neque effugies. *Opta* significat: Equidem nihil impedio, optionem tibi do.

893. *clausumque* MRγbc *-ve* P. rec. *Rb.* Copulativam paene ubique pro disiunctiva poni posse, quando sufficiat indicari referri inter se enuntiata, et ex ipsis facile appareat quomodo referantur, vix opus est demonstrari. cf. 2, 37. Quae h. l. dicuntur de fuga difficili, talia, ut probabile est, dicuntur tamquam proverbio. Eur. Herc. Fur. 1157 *Ποῖ κακῶν ἐρημίαν εὕρω, πτερωτὸς ἢ κατὰ χθονὸς μολών*; Vat. 4, 217 *fuga sub terras, fuga nulla per auras*, alibi. — In Aeneae oratione 889—893 quum „890 summam contineat sententiam, aut praecedere debebant sequentia 891—893 aut alia clausula, velut nunquam hodie effugies" excipienda erant *Rb.* Poeta aliter indicavit.

894. *caput quassans* indignantis est, ita 7, 292.

897. *saxum antiquum, ingens* cf. 6, 283. *Pl.* delet *Saxum a. i.* et *litem — arvis.*

Vix illud lecti bis sex cervice subirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.
Ille manu raptum trepida torquebat in hostem,
Altior insurgens et cursu concitus heros.
Sed neque currentem se nec cognoscit euntem
Tollentemve manu saxumque immane moventem;
Genua labant, gelidus concrevit frigore sanguis.
Tum lapis ipse viri, vacuum per inane volutus,
Nec spatium evasit totum neque pertulit ictum.
Ac velut in somnis, oculos ubi languida pressit
Nocte quies, nequidquam avidos extendere cursus
Velle videmur, et in mediis conatibus aegri
Succidimus; non lingua valet, non corpore notae
Sufficiunt vires, nec vox aut verba sequuntur:
Sic Turno, quacunque viam virtute petivit,
Successum dea dira negat. Tum pectore sensus
Vertuntur varii. Rutulos adspectat et urbem,
Cunctaturque metu telumque instare tremescit;
Nec, quo se eripiat, nec, qua vi tendat in hostem,

899. De hac virium exaggeratione cf. 700.

901. *ille — heros* cf. 5, 609. — *manu trepida;* itaque iam eum vires deficiunt.

902. Erigere corpus et procurrere adiuvat teli iactum.

903. Neque tamen ea in re se, i. e. suas pristinas vires cognoscit sed deficere eas adverso aliquo numine cf. 867 et 913. *Pl.* pro *euntem* coni. *eundem.* Et tamen consulto Virgilium eandem quaesisse terminationem *currentem*, *euntem*, *tollentem*, *moventem* et indicare voluisse frustratum conatum satis apparet.

904. *tollentem — saxumque — moventem.* Particulam *que* ei videmus adiungi verbo, in quo omnis est vis, ut 2, 597 *coniux*, 5, 47 *divinus*, aut ei, quod utrimque trahendum est et ad priora et ad posteriora referendum, ut h. l. et saepissime apud Horatium, nec minus apud alios, sed apud eum saepius observatum est. Sic *cornua quod* vincat, *vincatque tubas* Sat. 1, 6, 43. 2, 3, 139 *Non Pyladem ferro violare aususve sororem.* Sic verbo plerumque adhaerere particulam facile apparet, neque tamen alii voci annecti propterea negandum est. Cf. Sat. 1, 4, 115 *vitatu quidque petitu sit melius.* Cf. Gr. §. 480. *tollentemve* PRb *tollentemque* Myle; *manus* MRyl *manu* Phc *saxumque* yc; *manus saxumve* rec. *Rb.*

905. *gelidus* prolepsis adiectivi cf. 4, 22.

906. *lapis viri*, a viro iactus. *Gt.* pro *viri* coni. *ruit. Vacuum.* — *vacuum per inane* „scilicet hoc id erit vacuum, quod inane vocamus“ Lucr. 1, 440; qui inane, locum inanem, corpori oppositum saepissime dixit substantivum cf. vv. sqq. — Sic paulo supra v. 354 legimus *longum inane.* Neque poeta soli eo substantivo utuntur, sed etiam Cicero in philosophicis: Epicurus *corpora individua . . . censet in infinito inani . . . ferri.* Fin. 1, 6, 17. *nullum inane esse potest* ND. 1, 23, 65. Cf. 7, 562.

907. *neque pertulit ictum* cf. 10, 786. *Ictum perfert hasta* ap. Stat. Theb. 11, 502. Sil. 5, 326.

910. Versus est enervi sono et fractis numeris, ut ipsam conatus significet vanitatem. „Ita, qui vitiosi sunt alias numeri, iis suo loco recte utuntur poetae.“ *Wg.*

912. *nec vox aut verba sequuntur*, oris intentionem. Sic saepius dicuntur *verba sequi.* Confer notissimum illud *rem tene, verba sequentur.* Ov. M. 1, 647 *Nec retinet lacrimas, et si modo verba sequantur, oret opem nomenque suum casusque loquatur.* 11, 326 *Lingua tacet, nec vox tentataque verba sequuntur.* Verba sequuntur loquendi conatum, si quis quae vult valet eloqui.

916. *telum* MRyc *letum* P. rec. *Rb.*

917. *videt* varia structura cf. 3, 180.

Nec currus usquam videt aurigamve sororem.
Cunctanti telum Aeneas fatale coruscat,
Sortitus fortunam oculis, et corpore toto
Eminus intorquet. Murali concita nunquam
Tormento six saxa fremunt, nec fulmine tanti
Dissultant crepitus. Volat atri turbinis instar
Exitium dirum hasta ferens, orasque recludit
Loricae et clipei extremos septemplicis orbes;
Per medium stridens transit femur. Incidit ictus
Ingens ad terram duplicato poplite Turnus.
Consurgunt gemitu Rutuli, totusque remugit
Mons circum, et vocem late nemora alta remittunt.
Ille humilis supplexque oculos dextramque precantem
Protendens, Equidem merui, nec deprecor, inquit;
Utere sorte tua. Miseri te si qua parentis
Tangere cura potest: oro — fuit et tibi talis
Anchises genitor — Dauni miserere senectae,
Et me, seu corpus spoliatum lumine mavis,
Redde meis. Vicisti; et victum tendere palmas
Ausonii videre; tua est Lavinia coniunx;
Ulterius ne tende odiis. Stetit acer in armis
Aeneas, volvens oculos, dextramque repressit;
Et iam iamque magis cunctantem flectere sermo
Coeperat: infelix humero quum adparuit alto

918. *aurigamque* Ryb -*ve* MPc rec. *Rb.* recte, nam auriga prope currum est, quare si alterumutrum videt, alterum adesse sentit.

920. *sortitus fortunam oculis*, quaerens feriendi opportunitatem. — *corpore toto* cf. 9, 410.

921. *murali tormento*, qualis est ballista.

922. *fremunt* cf. 11, 453.

925. Hasta per omnes clipei orbes et loricam in femur incidit. Paulo gravius est vulnus hastae, quam erat in Aenea sagittae, sed non letale. — *Septemplex*, quale Aiax habet σάκος ἑπταβόειον et Aeneas cf. 8, 448.

927. *duplicato poplite*, genu inflexo cf. 11, 645.

928. *Consurgunt* cf. 9, 749 *gemitu Rutuli*, ut mons et silvae sonum reddant. — *remugit* cf. 2, 488.

930. *oculos dextramque precantem protendit* cf. 2, 405. *supplex oculos* PR rec. *Rb.* Idem sed lacuna inter duas voces illata *γ supplexque oculos* Mc.

931. Merui meis factis a te occidi (cf. 2, 434), neque recuso.

932. *Utere sorte tua:* utere sorte a fato data „interfice hostem tuum.“ S. Sic ap. Sil. 15, 806 *leto non terreor ullo; utere Marte tuo.* Non minus intrepidus erat Mezentius 10, 900.

933. Vir fortis non aperte sibi vitam orat, neque tamen renuit, petitque pro Dauno parente.

935. Petit ut saltem corpus remittat sepeliendum, quod dederat ipse Pallanti Turnus, et Aeneas Mezentio, quare dabit etiam Turno.

936. *Vicisti.* Ad gloriam pertinet Aeneae, quod ipse Turnus victum esse se fatetur; nam „qui vicit, non est victor, nisi victus fatetur“ Ennius.

937. Habes, ob quod bellum gestum est, noli odio ultra progredi; nam ultra utilitatem saevire crudelitatis est.

938. *stetit in armis*, cf. 5, 37; dextra ensem tenens occisurus; sed tamen etiam in hoste infestissimo movetur misericordia.

940. „Omnis intentio ad Aeneae pertinet gloriam. Nam et ex eo quod hosti cogitat parcere, pius ostenditur, et ex eo quod eum interemit pietatis gestat insigne. Nam Evandri intuitu (impulsu) Pallantis ulciscitur mortem.“ S. — *cunctantem* cf. 5, 856.

941. *infelix* sc. Turno; balteus splendidus ille Pallantis et propterea a Turno ereptus et gestus. cf. 10, 495 sq.

Balteus et notis fulserunt cingula bullis
Pallantis pueri: victum quem volnere Turnus
Straverat atque humeris inimicum insigne gerebat.
Ille oculis postquam saevi monumenta doloris
Exuviasque hausit, furiis accensus et ira
Terribilis: Tune hinc spoliis indute meorum
Eripiare mihi? Pallas te hoc volnere Pallas
Immolat et poenam scelerato ex sanguine sumit.
Hoc dicens ferrum adverso sub pectore condit
Fervidus. Ast illi solvuntur frigore membra
Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.

942. *Balteus* et *cingula* non differunt; sic cingula balteus dicitur 9, 359. Balteus autem qui ab humeris pendet 9, 360 et ad latus fibula nectitur cf. 273 et gladii est et pharetrae 5, 312. — Ornatus autem erat etiam bullis aureis cf. 9, 1. Quid quod tota Danaidum historia in Pallantis balteo depicta erat.

944. Latini, quando ad enuntiatum relativum adiungitur alterum, quod alius est rectionis, ut alio relativi casu quam in priore opus sit, non eo utuntur, sed determinativo. Quae liberior structurae ratio apud Graecos legitima est. Cf. *Bernh. gr.* p. 304. Sic Cic. Orat. 3 *species pulchritudinis eximia quaedam, quam intuens in eaque defixus.* Sic 7, 61 *Laurus, quam pater inventam, primus quum conderet arces, ipse ferebatur Phoebo sacrasse Latinus, Laurentesque ab ea nomen posuisse colonis.* Cf. Gr. §. 384, 7. Sed Virgilii quum consuetudinem declaremus, caveamus ne nimium exspatiemur. Virgilius igitur repetiit relativum ut 2, 5 *quaeque ipse miserrima vidi et quorum pars magna fui.* Saepius autem in altero enuntiato relativum omittit, et si eodem casu repetendum est, ut E. 8, 3 *quorum stupefactae carmine lynces et* quorum carmine *mutata suos requierunt flumina cursus*, et si alio. Sic iam demonstrativum omissum est a Cicerone qui: *utrum simus earum rerum rudes an didicerimus* de Or. 1, 16, 72 alibi, ubi Latini concinnitatis caussa quam affectant in enuntiati partibus oppositis, negligunt strictam grammaticam, quam dicendi formulam vocant analogiam cf. Gr. §. 493. Neque tamen si alterum enuntiatum per copulam enuntiato relativo adiungitur, ubique eadem valet ratio, sed aut relativum alio casu supplendum est, ut genitivo 3, 382. 5, 403. 9, 489. 10, 520. quem suppleri licet etiam 6, 284. 11, 75; accusativo 8, 567; nominativum licet suppleri 9, 592; similique modo etiam adverbium pronominale usurpatur. ut G. 4, 9 *quo neque sit ventis aditus . . . neque oves . . . floribus insultent;* quo loco *ubi* supplendum est. — Aut alterum enuntiatum secundarium est, ut loci referendi sint ad ea, quae ad 8, 125 dicta sunt. Tales sunt 6, 350 *cui datus haerebam custos cursusque regebam* i. e. cursus regens, 550. 9, 350. 489. 10, 811. 11, 75; in aliis participium perfecti potest substitui ut 10, 243. 12, 674 *turrim compactis trabibus quam eduxerat ipse, subdideratque rotas pontesque instraverat altos.* Iam diximus in aliquot locis non liquere, utra explicandi ratio praeferenda sit. — Sunt loci in quibus ratio videtur obtinere, quae signata est 65, ut 9, 592. G. 3, 282; exstant etiam in quibus anacoluthon inesse videatur, ut 10, 703 *una quem nocte Theano in lucem genitori Amyco dedit et face praegnans Cisseis regina Parim;* et 12, 261 *o miseri, quos improbus advena bello territat invalidas ut oves, et litora vestra vi populat.* Quamquam etiam hi loci ad alterum utrum genus possunt referri. Libro 9, 777 ad relativum quod est 775 non videtur pertinere, sed per se constare.

946. *hausit oculis* cf. 4, 661.

947. *tu — indute.* Cf. 2, 283. 9, 485. 10, 327. Gr. §. 252, 4. — *Meorum* pluralis in universum dictus maiorem habet hoc loco vim, quum plures etiam a Turno occisi dicantur.

948. *Pallas immolat:* Animae enim mortuorum cupiunt morte placari eorum, qui necaverunt cf. 11, 180.

952. Idem versus 11, 831. — *vita* pro anima etiam 10, 819. — Iam fata viam invenerunt. Fit foedus pactis conditionibus: ducit Aeneas Laviniam, condit urbem, succedit in Latini regnum; eiusque posteri incolent Romam aeternam.

DE HEXAMETRO VIRGILII.

Excursum quem addideram de hexametro Virgilii simili modo reddere non ex re esse videbatur. Nam ipse de hexametro in libro grammatico quid sentirem exposueram et quod in universum monueram, valet etiam de versu Virgiliano. Quid quod Virgilium maxime habeo artis auctorem. Tamen quoniam in priore editione de Virgilii versu actum est, qui hanc acquiret maius aliquid et comptius exspectabit, ut plane omittere non licuerit.

Ac primum quidem in medium incido certamen, quod tacere nolo hoc locò, quum in grammatica opportunum non duxerim controversias virorum doctorum disceptare. Ab utra parte starem in priore editione p. 625 sqq. et in grammatica § 522 docui, et etiam nunc idem sentio, ut arbitrer Ennium, qui hexametrum Graecumque metrum intulerit in linguam Romanam, maxime ea laborasse difficultate, quod lingua Romana quae ad id ipsum tempus versu Saturnio usa fuerat, longis abundabat syllabis, brevibus carebat. Deinde plures syllabae erant, eaeque aptae rationi, qua componebatur Saturnius, non satis longae, ut duas moras complerent, essent tamen una mora maiores, et tam breves, ut ne uni quidem morae sufficerent, certo Graecorum metro aptae non erant. Itaque quum in dactylo plures breves essent, eae erant parandae, in eoque ipsa linguae natura iuvabatur, quae accentu in priores syllabas retracto extremas corripiebat. Cf. quae allata sunt Gr. § 9. § 17 sqq. § 23. § 46. § 54. § 56.

Ab initio poetae unum illud spectabant, ut versus complerentur, quare et in pedibus versus et in caesuris et clausulis multa sibi indulserunt; in synaloephe seu elisione et hiatu faciles erant. Deinde versus sensim usu graciliores fecerunt et iucundiores usque ad Lucretium et Catullum. Primus videtur intellexisse quid interesset ad sonum inter Romanam linguam et Graecam is, qui in omni arte dicendi excellebat, Cicero; is in iis, quae restant eius poemata quater admisit diaereses in primo et in secundo pede in Arat. 38. 57. 267. 481, carmine puerili; in eodem exstant clausulae aliquae contra legem postèa observatam, tales autem in Prognosticis et in De consulatu non exstant, quod factum est consilio. Perspexit enim naturam linguae, et qui in prosa oratione de natura metrorum tam accurate disquisivit et quales inter se bene coniungi possent constituit, is in versu certe non neglexit, primusque videtur intellexisse Latinus hexameter quanta gravitate esset et quanta dulcedine, si certis legibus, iisque quae ex ipsius linguae indole non ex Graeca haustae essent, constringeretur. Sed pauca composuit. Primus qui hac ratione hexametrum tractavit in omnibus suis carminibus est Virgilius. Is primus eam legem observavit, qua omnis nititur Latini hexametri vis et ars, initio versus arses et vocabulorum accentus non solere concordare, fieri id in extremo, certe a quinto pede, ita ut verborum accentus ab initio versui renitens, tandem concinat. Atque in

ea discrepantia, quae semper solvitur, positus est omnis versuum impetus et venustas. Rarissime per totum versum verborum accentus in arses incidunt ut Ecl. 1, 71: *Ímpius haéc tam cúlta novália míles habébit.* 5, 52: *Dáphnin ad ástra ferémus amávit nós quoque Dáphnis.* Quibus versibus fluentibus flebile aut molle aliquod inest. Contra 9, 532 *Expugnáre Itàlí sùmmáque evértere òpúm vì* accentuum et arsium discrepantia usque ad versum extremum continuata contentio ipsa, qua quasi verborum obstacula versus superat, contentionem signat laborantium.

Poetae boni et Virgilius haec versuum genera, quae in alterutram partem a lege recedunt, non admittunt nisi sententia postulante. Praeterea monendum in distichis tales hexametros non habere locum, quum in iis nec sequens, nec antecedens versus meram formam sed longe aliam praebeat, legentem igitur et audientem proximi versus non ad veram normam reducant; non posse igitur tales versus esse nisi in hexametrorum continuitate. Atque hoc latius patet, ut omnes versus, qui illi legi qua in extrema parte versus et pedum et verborum accentus concordare necesse est, non respondeant. non possint defendi, nisi in continuis hexametris. Hexametri enim Graecorum et Latinorum admodum sunt diversi. Nam quum Graecarum vocum accentus per tres syllabas erraret, Latinarum paene constabat in paenultima. Quae accentus constantia in versibus componendis leges etiam dedit constantiores. Nam quum Graeca vocabula accentuum varietate non possent ad certas leges adstringi, non poterat alia esse lex quam syllabarum quantitas; ad eam spectabant poetae, accentum minus curabant. Contra Latini, si Graeca metra transferunt, arctioribus legibus premunt, et quum ipsa eorum lingua Graecis metris ad rationem multo aliam composita tantopere repugnet, ut multas formas versibus omnino inferre non possint: nihilominus tamen regulas Graecorum, qui ipsa linguae volubilitate et quum illi versus in ipsa lingua nati essent, omnia vocabula et omnes eorum formas in versibus poterant adhibere, arctioribus etiam finibus circumscripserunt, et versus difficiles reddidere etiam difficiliores. Id in carminibus observatur Horatii, idem in hexametro Virgilii. Quodsi quaerimus, qui factum sit, ut Romani vel severiores essent Graecis, quum facilius contra fiat, ut qui ab alio metra recipit populus, liberius uti soleat, caussa facile apparet haec, quod Latinorum vocabula fere omnia eodem sunt accentu, ut longae paenultimae accentus adbaereat, a brevi autem ad syllabam transferatur priorem. Apud Graecos exstant formae hac:

1) ἄνθρῶπος. θάνᾰτŏς.

2) θανᾰ́τον. ἀνθρώ̄ποῡ. βιβλῐ́ŏν. φιλοῦσᾰ. ἐριβῶλᾱξ.

3) ὀρχῆθμŏ́ς. ποτᾰμŏ́ς. βασῐλεῡ́ς. κοῦρεῡ́ς. ποτᾰμοῦ. ὀρχῆθμοῦ.

Contra apud Latinos sunt 1) laudávĕrĭt. laudávĕrīnt. 2) laudavérūnt. laudavérĕ. 3) 0.

Hinc satis apparet, nisi maiore cura et arte versus poetae corroboravissent, eos consona terminatione vocabulorum redditos fuisse intolerabiles, quales antiquissimorum poetarum nonnulli versus etiam sunt. Cf. Gr. § 522.

An. Hanc legem esse negat Corssen, Boeckh, Madvig, homines magnae auctoritatis; Corssen negat apud antiquos poetas discrepantiam inter pedum et verborum accentus tam crebram esse quam apud Augusteos, qui eam artem callere dicantur. Sed solo numero res non diiudicatur. Nam quum antiquiores illam discrepantiam nec quaererent nec vitarent, in extremis etiam pedibus admiserunt, in prioribus praeteribant, ut facile idem numerus consonantium et dissonantium accentuum esset, si quidem est. Quis enim numeravit? Deinde affert exemplum Horatii, qui in fine hexametri eam discrepantiam quaesivit. At si Horatius ad vulgarem loquendi morem

in Sermonibus suis quam proxime accedit, iam apparet Virgilium aliosque diversam secutos esse rationem. Sic noluit Horatius in fine versuum esse finem sententiae. Itaque consilio certo usus est uterque, Virgilius in versu heroico, in satirico Horatius. Cf. Gr. §. 522. An. §. 529, 5. 7 et Kocks Progr. Cöln. FW. Gymn. 1873.

Illud etiam ab initio moneam: *Virgilius*, summus versuum struendorum artifex, quamquam est legum observantissimus, iis tamen non ita se adstrinxit, ut de forma primaria nunquam decederet, nec, quantum liceret, variaret. Fecit etiam versus, in quibus inesse videtur vitium aliquod, sed id ipsum aptum sententiarum affectui. Quod autem Latinae linguae naturam observavit, caussa est, ut Virgiliani versus qui rationem non intelligit, tamen sentiat pulchritudinem.

CAP. I.

§ 1. De pedibus versus.

In versu heroico admittuntur dactyli et spondei (in sexto pede etiam trochaeus cf. § 3). Hos, quum alteris celeritas sit, alteris tarditas, Virgilius ita miscet, ut ad sententiam, quae est versus, accommodet. Neque tamen libet hanc rem accuratius persequi et ostendere, quantopere studeat poeta laetitiam et tristitiam, alacritatem animi et desperationem, facilitatem rei et difficultatem indicare et depingere longarum et brevium syllabarum compositione. Nec minus praeter metrum sono et longitudine verborum, vocalibus canoris et fuscis, acutis et gravibus, consonantium et asperitate et mollitudine, mentem movere audientis callebat, vel eius qui ad sententiam ipsam non adverteret. Neque hoc mirum est si poeta spectavit, quum soni ratione et varietate, nullo addito verbo, omnes animi affectus ita possint declarari, ut etiam ab eo, qui artis musicae imperitus sit, sentiantur. Nonne credibile poetam numerorum vi perspecta ad sententiarum rationem sonum etiam et quantitatem accommodasse verborum? Tamen de talibus rebus opus non est exponere uberius, quum facile quisque possit ipse percipere. Et profecto longa esset et taedium facile moveret legentium, et valde lubrica non omnibus fortasse probaretur ea expositio. Sufficiat monere externa:

1. Virgilius, quamquam spondeos nonnunquam studeat conglomerare, non tamen fecit versus sex spondeorum ut Ennius: *Olli respondet rex Albai longai;* sed uno in pede, et in quinto servabat dactylum VIII, 452 *Olli inter sese magna vi brachia tollunt.* Tales versus crebri sunt, ut facile inveniantur. Addidit etiam vel plures elisiones ut in noto illo versu de Polyphemo: *Mónstrum horréndum infórme, ìngéns, cui lúmen adémptum* III, 658. Rarissime fit, ut etiam quintus pes constet spondeo, ut III, 74 *Nereidum matri et Neptuno Aegaeo.* VII, 693 *Aut leves ocreas lento ducunt argento.* Nec saepius reperiuntur quinque dactyli uno in versu, ut V, 139. 140 *Inde ubi clara dedit sonitum tuba, finibus omnes Haud mora prosiluere suis, ferit aethera clamor.* Nonnunquam spondei in dactylos transeunt ut A. IV, 1 *Infandum regina iubes renovare dolorem,* et vice versa G. III, 276 *Saxa per et scopulos et depressas convalles*, ubi artem facile agnoveris. Sic G. I, 201 *Non aliter quam qui adverso vix lumine lembum* laborem molientium docet Voss ad l. cf. An.

2. Versus decem accentuum sunt II, 701 *Iám iàm núlla mòra ést; sèquor ét quà dúcitis ádsum.* III, 155 *Híc cànit ét tùa nós èn últro àd límina míttit* al.

Contra quattuor verbis versus completur, ut III, 549 *Cornua velatarum*

obvertimus antemnarum. VIII, 158 *Laomedontiadem Priamum Salamina petentem* al.

In his numeris subsistunt verba apud Virgilium. Apud Lucretium vel tribus verbis versus constat: III, 920 *Insatiabiliter deflebimus aeternumque.*

An. De numero dactylorum et spondeorum apud singulos poetas accuratissime egit Hultgren Jhrb. f. Phil. etc. 108, 10, p. 745—772 „Die Technik der römischen Dichter im epischen und elegischen Versmaass" et in progr. Gymn. Lipsiensi „Observationes metricae in poetas elegiacos Gr. et Latinos". Sed nolo eius numeros furari, id unum ex eo addam Virgilium fere eundem numerum dactyli habere et spondei, etiam in primo pede. (Quod bene observavit, Vgl. enim, ut supra dictum est, pro consilio et ad rem narrandam metrum accommodat.) Apud Ovidium, maxime in pede primo, tres partes exstare dactylorum; unde magna illa vivacitas et, ut ita dicam, hilaritas nascitur eius hexametrorum.

§ 2. De caesuris et diaeresibus.

Caesuram fieri dicimus, ubi verborum finis medium pedem discindit, et caesurae esse possunt in quovis pede.

Sic V, 230 *Ni | teneant | vitamque volunt | pro laude pacisci.*

X, 532 *Expugnare Itali | summaque evertere opum | vi.*

IV, 136 *Per connubia nostra, per inceptos | hymenaeos.*

Neque minus caesurae, quae dicuntur κατὰ τροχαῖον in quinque pedibus.

X, 101 *Infit. | Eo dicente | deum domus alta | silescit.*

VIII, 549 *Fertur aqua segnisque | secundo defluit amni.*

III, 644 *Infandi Cyclopes | et altis montibus errant.*

Omnes insunt in versu memoriali *Sole cadente iuvencus aratra relinquit in arvo.*

Debiliores has esse caesuras, quum verborum et pedum exitus non diversus sit, facile intelligitur. Accedit, quod pedum ictus cum verborum accentu concinit. — Non esse caesuras in uno versu omnes, quivis docet versus, et iam ex hac caesurarum variatione, cui etiam accedit eadem varietas diaeresium et thesium contractarum ac solutarum, quantopere versus possit variari, apparet. Sed ex his sunt aliquae, quae graviores esse videbantur; atque eae potissimum caesurae dici solent. Sunt hae masculae illae tertii et quarti pedis, sive πενθημιμερὴς et ἑφθημιμερὴς; et ex altero genere tertii pedis sive κατὰ τρίτον τροχαῖον.

Hic legem in prooemio propositam vel maxime valere facile intelligitur. Nam quum longioris vocabuli syllaba ultima, cui apud Romanos accentus nunquam est, in arsi extollatur caesura, iam illa accentuum quae in versu et verbis est discrepantia maxima est; post quam ea solvitur et mitigatur.

1. Usitatissima est et legitima habetur, quae est pedis tertii, qua versus, ut ita dicamus, dissecatur. Sed ut caesura primaria, quae versus dividit, distinguatur ab ea, quae est pedis: accedat necesse est, voce qua caesura fit, claudi etiam enuntiati partem, sive ea signis certis indicetur, sive id non fiat.

Hinc fit, ut non in omni versu, in cuius tertio pede caesura est, haec versus caesura recte accipiatur. Sic verbi caussa V, 211 *Agmine remorum celeri ventisque vocatis.* 230 *Ni teneant, vitamque volunt pro laude pacisci* non est versus caesura in tertio sed in quarto pede; quae utro in pede sit constituenda, saepe dubium est.

Caesura igitur πενθημιμερής, nam de ea primum dicemus, versum in partes duas paene aequales dividit, quae tamen semper differunt. Neque sunt evrsus pares, quibus ea caesura est, sed diversa est ratio, qua exsurgit versus; diversa, qua decidit.

V, 191 *Délègí cómités, nùnc íllas prômite víres.*
V, 204 *'Infèlix sàxís ìn prócurrèntibus haésit.*
I, 1 *Árma virúmque cànó, Tròiaé quì prímus ab óris.*
X, 171 *Ágmen èt aúràtó fulgébat Apólline pûppis.*
I, 29 *His accénsa sùpér iactâtos aéquore tóto.*
XI, 157 *Dúra rudimènta ét nùlli éxaudíta labórum.*
X, 840 *Fléntes íngèntem átque ingénti vólnere víctum.*
III, 549 *Córnua vélatárum obvértimus ántennárum.*
XI, 634 *Ármaque córporaque ét permíxti caéde virórum.*
VI, 791 *Híc vìr, hìc ést, tìbi quém promítti saépius aúdis* al.

Non fecit Virgilius versus, in quibus priores pedes vocibus constant duarum syllabarum longarum ^— — | ^— — | ^— ||; nam spondei etiam magis tardant, ut monosyllabum tertii pedis nimio ictu sit extollendum magis etiam, quam supra XI, 634. Deinde post hanc caesuram non nisi quarto in pede admittitur caesura mascula, saepe etiam per tres pedes posteriores arses et accentus in eisdem sunt syllabis.

An. 1. Haec ratio pervertitur nonnunquam, ut XII, 419 *'Ambròsiaé sùccós ét odóriferám panacéam*, quibus de versibus infra videbimus §. 3.

2. Ubi caesura est ἑφθημιμερής, versus secatur in partes duas, admodum impares, quarum longior arsibus etiam firmatur fortioribus.

V, 261 *Lóricám quàm Démòleó | detráxerat ípse.*

Sed haec caesura ut bona sit, opus est accedat caesura altera; sic versu laudato, sic V, 316 *Córrìpuít | spàtia aúdìtó || limenque relinquunt.* 343 *Tútàtúr | fàvor Eúrÿalúm, | lacrimaeque decorae.* 418 *Ídque pìó | sédet Aénèaé, probat auctor Acestes.* G. I, 350 *Dét mòtús | incómpòsitós | et carmina dicat.* IV, 497 *Quo perii, superimponant; || abolere nefandi.*

Sic divide: *Italiam | fato profugus | Laviniaque venit.* IV, 258 *Mátèrnó | vèniéns àb àvó || Cyllenia proles.* 280 *'Arrèctaéque | horróre cómaé, || et vox faucibus haesit.* Cf. V, 230. I, 717 *Reginam petit. Haec oculis, haec pectore toto.*

Sic versus ante caesuram bis exsurgit, et in partes dividitur tres:

— ⏑⏑ — | ⏑⏑ — ⏑⏑ — | ⏑⏑ — ⏑⏑ — ⏑

Admittitur etiam diaeresis post pedem primum: IV, 278 *Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.* 288 *Mnésthea Sergèstúmque vòcát fòrtémque Seréstum.* Adest autem in his saepe alia caesura; sed etiamsi nulla est, tamen versus bonus est habendus. Nam primo pede, in quo convenit arsis et accentus, misso, ad caesuram eodem modo versus exsurgit, quam si a primo statim pede ad pedem tertium arses et accentus differunt. Sunt igitur partes hae:

— ⏑⏑ | — ⏑⏑ — ⏑⏑ — | ⏑⏑ — ⏑⏑ — ⏑

An. 2. Hac saepe caesura Virgilius utitur, ut rem aliquam depingat; quanta inest periculi exspectatio in illa comparatione per quinque versus continuata XII, 451—55? quam bene signant ipsi numeri conatum somniantis somno frustratum, quum versus debilioribus caesuris nequidquam exsurgens tandem quarto in pede erigatur, sed statim concidat XII, 910 *Vélle vidémur et ín mèdiís conátibus aégri succidimus.* Cf. etiam III, 658. § i. allatum.

3. Rarissima est apud Virgilium caesura κατὰ τρίτον τροχαῖον, quam debiliorem esse supra vidimus. Quod autem debilior est, saepe alia obscuratur, ut in paucissimis locis, ubi est, versus caesura esse videatur.

Cf. I, 16 *Posthabita coluisse Samo. Hic illius arma.* V, 230. alia,

ut in multis versibus dubii simus, utrum hanc caesuram, an eam, quae est quarto vel quinto in pede, habeamus potiorem. Cf. VI, 107. 131. 322. VII, 734. IX, 732. X, 101. XI, 476. E. II, 6. IV, 57. al. — Nec minus nonnunquam accedit, ut modo diximus, gravior aliqua quinti pedis caesura ut IV, 136 *Pér connúbia nóstra | per incèptós || hymenaéos.* Sic Ov. M. XV, 450 *Haéc Hèlenúm | cecinísse | penátìgeró | Aenéae.*

Etiam iis in locis, ubi haec caesura primaria est, accedit saepius mascula caesura secundi pedis et quarti. Sic I, 292 *Cana Fides et Vésta, Remo cum fratre Quirinus.* X, 101 *Infit. Eo dicente deum domus alta silescit.* E. X, 76 *Iuniperi gravis umbra: nocent et frugibus umbrae,* aut secundi tantum, ut I, 290 *'Accìpiés secúra; vocábitur hìc quoque vótis.* 292. 513. 575. II, 9. 48. 81. III, 644. VII, 711. VIII, 549. 725. E. IV, 16. G. I, 357. III, 447.

An. 3. Neque tantum pedes qui sunt ante caesuram, sed etiam qui sequuntur observandi sunt. Wagnerus ad E. V, 15 post alios in quarta sede dixit bacchium uno vocabulo comprehensum displicere, nisi interpunctio sequatur, ex eaque caussa in versu *'Expèriár: tú deinde iubéto cértet Amyntas* scribere iubet *iubeto ut*, qua scriptura quamquam versum corroborari concedimus, legem tamen quam proposuit a Virgilio esse observatam negamus. Sic, ut aliquot versus proferamus, in illa ipsa ecloga v. 52 est: *Dáphnin ad ástra ferémus amávit nós quoque Dáphnis.* Sic VIII, 549 *Fértur àquá sègnisque secúndo défluit ámni.* G. III, 447 *Mérsàtúr missúsque secúndo défluit ámni.* XII, 404 *Sóllìcitát prénsátque tenáci fórcipe férrum.* Talibus versibus annumerandum puto III, 644 *'Infàndi Cyclópes et áltis móntibus érrant.* — Placet ille versuum decursus qui est VII, 711 *'Erèti mànus ómnis oliviferaéque Mctúscae.* VIII, 725 *Hic Lèlegás Càrásque sagittìferósque Gelónos.* IV, 486 *Spárgens húmida mélla sopórìferúmque papáver.* Fit etiam ut caesuram sequatur paeon secundus ut I, 290. E. I, 71 *Impius haec tam culta novalia miles habebit.* G. I, 357 *Incipiunt agitata tumescere et aridus altis.* Nec multum differt E. IV, 116 *Permixtus heroas et ipse videbitur illis.* Raro diaereses sunt in primo et secundo pede ut IV, 486. E. I, 71, ut per totum versum metri et verborum accentus concidat.

Itaque si eos versus consideramus, non modo debiliorem hanc caesuram esse dicemus sed diversam, et mollem facit et enervem versum, qui a Virgilio bene aptatur sententiae: Quanta est moles et tarditas in illo versu III, 644, quam flebilis sonus E. I, 71, quam molliter fluentem audimus amnem VIII, 549? Est enim versus talis

ʹ— ◡◡ ʹ— ◡◡ ʹ— ◡ | ◡ | ʹ— ◡◡ ʹ— ◡◡ ʹ— ◡,

ut neutra pars claudatur arsi.

An. 4. Apud Virgilium legere non memini versum, qualis est Catulli 64, 206 *Aequora concussitque trementia sidera mundus.* Caesura saepe fit syllaba elisa, ut III, 549. VII, 623 *Ardet inexcita Ausonia atque immobilis ante.* Ov. M. XIII, 550 *Non oblita animorum annorum oblita suorum.* Raro in verbo composito ut III, 549 *Córnua vèlatárum ob | vértimus ántemnárum.* XII, 144 *Mágnànimi Iòvis ingrátum ád | scendere cubíle.* Ut loco XII, 144 praepositio verbo adiuncta facit caesuram, sic saepissime si est separata et praeposita vocabulo suo, VIII, 212 *Quaerenti nulla ad | speluncam signa ferebant.* XII, 910 *Velle videmur et in | mediis conatibus aegri.* XII, 739 *Suffecit: postquam arma dei ad | Vulcania ventum est.* XII, 372 *Obiecit sese ad | currum et | spumantia frenis.* In hoc versu similis usus apparet particulae *et*, quae saepissime in caesura est; sic I, 28 *Et genus invisum et | rapti Ganymedis honores.* VI, 511 *Sed me fata mea et | scelus exitiale Lacaenae.* XI, 634 *Armaque corporaque et | permixti caede virorum.* Neque minus *aut*, ut II, 656 *Nam quod consilium aut | quae iam fortuna dabatur.*

Is his omnibus eadem valet ratio, nam quum grammatici has particulas ex sensu cum sequentibus iungant, rhetorici post eos pausam constituunt, ut sequen-

tium rerum moveant exspectationem. Sic si post *et genus invisum* incideretur, non sentiremus etiam aliam esse caussam irae Iunonis, sed per *et g. invisum et* | id intelligimus et paulo remorata post *et* oratione attentiores ad sequentia animum convertimus. Inde vel talis versus probandus, qualis X, 840 *Flentes ingentem atque | ingenti volnere victum.*

4. *Diaeresis* fit, quando cum metri pede clauditur vocabulum, ut versus distrahatur, neque verbo neque metro contineatur. Contra in *arma vi|rumque ca* verbis, in *no*, *Tro* metro continuatur, ut nullo loco disrumpatur. — Tamen inciditur post pedes omnes. Usitatissima et levissima est diaeresis post quintum pedem, etsi non solet esse eo loco gravis incisio verborum, qualis est IX, 221 *Acceleremus, ait. Vigiles simul excitat. Illi.* Si post quartum pedem inciditur, dicitur ea incisio *diaeresis bucolica.* Neque tamen in sola poesi bucolica invenitur, sed saepissime, ut iam ex versus forma apparet. Tamen etiam in ea saepius sententia finitur, ut VIII, 278. 388. 666. al.

In tertio pede G. I, 358 *Montibus audiri fragor: aut resonantia late.*

Minus auditur tali in versu, qualis IV, 206 *Iuppiter omnipotens, cui nunc Maurusia pictis.* 215 *Et nunc ille Paris cum semiviro comitatu.*

Post secundum pedem diaeresin saepe esse iam vidimus, maxime ante ἑφθημιμερῆ; raro est ante πενθημιμερῆ, ut XII, 878 *Magnanimi Iovis. Haec pro virginitate reponit.* Saepe etiam in hoc sententia clauditur; cf. I, 82. 115. 116. 168. al. Neque minus post primum pedem, ut vel punctum ponatur, quod saepissime fieri intelliget qui librum unum perlustrabit. Nonnunquam magna in ea est vis et exspectatio cf. XII, 729 et 30.

Supra monuimus, non esse bonum versum talem —̂ — | —̂ — | —̂ || cuius pedes priores spondeis constant et diaeresi distinguuntur, itaque non esse apud Virgilium. Is autem omnino vitavit diaeresin primi pedis, qui constat solido spondeo, nisi sequitur choriambus, ut sit metrum: —̂ — | — ◡◡ —. Rarissime autem fecit versus tales —̂ — | —́ —̀ —́ | cuius rei non caussa est longarum syllabarum multitudo, sed accentuum cum arsibus copulatio. Saepius enim utitur versu tali —́ —̀ —́ | —̀ —́ || ut primo in libro sit v. 31. 32. 104. 118. 145. 181. 182. 206. 217. 239. 269. 282. 286. 294. 355. 368. 388. 395. 422. 432. 435. 447. 471. 497. 585. 622. 634. 724. 731. 732; alterius rationis exemplum exstet v. 254 *Olli subridens hominum sator atque deorum* et v. 423 et 640; in tribus autem libris prioribus octies tantum talis versus sit, cf. II, 223. III, 108. 119. 158. 466, in pluribus autem locis caussa tarde incedentis metri statim appareat. Vincitur haec tarditas, si quidem sequitur anapaestus et caesura est quarto in pede ut II, 527 *Unus natorum Priami;* aut si accedente elisione sequitur choriambus ut III, 61 *Linqui póllùtum hóspitiúm;* in hoc enim id, quod maxime vitatur, non fit: arsis non est in ultima vocis trisyllabae.

5. Non vitari longas syllabas multi versus sunt documento. Sic confer libri primi versus:

— — — | — —͡ — —̀ — | 421.
— — — | — | — | 515.
—͡ — — | — — | 227.
— —͡ — | — — 186. 629.
— —͡ — — — 128. 172.
— — | — | — — | 433. 439.

— ⁀— | — — — | 184. 310.
— | — — — — | 437. 649.
— | —⁀— — — | 170. 597.
— | — — | — —⁀— — | 442. 446.
— | —⁀— | — — | 162. 450.
— | — | — — — | 159. 594.
— | — | — | — — | 272. alios.

§. 3. De versus clausula.

Versus heroicus exit dactylo sequente trochaeo sive spondeo. Quum enim hexameter unus per se constet, ea eius esse debet clausula, qua impetus versus compescatur. Hinc est catalecticus. Ultima autem syllaba ut solet est anceps. Sed quum modo *e* in fine verborum fere semper, *a* nonnunquam tantum breve sit, facile intelligitur, cur merus trochaeus, qui in brevem exeat vocalem, sit rarior. Est in libro primo Aeneidis quadragies sexies. v. 16. 17. 18. 56. 72. 78. 88. 89. 92. 102. 171. 177. 229. 306. 8. 15. 29. 35. 40. 44. 49. 70. 98. 423. 30. 32. 36. 89. 536. 42. 68. 69. 86. 94. 98. 654. 69. 75. 78. 80. 719. 21. 22. 37. 50.

Lex autem, quae iam in prooemio data est, hic maxime valet; unde fit, ut ex pluribus modis, quibus potest fieri clausula, duo tantum in usu sint, reliqui autem a poetis ei rei intentis non adhibeantur, nisi certa de caussa. Et pedem et verborum accentus concinit, quando versus ita exeunt:

1) ^— ◡ | ◡ — ◡̄ 1, 6 *unde Latinum;* et IV, 506—15 decem versuum ea clausula est.

2) ^— ◡◡ | ^— ◡̄ 1, 7 *moenia Romae.*

Ab his sono non differunt admodum

3) ^— ◡ | ◡̀ | ^◡ ◡̄ 1, 1 *primus ab oris* v. 3. 4. 31. 47. 99. 100, ubi ex sententia breve vocabulum sequenti est annexum.

4) ^— | ◡́◡ | —́ ◡ 1, 199 *his quoque finem* 296. 327. 28. 405. 7. 44. 98. 592. 719. 34, ubi annexum est priori.

5) — ◡◡ | ^— | —̀ VII, 643 *Itala iam tum* 790. I, 181 *Anthea si quem* 603. G. III, 133.

6) ^— | ◡́◡ | ^— | —̀ VII, 708 *et tribus et gens,* IX, 491 *hoc mihi de te.*

Minus probantur

7) —́ ◡◡ —́ ◡ V, 589 *ancipitemque* VIII, 416. } ubi duo vocabula in unum coalescunt.
8) ^— | ◡̀◡ ^— ◡ VI, 11 *mentem animumque* 623. VII, 344. 358. }

Contra leges sunt in extremo versu verba quadrisyllaba et monosyllaba, quod arses quinti et sexti pedis in ultimas longioris vocabuli syllabas incidunt, atque ita accentuum diversitas per totum versum continuatur. Qua diversitate quid Virgilius spectaverit, singulis locis optime expenditur. Possunt esse hi versus

9) —́ | ◡◡ —̂ ◡ VI, 896 *niténs elephanto* VII, 592. VIII, 402. IX, 646. X, 720. 505.

An. Ionicos a minori Freudenberger Pr. Bonn 1845 p. 16 observavit esse *nomina* non *verba*. (Nam raro verba sunt ea mensura.) Nuper de caesura pedis quinti diligentissime inquisivit Dr. Kocks Pr. Cöln. Fr. Wilh. Gymn. 1873 et in poetis singulis. Laudo eius industriam, laudo doctrinam, probo sententias; at in meum usum non potui quidquam conferre, quod olim aliter rem institueram. Apud eum tria genera sunt caesurarum anomalarum, quorum formae normativae sunt hae: 1) — — | ◡◡ — — 2a) — | — | ◡◡ — — 2b) — | — ⁀| ◡◡ — —, diversae a meis.

10) —́ | ◡̀◡ —́ | —̀ I, 65 *átque hòminúm rèx* X, 743.

11) —̂ ◡ | ◡̀ —́ | —̀ I, 105 *praerúptus àquaé mons* I, 151. II, 170. V, 481. 638. VII, 592. IX, 532. X, 259. 734. 71. 802. 843. 64. XII, 552.

12) —́ ◡̀◡ — | — VI, 847 *réstìtuís rèm* VIII, 83.

13) —́ | ◡̀◡ | —̂ — X, 442 *sòli mìhi Pállas* 471. 772. 849. XI, 562.

Sed pro dactylo quinti pedis etiam spondeus locum habet, rarius tamen quam apud Graecos.

1) —̂ ◡◡ | —́ — —̂ — II, 68 *ágmina círcumspéxit* V, 320. 761. VIII, 54. 167. 341. IX, 196. 241.

Haec versus gravitas augetur etiam accedente accentuum diversitate.

2) ◡◡ —́ | — —̂ — VIII, 402 *pòtést eléctro*. XII, 863 *culminibus desertis*. VII, 631. IX, 9. 647. E. V, 38. Tales versus multos collegit ex Lucr. Cat. Vgl. Ov. Iuv. Lucano Kaiser Pr. Brieg 1858.

3) — ◡◡ | —̂ | —̀ —́ | — *et magnis dis.*

Quum quarta in sede dactylus in his versibus locum obtineat, Virgilius rarissime (cf. §. 1.) neque sine consilio ab ea lege recedit, quum antiquiores poetae plura sibi licere putaverint. Cf. Catull. 68, 87

Nam tum Helenae raptu primores Argivorum, et 64, 3. 44.

Non temere talem versum fecisse Virgilium etiam hoc argumento est, quod non fecit, quam ut accentus etiam discreparet. Hac autem discrepantia vel magis extollitur et augetur versus impetus, quando accedit hiatus (cf. §. 6.), ut III, 74 *Neptunó Aegaeo*. VII, 631 *turrigerae Antemnae*. IX, 647 *Dardanio Anchisae*. E. VII, 54 *castaneae hirsutae*. qui etiam est in illis versibus, in quibus quintus pes est dactylus. E. II, 24 *in Actaeó Aracyntho*. G. III, 60 *iustosque pati hymenaeos*. X, 720 *femineó ululatu*. — Ibi etiam brevis syllaba arsi producitur, ut VII, 398 *canit hymenaeos*. X, 720 *profugús hymenaeos*, ut tales versus non excidisse poetae sed quaesitos fuisse facile intelligamus. Cf. §. 9. 1. Sed in his ut in omnibus versuum generibus, in quibus a norma receditur, observari licet, tales exitus rarescere apud posteriores, ut apud Claudianum non nisi quater reperiantur: *armipotens Lacedaemon* de IV cons. Hon. 508 *fluens Aganippe* Ep. ad Ser. 61. B. Get. 75 *moriensque Ephialtes* iam lenius est. Duriora *renidentes hyacinthis* de laud. Stil. 2, 90. *telae labor illi* RP. 3, 204.

§. 4. De versibus hypermetris et de hemistichiis.

Hexameter est catalecticus. Eius rei caussam §. 3 vidimus. Idem fere

quod catalexi efficitur hypercatalexi. Itaque poetae et Virgilius fecerunt etiam, versus hypercatalectos. Plerumque versus proximus incipit vocali, ut elisione quasi mitigetur abundantia. Hoc etiam videmus saepissime superare *que*, maxime alio *que* antecedente; deinde ultimum pedem esse solere antispastum: ◡ — — ◡, rarius antibacchium: — — ◡. Ita duplici *que*

— ◡ | ◡ — — ◡ *hominumque locorumque* I, 332. IV, 558. 629. V, 470. 753. IX, 650. X, 895. G. II, 344. 443, ubique sequente vocali.

Horum in aliquibus accedit magna verborum incisio, ut in extremo enuntiato pondus quoddam soni sententiae augeat gravitatem. Sic IV, 629. VII, 470. X, 895. Unum *que* in versu abundat non praecedente altero.

— ◡ | ◡ — — ◡ V, 422 *ossa lacertosque Exuit* VI, 602. XI, 609.

Unum *que* annexum spondeo — ◡◡ | — — ◡ 1, 448 *limina nexaeque Aere trabes.* 8, 228 *Tirynthius omnemque* Accessum. 10, 781 *vulnere, caelumque* Adspicit. G. 3, 377 *robora totasque* Advolvere.

Rarior is est usus in aliis vocabulis, sic VII, 161 *Latinorum Ardua.* G. 1, 295 *decoquit humorem Et.* In Aeneide non reperiuntur versus, qui sunt in Georgicis duo, qui exeunt sic: — ◡◡ — ◡◡. Sunt II, 69 *arbutus horrida E.* III, 449 *vivaque sulphura I.* Utrumque sequente vocali. Et hos locos firmat Servius et Macrobius, qui Sat. V, 14 propterea affert, quod syllaba sint longiores; sic etiam in libris leguntur plurimis. Sed mirum non est, si in aliis sunt tentati, et quum tam facile possent, etiam mutati. Ac Wagnerus maxime offensus, quod in his solis versibus paenultima brevis esset, quae in ceteris omnibus erat longa, dedit: *Inseritur vero et nucis arbutus horrida fetu* et *Et spumas miscent argenti et sulfura viva.* Secuti sunt *Rb. Fb.* Quod autem legitur VI, 653 *gratia curruum Armorumque.* X, 496 *pondera baltei I.* VII, 237 *verba precantia Et.* VI, 33 *protinus omnia P.* explicatur synizesi. Cf. §. 10. 12.

Quum in versu hypermetro iustum metrum excedere videatur, in Aeneide Vgl. aliquot versus imperfectos reliquit, non in Eclogis aut Georgicis, sed in Aeneide, ut hi versus imperfecti ipsi a plurimis argumenta habeantur carminis imperfecti. Accedit, quod nemo antea et, quod maius est, nemo postea tales fecit, ut poetarum nemo in iis artem singularem aliquam aut elegantiam agnovisse videatur. Neque multi sunt versus neque per omnes libros pariter dispositi. missis enim iis hemistichiis quae fecere critici recentiores *Pl. Gr. Rb.*, sunt 10 in l. II., 7 in III. 6 in V. VII IX. X. 5 in IV. 3 in I. VIII. 2 in VI. XI. 1 in XII. Quod mirum non est, siquidem Vgl. versus imperfectos reliquit, quod clausulam non reperiebat bonam. Neque quovis loco abrupit, sed

A. in diaeresibus

1) in diaeresi prima — ◡◡ ter 3, 640. 10, 580. 11, 375 —

2) in diaeresi secunda — — | — ◡◡ semel 1, 534 —

3) in diaeresi quarta — ◡◡ | — ◡◡ | — ◡◡ | — ◡◡ quinquies 2, 468 785. 5, 815. 6, 835. 9, 721; ut 1, 636 *Pli* coniectura: *munera laetitiamque Lyaei* sit sine exemplo.

B. in arsibus

1) trithemimeri — ◡◡ | — || tredecies 1, 560. 2, 66. 346. 720. 767. 3, 218. 5, 574. 7, 702. 8, 169. 10, 17. 728. 11, 391. 12, 631.

An. 1) Semel est *Haec effată* sequente *At* in v. sequente 5, 653.

2) penthemimeri — ◡◡ | — ◡◡ | — || duodevicies 2, 233. 614. 623. 640. 3, 340. 527, 661. 4, 44. 503. 5, 322. 7, 439. 8, 41. 536. 9, 167. 295. 467. 520. 761.

An. 2. Itaque versus dimidios non fecit, quales *Rb.* constituit uno in libro duos — — | — — | — || 4, 53. 343.

3) hephthemimeri — ◡̄◡̄ | — ◡̄◡̄ | — ◡◡ | — || sedecies 1, 636. 3, 316. 470. 4, 361. 400. 516. 5, 294. 792. 6, 94. 7, 129. 248. 455. 760. 10, 284. 490. 876.

An. 3. Bis legitur — ◡◡ — ◡◡ — — — 5, 294. 7, 248.
An. 4. Semel legitur — -- — ◡◡ — — — 10, 490.

Iam vero id, quod in versibus his accurratius etiam metrum observat quam in perfectis, ut metrum, quod in plenis versibus non aversatus est, non admiserit, documento potest esse hos versus imperfectos esse, non quod poeta non potuerit eos explere sed quod noluerit. Ac nostro tempore iam Weidnerus propensus est ad versus tutandos, sed concedit Virgilium eos expleturum fuisse. Aliter defendit Zille (Virgils Aeneide im Nibelungenmass übersetzt 1868 p. 363—385) eosque consulto fecisse poetam demonstrat, quod ubique sint aptissimi. Nolo eius repetere argumenta, id moneo, in singulis eum versibus consilium et artem poetae ostendere apertissimam. Iam quum ad Zillii argumenta accedat metri ratio, qua hemistichia apparet aliter esse composita, quam versus plenos, in ea sum sententia, ut consulto putem Virgilium eos versus admisisse et tamen dubitantem, an explendi essent, et hominum iudicium exspectantem; non puto eos imperfectos eum reliquisse, quod statim perficere non potuisset.

§. 5. De homoeoteleuto.

Ut apud nos non solet probari, si praeter leges idem sonus recurrit, ita apud Romanos, qui in versuum clausulis soni similitudinem non quaerebant, tales versus qui eadem clausi terminatione alter alterum excipiunt, raro repeриuntur. Sic in Aeneide — *entis* I, 319. 20. — *entem* III, 656. 7. VI, 844. 5. VIII, 640. 1. — *ebat* I, 622. 5. 6. IV, 331. 2. 189. 90. — *ebant* V, 385. 6. — *abat* IV, 256. 7. (versus suspecti.) — *ator* X, 804. 5. — *fuisset* VIII, 397. 8. — *usquam* VIII, 568. 9. — *Helenor* IX, 544. 5. — *quae maxuma semper* VIII, 271. 2. In vocabulis repetitis vis quaesita est; in syllabis etiam praesto est aut explicatio aut excusatio.

Fit etiam, ut eodem in versu similis sonus repetatur, nonnunquam quaesitus, ut E. VIII, 80 *Limus ut hic durescit, et haec ut cera liquescit.* Saepe recta pronuntiatione obscuratur haec soni similitudo, quod scite monet Lachmannus ad Prop. I, 18, 5. Sic A. VIII, 649 *Illum indígnàntí similem similemque minánti.* X, 554 *Tum caput óràntis nequidquam et multa paràntis.* G. III, 411 *Tóllentémque minas et caerula colla tuméntem.* Aliter III, 549 *cornua vélatárum obvertimus antemnárum.* Ov. M. XIII. 550 *Non oblita animórum, annórum oblita suórum.* Huc pertinet etiam epanadiplosis, quae est memorata ad XI, 358.

Omnino autem ex hominis est natura soni similitudine quaerere aliquod acumen, ut etiam in iis linguis, in quibus consonans versuum clausula non est, inveniatur, sic etiam apud Virgilium cf. X, 735.

CAP. II.

§. 6. De hiatu.

Hiatus est apud Virgilium

A) in arsi et quidem in pede secundo, tertio, quarto, quinto.

II. III, 696 *Si pereo, | hominum manibus periisse iuvabit.*

G. I, 4 *Sit pecori; | apibus quanta experientia doctis.*

III. IV, 235 *Quid struit aut qua spe,* | *inimica in gente moratur.*
XI, 480 *Caussa mali tanti,* | *oculos deiecta decoros.*
Cf. III, 74. VII, 226. X, 136. XII, 535. 648. E. III, 6. VIII, 44. X, 18.

IV. I, 16 *Posthabita coluisse Samo.* | *Hic illius arma.*
V, 735 *Concilia Elysiumque colo.* | *Huc casta Sibylla.*
Cf. X, 156. G. II, 144.

V. IV, 667 *Lamentis gemituque et femineo* | *ululatu.*
E. VII, 53 *Stant et iuniperi* | *et castaneae* | *hirsutae.*
Cf. E. III, 74. G. III, 60.

Hiatus igitur non est nisi sententia vel tota vel ex parte clausa, aut si eaedem vocales collidentes vocem inhibere cogunt, ut G. I, 281 *Ter sunt conati imponere Pelio Ossam.* A. XII, 648 *Sancta ad vos animá, atque istius inscia culpae,* ubi ex arsi et hiatus et brevis syllaba defenditur; *Lch.* ad Lucr. p. 76 coni. *atque anima istius,* ut tollat hiatum haud timidus inferre elisiones; aut in quinto pede vehemens arseos ictus, qui est contra leges studio quaesitus cf. §. 3., etiam magis extollendus est. Talem autem exitum Virgilius quaesivisse videtur in vocabulis Graecis et nominibus propriis. Ita I, 617. IX, 647 *Dardanio Anchisae.* XI, 31 *Parrhasio Euandro.* E. II, 24 *Actaeo Aracyntho.* X, 12 *Aonie Aganippe.*

Vel plures in uno versu sunt hiatus III, 74 *Nereidum matri* | *et Neptuno* | *Aegaeo* cf. §. 1. Adde E. VII, 53 supra allatum. Ov. M. XIV, 332 *O* | *et de Latia,* | *o* | *et de gente Sabina.*

B) In thesi, ut Graeco more longa syllaba in brevem contrahatur: III, 211 *Insulaĕ Ionio in magno.* V, 261 *Iliŏ alto.* VI, 507 *tĕ amice nequivi.* *Lch.* et *Rb.* auxere exempla per *Alphēaĕ ŏrigine* 10, 179. E. II, 65 *Te Corydon ŏ Alexi.* III, 79 *valĕ valĕ inquit Iola.* VIII, 108 *an quĭ amant.* VI, 44 *ut litus Hylă, Hylă omne sonaret.* G. I, 281 ut Ov. M. I, 155 *imponere Peliŏ Ossam.* IV, 461 *Rhodopeiaĕ arces.* Sed rarissime haec reperiuntur apud Ovidium, semel apud Catullum 96, 1 *Non ita me dí ament.* Sic Val. 1, 662 *aut Athŏ aut Rhodopen.* Apud Lucretium saepius.

b) Non constat in hiatu longa syllaba. In uno loco G. I, 437 *Glauco et Panopeae et Inoo Melicertae* facile potuit post *eo* omitti *que;* quod omissum esse eo verisimilius est, quod aut quaeque orationis pars aut tantum extrema copulam soleat assumere. Probandum igitur, quod *Wg.* edidit *Glaucoque.* Contra *Lch.* quod Parthenii versus *Γλαύκῳ καὶ Νηρῆϊ καὶ ᾿Ινώῳ Μελικέρτῃ* ad verbum expressus videatur, praefert *Glauco et* Jhrb. 1867 p. 499. Sed inauditum praeter hunc versum in thesi et hiatu longam constare syllabam.

c) Bis modo thesis brevis syllaba hiatu excipitur: I, 405 *Et vera incessu patuit dea. Ille ubi matrem.* Quod in enuntiati clausula et pedis fine lectum aequius ferimus, quam E. II, 53 *Addam cerea pruna: honos erit huic quoque pomo* in trochaeo et sententia ex parte tantum clausa.

An. Vocabula in *m* desinentia nonnunquam non eliduntur apud poetas ante Virgilium, ut Lucr. III, 197 *Namque papaverum aura potest.* III, 1095 *sed dŭm abest.* Adde 2, 679 *Reddita sunt cum odore* et 3. 395 *Et quam in his,* in quibus etiam scriptura alia; et Cat. ter 66, 48. 67, 44. 96, 2 in caesura pentametri non ipse Virgilius, cui obtrusit *Rb.* 1, 203 *forsăn et haec,* non ausus repetere in ed. minore, neque Ovidius neque Horatius, cuius *certo num adest color idem* S. 2, 1, 28 sumptum videtur esse ex Lucilio. Ac post eos rarissime sic Tib. I, 5, 33 *Et tantum venerata virum, hunc sedula curet.*

Luc. 1, 231 *Vicinumque minax invadit Ariminum. Ignes.*
Lucil. Aetn. 49 *Pelion Ossa terit, summus premit Ossam Olympus.*

§. 7. De elisione, synaloephe.

Concursum vocalium Romani vitabant et intra verba et in extremis verbis et insequentibus primis, ne hiulcae voces efficerentur. Sed tales vocales collidentes duorum verborum proximorum, quae displicebant, non elidebantur sive eiiciebantur, sed „coniungebantur" (synaloephe), et utraque vocalis audiebatur; itaque in tali coniunctione nascitur vocalis longior, quam metrum admittit, quae dicitur irrationalis (cf. Gr. §. 9.) quae eo minus in unam moram sive in brevem syllabam poterat contrahi, quo maior erat syllaba prior. Sic —͡◡ difficilius erat contrahere in ◡, quam ◡͡◡, et illa —͡◡ contractio facilior pluribus longis antecedentibus et sequenti alia brevi ut — — —͡◡◡—. Facilior autem erat contractio longae syllabae cum longa —͡—, multo facilior brevis syllabae cum longa ◡͡—. Sed praeter longitudinem syllabae observanda erat etiam similitudo vocalium; nam similis cum simili facilius coalescit, et *e* facilius coalescit cum sequente, quam *i*, *a*, *o*, *u*, diphthongi difficilius quam vocales simplices. Non igitur tam displicebat frequens usus elisionum, quam asperitas. Ars autem poetae ab Augusti tempore eo maior habebatur, quo magis omnino vitabat (cf. Gr. §. 16). Virgilius autem in eo est artifex, quod iis utitur ad depingendas sententias. Audi Wagnerum, qui ad G. 2, 441 *animosi Euri adsidue.* Excipientes se plures in eodem versu elisiones aliquoties valent ad illustrandam vel vim ac vehementiam rei, ut h. l., vel magnitudinem, ut A. 6, 552. 12, 897, vel difficultatem, ut infra 3, 505, vel perpetuitatem eiusdem status, ut A. 7, 623, vel pertinaciam, ut infra 4, 84, vel indignationem, ut A. 2, 84; item indicant animum plenum irae, ut A. 2, 96. G. 3, 332. 4, 330 horroris, ut A. 2, 12. 3, 658. 4, 181. 7, 78. 8, 81. 647, perturbationis, ut A. 4, 203. Sed accedunt in eius modi versibus plerumque etiam alia adiumenta gravitatem orationi conciliantia."

Iam apud Virgilium in brevem vocalem

ae eliditur in *ăciēs,* sed legitur *ăcjēs* §. 12. 7, 548. 796. 10, 360. 691. 11, 618. 862. 12, 548, deinde in *totae ădĕo* 12, 533 et *Argivae Hĕlĕnae* 1, 650. Accedit 10, 179 *Alpheae ăb origine Pisae* cf. §. 6. B. et 1, 642 *antiquae ab ŏrigine gentis*, ubi in Mss. legitur et *antiqua.*

ā in 1, 642 et *Laevă* *ăciem* 11, 862. cf. *ae.*

ē in 11, 62 et 12, 227 in *acies.* cf. *ae.*

ī in īmprōvīsī adĕrant 2, 182. et in *si ădĕo* 11, 369 cf. *ae.* Sed 10, 845 *cŏrpŏrī inhaeret* quod probatur loco Lucr. 1, 584 *cŏrpŏri ĭnesse* iure ex Mss. correctum est in *cŏrpŏrĕ ĭnhaeret.*

ō 11, 708 *ipse sŭbībo hŭmeris.* X, 904 *scĭo ăcerba meorum.* 11, 256 *mitto ea.* XI, 503 *Audĕo ĕt Aeneadum.* XII, 818 *cedo ĕquidem.* 875 *Linquo ăcies* cf. *ae.* 1, 391 *nuntio ĕt.* E. III, 84 *Pollio ămat.* IV, 12 *Pollĭo ĕt incipient.* A 8, 382 *ergo eadem.* 11, 459 *immo ait.*

An. 1. Sed *o* non per omnia vocabula longum habebatur et apud posteriores saepius breve erat. Sic antiquum *endo* pro *in* Lucr. 4, 776 *endŏ statu*; sic ap. Cat. volo dabŏ, homŏ; sic *lunŏ* Val. Fl. IV, 7. *virgŏ* 14. *turbŏ*, *ini*s, 1, 621. Sic apud Iuvenalem hoc ŏ nominativi in una satira legitur duodecies: III, 46. 61. 72. 100. 110. 114. 141. 185. 211. 251. 304. 317. In eadem satira *o* primae personae longum fecit bis: v. 42. 43, breve undecies: v. 2. 5, 28. 41. 44. 47. 59. 103. 287. 289. 296. Sic *rependŏ* Ov. Her. 15, 32. *desinŏ* Tib. 2, 6, 41. *quaerŏ* Stat. Theb. 9, 437. *datŏ* imperativus Avien. 1047. *vigilandŏ* Iuv. 3, 232. *verŏ* Stat. Theb. II, 187. *ergŏ* Avien. 299. 1177. Iuv. 3, 104. *quandŏ* 173. (184.) Sic aliqua adverbia

iam ante Virgilium, maxime *modŏ* Cat. 76. 6. Isque usus tantopere invaluit, ut Servius brevem haberet. Scribit idem apud Virgilium breve esse in *ego*, *duo*, *scio*, *nescio*. Sic *egŏ* X, 93. XII, 56. *duŏ* XI, 285. *scio* III, 602. *nescio* II, 735. E. III, 103. VIII, 107. cf. §. 12. Sed *egō* XI, 392. *duō?* E. 5, 68. — His autem non firmatur *spondeo* IX, 296, quod pro *sponde* illatum est, contra metrum.

Itaque Virgilius longum non iunxit vocali sequenti *o*, sed in prima persona verbi et nominativo tertiae declinationis (quas formas ante Virgilium ante et post eum breves esse videmus) tam breve habuit *o*, ut eliderct ante vocalem brevem. Cf. Gr. §. 54.

u nusquam, neque in hiatu neque in elisione; cuius rei caussa est huius terminationis raritas.

Longam igitur vocalem brevi elidi non vidimus, nisi vocabulum erat longius et plures syllabae longae antecedebant, et plures syllabae breves sequebantur. Itaque etiam ob metrum *corpori inhaeret* improbatur. Ac formae — ◡ — in extrema syllaba elisio pessima. Neque est praeter hunc locum ap. Vgl. neque est ap. Ovid., ap. Hor. bis S. 1, 1, 59. 2, 7, 53; nam non huc referendi sunt loci, in quibus *o* primae personae sic eliditur, quod fit S. 1, 9, 6. Ep. 1, 1, 11. 7, 95.

Vel tres elisiones uno in versu admittuntur. Sic I, 626. III, 658. XII, 739. 812; duae in uno versu saepissime. Quinquies uno in pentametro eliditur apud Catullum 73, 6 *Quam modo qui me unum atque unicum amicum habuit.*

Syllabam in m desinentem antecedente syllaba brevi non facile in brevem elidebant ut 10, 514 *līmĭtĕm ăgit.*

An. 2. Dr. Jul. Schultz Progr. Danzig quoties monosyllaba apud singulos poetas eliderentur, diligentissime inquisivit. Hoc facile intelligitur monosyllabarum elisiones sive synaloephas propterea minus esse gratas, quod tota fere vox evanescit, Sch. igitur numerat ap. Ennium id fieri in 600 versibus octies, ap. Lucilium in 600 sexagies, ap. Ciceronem in 700 v. septies, ap. Lucretium in 7400 centies, ap. Virgilium in Eclogis in 829 v. decies septies, in Georgicis in 2188 v. vicies semel, in Aeneide in v. 9896 centies vicies septies, ap. Tibullum in 1921 v. terdecies, ap. Ovidium in Metam. c. 12000, duodecies etc. in Fastis quater, in Tristibus septies, ex Ponto bis etc. Hoc etiam loco addam non tam in numeris inesse cardinem, sed in verborum collocatione.

§. 8. De positione.

Duae potissimum sunt res, de quibus hoc loco quaeritur; nam demonstrandum est et quando Virgilius positionem admittat ante mutam cum liquida, et num brevis syllaba finalis in vocalem exiens produci possit, si sequens vox pluribus incipit consonantibus. Nam quum ea positio, quae fit altero vocabulo, nec satis fortis esset, ut posset efficere syllabam longam, et nimis valida, quam ut syllaba manere videretur brevis: poeta optimus quisque operam dedit, ut talem vocabulorum coniunctionem vitaret. Sic Virgilius cavit, ne tale quid admitteret. Afferebantur quidem loci olim, sed nunc ex libris Mss. sunt emendati. Sic in libris editis olim erat X, 251 *supera spectans* pro *supera adspectans.* V, 163 *laeva stringat sine parmula cautes* pro *laevas stringat.* Ecl. V, 68 *craterasque duo statuam* eodem modo pro *duos statuam.* Ac potest *o* per se esse longum. Cf. §. 7 An. 1. Sic loco VI, 687 *tuaquē spectata parenti* a Wagnero ex libris scriptum est *exspectata.* IX, 37 *date tela scandite muros* ab eodem recte *adscendite* restitutum. In his locis omnibus error inde ortus est, quod quum librarii unam litteram duobus vocabulis servire voluissent, qui postea legebant, simplicem litteram agnoscebant cf. 2, 755.

An. Hoc loco vulgata etiam magis improbatur, quod quarti pedis thesis ponitur syllaba debilis, ut infirmissimus totius versus pes plane corruat. Quamquam alii poetae minus quidem illi in metro haesitantes talia ausi sunt. Sic Catull. 64, 186 *nulla spes* . . . Sil. X, 123 *terră spicula* . . . Martial. V, 70, 3 *gladium Romană stringis in ora.*

Addendi sunt loci ubi *que* producitur arsi cf. §. 9. et iungit nomina propria: VIII, 425 *Brontesque Steropesque.* Sic G. I, 370 *Eurique Zephyrique.* IV, 336 *Drymoque Xanthoque.* A. IV, 146 *Cretesque Dryopesque.* IX, 767 *Naeomonaque Prytanimque.* XII, 443 *Antheusque Mnestheusque.*

Iam duo restant loci, in quibus syllaba est brevis V, 143 *rostrisque stridentibus*; sed in Mss. optimis est *tridentibus*, quod ipsi loco aptius. Restat igitur unus locus certus: XI. 309 *Ponite. Spes sibi quisque*, ubi signo interposito et finita sententia fit, ut vocem intermittamus. Itaque X, 313 *aerea scuta*, quod est in Pal. iam ob metrum inferius est alteri *aerea suta*, quod est in Med. Rom.

Ex Virgilianis sunt: Ciris 130 *Nec fuerat nisi Scylla.* Culex 194 *Horrida squamosi volventia membra draconis.* Moret. 36 *calcanea scissa.* In his omnibus brevis est vocalis; et sic omnino poetae multo saepius brevem quam longam faciunt syllabam, ut Propertius, Horatius, Ovidius longam syllabam admittant nunquam, aliquando brevem; Catullus uno loco supra allato; Tibullus uno loco I, 5, 28 *pro segetē spicas* in arsi: Lucanus semel V, 118 *quippĕ stimulo* in arsi; semel Lucretius I, 390 *Complerĕ spatium* in arsi, quum audeat VI, 194 *speluncasque velut saxis pendentibŭs structas* et v. 943 *guttis manantibŭs stillent.* 1186 *Tenuiă sputa.*

Sunt etiam nonnulla vocabula, ut *smaragdus, Scamander, Zacynthus* al., quae versui non possunt aptari, nisi brevis antecedit syllaba.

2) Muta cum liquida si primae sunt vocis consonantes, brevem vocalem, quae claudit vocem antecedentem, apud Virgilium producunt nunquam; neque enim X, 88 *tibi fluxas*, ī longum est ob sequentes *fl.* Sic IX, 732 *Horrendum sonuerĕ, tremunt in verticĕ cristae.* Fecerat id Cat. 4, 9 *Propontidă trucemve Ponticum sinum* et v. 18 *impotentia freta* 29, 4 *ultimă Britannia* in versu senario, al.

Quando autem in eadem voce sunt muta et liquida, syllaba brevis et constat saepe et mutatur. Nec mirum, siquidem positio apud antiquissimos Romanos omnino nihil valebat cf. Gr. §. 58. Sunt autem apud Latinos liquidae quae antecedentem syllabam non mutant, tantum *l* et *r*, non *m* et *n*. *Cȳcnus* tamen, ut est ap. Vgl. et Ov., ap. Hor. C. 4, 2, 25 est *cȳcnus* et 4, 3, 20 *cȳcnus* et ap. Mart. 14, 161, 2 *cȳcnus* et 9, 103, 2 *cȳcnus.* (Talia, quale est ōb — *repit*, semper longa sunt.)

L.

XII, 130 rĕclinant	
XII, 924 rĕcludit cf. IX, 423. G. IV, 52.	G. II, 175 rēcludere
III, 647 Cȳclopas	VI, 630 Cȳclopum
II, 741 rĕflexi cf. X, 535. 632. XI, 622.	
IX, 32 rĕfluit cf. G. IV, 262.	
G. II, 235 rĕpletis cf. A. II, 679. V, 806.	XI, 380 rēplénda XI, 140 rēplet

L.

A. VIII, 556 dŭplicant	E. II, 67 dūplicat
A. I, 93 dŭplices	XII, 198. G. III, 87 dūpléx
VI, 549 trĭplici, VIII, 711.	X, 202 trīpléx
Ov. F. V, 169. M. IV, 642. 652. 656. 671. XV, 149. Ătlas	VI, 797 Ātlas, IV, 247. Ov. M. 4, 627. 631. 645.

R.

X, 561 latĕbras	II, 38 latēbras
VIII, 259 tenĕbris	IX, 425 tenēbris
X, 416 cerĕbro	XI, 698 cerēbro
III, 280 celĕbramus, XII, 840.	
III, 635 terĕbrare, II, 38.	
	XI, 687 muliēbribus
Hor C. III, 4, 61 lugŭbri	X, 272 lugūbre
II, 46 făbricata cf. v. 264. VIII, 145.	Ov. M. IV, 175 fābrilis
(VII, 352 colŭber)	VII, 329 colūbris, VI, 419.
(G. II, 214 scăber)	G. I, 495 scābra
(IX, 270 rŭbens)	VIII, 686 rūbro. XII, 247 rūbra
IX, 231 alăcres	
IX, 289 lăcrimas	
X, 419 săcrarunt	VIII, 600 sācrasse
II, 167 săcrum	II, 230 sācrum
X, 440 volŭcri	XII, 251 volūcres. Cf. Ov. M. XIII, 607.
III, 440 Trinăcria	III, 554 Trinācria
VII, 500 quădrupes	VII, 155 quādris. VI, 535 quadriiugis
	VII, 509 quadrifidam
XII, 198 bĭfrontem	
V, 647 Dory̆cli	V, 620 Dorȳcli
XI, 206 ăgros	XI, 208 agri
IX, 11 ăgrestes	XI, 682 āgrestis
	X, 723 peragrāns
	XI, 772 perēgrina
XI, 414 rĕgressum	
II, 685 flăgrantem	VII, 397 flāgrantem
G. IV, 515 intĕgrat	IV, 302 intēgram *)
VIII, 353 nĭgrantem	IX, 37 nīgranti
(*nĭger* sed)	*nīgri* etc. semper et nīgresco
Ov. M. VIII, 121 tĭgres	VI, 806 tīgres
XII, 939 rĕpressit	
IV, 159 ăprum	E. VII, 29 āpri
Hor. C. III, 7, 6 căprae	IV, 152. XII, 414 cāprae
VII, 32 sŭpra. XI, 25 supremis	VII, 384 supra. XI, 61 supremum
IX, 420 ătrox	Claud. Gigant. 109 ātrox
II, 104 Ătridae	II, 415 Atridae
VIII, 480 Ĕtruscis	VIII, 503 Etrusca
XI, 149 ferĕtro	IV, 222 ferētro
IX, 94 genĕtrix	
XII, 7 lătronis	
XI, 186 pătrum *. II, 663 patris	XI, 688 pātrum. II, 663 patrēm

R.

VIII, 166 pharĕtram	V, 501. VII, 816 pharētra
IX, 10 penĕtravit	Lucr. IV, 617 penētrat
X, 396 rĕtractant	
X, 7 rĕtro	II, 378. IX, 539 rētro
II, 61 ŭtrumque	V, 469 ūtroque
G. IV, 350 vĭtreisque	
III, 421 bărăthri	VIII, 245 barāthrum.

Sic intēgri E. 4, 5. Lucr. 1, 926. Hor. sat. 2, 2, 113, quod alio modo inferri hexametro nequit. S extremam syllabam ŭs claudens usque ad Lucretium non facit positionem, ut in N. 1. allata exempla probant, *pendentibu' stillant*, non ap. Virgilium neque eos qui post fuerunt. Illud ŭs cum sequenti *est* ita iungitur ap. comicos, ut *bonus est* transeat in *bonust*. Id in Aeneidem *Rb.* intulit ter: 1, 237 *pollicitu's* = pollicitus es et 5, 687 *exosu's* 10, 827 *laetatu's*. Ante enim interpretes participium recte interpretati esse sibi videbantur.

§. 9. De ectasi sive de arsi producente.

Ea de re iam exposuit Wagnerus (Quaest. Virg. XII.), ut satisfaceret; neque iam aliud mihi faciendum restat, quam ut quantum possim simplices leges proponam ex locis allatis haustas. Virgilius

1) producit semper modo arsi gravi; itaque maxime III. pedis sed etiam II, IV, V, quando in his est arsis gravior; omninoque eo gratior illa est productio, quo maior est in verbis incisio.

2) Producit saepe post breves syllabas antecedentes, ita ut anapaestico fere metro pes feratur, et ictus in syllabam cadat maior; plerumque solet etiam adiungere longas syllabas.

3) Producit nonnunquam brevem syllabam post alias longas eiusdem vocabuli, ut facile eadem mensura possit pergi; saepius tale verbum excipiunt syllabae breves.

4) Producit raro syllabam brevem in vocalem exeuntem.

5) Producit nunquam vocabulum monosyllabum. Ac hoc monendum plurimas syllabas quae dicuntur arsi produci, antiquitus fuisse longas. Cf. Gr. §. 54.

An. 1. a) Arsis in tertia sede productae exempla vix opus est, ut afferamus: eam enim gravem esse et gravissimam multi concedent.

b) IV pedis:

I, 308 *qui teneant — nam inculta vidét — hominesne feraene.*
I. 478 *Per terram et versa pulvis | inscribitur hasta.*
III, 464 *Dona dehinc auro graviá | sectoque elephanto.*
IV, 222 *Tum sic Mercurium adloquitur, ac talia fatur.*
V, 521 *Ostentans artemque patér | arcumque sonantem.*
VIII, 98 *Cum muros arcemque procúl | ac rara domorum.*
X, 383 *Per medium, qua spina dabát, ensemque receptat.*
XI, 323 *Considant, si tantus amór, et moenia condant.*
XII, 13 *Congredior. Fer sacra patér, | et concipe foedus.*
550 *At Messapus, equum domitór, | et fortis Asilas.*
668 *Et furiis agitatus amór, | et conscia virtus.*
772 *Hic hasta Aeneae stabat; | huc impetus illam.*

Haec fere sunt, nec dubitatur, quin in his omnibus versibus quartae sedis arsis gravior sit tertia.

c) V pedis.

VII, 398 *Sustinet et natae Turnique canít hymenaeos.*
IX, 9 *Sceptra Palatini sedemque petít Evandri.* cf. §. 10.

X, 720 *Graius homo, infectos linquens profugús hymenaeos.*
XI, 69 *Seu mollis violae, seu languentis hyacinthi.*
Ecl. VI, 53 *Ille latus niveum molli fultús hyacintho.*
G. II, 5 *Muneribus, tibi pampineo gravidús auctumno.*
IV, 137 *Ille comam mollis iam tondebát hyacinthi.*

Quando longioris vocabuli extrema syllaba in quinto pede producitur, poetam videmus etiam versum claudere ionico a minori aut molosso, ut accentus vis augeatur cf. §. 3.

d) II pedis.
A. IV, 64 *Pectoribús inhians spirantia consulit exta.*
VI, 254 *Pingue supér | oleum infundens.*
XI, 111 *Oratis; equidem et vivis concedere vellem.*
XII, 68 *Si quis ebúr, aut mixta rubent ubi lilia multa.*
422 *Quippe dolór; omnis . . .*
G. III, 189 *Invalidús, etiamque tremens.*

His additur genus locorum, in quibus est *que* copula arsi producta. 1) *in altero pede*, et 2) *si alterum que presse sequitur* et coniungitur, ut cum vi aliqua prius sit pronuntiandum, ut iam propterea coniecturae cadant, quae exstant ad 1, 636. Saepissime etiam 3) *que pluribus excipitur consonantibus.*

Sic A. VII, 186 *Spiculaque clipeique.* XII, 89 *Ensemque clipeumque.* 181 *Fontesque fluviosque voco.* Adde Ecl. IV, 51. G, I, 153. 164. 352. IV, 222. 336. 443. 4, 146. (Sic Ov. M. VII, 265 *Seminaque floresque.*)

Eo facilius hoc sibi indulgebat in nominibus propriis; cf. exempla §. 8. 1.

Ad 1. *que* in arsi pedis quinti semel 9, 767 *Naemonaque Prytanimque.* Ov. M. 13, 257. 258.

Particulae ante simplicem consonantem productae loci exstant apud Virgilium A. III, 91 *Liminaque laurusque.* XII, 362 *Chloreaque Sybarimque.* Ovidius, ut V, 484 *Sideraque ventique.* IV, 10 *Telasque calathosque.* X, 263 *Liliaque pietasque.* I, 193 *Faunique Satyrique.* 3, 30. 7, 220. 11, 36.

Ad 2. Quod ibi dictum est iam firmatur exemplis allatis; magis etiam firmabitur exemplis a Wagnero collectis Q. V. XII, 10.

Ad 3. Revera pauca sunt exempla: I, 478 (cf. I, b.) XI, 69. G. IV, 137. Ecl. VI, 53. (cf. I, c.) XI, 111. (cf. I, d.) Praeterea

I, 668 *Litora iactetúr, odiis Iunonis iniquae*
V, 853 *Nusquam amittebát, oculosque sub astra ferebat.*
IX, 610 *Terga fatigamús hasta, nec tarda senectus.*
G. IV, 453 *Non te nullius exercent numinis irae.*

Ad 4. Praeter locos, in quibus *que* est productum sunt:

1) A. III, 464 *Dona dehinc auro graviá | sectoque elephanto.*
2) 702 *Immanisque Gelá fluvii cognomine dicta* (versus incertus.)
3) XII, 646 *Sancta ad vos animá, atque istĭus inscia culpae.*

ubi antecedente hiatu vel magis acuitur arsis et brevis syllaba redditur etiam tolerabilior. Tib. I, 7, 61 *Te canet agricola magna quum venerit urbe.*

Ad 5. Cf. quae de *iit* in *it* contracto §. 10.

Producit autem Virgilius verborum formas quae in *r. s. t.* exeunt, quales sunt *videt. peteret. subiit. erat. erīt* 12, 883. *stetit* 12, 772. *tendebat* al. *fatigamus*, *oratis*, *obruimur* II, 411. *alloquitur* IV, 222. *datur* V, 284.

Deinde substantivorum maxime nominativos, qui sunt in *r. s. t.*

Sic *puer* E. IX, 66. *pater* V, 521 al. *amor* XI, 323 al. *pavor* II, 369. *dolor* XII, 422. *labor* G. III, 118. *Numitor* VI, 768. *domitor* XII, 550. *melior* G. IV, 92. *ebur* XII, 68. In s. *nemus* III, 112. *pulvis* I, 478. *manus* XII, 232. Nomen *Euryalus* V, 337. et adiectiva *gravidus* G. II, 5. *invalidus* III, 189. *profugus* A. X, 720. *fultus* E. VI, 53. In t. *caput* X, 394.

Casus obliqui praeter illud Graecum *Pleiadas* G. I, 138; tantum quattuor exempla sunt: *pectoribus* A. IV, 64. et genitivus *Iovis* G. III, 332. et participia *languentis* XI, 69 et *nullius* G. IV, 453.

Postremo adverbia *super* VI, 254 et *procul* VIII, 98. Cf. Gr. §. 56.

§. 10. De synizesi.

Synizesis sive synaeresis est duarum vocalium, quibus duae syllabae constant, in unam syllabam contractio; eaque apud poetas ante Virgilium saepissime, raro apud ipsum, rarius etiam apud posteriores; nec nisi in certis vocibus reperitur, et iis potissimum, quae aliter metro aptari nequeunt, maxime nominibus propriis, quibus nomen aliud haud facile substituitur, ac in iis sedibus versus, in quibus metrum liberius est, quod in hexametro est in pede sexto; is enim ex origine sua et — ◡ et — — habet. Synizesis autem aeque ac synaloephe (§. 7) non eiicit vocalem, sed tantummodo aliquatenus corripit.

Semper apud poetas in unam syllabam contrahitur *ei* in *deinde, proinde* 11, 383. 400, ut apud Latinos ita pronuntiari solita esse haec verba videantur. Saepe etiam in unam syllabam coit *dehinc* IX, 480. sed *dĕhīnc* III, 464. VIII, 337. *dehinc* semel ap. Ov. F. 6, 788. Sic *de* etiam in verbo *deesse* cum sequente vocali coaluit et legimus ap. Virgilium *deest* X, 378. *deerit* VII, 262. (*deesse* Lucr. I, 44.) *deerraverat* E. VII, 7. (*deerrarunt* Lucr. III, 874) *anteirent* XII, 84. (Ov. M. 13, 366 *anteit*, idem Hor. C. I, 35, 17. Val. 1, 31.) *reice*, reiice E. III, 96. (Lucr. III, 890. IV, 1267 *reicit.*) Eius generis multa sunt exempla apud Lucretium.

Vocabula, qualia sunt *aureus, ferreus* multis casibus, quibus poetae carere non potuerunt, versibus dactylicis aptari nequeunt; itaque extremae syllabae in unam contrahuntur. Sic *aerei* VII, 609. XII, 541.* *ferrei* VI, 279. *aureo* VIII, 372.* X, 116.* *aureā* I, 698. *aureis* I, 762.* V, 352.* VIII, 553.* *alveo* VI, 412.* VII, 33.* 303.* 436.* IX, 32.* G. II, 453. *baltei* X, 496. *alvearia* G. IV, 34. *curruum* VI, 653.* sic *passuum** Mart. II, 5, 3. *unā eademque viā* X, 487. *uno eodemque* XII, 847. *atque eodem partu* Lucr. VI, 691. Sic genitivi nominum Graecorum *Oilei* I, 41.* *Ilionei* I, 120. VII, 249. *Idomenei* XI, 265. *Terei* E. VI, 78. *Promethei* E. VI, 43.* *Nerei** VIII, 383. X, 764.* *Protei* XI, 262. *Tyrrhei* VII, 532. Sic dativi eiusdem terminationis *Orphei* E. IV, 57. G. IV, 545. *Mnesthei* V, 184. Sic dativi in *eo* exeuntes *Typhoeo* IX, 716.* *Menestheo* X, 129. *Eurystheo* VIII, 291. Sic accusativi in *ea* *Orphea** E. VI, 30.* *Typhoea* G. I, 279.* In locis, qui stellulis signantur, verba sunt extrema versuum.

Synizeses formae perfectae ex *iit* in *ít, avit* in *át, ávimus* in *ámus* non sunt certae, nam *īt hasta* 9, 418, ubi *Hu.* dedit *iit*, etiam propterea offendit, quod longum est in thesi hoc uno in loco. *Lch.* locorum numerum auxit, quum scribi iuberet *tránsīt*, sequente vocali, 10, 785. 817 pro *transiit.* Deinde habetur *petit* 9, 9 pro *petivit*, quum sit praesens. Non minus perfecta habentur *fumat* 3, 3 et *penetrat* 7, 363, *adspirat* 12, 352, sed etiam haec praesentia sunt, ut *intramus* 5, 52, quod volunt esse pro *intravimus.* Quid conati sint alii poetae, non huius est loci. Cf. Gr. §. 173 An. 3.

Lucr. VI, 33 in voce *omnia ia* in longam syllabam contractum potest ei videri, qui meminerit Lucretium *similia* 2, 908, *initium* 3, 272 anapaesto usum fuisse. Sed *i* videtur consonans esse cf. §. 12, aut versus hypermeter. Cf. §. 4.

Eliditur non contrahitur vocalis G. IV, 270 in *grăvĕolentia.*

CAP. III.

§. 11. De Tmesi.

Apud Latinos poetas etiam tmesis admittitur. Verba enim composita ob metrum iterum disiunguntur. Plura eius rei exempla sunt apud antiquos, Ennium, Lucretium quam apud posteriores. Cuius rei non ea est caussa, quod antiqui multa sibi licere putabant, sed potius ea, quod antiquitus talia vocabula nondum composita habebantur; ut apud Homerum tmeses multas esse dicimus, non quasi is voces dissecuerit, sed quod discernit ea, quae postea composita sunt. Ita in nostra etiam lingua nonnulli iam adverbia quae infinitivo adiungebantur, etiam cum verbo finito coniungunt, a quo solent separari. Cf. *er unterstellte.*

Ex his intelligitur lusus ille satis notus: *deficiente pecu deficit omne nia* et Ennii apud Donatum: *saxo cere comminuit brum* esse contra legem, quum separetur terminatio. Apud Lucretium sunt: *inter quaecunque pretantur* IV, 830, *con brachia suefaciant* VI, 396, quum neque *pretari* neque *suefacere* simplicia restarent. Audacissimum, quod mihi quidem videtur, est VI, 962 *facit are;* quamquam et in hoc lex servatur.

Virgilius separavit *super* o verbo *esse:* II, 567 *Iamque adeo super unus eram.* VII, 559 *si qua super fortuna laborum est.* Sic Ov. Fast. V, 600 *nox erit una super.* Sed si vel Tacitus suo tempore poterat dicere H. I, 20 *at illis vix decumae super portiones erant,* hanc vocem videmus separari solere. Cf. ad III, 489. Sic separavit *praeter* a suo verbo X, 399 *fugientem Rhoetea praeter. circum* I, 412 *circum dea fudit. inter* G. II, 349 *inter* enim *labentur* aquae. (Lucr. IV, 946 *inter enim saepit.* III, 872 *inter enim iecta.*) Sic Cic. Off. III, 17, 71 *mala bonis ponit ante:* et Hor. S. I, 1, 86 *post* omnia *ponas.*

Sic *usque* V, 384 *quo me usque,* et *cunque* I, 614 *quo me cunque.* XII, 203 *quo res cunque.* Saepe ap. Hor. cf. Dill. C. 1, 6, 3. Sed illud *cumque,* sive *quumque* etiam absolute positum reperitur ap. Lucr. II, 21 (ubi alii *quemque*) 113. Hor. C. I, 37, 15. Itaque Virgilio etiam licuit separare, ut Cicero separavit de or. III, 16, 59 *quam se cunque in partem dedisset.* — Separatur *hactenus:* V, 603 *hac* fortuna *tenus,* VI, 62 *hac* Troiana *tenus* — *septemtrio:* G. III, 381 *Septem* subiecta *trioni.*

Deinde Virgilius hanc tmesin mitigavit, quod particulam quae per se non stat, a suo verbo modo copula *que* separabat, qua ratione etiam id assecutus est, ut copulam ponere non cogeretur post vocabulum nimis longum. — Sic IX, 288 *inque salutatam.* X, 794 *inque ligatus.* G. II, 366 *interque legendae.* Apud Lucretium sunt eius generis haec: *conque putrescant* III, 344, *conque globata* II, 153, *inque pediri* III, 483, *inque genuntur* III, 745, *inque valebunt* II, 301, *inque merentes* II, 1103, *perque plicatus* II, 394, *praeterque meantum* I, 319, *seque gregari* I, 453, *disque supatis* I, 652.

§. 12. Vocales *i* et *u* in consonantes mutatae.

Litterae *i* et *j*, *u* et *v* apud Romanos saepe inter se mutatae sunt, cf.

unde singularis ortus est usus poetarum. Ii enim *i* et *u* vocales, si vocali praecedunt, saepe metri caussa in consonantes *j* et *v* mutant, ita ut syllaba antecedens his vocalibus in consonantes mutatis ex positione producatur. Contra quando aliis in vocabulis *j* et *v* in usu sunt, solvunt in vocales. Sic *sŭēmus* Lucr. I, 55. *sŭēsse* V, 910. *sŭētae* Hor. Sat. I, 8, 17. *sŭădent* Lucr. IV, 1151. *sŏlŭunt* Cat. 61, 53. *dissŏlŭenda* Tib. I, 7, 40. *silŭae* Hor. C. I, 23, 4. Ep. 13, 2. Huius usus exempla apud Virgilium non reperiuntur, alterius plura. Sic quum IV, 136 *connūbĭă* legatur, legitur *connubjo* I, 73. VII, 253. *connubjis* VII, 333. Ita versu extremo *omnja* VI, 33. *precantja* VII, 237. *taenjis* V, 269. — Quodsi priora exempla synizesi, haec ex versu hypermetro possunt explicari, sunt quae alia ratione nequeunt. Ut quum *păries* nominativus legitur *pārjĕtibus* II, 442. V, 589. G. IV, 297. — *ābjĕte* II, 16. V, 663. VIII, 599. XI, 667. *ābjĕtibus* IX, 674. — *arjĕte* II, 492. VII, 175. XII, 706. — *ārjĕtat* XI, 890. — *flūvjorum* est G. I, 482 primum versus vocabulum (ut *avium* Ennii ap. Gellium VI, 6.) et G. IV, 243 est *stelljo*. Hinc ortae coniecturae *Wgi* A. I, 2 *Laviniaque*, ubi *Lch.* praefert *Lavinaque*, et E. VI, 41 *Saturniaque*. In verbis cum *semi* compositis *i* ubique in *j* transit, vide IV, 686. Sic Hor. C. III, 4, 41 *consiljum* et 6, 6 *principium* sunt molossi et *vindemiator* Sat. I, 7, 30 epitritus quartus, *victis* Ep. 12, 7 spondeus. Cat. 113, 1 *Formjanus*. — Ov. F. II, 405 *vagjerunt*. *connubjo* M. 6, 428. *promontorjum* 15, 709. *Antium* in pede sexto 15, 718. — Dicitur etiam συνεκφώνησις. De mensura, qualis est simĭlĭa cf. §. 10 extr. — Simili modo *genua* et *tenuis* est trochaeus V, 431. XII, 905. *tenuia* dactylus G. I, 397. II, 121. Sic *pituita* Hor. Sat. 2, 2, 76. Ep. 1, 1, 108. *sinuatus* Sil. IV, 226. In vocabulis ex Virgilii carminibus allatis posteriores poetae eodem metro usi sunt.

§. 13. Variatur eiusdem vocabuli metrum.

Nonnulla nomina propria metro dactylico aut tota contraria sunt, aut eorum repugnant aliqui casus, vel in paucis tantum versus sedibus locum habent. Qua re poetae aut circumscribebant aliis vocabulis, ut pro voce *Hērcŭlēs* est *Alcides*, *Tirynthius heros*; aut verborum connexum ita formarunt, ut ii casus locum haberent, qui versui inferri poterant, aut ipsius vocabuli metrum immutarunt. Hinc poetae etiam, ubi necessitas non cogebat, metrum variarunt. Sic

Ăsiae III, 1. — Āsia VII, 701. | Ĭtalus III, 396. VI, 757. VII, 776. X, 780. — Ītalus VII, 643. IX, 698. Avien. 114. 154. Italiam I, 4. || Sĭculus E. II, 21 Sīcelides E. IV, 1. Sĭcānus V, 24, 293. VII, 795. VIII, 328. XI, 327. E. X, 4. — Sīcăniae I, 557. Sīcănio III, 692. Sīcănium VIII, 416. (Sīcănii Avien. 486. Sīcăna pubes Sil. X, 313. Sĭcānus Avien. 152. 506.) | Sīdŏnius IV, 75. 137. 545. (Tib. III, 3, 18. Avien. 1072.) — Sīdōnia XI, 74. (Ov. M. III, 129. Prop. II, 16, 55. Sil. I, 444. || Lăvinia, Lăvinium I, 258. 270. VI, 48. VII, 359. (Ov. F. III, 629. 633. Tib. II, 5, 49. Iuv. XII, 71.) Lāvinius, a, um in ceteris locis, sic I, 2. IV, 236 etc. (ita etiam Ov. M. XIV, 570. XV, 728. Prop. II, 34, 64. Luc. IX, 989.) Ĕous II, 417. III, 588. VI, 832. XI, 4. G. I, 288. (Luc. IV, 352. V, 71.) — Ēous I, 489. G. I, 221. II, 115. (Luc. II, 720. VI, 680.) | Dĭana XI, 582.652 et plerumque etiam ap. Ovidium. — Dīana I, 499. (Ov. M. VII, 352. Prop. II, 21. 60.) || Ŏrīon I, 535. (Val. IV, 123.) — Ōrīon VII, 719. (Val. II, 508.) Ŏrīōna III, 517. (Ŏrīōna Ov. F. V, 493. Orīōnis M. VIII, 207.) | Sȳchaeus I, 348. — Sўchaeus I, 343. | Prĭamus II, 56. — Prīamides III, 346.

Ut in his nominibus Virgilius variavit, sic in aliis alii poetae ab eius metro recesserunt.

Malĕa V, 193. — Malēa Prop. III, 17, 8. || Albŭnea VII, 8. — Albūna Tib. II, 5, 169. || Cātīllus VII, 672. XI, 640. Sil. VIII, 366. — Cătillus Stat. Silv. I, 3, 100. — Cātilus Hor. C. I, 18, 2. || Salămis VIII, 158. — Salāmis Avien. 679. || Pelion G. I, 281. III, 94. (Claud. in Ruf. II, 44.) — Pelīon Claud. Prob. et Ol. cons. 203. || Grādivus III, 35. (Ov. F. II, 861.) — Grădivus Ov. M. VI, 427. || Porsenna (Wr. — Porsēnae Heyn.) VIII, 646. — Porsĕna Sil. VIII, 646. X, 484. || Pachynum III, 699. — Pachȳnus Avien. 635. || Abȳdus G. I, 207. (Ov. Her. XVIII, 127. Abydenus Trist. I, 10, 28. Ib. 592) — Abȳdus Avien. 693. || Edōnus XII, 365. — Edŏnis Luc. I, 675. Sil. IV, 779. || Fidena VI, 773. — Fīdenae Hor. Ep. I, 11, 8. Iuv. VI, 57. Fīdena Sil. XV, 90.

Est etiam variatio aliis in verbis; sic *līquentia* I, 432. — *lĭquentia* V, 238. Cf. Lucr. IV, 1255 *Crassaque conveniunt liquidis et liquida crassis.* — *adōreus* V, 109, de voce *ador, ŏris* — *rŭdentum* III, 561. VII, 16. VIII, 248. G. III, 374, quum apud Persium sit *rūdere* III, 9, — Sed *rŭdere* Ov. F. I, 433. VI, 342. Huc etiam referendum, quod dicitur *rēligio* III, 363. *rēliquiae* I, 30. *rētulit* V, 598. VIII, 343. *rēpulit* IV, 214. VI, 450. (*rēcidat* Ov. M. VI, 212.) quae verba duplici scribi solent consonanti.

§. 14.

Poetae rariores formas amant, ut verba etiam rariora quaerunt: eae autem formae sunt maxime antiquae, quod antiquitas sermonem ornare videbatur. Parabant etiam sibi plures formas, ex quibus ad versus necessitatem aptissimam eligerent. Sic apud Virgilium est *ast* cf. ad I, 46. — *quianam* cf. ad V, 13.

Nominum memorandus est genitivus āī cf. ad III, 354; ablativus *famē* III, 208. VI, 421; genitivus pluralis in *um* pro *ium*; sic in uno versu XII, 410 legitur *bellantum* et *cadentum;* dativus *u* pro *ui* cf. ad III, 541. — *e* pro *i?* X, 361.

Pronomiuum formae *olli* nom. et dat. *ollis* dat., quae formae modo in narratione reperiuntur.

Verborum forma *ibat:* IV, 528 *lenibant.* VI, 468 *lenibat.* VII, 485 *nutribant.* XI, 572 *nutribat.* VII, 790 *insignibat.* VIII, 160 *vestibat.* 436 *polibant.* X, 538 *redimibat.* Sic Ennius ap. Cic. Div. I, 20, 40 *stabilibat.* Saepissime Lucretius, Ovidius, alii. In vulgari sermone haec forma servata est in verbo *ire* eiusque compositis. Firmatur etiam analogia formarum *abam, ebam* et Italorum *amava, credeva, sentiva.* Cf. Gr. §. 174. 2.

Sic forma perfecti *ĕrunt* pro *ērunt: stĕtĕrunt* II, 774. III, 48. X, 334. *constitĕrunt* III, 681. *miscuĕrunt* G. II, 129. *fuĕrunt* G. IV, 393. *tulĕrunt* E. IV, 61. *paruĕrunt* Ov. M. IV, 225. *terruĕrunt* Am. III, 5, 2. *horruĕrunt* F. II, 502. *praebuĕrunt* Her. II, 161. His formis etiam antiquissimi poetae usi sunt et quae nunc est forma Italica ad *ĕrunt* deducit cf. *apparvero,* apparuerunt, *aspersero* asperserunt, *cessero* cesserunt. His documentis satis demonstratur, nunquam hunc pronuntiandi modum esse obscuratum; et si poetae vitabant, non tamen ut plane negligerent, nihil potest aliud demonstrari, quam in urbano sermone, quem potissimum poetae spectabant, *ērunt* fuisse usitatius.

In formis perfectorum in *si* et *xi* exeuntibus poetae secuti ut videtur vulgarem vocum pronuntiationem syllabam unam eiecere cf. Cic. Orat. 47, 157: „Quid? quod sic loqui *nosse, iudicasse* vetant, *novisse* iubent et *iudicavisse?* quasi vero nesciamus, in hoc genere et plenum verbum recte dici et imminutum usitate.“ Quae h. l. Cicero de perfectis monet, quae in *vi* exeunt, latius videtur patere, quamquam in aliis perfectis talis imminutio non videtur tam usitata fuisse. Sic I, 201 *accestis.* IV, 606 *exstinxem.* 682 *exstinxti.* V, 786 *traxe.* VI, 57 *direxti.* XI, 118 *vixet.* Cf. Gr. §. 173. B.

De formis perfecti, qualis est *audiit, audiisse* iam ad III, 603; de contractione in *audit* §. 10 dictum est.

Antiqua forma *fuat* semel usus est Virgilius in Iovis oratione X, 108, saepius Lucretius ut I, 387. V, 584. VI, 609. et priores.

Non minus antiqua sed etiam post Virgilium apud poetas in nonnullis verbis servata est forma *faxo* IX, 154. XII, 316. *iusso* XI, 647. cf. Gr. §. 174, 3.

Infinitivus passivi in *ier* legitur IV, 493 *accingier.* VIII, 493 *defendier.* IX, 231 *admittier.* VII, 70 *dominarier.* XI, 248 *farier.* G. I, 454 *immiscerier;* — apud Lucretium etiam antecedente syllaba brevi VI, 1188 *trăhier.*

Neque omittendae sunt formae, quales *porriciam* V, 238. cf. v. 776. *porgite* VIII, 184. (*porgebat* Sil. IX, 458. *porgens* Val. II, 656.) *prendere* III, 250. *prendimus* II, 322. *comprendere* G. II, 305. *deprensus* V, 52. *deprendere* Ov. M. II, 94. *apprendere* Sil. VIII, 653. Pro *asperis*, ad normam *dextris*, est *aspris* II, 379. Huc pertinent etiam IX, 174 *periclum*, III, 143 *oraclum*, IV, 16. VII, 16 *vinclo, vincla*, V, 176. 859 *gubernaclum*, alia apud poetas Augusteos saepe obvia.

Variatur inter primam et tertiam coniugationem in verbo *lāvare*, quod est usitatum, et *lăvĕre.* Sic Praes. *lăvit* X, 727. G. III, 221. Hor. C. II, 3, 18. III, 4, 61. 12, 7. Ep. XVII, 51. *lavĭs* C. IV, 6, 26. *lavĕre* C. III, 12, 2. *lavĭmus* Sat. I, 5, 24. *lavitur* Val. IV, 229.

Inter secundam et tertiam in verbo

fervēre. Sic IV, 407 est *fervet* 409 *fervĕre*; idem 567. VIII, 677. IX, 693. G. I, 456. Lucr. II, 42. Ter. Ad. IV, 1, 18. Val. I, 121. — *effervĕre* G. I, 471. || *fulgēre.* Sed *fulgĕre* VI, 827. Lucr. V, 1094. VI, 160. 165. Val. VIII, 284. al. *effulgĕre* VIII, 677. || *tergēre.* De forma *tergĕre* cf. Serv. ad VII, 626. Orell. Cic. Parad. V, 2, 37 dat *tergunt*, laudat *tergent.* || *stridēre.* Sed *stridĕre* G. IV, 556. *stridit* IV, 567. 689. G. IV, 262. *stridunt* II, 418. VIII, 420. XII, 691.

Inter quartam et tertiam *potiri.* Sic *potĭtur* III, 55. Ov. M. IX, 797. VI, 217. 339. Claud. in Eutrop. II, 218. || *oriri.* Sic *orĭtur* II, 411. *exorerentur* Lucr. I, 181.

I.

SATURNUS (*Κρόνος*) ∪ Rhea I.

1. Vesta.
1. Ceres. M. Iuppiter
   - Proserpina M. Pluto
1. Iuno. M. Iuppiter.
1. Pluto. U. Proserpina.
1. Neptunus. U. 1. Amphitrite 2. Iphimedia Aloeo nupta 3. Libya 4. Hippothoe 5. Medusa
   - 1. Triton. I, 144.
   - 2. Otos. 2. Ephialtes. Aloidae VI, 582
   - 3. Agenor. I, 338. U. Telephassa
     - Europa ∪ IUPPITER. Cadmus. Phoenix. Cilix
       - Minos ∪ PASIPHAE. VI, 432. Sarpedon. 1, 99. Rhadamanthus VI, 566.
         - Minotaurus VI, 27.
         - Catreus. Glaucos. Deucalion. Androgeus. VI, 20. Ariadne. M. Bacchus. Phaedra. M. Theseus ∪ Antiope
           - (Deucalion) Idomeneus III, 121. XI, 265.
           - (Theseus ∪ Antiope) Hippolytus VII, 762.
             - Virbius VII, 777.
           - (Catreus) Aërope M. Plisthenes. Clymene M. Nauplius
             - (Clymene) Palamedes II, 82.
             - (Aërope) Agamemno. Menelaus.
   - 3. Belus.
     - Aegyptus. Danaus
       - 50 filii. 50 filiae
       - ex iis Lynceus ∪ Hypermnestra
         - Abas
           - Acrisius VII, 372.
             - Danae quae condidit Ardeam VII, 410.
   - 4. Proteus.
   - 4. Pegasus. XI, 262.
   - 5. Chrysaor.
     - Geryon VI, 289. VII, 662. VIII, 202.
1. Iuppiter cf. T. II.
2. Picus VII, 48. U. Canens
   - Faunus VII, 48. U. Marica VII, 47.
     - Latinus VII, 45. U. Amata VII, 343.
       - Lavinia XII, 63. M. AENEAS
Pilumnus X, 618. (U. Danae)
   - . . . .
     - Venilia X, 76. M. Daunus. Amata. M. Latinus
       - (Daunus) Turnus. Iuturna. altera cuius maritus Remulus Numanus IX, 594.

II.

IUPPITER.

Iuno. | Dione. Metis. | Latona. | Themis. | Eurynome. Mnemosyne. Leda. Laodamia.

|Hebe. Ilithyia. Mars. Vulcanus. Venus. Minerva. Apollo. Diana. Horae. Parcae. Gratiae. Musae. Pollux. Sarpedon eius fra-|

Mars U. Ilia. — Vulcanus U. Venus.

(Quirinus) Romulus. Remus. | VI, 779.

Venus — Anchises — AENEAS.

Apollo U. Coronis — Aesculapius

Aliam prolem v. III.

Horae: Irene, Eunomia, Dice.

Parcae: Clotho, Lachesis, Atropos.

Gratiae: Aglaia, Euphrosyne, Thalia.

Musae: Clio, Melpomene, Thalia, Calliope, Terpsichore, Euterpe, Erato, Urania, Polyhymnia.

Pollux. (Castor) Helena

Sarpedon eius fra-| I, 100. X, 471. tres Clarus — Antiphates IX, 606. et Thermon X, 125.

III.

ATLAS VIII, 123 sqq.

|7 Atlantides s. Pleiades, ex his: Electra◡Iuppiter | Maia◡Iuppiter | Sterope◡Oenomaus.|

Electra◡Iuppiter

Dardanus. Iasius III, 168.

Erichthonius

Tros

Assaracus

Capys

Anchises

AENEAS

Iulus

Unde domus Teucros Iulia tangit avos.

Maia◡Iuppiter

Mercurius U. Carmenta

Evander

Pallas

Sterope◡Oenomaus. rex Elidis.

Hippodamia M. Pelops

| Atreus Thyestes |

Atreus: | Agamemno U. Clytaemnestra — Menelaus U. Helena |

Thyestes: Aegisthus U. Clytaemnestra

Agamemno: |Electra. Iphigenia. Orestes III, 331. ◡ Hermione.

Orestes ◡ Hermione — Tisamenus.

Menelaus: Hermione. III, 328. Nicostratus ad II, 579. |

IV.

DARDANUS Iovis filius, eius frater Iasius III, 168. cf. Hom. Il. XX, 216 sqq. Ov. F. IV, 30.

Erichthonius ∪ Astyoche f. Simoentis

Tros ∪ Callirrhoe f. Scamandri

Ilus VI, 650. — Assaracus I, 284. VI, 650. — Ganymedes V, 252.

Ilus → Laomedon

Assaracus → Capys → Anchises → AENEAS ∪ 1. Creusa II, 562. ∪ 2. Lavinia XII, 937.

Aeneas and Creusa → Ascanius s. Iulus

Aeneas and Lavinia → Silvius Aeneas VI, 768.

Laomedon → Tithonus. Lampon. Clytius. Hicetaon. Podarces s. Priamus. Hesione ∪ Telamon rex Salaminis

Tithonus U. Aurora → Memnon I, 751.

Hicetaon → ? Thymoetes X, 123.

Hesione and Telamon → Teucer I, 626

Priamus U. Hecuba →

Hector	Paris	Deiphobus	Helenus	Polites	Troilus	Polydorus	Dorycius	Ilione	Creusa	Cassandra	Polyxena. al.
U. Andromacha III, 319.	U. Helena	III, 310. VI, 499. U. Helena VI, 511. 523.	III, 295—505. U. Andromacha III, 297.	II, 526.	I, 474.	III, 49.	Apoll. III, 12, 5.	I, 653 omittitur ab Apolloro.	II, 772. M. Aeneas.	II, 343.	III, 321.

Hector → Astyanax II, 457. III, 48.

Polites → Priamus V, 564.

ADDENDA.

Lib. I.

Versus *Ille ego — Martis* Henry in libro suo „Aeneidea 1873“ acriter defendit Virgilioque vindicat ac ipsius Aeneidis esse docet, et haec est eius sententia, ut censeat eos, qui probent, cum ceteris versibus iungere, qui spurios habeant, omnino ab Aeneide removere debere, neque ut nunc soleant facere, Aeneidem capite privatam, capite prope apposito legentibus offerre, speratque futuros ei editores obsecuturos. Eam ego spem frustravi iam propterea, quod librum ipsius editoris liberalitate ad me allatum accepi, quum diu primae chartae impressae essent.

V. 4 delet Steudner Pr. Rossleben 1873. simulque removet multas difficultates. At simul removet Iunonem, quae ante v. 9. nominanda erat. Eum igitur versum tollit et reliqua ita constituit: *quo numina laesa Insignem . . . Impulerint.* — In annotatione ad h. v. semel *arcem* pro *urbem* scriptum est.

6. *Unde* Steudner explicat a quo sc. Aenea. Deinde adiicias velim: cf. 12, 836.

8. Münscher Z. f. Gymn. 1873 p. 333 *quo* explicat *quomodo*. Ammann Pr. Stuttgart 1870 probat *laesu*.

21, 8. scribe *nihilo — minus*

29. Post *iungunt* adde: contra versus rationem.

44. Lege: 6, 390 ubi icti flammas fulguris

48. Steudner legit *adorat* et *imponit.*

98. Pro 98 l. 99.

126. *Alto*, quod satis perspicuum esse putaveram, varia explicatione tentatum est. *Wg.* explicat: ex imo mari, ubi Neptuni est sedes. *Wd.* habet ablativum, Münscher *prospicere c. abl.* negat Latinum esse (et *prospicere ex* legitur 4, 409. 7, 288. 12, 134. quibus tamen locis nolo demonstrare ablativum non posse dici), neque recte iungi *prospiciens extulit.* Ipse colo post *vadis* posito remotoque post *commotus* commate, *prospiciens* explicat für das Meer Sorge tragend. Quod iudicaverit Bentfeld Z. f. Gymn. 1874 p. 808. non satis perspicio. Habet *alto* ablativum, addit *alto prospiciens* „als begleitendes Nebenmoment zu s. c. *extulit u.* Vgl. 12, 136. Deinde: „*alto* hätte wegbleiben können.“ Si recte intellexi, explicat von oben herniederschauend. *Fb. alto*, ut v. 181 *pelogo* explicat per altum, per pelagus *Ld.* ut ego utroque in loco intelligit dativum neque sum nescius aliis in locis *prospicere* regere accusativum ut 155. 6, 357. 7, 289, sed alia significatione; in iis enim is qui prospicit simul conspicit aliquid, quod accusativo indicatur; his locis significatur longus prospectus in aliquid; seewärts, non: das Meer anschauend.

144. Ad *simul — simul* 1, 513 adde 5, 675. 12, 268.

148. l. inversa 7, 584 est comparatio

152. Ad 303 adde 12, 618.

165. ita 311.

178. *fasces receptos* et adde 7, 244.

181. *Pelago* Bentfeld, Kappes ablativo explicat: „der Ablativ zur Bezeichnung des Raumes, in welchem eine Bewegung stattfindet, bei Virgil häufig.“ Afferturque nubes exemplorum, in quibus simplex est notio loci, ut worin umher vult significari 4, 68 in *totaque vagatur urbe*, ubi illud umher latet in *vagatur.*

186. per vallem flexuosam

212. 11, 145.

226. Cf. 493.

253. adde cf. Gr. §. 334. An. 2.

292. Romanum bellis, dele *etiam.*

317. ex coniectura Rutgersi

370. *querenti* iunxi cum *talibus*, neque tamen pronuntiavi: idem sentit Münscher; contra *Wg. Ld. Wd.* trahunt ad *ille.*

394. ut 8, 523. Ov. M. etc.

396. *capsis* quod iam Schenkl proposuerat, de suo protulit Schulthess, qui etiam *respectare* recepit, utrumque probat

Münscher. Brandt Z. f. Gymn. 1874 p. 81 sqq. post versum 396 pausam iubet esse: dann fliegen die Schwane wieder in die Luft. Sieh' wie sie jetzt zurückgekehrt mit rauschenden Flügeln schlagen, nachdem sie in voller Schaar den Himmel singend umzogen haben; so ist die Flotte etc. Steudner l. l. *cinxere polum:* wie sie in den Kreis geschaart den Boden besetzt und ihr fröhliches Geschrei erhoben haben. Sed habet explicationem etiam meliorem: *Illi* v. 397 sunt sex; Virgilius enim dixerat *bis seni*, deinde pro *et coetu* scribi iubet: *hi coetu* „also sechs sitzen schon, sechs fliegen noch und gesammelt (coetu) zeigen sie durch ihr Geschrei ihre Ankunft den bereits sitzenden Schwanen an. Quem locum quum iterum attigerim, iam confiteor per ludum me explicasse Nistkasten, quum sint Käfige, neque hoc aptum.

413. *Aut* post negationem cf. 3, 43. Dele quae ad v. scripta sunt.

420. terris infra iacentibus

430. *Gr.* scribe pr. *Gt.*

438. significare docetur locis. — Post 6, 579 adde 9, 530.

455. Male retuli de *Rbo.* Idem tradit quod *Hu.* et *Wg.* esse *inter se* in FMPRγb *intra se* in c. Illud autem *inter se* maxime interpretes exercuit. Schenkl ut tutetur eiicit v. 445 et scribit *lustrant* et *mirantur* assentiente Münschero; hoc *mirantur* inter se iam dedit *Pl.* (quod omisi commemorare), sed servato versu 454. At *mirari inter se* non potest significare aliud nisi: mirantes inter se colloquuntur, alter alteri quantopere miretur exponit, locutio sane praegnans. Brandt: „In inter se steckt ein Fehler." Emendat pro *inter se* scribendo *varias.* Pergit: „Aeneas durfte nicht vergessen, dass er zur Königin wollte; also durfte er im Tempel nicht die Bilder so gemächlich ansehn, wenn er nicht wusste, dass er die Dido treffen werde." Post: „Aeneas musste durch den Menschenstrom, der in dieser Richtung sich bewegte, aufmerksam werden und bald vernehmen, dass Dido in den Tempel komme." *Mv.* 2 p. 33 recipit *intra se* et explicat: „Aeneas intra se, hoc est tacitus artificum opera admiratur, quo exemplo Plinius maior dixit X, 118 *intra semet meditari* et Quintilianus *intra se disponere, componere* X, 6. 2. XI, 3, 2. *Hck.* qui *operum* non multum abest ut sumat pro *operarum*, sed recte per *opera* signari videt operarios, atque ita explicat„ Wahrend Aeneas staunend das (bunte) Unter-Einander der schaffenden Künstler und arbeitenden Werkmeister betrachtet."

461. 5, 639. 8, 613.

471. dictum de iis, qui caesi sunt

497. *Wd.* Brandt, Münscher *iuvenes* sumunt esse virgines, qua in re praeivit *Br.;* qui cedent auctoritati Gellii 9, 9: „Dido in urbe media ingrediens inter Tyrios principes, cultu atque incessu serio etc. Quoniam hunc locum iterum attigerim, apponam verba *Fbi* ad *stipante* „Activam constructionem passiva multo fortiorem esse, cum voluntariam iuvenum comitatum significet, in promptu est."

506. *Solium* est regis cf. 8, 541.

518. nuntiatum est

519. Venia est Gnade; veniam postulare non licet.

527. Etsi enim Penates g. e. f. L. a. erant t., quare i. c. g. emigrabant

532. dele 8, 268.

533. *Gentem* pro terra dici non docetur locis a me allatis neque loco Nepotis, quem *Ld.* affert, neque Graeco vocabulo δῆμος, quo usus est *Wg.* Itaque Oenotri dicuntur Itali sive gens Italia.

548. *Wd.* non *nec* sed *ne* praefert

562. lege *etsi* pro *et si*

603, 5 affirmantis cf. 5, 688.

607, 11. intransitivum

669. Münscher recipit coniecturam Heumanni *ut* pr. *et* et 670 *Nunc* pro *hunc.*

691, 6. 3, 51.

744, 3 dele: Virgiliae

744, 8 nutriverant

755. Flach Jhrb. 1874 p. 855 assentiens *Rbo* eiicit 755 sq. et annos ita disponit: A. 1. Sommer nach der Zerstörung. Aufenthalt im Gebirge Ida, Bau der Flotte (Is errorum annus non est). 2. Aufenthalt in Thracien. Aenos. 3. Ueberfahrt nach Delos. Aufenthalt daselbst. Fahrt nach Creta. Pergamum. 4. Aufenthalt in Creta. Die Pest. 5. Fahrt von Buthrotum nach Drepanum. Besuch des Acestes. 6. Aufenthalt im westlichen Sicilien. Tod des Anchises. 7. Zweite Landung in Sicilien. Leichenspiele. Gründung der Kolonie.

Lib. II.

9. Quod scripsi *etiam ap. Ciceronem* ne quem in errorem inducat, addendum puto esse hoc verbum apud antiquos scriptores ubique intransitivum, transitivum non reperiri ante Lucr. 1, 250, sed hunc ipsum scriptorem alibi hoc verbo uti pro intransitivo, nec minus Livium ubique.

37. 13 dele 5, 68.

48. Nck. dat: latet error equo:

94. plusquamperfecti

119. Adde: cf. 10, 519.

121. *Mv.* Adv. Cr. 2, p. 34 coni. *cui fata parent, quem poscat Apollo.*

123, 2. 1, 8.

170. Adde 392. 4, 201. 5. 822. 7, 732. 8, 678. 10, 497. 11, 633. G. 2, 473.

178, 4 eodem ex loco, unde priora

207. singularis, nec nisi in collectivo, quamquam

263. Pro *primus* Münscher proponit *promus*, *pravus*, *promptus*, ut eligas quid velis. Brandt *medicus* scilicet quod quis adscripserat *primus fuit medicorum primus* in textum irrepsit

271, 4 unusquisque

279. *Ultro* cf. 12, 3.

290. legisse etsi in editis

322. *Quo res summa loco* Münscher expl: Wo ist die Hauptentscheidung, der gefahrlichste Kampf. Meiser Ihrb. 1874 p. 139 coni. *quin prendimus arcem.*

349. Münscher pro *si* vult *ni.*

360. turbata sunt aliqua. Quare l. 12 scribe cf. 6, 293. *Rb*: et l. 32 scribe 867.

366. Poenas dare dicitur hostis 9, 356.

392 Ad h. v. cf. quae dicta sunt 7, 656.

396. *nomine* quod est in *γ*, probat Münscher.

415. cf. 1, 162.

471. ad Bagradam flumen incidit

497, 3 scribit *transīt*

647. *Inutilis* cf. 10, 794.

681. S. cf. 9, 502.

693. elegisse cf. 12, 259.

707. et 3. 405 infinitivum esse pro imperativo sumit Iolly Geschichte des Infinitivs im Indogermanischen. München 1873.

798. P. 3 turbam quod

Exc. l. 8 locus non esset

Lib. III.

20. *nitere* cf. 6, 654.

119, 3 695; nigris Il. Od. etc.

119, 4 *μέλανας*) immolatur. Cetera dele.

204, 8 et cir —

268, 8 cf. 1, 317.

278. Graecas

280. Actiacus

297. dicitur" S. Sic 12, 183.

327. excusandum.

340. *quae tibi iam Troia* infert *Mv.* 2 p. 34 post *arcem* et addit „Iam nullum superesit hemistichium nisi absoluto perfectoque sensu."

359. *Mv.* coni. *tripodas Clarii et laurus*

394. Nec c. imperativo cf. 12, 801.

581, 7 motat

614, 3 praeferendum

682. *Mv.* coni.: *Contra ac iussa monent Heleni, Sc. a. Charybdim inter*, . . *parvo*, *ni* = *ne.*

684. p. 165 debemus

Lib. IV.

11. Ad ea, quae dicta sunt, cf. 12, 433.

52. dele: ac revera — significet.

63, 13 *reposco* 6, 530.

84. *Fallere* est furtim

178. *Nck.* Z. f. Gymnw. 1874 p. 709 scribit: „Cui quot sunt corpore plumae, Tot vigiles oculi: subter, m. d., T. l. t. o. s., t. s. a. So ist sofort Alles klar. Der Mund sitzt unter dem Auge, das Ungeheuer hat nicht Nase noch Wangen: es ist ganz Auge, ganz Zunge und Mund, ganz Ohr. Auf diese Weise kommt auch das *m. d.* zu seinem Rechte. Denn während dieses dem *tot v. o. subter* in den Ausgaben auf unerträgliche Weise nachhinkt, bereitet es jetzt, wie 1, 439 und anderwärts, mit Spannung auf das Folgende vor."

193. „N. h. i. s. l. q. l. f. soll hiemem fovere den Winter durchschwelgen bedeuten. Ist dies möglich? Ich sage Nein. Das Object zu *fovere* ist *inter se* und *hiemem quam longa* ist Accusativ der Zeit: jetzt liegen sie einander den langen Winter hindurch schwelgend in den Armen. Vgl. 1, 708 gremio fovet." *Nck.*

216, 3 *ποιητὴς*

217. *Mv.* probat *subnexus.*

246 „heisst apicem et latera ardua sicher nicht „die Spitze und die ragenden Seiten" sondern die Krone und die ragende Brust des mühseligen Atlas. In der ganzen Stelle wird von dem Atlas nur als von einem Greise (551 senis), dem mütterlichen Grossvater (258) gesprochen. Von diesem werden Scheitel (247) und Haupt (249), werden Schultern (250), dann Kinn (250) und Bart (251) genannt." *Nck.*

261, 9. stellatus cf. 7, 210.

263. qui varius erat

342. continuitatem: recte

357. Steinmetz Pr. Merseburg 1846 utrumque caput intelligit Iovis et Mercurii.

402. 1, 148. 2, 626 deinde 9, 32. 792 deinde post 2, 626 dele 6, 707. Ad finem adde: cf. 10, 272.

435. Brandt Didonem post *quam mihi quum dederit* sumit orationem prae dolore abrumpere, eoque modo versum interruptum ac sententia cassum reperisse se arbitratur, qualis sit *quem tibi iam Troia.*

479. dele comma.

486. *Pl.* pro *Pi.*

513. In artibus magicis falces aeneae

576. cf. sequi omen 9, 71.

577, 3 attulisset

586. albescere lucem

606. *ἄλημα*

627. inimicitiarum
632. *nutrix* cf. 7, 1.

Lib. V.

25. *Si modo rite memor*
37. Ursos in Africa esse negat
42. vide ad 11, 182.
55. Ultro cf. 12, 3.
132. Dele Ita Hom. etc.
147. Adde: Inde verberare 10, 208.
281, 6 *plenis* PRVγ
298, 3 Salium
305, 4 Cf. 11, 366
311. studebant cf. 11, 580.
323. *Deinde* repetitum cf. 6, 901.
366. Arvalium et Hom. Od.
372. Pollucem, caestu principem
404. Dele: ex Statio et quae sequuntur
624. Steinmetz *Vera* legi iubet pro *Sera*, aut totum versum abesse.
530. maximus als Hauptperson
536. Dele 6, 239.
545. edebatur. Cf. Suet. Caes. 39.
564. more antiquo. Cf. 4, 329.
595. Ipsa per se inepta
598. Cf. 4, 329. *referre facta maiorum* 10, 281.
606. Idem v. 9, 2.
631. *quis* M2P. *quid* est in Rc.
678. se. Dele: pudore.
809. Iunge: Aenean nec dis nec viribus aequis congressum. Neque comparatur Aeneas cum Achille, sed illo ipso tempore, quo Achilles a diis adiutus omnes deiecerat, ausus est Aeneas cum eo certare; in hoc inest laus, non dedecus, quod vincitur. Ac servat Neptunus, etsi scit tunc Troiam non tam cito perituram.
822. Nautis antiquis sunt illae verae facies. doctis nunc hominibus vana nomina et abstracta.

Lib. VI.

8. Ad illud *sed cur?* ipse respondeo: prae gaudio, quod ad tam bonam ac pulchram terram pervenerint.
64. Ilium et gloria
248, 5 reflectebatur
320. Tettler Ihrb. 1873 p. 421 negat umbras remis vada verrere; inde *fori* 412 ei sunt sedes ad ripam, Charonque recipit Aeneam abactis iis, qui ad lintrem accurrunt; *iuga* 411 sunt colles, prope ripam.
359. gravatus, quod
364. Magus
427, 14 limine vitae scelus
470. *movetur Pl.*
471, 2. οὔ
474, 4 Dido dederat
510. Poenas de hoste sumptas cf. 9, 356.
533. *Mv.* expellit *an* „Nam neque *an quae* recte coniunguntur, nec recte hoc tamquam tertium a superioribus separatur."
602. *Mv.* dat *Pirithoumque et Quo super.* „Ceteris nominatis Tantalum sine nomine adiunxit, posito pro nomine notissimo poenae genere."
612, 29 qui bella gesserat
615. *Mv.* probat *merset*
638. quod est ad regulam
652. *terrae* Fbc. recipi iubet Schroeter Pr. Sagan 1873.
745. Sic 5, 783. 11, 425.
773, 11 Erat XL stadia.
756. Gebhardi Z. f. Gymnw. 1874 p. 801 quum ei persuasum sit Anchisae fuisse Augustum extremum memorare, hunc versuum ordinem constituit 756—790. 808—825. 836—853. 826—835. 791—807. et singula ita disposuit I. 756—59 Einleitung. II. Erster Theil: gens Silvia 759—790. III. Zweiter Theil a. Romani der Königszeit und Republik 808—25. 836—53. b. gens Iulia 826—35. 791—805. IV. Schluss: 806. 7. — Virgilium ego contra adversarios in excursu meo defendi.

Lib. VII.

15. cf. 2, 132.
47, 24 dicendo 12,
183, 4 privatarum
184. 11, 651.
190. v. 182 *Hn.*
197. *regebat* Fast.
207, 1 *penetrarit* R, rec.
244, 14 probabilis
409, 15 Ardeae erat
416. Arusianus
417. *obscenam*
464. *aquai* dat My1?b2c1 cf. *Rb.*
562, 9 *pinguia*
562, 17 Livium
562, 19 *ardua* cf. 2, 577.
757, 13 *vulnere* i. e.
762, 12 *Virbius viribus*
785. φοινικίοις

Lib. VIII.

40. quidam conclusit
74. *Mv.* coni. *qui te cunque locus, m. i. n. F. t.* „hoc est, quocunque loco fontem habes.
153. laetaturque. eius
168, 34 adiectivum enuntiato
178. De dativo loci cf.
205, 11 avertit
268, 17 vocem quam
448. alia aliam.
519. *Mv.* A. C. 2 p. 32 servat *tibi.*
541, 3 his locis
608, 8 describere non licet

694. Manu flamma

Lib. IX.

229, 6 *en*^{s}*cut. atq. entes* P1.
300, 31 tur per caput
315, 30 pro —
315, 31 Pronus
370, 6 dicantur
584. Arcentis.
589. col. 2, 5 si non
593, 5 Remulum a
621, 2 et
637, 4 ita
642. „Dietsch Th. Verg. p. 34. tamen, qui verissime censet, minime ineptam esse talem sententiam: bella omnia finitum iri per eam gentem, quae ipsa omnium fortissima sit, et ex progenitoris virtute Apollinem commode praesagire posse, qualis tota gens futura sit, non cogitat de Iani templo a. 725 clauso, sed de ultimo anno vitae Vergilianae, quae Parthis et Cantabris victis summa spes fuerit, iam orbem terrarum aeterna pace fruiturum" *Fb.* Quod si probaveris, habebis novum locum, quo probes ad extremam vitam usque in singulis libris Virgilium mutasse aut adiecisse aliquid ex ipsa ratione temporum haustum.
710, 34 e versibus

Lib. X.

1, 33 Tertio die iterum
71. uni verbo
82. Neptunus
102, 5 *Cs. Romanus*
251. MRγbc
288, 5 saltu super brevia
310. haberent, non
321. dixit, quum
374. poscit."
439. steterat, iam
476. postquam antea iam per clipei oram viam molita est, per
515. *Nam omnia s. oc.*
527. 527 non 427.
552, *reducta* sc. ad iactum
553. decidit, deinde
705. usurpatum displicebat.
733. est. — *Caecus*
784, 6 Iunge *cavum aere*
789. habere vult quod amet
807. *pluvit* expuncto *v*
862. *cruenta* MP2Rγbc *cruenti* P2.

Lib. XI.

156. quod mortis didicit
492. superat Ennium Virgilius
513. campis cf. 875.

Lib. XII.

48 non credit quem simulat
287. Sic quadrigis certabant Veientes
386. Cf. 2, 33.
407. *stant lumina flamma*
638, 34 Turnus, ridere potuit
659. *tui* dictum ad modum tui

In Virgilii versibus erratum est:

Lib. I.	74	scribe	omnes		702	scribe	ventis volucrique
	351	„	aegram Multa	Lib. VII.	542	„	Imbuit et
	665	„	Typhoea		552	„	Terrorum
	741	„	acantho	Lib. VIII.	7	„	contemptor
Lib. II.	107	„	fatur:	Lib. IX.	70	„	undis,
	352	„	imperium		81	„	parabat,
Lib. III.	124	„	volamus		201	„	Opheltes,
Lib. VI.	143	„	qualis		681	„	intonsaque
Lib. V.	328	„	quum	Lib. X.	347	„	mentum graviter
	580	„	agmina		441	„	socios:
	633	„	Nullane'		512	„	suos,
Lib. VI.	126	„	Anchisiade		560	„	piscesque
	133	„	cupido		565	„	Aegaeon
	163	„	peremptum,	Lib. XI.	842	„	Supplicium,
	334	„	Oronten,	Lib. XII.	61	„	te
	348	„	Anchisiade		263	„	fugam
	469	„	solo		419	„	odoriferam
	479	„	inclitus		426	„	hostem:

INDEX.

A.

B.

C.

E.

G.

L.

N.

O.

P.

T.

U.

